1147
8

Theological Seminary.
PRINCETON, N. J.

Part of the
ADDISON ALEXANDER LIBRARY,
which was presented by
MESSRS. R. L. AND A. STUART.

Case, Division
Shelf, Section
Book, No,

BS1145
.R815
1828
v.1

J. Addison Alexander

Princeton

Decr 17 1834

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO, IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

PENTATEUCHUM

IN COMPENDIUM REDACTA.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXVIII.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM

IN COMPENDIUM REDACTA.

VOLUMEN PRIMUM,

SCHOLIA IN PENTATEUCHUM

CONTINENS.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXVIII.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM

LECTORI

S.

Rogatus a multis, ut Scholia mea in V. T. in compendium vel ipse redigerem, vel redigi sinerem, quo consuleretur rationibus eorum, quos res angusta domi pluribus voluminibus emendis pecuniam suam impendere prohiberet, illorum desiderio ita satisfacere decrevi, ut, quum ipse, Scholiis, aliisque, quae inchoavi, operibus continuandis et ad finem perducendis occupatus, opus meum contrahendi laborem subire nequeam, tamen illius rite perficiendi curam in me susciperem, moderatorque existerem. Auctor igitur fui Joa. Christoph. Sigism. Lechnero, Phil. D. et ad Aed. Paul. Concionat. Vespert., Viro Clarissimo, in sacrarum literarum studio dextre versato, e Commentario nostro quae ad sensum verborum et loquendi formularum, in quibus aliquid difficultatis sit, explicandum, atque ad res gestas, ritus antiquos, nomina personarum locorumque et similia illustranda maxime necessaria essent, seligeret, haud omissa, in locis difficilioribus, mentione et aliarum interpretationum, quae quidem sua sese probabilitate commendarent, et lectionis variantis, sicubi ea

maioris momenti esset; pleniorem vero antiquarum et recentiorum interpretationum enarrationem, earumque examen, atque plurium variarum lectionum recensum, maiori operi relinqueret. Ego quae Vir Doctissimus eâ, quam dixi, ratione, in compendium redegit, omnia non solum diligenter recognovi, verum et quae hic illic minus recte à me dicta fuisse animadverterem, correxi, subinde etiam, ubi opus videretur, novas observationes addidi, atque quae ab eo inde tempore, quo Scholia in Pentateuchum tertio prodierunt, edita sunt scripta recentia, quae quidem in rem nostram facerent, suis locis laudavi. Quodsi nostra opera iudicibus aequis atque harum rerum peritis probata fuerit, operae nos pretium fecisse existimabimus. Dab. Lipsiae, mense Maio MDCCCXXVIII.

I.

PROLEGOMENA

IN

PENTATEUCHUM.

1.

Pentateuchi appellatio.

Quod primum V. T. locum tenet, quinque librorum syntagma, Hebraeis חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תוֹרָה, *quinque quinquerniones legis*, vel concisius חֲמִשָּׁה חוּמָּשִׁים, *quinque quinquerniones*, vulgo autem תּוֹרָה, *lex* vocatur. Singuli libri appellantur חוּמָּשׁ, *quinta pars*. Graecum nomen *Πεντάτευχος, volumen quinquepartitum*, est pro Substantivo usurpatum Adjectivum, compositum e *πέντε* et *τεῦχος*, quod *vas* et *volumen*, *librum* denotat. Dici vero solet tam masculine ὁ *πενταΐτευχος* (nam Adjectiva composita a Substantivis generis neutrius, quae in *ος* terminantur, derivata, terminationem et *ος* et *ης* adsciscunt), quam feminine ἡ *πενταΐτευχος* scil. *βίβλος, liber quinquepartitus*.

2.

Pentateuchum a Mose scriptum esse, quibusnam argumentis nitatur, communis opinio?

Pentateuchum Mosi auctori tribuit omnis Hebraea et Christiana antiquitas, rationibus, quae vel ex ipso ductae sunt opere, vel aliis idoneis testimoniis nituntur. Claris verbis Moses ipse (Deut. 31, 9—13. 22. 24—26.) testatur, esse *hunc integrum librum a prin-*

cipio usque ad finem a se conscriptum, proceribus populi et sacerdotibus traditum, ut in adyto sacri tabernaculi penes arcam foederis custodiatur, diebus festi tabernaculorum universo populo praelegatur, et in opere ipso passim nunc singulas leges nunc rerum gestarum narrationes a se in hoc libro consignatas esse Moses ait. Ita Exod. 17, 14. insidias Amalekitarum illisque decretum futuro aevo excidium Moses dicit se divino jussu *inscripsisse libro*, incepto haud dubie, et in quo jam plura exaraverat, ut inde colligitur, quod cum Articulo בַּסֵּפֶר (non בְּסֵפֶר) scripsit, quo innuit, se de certo quodam et satis noto libro loqui. Postquam Israelitae leges a Mose accepissent, *scripsit Moses omnia verba Jovae in libro foederis, quem universo populo praelegit*, Exod. 24, 4. 7. His praeceptis, quum postea plura alia addita essent, iterum jussus est Moses ea literis consignare, Exod. 34, 27. Porro Num. 33, 1. 2. Moses itinera Israelitarum ex Jovae mandato perscripsisse dicitur. Numerorum liber clauditur his verbis: *Haec sunt praecepta et jura, quae Jova per Mosen Israelitis dedit in locis campestribus Moabitarum ad Jordanem, e regione Jerichuntis.* Denique in Deuter., quo legum traditarum *ἀνακεφαλαίωσις*, explicationes et supplementa continentur, Moses in suis ad populum adhortationibus iterum iterumque *hanc legem* (הַתּוֹרָה הַזֹּאת) *et hujus Legis librum* (סֵפֶר הַתּוֹרָה הַזֹּאת) commemorat. Imprimis notabilis est locus 28, 61., ubi in oratione, qua Moses Israelitis, si divinis praeceptis non obtemperarint, infausta omnia minatur, inter alia haec leguntur: *Omnes etiam morbos omnesque plagas, quae non scriptae sunt in libro hujus legis immittet tibi Jova.* Ex quo sequitur, Mosen hunc librum populo tradidisse, adeoque sermones suos ipsum literis mandasse.

Multis etiam reliquorum V. T. locis *Lex Mosis*, *Lex*, *quam Jova per Mosen dedit*, commemoratur. In libro Josuae, qui etsi hujus ducis aetate multo recentior est, tamen maximam partem e commentariis si non plane coaevis, certe satis vetustis, fere ad verbum, uti fert mos scriptorum orientalium, haud dubie compositus est, legimus (1, 7. 8.), mox post obitum Mosis monitum fuisse Josuam, ut *librum legis Mosis perpetuo legat*; et Josua in oratione ad

populum habita (23, 3—16.) monet primores Israelitarum, ut faciant omnia, quae in *libro legis Mosis scripta essent*, pluresque non tantum leges, verum etiam res gestas in eo descriptas, comminationes et promissiones in eo propositas commemorat. In comitiis quoque ultimis, quae Josua (24.) habuisse narratur, praecipua Pentateuchi capita ille summatim repetit, foedus cum Jova instaurat, idque *addit libro legis Jovae* (Vs. 26.), qui haud dubie idem est liber, qui 1, 7. 8. et 23, 6. 8, 32. dicitur *liber legis Mosis* et 8, 34. *liber legis*. Davides moribundus Salomonem filium hortatur (1 Reg. 2, 3.), ut servet omnia praecepta, prouti *scripta illa sint in lege Mosis*. Nihil dubitationis admittit locus 2 Reg. 14, 6., quo Aamazias rex Judae, pepercisse filiis perduellium dicitur, *sicuti scriptum* (praescriptum) *est in libro legis Mosis*, subjectis statim ex illo verbis, quae huc spectant, quae illa ipsa sunt, quae hodienum Deuter. 24, 16. leguntur. 2 Reg. 22. 8. sqq. *liber legis*, qui paulo inferius 23, 2. *liber foederis*, et 2 Chron. 34. 14. distinctius *liber legis per Mosen scriptus* dicitur, ab Hilkia, summo pontifice, in templo repertus narratur, e quo Saphanes, scriba regius, Josiae praelegerit *promissiones et comminationes*, quae vix aliae esse possunt, quam quae Levit. 26, 3—45. et Deut. 27, 11—28. 68. continentur; atque e 1 Reg. 23, 21—23. patet, Josiam regem paschatos festum iisdem solemnibus ac ritibus instituisse, qui in *libro foederis* ab Hilkia reperto, perscripti fuissent. 2 Reg. 23, 25. dicitur, nullum comparandum esse regem Josiae, qui se ita ad Jovam tota mente converterit, *uti fert tota Mosis lex*. Postquam e Babylonia in patriam rediisset pars Judaeorum, Jesua sacerdos, ejusque cognati sacerdotes, et Serubabel ejusque cognati, aram Dei Israelitarum instituerunt construere, ad offerenda in ea holocausta, *quemadmodum praescriptum est in lege Mosis*, *viri divini* (Esr. 3, 2.); intelliguntur, quae Lev. 6, 1. (al. 7. sqq.) de holocaustis offerendis praecipiuntur. In dedicatione templi secundi Esr. 6, 18. ministrasse dicuntur Levitae et sacerdotes, *secundum praescriptum libri Mosis* (Num. 3, 6. sqq. 8, 11. 14.). Nehemias in precatione, quae Cap. 1. libri de ipso appellati legitur, confitetur (Vs. 7.), Israelitas non servasse instituta,

quae Jova Mosi mandasset, oratque Deum (Vs. 8. 9.), meminerit eorum, quae Mosi promiserit his verbis: *vos, cum transgressi fueritis mea praecepta, et ego inter nationes vos dissipavero, nihilominus si ad me reversi fueritis et praecepta mea servaveritis, etiamsi ad coeli extrema dispersi fueritis, vos inde colligam, et in locum, quem nomini meo collocando delegero, adducam*, quae conveniunt cum iis, quae Levit. 26, 41. Deut. 4, 26. 27. 28, 64. 30, 1. sqq. legimus. Quae loca etsi in iis libris exstent, quae pluribus post Mosen seculis sunt scripti, partim brevi ante eversum per Chaldaeos regnum Judaicum, partim post restauratas, Cyro favente, res Hebraeas, tamen hoc probant, fuisse ista aetate, id est sexto ante Chr. nat. seculo libros, e quibus leges, promissiones et minae superius commemoratae afferuntur, communi gentis Hebraeae judicio pro talibus habitos, qui a Mose essent conscripti. Jam vero, si cogitamus, tale judicium non paucorum quorundam hominum opinione formari, sed niti debere eo, quod a majoribus acceptum per plures aetates propagatum esset; loca illa e reliquis V. T. libris allata argumentum neutiquam leve Mosaicae Pentateuchi originis praebent. Accedit autem huic argumento non parum roboris inde, quod res sacras et civiles Hebraeorum omni tempore, a Josuae inde aetate, ad legum, quae in his libris traditae sunt, normam conformatas fuisse deprehendimus. Quodsi enim quaedam illarum nonnunquam per aliquod temporis spatium neglectae erant, paulo post tamen omnia ad ea, quae in Pentateuchi libris praescripta essent, restituebantur. In libris V. T. historicis perpetuo laudantur, quae libris illis consentanea, et reprehenduntur, quae iis contraria acta sunt. Prophetae toti sunt in eo, ut populares ad obsequium legis Mosaicae cohortentur. Praeterea plura, quae a majoribus sunt facta, iisve evenerunt, eodem plane, quo in Pentateucho ea narrata legimus modo commemorant, ut vix dubium sit, hausisse illos ex hoc fonte. Hic igitur prophetarum, et quidem jam antiquiorum, quorum supersunt scripta, Hoseae (9, 10. coll. Num. 25, 3. Hos. 11, 8. coll. Genes. 19, 24. 25.), Joelis (1, 9. 13. queritur vates desiisse *ferta* et *libamina*, quae e praescripto legum Lev. 2, 1. sqq. 6, 14. Num.

15, 4. 5. 7. 28, 7. 14. offerenda erant), Amosi (2, 9. coll. Num. 21, 21. 24. Amos. 4, 10. coll. Exod. 4, 3. sqq.), Michae (6, 5. coll. Num. 22, 2. sqq. et 25, 1. sqq. Mich. 6, 6. coll. Lev. 9, 2. 3.), Jesajae (1, 11 — 14. commemorantur eadem sacrificia et festa, de quibus pluribus Pentat. locis praecipitur; vid. et Jes. 12, 2. coll. Exod. 15, 2.), tam frequens ad ea, quae in Pentateucho praescripta et enarrata sunt, respectus, pro argumento habetur, et exstitisse illum iis, quibus vixerunt illi, temporibus, et tantum apud eos habuisse auctoritatis et fidei, quantum merebatur opus, quod a rerum suarum conditore profectum credebant.

Argumenta autem Mosaicae originis externa confirmant totius operis indoles, argumentum et conformatio. Nam quae illo continentur historica, politica et geographica remotissimae antiquitatis, ea maxime, quae ad historiam et rem naturalem Aegypti et Arabiae spectant, ita sunt comparata, uti a viro, qui veteri aevo in Aegypto liberaliter educatus esset, consignata esse credibile est. Tum quae in Pentateucho legimus de exitu Hebraeorum ex Aegypto, eorumque per Arabiae deserta itinere, plane sunt consentanea locorum et temporum, quibus facta narrantur, rationibus. Quod ipsum valet de legibus institutisque, quae populo, quem duxit, tradidisse in hisce libris Moses dicitur. In eorum librorum postremo eundem legislatorem ad populum suum, quem per plures annos gubernavit, loquentem audimus; sed jam aetate provectum, quod probat stylus latior et diffusior, quem in Deuter. omnes observant. Audimus in hoc libro ducem morti propinquum, suis omnia, quae ipsis, eo moderante, accidissent, in memoriam revocantem, eosque ad eas, quae ipsis divina auctoritate tradidisset leges diligenter servandas graviter adhortantem, nonnullas quoque leges retractantem et supplentem *). Deuteronomium vero scriptos ponit tres, qui praecedunt, libros, ad quorum argumentum saepe provocat, observationem legum, quae in illis leguntur, urget, et a gestis, quae in iis narrantur, rationes obtemperandi legibus depromit, ita ut sine libris illis lectores Deute-

*) Plura de hac re vid. in Prolegg. ad Deuteron.

ronomium ne quidem satis intelligere potuissent. Ordo orationis non ubique commodus, et oratio ipsa progreditur saepe per disrupta sine nexu fragmenta, haud raro singulari clausula terminata; quae arguunt auctorem non continenter scribentem, sed saepius interruptum, qualem novimus Mosen, tot tantisque negotiis obrutum, continuisque migrationibus distractum. Dispositio denique totius operis est ea, qualis a viro, qui populo rudi et inculto leges et jura dare, et civitatem bene moratam beneque constitutam instituere in animum induxerat, exspectetur. Nam in primo libro atque priori libri secundi parte, quasi praefatione tradendarum legum praestituta, ea praemittit, quae aut ad rerum sequentium seriem et ordinem necessaria erant, aut animis Israelitarum ad religionem et cultum unius Dei, rerum omnium creatoris et moderatoris, informandis servire poterant, de quo plura in Prooemio ad Genesin dicemus. Legibus ipsis immiscet fere sola ista gesta, quae illis occasionem praebuerunt, vel ad commendandam legum observationem spectant; legesque fere omnes exhibet eo ordine, quo promulgatae fuerunt. Quae quum ita sint, nihil obstare videtur, quo minus hosce libros ab eo scriptos credamus, cui et communis omnium temporum opinio, et reliqua V. T. monumenta illos, uti auctori assignant.

3.

Quae sententiae, Pentateuchum esse a Mose scriptum, adversari videantur.

Argumentorum, quae recentior aetas illi sententiae, Pentateuchum, qualem nunc legimus, a Mose scriptum esse, opposuit, alia ex linguae ejus indole, alia e conformatione et indole totius libri, alia e singulis ejus locis petita sunt. Linguam dicunt ab illa, qua novissimi sacrae bibliothecae libri sunt exarati, multo minus differre, quam in libris, tanto temporis spatio a se distantibus jure quis exspectet. Easdem enim in iis, qui exilii Babylonici temporibus scripti sunt, deprehendimus vocum formas, flexiones, significationes, quas in libris, qui Mosi tribuuntur. Quis vero, inquiunt, credat, fuisse soli omnium sermoni Hebraeo tantam stabilitatem, ut mille annorum

decursu nullam experta esset vicissitudinem? (Quod in primis urget *Nachtigal.*) Ad conformationem autem et indolem totius operis quod spectat, ajunt esse plura, quae arguant, non esse opus uno contextu et ab uno homine scriptum, sed ex pluribus variorum temporum et auctorum monimentis compositum. Quo pertinent primo singularum operis partium, argumentis suis invicem sejunctarum saepius recurrentes et inscriptiones (Gen. 2, 4. 5, 1. 6, 9. 25, 12. 19, 36, 1. Exod. 6, 14. Num. 33, 1.) et clausulae (Lev. 7, 37, 38. 26, 46. 27, 34. Deut. 4, 45.), repetitae earumdem rerum, mox breviores narrationes *), quae tamen in singulis haud raro inter se discrepant **), styli quoque varietate, et diversarum de iisdem rebus dictionum usu varios scriptores prodant ***). Accedit duorum illorum, quibus Hebraei summum numen appellare solent, nominum, *Elohim* et *Jehova*, usus alternans, cujus haec est ratio, ut in aliis longioribus ejusdem argumenti capitibus Deus constanter *Elohim*, in aliis *Jehova* appelletur, illisque particulis, in quibus nomen *Elohim* usurpatur, certae loquendi formulae atque dictiones sint propriae et peculiares, quae in illis, quae nomine *Jehova* uti solent, non reperiuntur. Porro vulgo receptae de Pentateucho a Mose scripto sen-

---

*) Veluti eorum, quae eluvionem Noachicam praecesserunt Genes. 6, 13. 14. 17 — 22. et 7, 1 — 5. Manna bis describitur, Ex. 16, 14. sqq. et Num. 11, 7. sqq. Ita quae Ex. 40, 36 — 38. dicta sunt, repetuntur Num. 9, 15 — 23.

**) Sic Gen. 28, 20. appellat Jacobus locum, quo *in itinere in Mesopotamiam* pernoctavit, *Bethel*, quo respicit 35, 1 — 7.; sed 35, 6. 8 — 15. Deus Jacobo *ex Mesopotamia reduci* apparuisse, et nomen *Israelis* indidisse narratur, unde Jacobus locum illum appellarit; contra 32, 28. 29. mutat Deus nomen Jacobi postquam eum ipso luctatus esset; oppidum *Bethel* autem jam Gen. 12, 8. Abrahami temporibus memoratur. Deuter. 12, 8. Edomitae et Moabitae Hebraeis transitum et commeatum, pro pretio soluto, concessisse dicuntur; sed 23, 3. 4. Ammonitas et Moabitas Hebraeis terram illorum transeuntibus commeatum denegasse legimus, non commemoratis Edomitis; Num. 20, 18. vero Edomitae Hebraeis transitum denegasse dicuntur, nulla Moabitarum mentione facta.

***) Cf. J. S. Vater in Commentatione ad calcem Partis tertiae Commentarii in Pentateuchum sermone vernaculo a se editi.

tentiae opponunt plura illius loca, quae seriorem Mose aetatem prodant, nec ab eo consignata esse possint. Commemorantur enim urbes iis nominibus, quae illis post Mosen demum indita sunt *), adjiciuntur, explicationis causa, hic illic quae a Mose addita esse vix credibile est **), de rebus denique pluribus mentio injicitur eo modo, qui arguat scriptorem, qui longo post Mosen tempore vixerit ***).

4.

Eorum, qui Pentateuchum Mosi abjudicant, variae de illius origine sententiae.

Qui argumentis supra allatis ducti Pentateuchum a Mose scriptum esse negant, in diversas de illius origine sententias discedunt, quas breviter recensebimus.

Thomas Hobbes (in *Leviathane*, Lond. 1651. P. III. C. 33.) Pentateuchum de Mose appellatum putat non quod ab eo scriptus sit, sed quod de eo agat; quamvis concedat, fieri posse, ut ea scripserit, quae his libris ab eo scripta narrantur, veluti codicem legum, qui, uti ipsi videtur, continetur Deut. 10—27. — Isaaci Peyrerii opinio fuit (in *System. theol. ex Praeadamitarum hypothesi*, Lugd. Bat. 1655.), scripsisse Mosen diurnos commentarios rerum omnium memorabilium, quae a se et aliis sua aetate gestae fuissent,

---

*) Veluti Gen. 14, 14. et Deut. 34, 1. urbs *Dan*, cujus vetus nomen, *Laisch* vel *Leschem* post divisos demum Cananaeae agros mutatum est in *Dan*, Jos. 19, 47. Jud. 18, 29.

**) Ita Gen. 14, 7. nomini urbis עֵין מִשְׁפָּט additur, eam nunc dici קָדֵשׁ. Similia vid. V. 8. 17. 23, 19. 35, 19. 48, 7. Deut. 4, 48.

***) Sic Gen. 13, 7. verba: *Cananaei vero et Pherezaei tunc temporis*, Abrahami et Lothi aetate, *eum tractum tenuere*, nonnisi ab aliquo, qui post Cananaeos sedibus suis expulsos vixerit, scribi potuerunt. Gen. 36, 31. leguntur haec verba: *Hi vero sunt reges, qui in Idumaea regnarunt, antequam Israelitis rex esset constitutus.* Tum recensentur octo regum nomina, posteriores prioribus mortuis successerunt, usque ad Vs. 39. Totam igitur hanc novem commatum περιοχὴν ab aliquo, qui postquam regnari Hebraei coeperunt, additam esse oportet.

quibus praemiserit Judaeorum fastos ab Adamo ad sua usque tempora; sed illos libros jam dudum periisse, eorumque nunc nonnisi excerpta quaedam superesse. Ex istis Mosaicis commentariis conflatum putat *librum bellorum Jovae*, Num. 21, 14. commemoratum, e quo deinceps liber Numerorum excerptus fuerit. — Benedictus Spinoza (in *Tractatu Theolog. politico*, Amstel. 1670.) omnes V. T. libros historicos, qui res ante Esrae aetatem gestas enarrant, unum auctorem, et ipsum Esram habuisse suspicatur. Deuteronomium primum scripsisse Esram, conjicit, partim quia leges patrias continet, quibus populus maxime indigebat, partim quia iste liber nulla conjunctione antecedenti alicui annectitur, sed soluta oratione incipit: *haec sunt verba Mosis*. Deinde Esram studium adhibuisse credit ad integram historiam gentis Hebraeae describendam, a mundo condito usque ad Urbem a Chaldaeis eversam, cui librum Deuteronomii suo loco inseruit. Addit Spinoza, forte Esram primos quinque librorum historicorum a se conscriptorum nomine Mosis vocasse, quod in iis potissimum res ab eo gestae sint traditae. Neque tamen Esram huic operi ultimam manum imposuisse, nihilque aliud illum fecisse autumat, quam historias ex diversis scriptoribus colligere, et quandoque nonnisi simpliciter describere, ita ut eas neque examinatas, neque ordinatas posteris reliquerit. Quae autem causae impediverint, nisi forte intempestiva mors, quo minus Esra hoc opus omnibus suis numeris adimpleverit, fatetur se non posse conjicere. Hos denique qualescunque Esrae commentarios nonnisi mancos, mutilos, multisque mendis foedatos ad nos pervenisse vult, sic ut de prisca historia integrum habeamus nihil, quod non multa correctione indigeat. Quae omnia prolixe exsequitur Spinoza, et argumentis exemplisque firmare studet. — Richardus Simon (in *Histoire critique*) difficiles nodos, quibus Pentateuchi interpretem implicant et frequentes in illo earundem rerum repetitiones haud raro in singulis inter se pugnantes, et loci, qui aetatem Mosi multo seriorem arguunt, facillime expediri posse arbitratur, si Pentateuchum e variis publicorum scribarum, quos Moses, more Aegyptio, constituisset, commentariis et membranis disjunctis inordinatisque compositum esse sumamus. — Simo-

nii sententiam dum in censuram vocaret JOANNES CLERICUS (in *sentimens de quelques Theologiens d'Hollande sur l'histoire critique du V. T.* Amsterd. 1685.), cum illo in eo quidem consentiebat, quod Mosi Pentateuchi conscriptionem abjudicabat, sed quod illius originem attinet, hanc proponebat conjecturam, compositum esse eo tempore, quo veteres Hebraicae literae, quibus primum scriptus esset, notiores essent novis, quas in Babylonico exilio adoptassent, et ab eo auctore, qui neque Samaritanis neque Judaeis esset suspectus, atque e cujus manu illum haud illubenter susciperent. Haec omnia convenire in sacerdotem illum Israeliticum, e Babylonia missum, ut novos Palaestinae incolas edoceret ritum, quo regionis istius Deus amabat coli, 2 Reg. 17, 27. 28. Credere par esse, sacerdotem hunc, sive solum, sive adjutum ab aliis, ut rudes illos populos a πολυθείας errore abduceret, molitum esse historiam de mundo unius Dei virtute condito, et epitomen historiae Hebraicae usque ad exitum Hebraeorum ex Aegypto, ut palam fieret, non nisi unum Deum esse, eum nimirum, quem colunt Hebraei. Scripsisse autem hanc historiam Hebraice, antiquis literarum characteribus, vel quia Chaldaicae linguae nondum satis gnarus esset, vel ob aliam causam, nobis incognitam. Annum quo haec facta sunt, determinare difficile esse, videri tamen contigisse post decimum octavum regni Josiae. Hoc enim anno inventus fuit liber legis, sine quo extremam manum operi suo imponere sacerdos ille non potuisset, quippe qui maximam Hebraeae historiae partem contineret, et ad institutionem novorum Samaritanorum apprime fuerit necessarius. Quae si ad hunc modum facta esse ponamus, facile creditu esse, sacerdotes Hierosolymitanos hanc Bethelici sacerdotis historiam calculo suo comprobasse, quum in ea nihil invenirent, nisi quod pium, atque rerum gestarum veritati consentaneum esset. Abjecit tamen Clericus ipse hanc suam sententiam in Dissertat. II. *de Scriptore Pentateuchi*, Commentario suo in Pent. praemissa. — JOANNES GODOFR. HASSE (in *Aussichten zu künftigen Aufklärungen üb. d. A. T. in Briefen*, Jen. 1785.) Pentateuchum exilii Babylonici tempore e monumentis veteribus compositum conjecit, adhibitis quidem Mosaicis iis, quae tunc super-

essent, sed multis illis auctis et varie immutatis. Mutavit tamen Hassius postea sententiam, et Pentat. Mosi vindicavit. — Frid. Car. Fulda (in Pauli *neuem Repert. für bibl. u. morgenländ. Literatur*, P. III. p. 180. sqq. et in ejusdem *Memorabilien*, P. II. p. 102. sqq. P. VII. p. 1. sqq.) Pentateuchum, qualem nunc legimus, posse non ante Davidis tempora conscriptum esse contendit, atque paucis quidem in illo vere Mosaicis plura alia, partim Mose antiquiora, partim eo recentiora ita intexta esse, vetera autem ita mutata et interpolata, ut, quae vere sint Mosaica, nunc vix discerni possit. A Mosis manu profecisci non dubitat Decalogum, epinicium post mare erythraeum transfretatum (Exod. 15.), atque recensum mansionum Israelitarum ab exitu ex Aegypto usque ad campos Moabiticos (Num. 33.). Alia a Mose consignata recentioribus scriptionibus intexta putat, neque tamen ultra decem monumenta vere Mosaica superesse. — Qui Otmari nomine latuit, Jo. Christ. Nachtigal (in tribus Commentatt. in *Henke's Magazin für Religionsphilosophie, Exegese u. Kirchengesch.* P. II. p. 433. sqq., P. IV. p. 1. sqq. et 329. sqq.) postquam praeter illa, quae supra §. 3. commemorata sunt, recentioris Mose aevi argumenta, in Pentat. obvia, attulisset et alia, quibus probasse studeret, exstitisse apud Hebraeos ante Samuelis tempora praeter tabulas genealogicas tribuumque stemmata, aut nulla aut sane paucissima literarum monumenta, et fuisse rerum a majoribus gestarum memoriam non nisi ore propagatam, carminibusque aut lapidum monumentis servatam, contendit, esse Samuelis tempore demum in scholis prophetarum primum carmina historica, quae magnam partem e picturis imaginibusque rerum gestarum lapidi aut aeri insculptis hausta fuissent, literis mandata, tum esse procedente tempore a viris sapientibus et literate peritis conscriptos plures libros, qui carmina, narrationes de rebus vetustis, legesque collectas continerent, atque ex hujusmodi libris esse junctis plurium hominum doctorum studiis, moderante forsan Jeremia, propheta, sub exilii Babylonici tempore Pentateuchum compositum. Mosaica in illo vix alia statuit, quam decem praecepta, duabus tabulis lapideis insculpta, recensum stationum Israelitarum per Arabiae deserta iter

facientium, stemmata, et carmina nonnulla breviora. Omnem Nachtigalii sententiam refutavit Eckermann in *den theolog. Beiträgen*, T. V. Part. 1. — Jo. Sever. Vater etsi Pentateuchum, qualem nunc legimus, non ante exilii Babylonici tempus certo exstitisse statuat, tamen majorem Deuteronomii partem, singulasque ceterorum librorum pericopas jam inde a Davidis et Salomonis aetate paulatim compositas censet. — Guil. Mart. Lebrecht de Wette (*histor. krit. Einl. in d. A. u. N. T.* P. I. p. 164.) examinatis librorum V. T., praeter Pentateuchum, locis iis, in quibus ejusdem mentionem fieri vulgo creditur, ex illis hoc effici contendit, prima Pentateuchi nostri vestigia haud multo ante eversam a Chaldaeis rempublicam Hebraicam occurrere; quod, Josia regnante, ab Hilkia (2 Reg. 22, 13. sqq.) in templo repertum narratur, volumen legis, fuisse tantummodo Deuteronomium, quod a prioribus Pentateuchi libris diversum, alius cujusdam recentioris auctoris opus esse, atque librorum priorum epitomen quendam, jam prius in peculiari Dissertat. (Jen. 1805. 4.) ostendere studuerat. Librorum quatuor priorum partes singulas, e quibus illi sub exilii tempore compositi et contexti fuerint, esse Davidem inter et Joramum diversis temporibus scriptas, maximam quidem partem, nam esse in iis et pericopas, quae Babylonicum tempus arguant. — Leonh. Bertholdt (*histor. krit. Einl. in d. A. u. N. T.* T. III. p. 821. sqq.) in exploranda aetate atque origine Pentateuchi, qualis nunc exstat, non ultra initia dignitatis regiae apud Hebraeos introductae regrediendum esse censet. Verisimile ipsi, esse Pentateuchum a Samuele in suam formam redactum, atque ad arcam foederis repositum, illiusque exemplar a Samuelis manu linteo Aegyptio laevigato inscriptum, esse illud legis volumen, quod ab Hilkia in templo repertum fuerit. — Carol. Francisc. Volney (*Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne*, P. I. Cap. 6. 7. 8.) quamvis minime inficias eat, continere Pentateuchum nonnulla scripta vere Mosaica (Exod. 22, 2 — 24, 1. Num. 23.), illum tamen, qualem nunc habemus, non dubitat procusum esse junctis Hilkiae, Pont. Max., Jeremiae, prophetae, Saphanis, scribae regii, atque Achboris studiis (2 Reg. 22, 8. sqq.), haud inscio Josia, rege, eo consilio,

ut dubiis illis et periculosis temporibus, quibus Judaico regno, Aegyptum inter et Babyloniam posito, ab utraque hac parte praetereaque a Scythis, in Syriam borealem impressionem facientibus, maximum periculum et extremum paene discrimen imminebat, Judaeorum animi, revocata veteri Mosaica institutione, patriae amore incenderentur, confirmarentur, atque ad fortiter resistendum, unitis viribus, communibus hostibus incitarentur, et ab instante interitu respublica hoc modo servaretur.

5.

Argumenta, quibus Pentateuchus Mosi abjudicatur, quid habeant momenti?

Variae illae de recentiore Pentateuchi origine sententiae quia triplici potissimum argumentorum genere nituntur, primo, e linguae et sermonis cum libris serioribus convenientia, altero, e totius operis conformatione, tertio denique e locis in Pentateucho obviis, quae a Mose scripta esse plane non possint, petito (§. 3.); quid illa ad abjudicandum Mosi Pentateuchum valeant, jam videamus. Atque primum quidem, quod dicunt, posse a Mose non scriptum esse librum, cujus lingua tam parum differat ab ea, qua libri pluribus post Mosen seculis editi, sunt scripti; illud ipsum, quo haec argumentatio nititur, omnino verum esse negamus. Nam etsi archaismi grammatici et orthographici admodum pauci in Pentateucho hodie reperiantur, cujus rei ratio haud dubie in eo est posita, quod praecedente tempore ab iis, qui librum variis temporibus descripserunt et recognoverunt, multi illorum sensim essent sublati, ne lectores recentiores iis offenderentur; tamen supersunt. Quo pertinent non tantum notissimae illae voces נַעַר et הוּא, de maribus aeque ac feminis usurpatae, in quibus archaismum agnoscunt et illi, qui Pentateuchum Mose recentiorem statuunt (Vater et Gesenius *Geschichte der hebr. Spr. u. Schr.*, p. 31.), verum et personae tertiae femininae pluralis numeri Futuri sine ה in fine scriptae *), atque *He*

*) Ubi illi, qui puncta Vocalia apposuerunt, literae *Nun* semper *Camez* adjunxerunt, ut תִּהְיֶיךָ, וַתָּשְׁקֶיךָ, וַתַּהֲרֶיךָ, תִּבֹּאךָ, וַתֹּאמַרְךָ. Cf.

locale in Pentateucho multo frequentius, quam in reliquis V. T. libris (vid. Jahn l. c. p. 583.). Praeterea haud exiguus est numerus vocum et phrasium, quae Pentateucho ita sunt peculiares, ut in aliis V. T. libris aut numquam, aut rarissime occurrant *), uti contra plures aliae in libris recentioribus frequentes in Pentat. nusquam aut rarius reperiuntur (quas enumeravit Jahn, *Archiv* Vol. III. p. 168—202.). Neque illud est praetereundum, peregrina vocabula in Pentat. legi nulla, nisi antiqua Aegyptiaca, ut צָפְנַת פַּעְנֵחַ, שַׁעֲטְנֵז, שֵׁשׁ, אַבְרֵךְ, אָחוּ, טוֹטָפוֹת, יְאֹר. Denique in omni hac quaestione de Hebraei sermonis in Pentat. indole reputandum est, linguas eas, quibus Hebraea accensetur, quum in scribendo vocum consonae tantum poni soleant (signa Vocalium in Codice Hebraeo aevo recenti adjecta sunt), multo minus in scriptis variare, quam nostras, quae et vocalium enunciationem literis exprimunt. Unde factum, ut Arabicus sermo Corani et vetustissimorum carminum, Mohammedis tempore editorum, parum diversus appareat ab Arabico sermone eo, quo recentiores libri sunt scripti. Quod ipsum de lingua Syriaca valet. Quam exigua enim sit Syriaci sermonis ejus, quo antiqua illa N. T. translatio, quae *Peschito* dicitur, est scripta ab eo, quo Abulpharagius multis post seculis scripsit, diversitas, sciunt omnes, qui illius linguae haud sunt ignari.

Transeamus ad aliud, quod Mosaicae Pentat. origini opponunt, totius operis conformationem; neque enim illum ab uno homine scriptum esse, sed e variis variorum hominum et temporum scriptis monumentis compositum, arguere stylum plane inaequalem, nunc concisum et pressum, nunc latum et diffusum, tum repetitas et tamen inter se discrepantes de iisdem rebus narrationes, frequentes

---

C. Jahn: *Beiträge zur Vertheidig. der Aechth. d. Pentat.* in *Bengelii Archiv für Theologie u. ihre neueste Litter.* Vol. II. (Tubing. 1818.), Part. 3. p. 581.

*) Hujusmodi voces et integras dictiones, quae in reliquis V. T. libris, quia procedente tempore ab usu recesserunt, nunquam aut rarius occurrunt, plus quam ducentas recensuit Jahn l. c. p. 585—630.

denique singularum pericoparum inscriptiones et clausulas. Sed quod attinet styli inaequalitatem, parum profecto illa valet ad evincendam scriptorum diversitatem, quum et optimos quosque scriptores in iis, quae per plurium annorum intervalla scripserunt stylum ita variare constet, ut a se ipsis diversi esse videantur. In scriptis autem viri, qui per longam annorum seriem imperatoris legumlatoris et judicis personam unus solus sustinuit, stylum varium et minus aequabilem ultro quisque exspectet. Accedit, quod pro argumenti et consilii scribentis varietate stylum quoque variare oportet, aliumque esse debere ejusdem scriptoris res antiquissimas e vetustis monumentis referentis, alium a se ipso aut ab aliis sua aetate gesta narrantis, alium leges et instituta praescribentis, alium denique praecepta a se tradita explicantis, supplentis, et ad ea servanda monentis, quae quidem omnia in Pentat. observamus. Neque magis diversos auctores probant repetitae, nec satis sibi semper consonae de iisdem rebus narrationes, quae nequaquam mirae alicui esse possunt in opere per plurium annorum intervalla, et a viro maximis occupationibus districto sensim conscripto. Cf. JAHN *Archiv*, Vol. III. p. 562. sqq. Minimi denique momenti habent ad demonstrandum, esse e variis variorum hominum scriptis compositum Pentateuchum, frequentes singularum ejus partium inscriptiones et clausulae, quum eas perspicuitatis causa, ut diversi argumenti pericopae facilius invicem discernerentur, appositas esse pateat. Praeterea quatuor librorum posteriorum parum inter se cohaerentes et dispariles partes ita consignatas esse patet, uti locorum et temporum rationes ferebant, unde varium illi et miscellum opus constituunt, in quo vix alium, nisi temporis, ordinem servatum videmus. Sane si quidquam scriptorum monumentorum reliquit Moses, ea vix aliter sese habere credibile est, quam ita, uti conformatum videmus Pentateuchum. Nam si quis recentioribus temporibus aut legum codicem, aut rerum a Mose gestarum historiam contexere voluisset, rem eum multo aliter instituisse verisimile est. Cf. STAEUDLIN in Comment. II. *de legum Mosaicar. momento et ingenio, collectione et effectibus* (Gotting. 1797.) p. 19.

Restat tertium argumentorum genus, quo Mosaicam Pentat. originem impugnant, loca in eo obvia, quae a Mose scripta esse plane nequeunt, quia recentiorem scribentis aetatem arguunt. De iis tamen, si demamus quae dubia sunt, nec pro argumentis certis serioris Mose aetatis haberi possunt, pauca restabunt, quae certe a recentiori manu consignata statuamus. Talia autem reperiri in tam vetusto nec exiguae molis libro, nemo jure miretur, et tam parum obstant, quo minus Mosis opus hosce libros esse dicamus, quam parum nonnulli Aeneidi aut Georgicis inserti spurii versus obstant, quo minus illa carmina Virgilii esse credamus. Libros hos a communi antiquorum librorum sorte mansisse immunes, et non fuisse varie interpolatos, exspectandum non est. Etsi enim Hebraei illos tanti aestimabant, ut quidpiam mala fide in iis mutare, summae sibi religioni ducerent, id tamen non impediebat, ne hic illic supplementa historiae, et explicationes rerum et vocabulorum antiquiorum adjicerentur.

Vidimus argumenta, quibus Mosaica Pentat. origo impugnatur, tantum roboris non habere ut infringant ea, quibus nituntur illi, qui hosce libros Mosis esse putant *). Quare non dubitamus, Pentateuchum longe maximam partem esse Mosis opus, sed habere nos eum varie retractatum recognitumque, interjectis passim verborum et sententiarum clausulis veluti sarcitum et explicatius redditum, et ad continuandam historiae seriem dispositum. Accessiones autem istae, quum pleraeque ipsae tales se prodant, a genuinis discernere haud admodum difficilis et ardui negotii videtur.

---

*) Cf. praeter Jahnium C. F. Fritzsche: *Prüfung d. Gründe, mit welchen neuerlich d. Aechth. der fünf Bücher Mos. bestritten worden ist*, Leipz. 1814. 8. Eichhorn *Einl. in d. A. T.* P. II. §. 408. sqq. Michaelis *Einl.* P. I. §. 29. *die Aechtheit der Mos. Gesetze vertheidigt von* C. F. Staeudlin, in Bertholdtii *Krit. Journal* etc. T. III. Fasc. 3. 4. p. 225. et T. IV. Fasc. 1. 2. G. Griesinger *über d. Pentat.* Stuttg. 1816. 8. Frid. Pustkuchen *Histor. krit. Untersuch. der bibl. Urgeschichte* (Hal. 1823.) p. 129. sqq.

6.

De Pentateucho Samaritano.

Samaritanis Palaestinam incolentibus suus est, non secus ac Judaeis ceteris, Hebraice scriptus Pentateuchus, characteribus ille veteribus Phoeniciis exaratus. De cujus aetate ac origine, unde primum haustus, et ex quibus codicibus sit descriptus, multum et varie est disceptatum. Sunt autem duae potissimum, sibi plane oppositae de hac re sententiae. Alii enim antiquissimum statuunt illum codicem, eumque eadem, qua hodie superest, forma jam ante Jeroboamum apud decem tribuum cives exstitisse arbitrantur; alii contra, qui Pentateuchum non Mosis opus, verum sub exilii demum temporibus compositum putant, exemplar Samaritanum non antiquius templo Garizitano faciunt, codicemque Pentateuchi Hebraeo-Judaicum a Manasse, sacerdote a Judaeis transfuga, ad Samaritas translatum indeque in characterem veterem Phoenicium, cui adsueti essent Samaritae, transfusum fuisse volunt (Sic Rich. Simon in Hist. crit. V. T. Lib. I. p. 65. Humfred. Prideaux *das A. u. N. T. in Connex. mit der Juden u. benachbarten Völker Geschichte* T. I. p. 414. Fulda: *Memorabilien* P. VII. p. 21. Paulus: *Commentar über d. N. T.* P. IV. p. 252. de Wette: *Beiträge zur Einleit. in d. A. T.* P. I. p. 214. et Gesenius in Comment. *de Pentateuchi Samar. origine, indole et auctoritate* p. 9.).

Habent utriusque sententiae defensores argumenta satis gravia, quae hic examinare atque inter se comparare longum foret, neque instituti nostri fert ratio. (Vid. vero Bengelii *Archiv* Vol. III. Fasc. 3. p. 626. comment. anonymi: *Einige Zweifel gegen d. neuerliche Annahme, als ob aus d. Samar. Pentat. kein Beweis für das frühere Alter des Pent. geführt werden könnte.*) Nos quod movet, ut in priorem sententiam propensiores simus, illud est, quod toto illo temporis spatio, quod a defectione decem tribuum usque ad regni Samarit. excidium effluxit, prophetae Israelitici aeque ac Judaici, populares ad cultum soli Jovae praestandum, qualis in Pentat. injungitur, atque ad totum illum legum in eo praescriptarum com-

plexum observandum graviter semper adhortati sunt: idem plane Mosaicae institutionis tuendae insigne studium in veris vatibus tam Judaicis, quam Israeliticis elucet. Quae prophetarum utriusque regni summa consensio in commendandis inculcandisque institutis Mosaicis communem omnibus aliquem legum codicem fuisse arguit. (Vid. quoque Commentat. modo laudat. p. 658.) Unde illis, quae supra (§. 2.) attulimus antiquitatis Pentateuchi argumentis novum hoc accedit, quod jam longe ante eversam a Chaldaeis rempublicam Judaicam regni Israelitici cives illum legum codicem habuerint. Quod vero codicis Hebraeo-Samaritani indolem attinet, tantum abest, ut in sinceritate aequiparandus sit Judaico, sive Masorethico, ut potius illo multo sit inferior, quippe qui scateat mendis et vitiis, quae partim librariorum incuriae, partim hominum semidoctorum emendandi et supplendi libidini ortum debent, id quod GESENIUS, ita demonstravit, ut dubitationi jam nullus sit locus relictus.

II.

PROLEGOMENA

IN

GENESIN.

I.

Libri argumentum.

Primus Pentateuchi liber, Hebraeis בְּרֵאשִׁית, *in principio*, a primo illius vocabulo, Graecis *Γένεσις* ab argumento appellatus, quod rerum omnium origines exponit, prooemium quoddam quatuor, qui sequuntur, librorum constituit. Continet enim scitu necessaria ad intelligenda ea, quae ceteris libris narrantur et docentur de uno Deo colendo, praeparatque animos ad capiendum legum complexum.

A rerum origine generisque humani primordiis scriptor repetit gentis Hebraeae originem, quae originis vetustas plurium antiquitatis populorum gloria fuit. Post relatam hominum per orbem terrarum dispersionem in unam Heberi familiam cogit historiam, versoque ad Abrahamum stylo fere unice in hujus viri et posterorum ejus rebus enarrandis versatur, selectis potissimum iis, quae ad magnificas iteratasque promissiones, majoribus illis gentis Hebraeae a Deo factas spectant, atque ex iis illorum factis, unde eorum erga Deum fides eluceat. Originem morum, qui apud Hebraeos obtinent, indicat (ut 32, 32. sqq.); sacrificiorum quoque rituumque, veluti circumcisionis occasiones et historias persequitur. Prolixior est in exponenda vita Josephi, cujus morte liber clauditur, ut cognoscerent lectores Hebraei, qui factum sit, ut majores ipsorum in Aegypto sedem fixerint.

2.

Librum Geneseos esse a Mose scriptum.

Quodsi quatuor posteriores Pentat. libros Moses conscripserit, quod jam ostendimus, ab eodem illo et librum primum scriptum esse oportet, quippe qui adeo arctissimo nexu cum ceteris libris cohaeret, ut si Genesin demas, opus habiturus es imperfectum et *ἀκέφαλον*. Sublata Genesi ignorassent Hebraei, quisnam sit majorum suorum Deus, quem eumdem regem suum et legislatorem multiplici modo colebant; ignorassent, quaenam sint toties illa in reliquis libris commemorata promissa, majoribus suis a Deo data (loca Exod. 6, 4. 13, 5. 23, 1. Deut. 1, 8. 9, 5. 29, 13. 30, 20. 34, 4. respiciunt ad Gen. 12, 7. 13, 5. 15, 18. 17, 8. 24, 7. 26, 3. 4. 50, 24.). Legem primariam de celebrando sabbatho inculcans Moses (Exod. 20, 11. 31, 17.) aperte spectat ad illa, quae initio Geneseos (2, 2. 3.) commemorantur. Praeterea et in aliis rebus is observatur libri primi cum reliquis consensus, qualem in unius ejusdemque auctoris opere merito exspectes. Cf. Exod. 13, 19. cum Gen. 50, 25., Lev. 17, 14. c. G. 9, 4., Num. 23, 24. 24, 9. c. G. 49, 9., Deut. 2, 5. c. G. 36, 8., Deut. 2, 12. c. G. 14, 6. 36, 20., Deut. 20, 23.

c. G. 19, 24. Vid. et J. G. Hasse: *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- u. Menschengesch.* P. II. p. 198. sqq. et F. Pustkuchen in libro supra p. 16. not. laud., qui tamen priora *undecim* Genes. Capita tum demum, cum potior populi Hebraei pars in Babyloniam delata esset, literis consignata esse, comprobare satagit argumentis pluribus, sed quae nobis non persuadent, ut viri doctissimi sententiam nostram faciamus.

3.

De fontibus, unde hauserit Moses, quae in Genesi tradidit, et quomodo illis fuerit usus.

Quum in Genesi ea exponantur, quae ante Mosen facta sunt, oritur quaestio, num is primus illa literis consignarit, an vero quae habet, hauserit ex antiquioribus monumentis, quae postea interciderint. Si primus haec scripsit Moses, oportet quae habet ei aut sint a Deo revelata, aut ab hominibus, qui ea memoriter tenérent, narrata. Nusquam autem sibi haec a Deo patefacta dicit, neque quisquam, Mose taecente, pro comperto adfirmare sustineat. Memoria vero tot nomina, totque annorum summas, quales in decem prioribus potissimum Capp. leguntur, potuisse servari, vix credibile videtur. Scripta autem monumenta ante Mosis aetatem inter Hebraeos si quae exstiterint, sane admodum pauca fuisse est verisimile. Nam illorum majores, qui in Cananaea vitam pastoritiam et erraticam degebant, scribendi artis si non plane rudes, tamen parum in ea exercitati fuerint, neque eam, posteaquam in Aegyptum migrassent, dura ibi servitute oppressi ita excoluerint, ut veterum rerum memoriam scriptis mandare operam navarent. Quae quum ita sint, Mosen, quae de populi Hebraei majoribus refert, partim e priscis narrationibus carminibusque ore propagatis, partim e scriptis tribuum stemmatibus et familiarum genealogiis hausisse credibile est. Illa autem quod attinet, quae de rerum ortu, generis humani initiis, et primis seculis progressibus et fatis apud eum leguntur; videtur quae cultiores tunc Hebraeis populi vicini, Phoenicii atque Aegyptii, de illis

rebus tradiderunt, in suos usus ita convertisse, ut illa iis, quae ipse de uno Deo, conditore et moderatore omnium, colendo doceret, accommodaret, atque Hebraeorum animos a vicinorum fabulis, adeoque religionibus, quae iis saepe nitebantur, alienare studeret.

Qualia fuerint et quot prisca monumenta literis consignata, quibus usus fuerit Moses, quamvis vix quisquam exspectet definiri posse post plus quam triginta seculorum intervalla; fuerunt tamen et sunt viri docti et sagaces, qui illud explorare aggrederentur. Quo in negotio adjumento sibi futuras sperabant, praeter repetitas earundem rerum narrationes, et singularum libri partium inscriptiones, et diversas summi numinis appellationes, dum in aliis continuis libri partibus nomine *Jehovah*, in aliis *Elohim* illud nuncupatur, et singulis quidem locutionibus, in quibus alterutrum usurpatur, certas loquendi formulas atque dictiones proprias et peculiares esse observarunt. Illa vero antiqua scripta Mosen plane intacta servata, ne verbo quidem uno aut altero mutato vel de suo addito, inter se conjunxisse volunt, ita ut diligenter observatis istis variorum monumentorum notis definiri possit, cujusnam eorum sint singulae libri particulae, singuli adeo Versus. Quot autem fuerint veteres commentarii, viri docti ipsi inter se dissentiunt. Nam qui primus illum, quo liber compositus sit, modum detexisse sibi visus est, ASTRUC (*Conjectures sur les Memoires originaux, dont il paroit, que Moyse s' est servi pour composer le libre de Genèse, avec des remarques, qui appuyant, ou qui éclaircissent ces conjectures, à Bruxelles*, 1753.) *duodecim*, tam majoribus quam minoribus scriptis Mosen usum fuisse ostendere studuit, EICHHORN (*Einleit.* P. II. p. 274. edit. tert.) e *duobus* potissimum, quibus tamen hic illic alia quaedam inserta sint, ILGEN vero (*die Urkunden des ersten Buchs von Moses in ihrer Urgestalt, a. d. Hebr. m. krit. Anmerkk. u. Nachweisung., auch einer Abhandl. üb. d. Trennung d. Urkunden*, Hal. 1798.) e *tribus* antiquioribus monumentis librum Genes. contextum arbitratur. Quae ipsa opinionum de hac re diversitas arguere videtur, minime satis certas esse notas illas, quibus singula monumenta discerni posse existimant viri illi docti. *Repetitiones* quidem quod attinet, quas

dicunt indicia esse variorum libri fontium, minime illae quod volunt probant, quum aliae merae sint styli et sermonis variationes, aliae nimio perspicuitatis studio scriptoris usu nondum satis subacti sint tribuendae (ut Genes. 6 — 9.), aliae vero necessariae essent ad juvandam lectoris memoriam, postquam narrationis filum abruptum fuerit inserta alienae alicujus rei commemoratione (ita post 37, 36. inserit Cap. 38. narrationem de Juda et Thamare; qua finita in Josephi historia perrecturus praemittit: *Josephus itaque* (ut diximus) *in Aegyptum* abductus erat. Quod tantum abest, ut diversos scriptores arguat, ut potius probet, qui C. 37. scripsit, eundem et quae deinceps exstant scripsisse), aliae denique ne recte quidem habeantur iteratae earundem rerum narrationes, quo pertinent plures repetitae Abrahamo, Isaaco et Jacobo factae promissiones.

Inscriptiones autem, quae variis libri partibus praefixae reperiuntur (ut 2, 4. 5, 1. 6, 9.), minime probant esse eas diversorum scriptorum laciniis, sed praemissas patet ab eo, qui integrum librum conscripsit, eo consilio, ut singulorum ejus capitum argumenta indicaret. Neque certius denique diversa, e quibus compositus liber, fragmenta explorandi et discernendi adjumentum praebet alternans nominum *Jehova* et *Elohim* usus, quum is in ceteris omnibus V. T. libris observetur, neque tamen inde quis colligat, esse libros illos e variis variorum scriptorum laciniis consutos (Jon. 4, 1 — 4. יְהוָה, Vs. 6. יְהוָה־אֱלֹהִים, Vs. 7. 8. 9. אֱלֹהִים, et Vs. 10. iterum יְהוָה), aut illorum nominum ope varias istas partes invicem discerni, singulasque suis auctoribus restitui posse statuat. Quam incertum diversorum fragmentorum argumentum sit illorum Dei nominum vicissitudo in Genesi, inde patet, quod ea nec sibi semper constans observatur. Ita in ea, quae inde a 2, 3. usque ad finem Cap. 3. occurrit narratione, in qua de Deo fere nomen compositum *Jehova — Elohim* usurpari solet, *ter* tamen (3, 2 — 5.) comparet solum nomen *Elohim*. In alia narratione continua (28, 10. sqq.) nomina *Jehova* et *Elohim* ita promiscue usurpantur, ut singuli versus, in quibus alterutrum horum nominum occurrit, nonnisi violenter divelli, atque duobus, e quibus desumti sint, scriptis, tribui possint.

Neque enim prudenti scriptori facile in mentem venerit, plurium librorum laciniias et centones tam operose, quam viri illi doeti volunt, in unum aliquod opus historicum consarcinare, ne sublatis quidem repetitionibus, aut quas deprehendere sibi visi sunt, diversarum inter se narrationum repugnantiis. Parum praeterea credibile est, exstitisse ante conscriptum Genes. librum aliquot ejusdem argumenti scripta monumenta, in quibus singulis singula illa Dei nomina usurpata fuerint. Cf. HASSE: *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- uud Menschengesch.* P. II. p. 196. sqq. et VATER in Commentario P. III. p. 713. sqq.

BERTHOLDTUS (*Einleit.* P. III. §. 239.) primitus eam tantum primi hujus libri partem exstitisse putat, quae Capp. 5—33. continetur, eamque e pluribus antiquioribus monumentis a Mose compositam esse eo consilio, ut promissionibus, quae in illis Hebraeorum majoribus factae leguntur, doceret, Hebraeos optimo suo jure Palaestinam occupasse, huneque suum librum apposuisse Mosen areae sacrae, in qua tabulae legum custodiebantur. Reliqua, quae primis quatuor libri Capitibus, uti quae inde a Cap. 34. usque ad finem leguntur, primo illi libro Mosis post Mosen quidem, attamen ante Samuelis tempora adjecta fuisse, praeter Jacobi carmen fatidicum (C. 49.), quod ab iis demum, qui Saulo regnante Pentateuchum in ordinem redegerint, additum fuerit. Verum enimvero et illa, quae BERTHOLDTUS Mosi abjudicat, necessario iis, quae in libris quatuor posterioribus traduntur, a Mose praemittenda fuisse, observavimus supra §. 2.

SCHOLIA
IN
GENESIN.

I.

Deus coelum et terram cum omnibus quae iis continentur creat intra sex dies.

Cap. 1—2, 3.

Quae hac pericopa leguntur de rerum omnium ortu ita sunt comparata, ut nemo non agnoscat prisci aevi simplicitatem disciplinaeque omnis physicae et astronomicae infantiam. Terram universi cardinem credit, cujus commodis astra in coeli expanso firmata inserviant. Unde etiam factum est, quod cum corporibus coelestibus fabricandis unus tantummodo dies sufficiat, in formanda instruendaque terra quinque dies consumantur. Porro quas nubes nos vocamus, nostro solidum quoddam diductum est, quo aquae superiores distinerentur ab inferioribus. Quum sol nondum existeret, dierum tamen noctiumque sunt vicissitudines. Animalia denique ex terra pronascuntur. Recte igitur hoc veteris opinionis commentum revocatur ad accuratiorem rerum physicarum scientiam, qua nostra aetas gaudet. Illis Doctissimis Viris (c. c. Henslero in *Observationibus in Geneseos loca selecta*, vernacule scriptis), qui rerum origines ut vere sint factae, a Deo ipso primis hominibus patefactas, atque prout ab eorum posteris sint propagatae, hoc Cap. primo enarratas censent, hoc fraudem fecisse videtur, quod non quid ipsa res et interpretatio, tum scriptoris aetas, consilium, ratio, afferret, verum quod jam antea aliquid, quod in eo inesse sibi persuasum haberent, assumerent *). Omnino teneri velim ab omnibus, qui primum hoc

*) Recentiorum physicorum et geologorum placitis Mosaicam hanc originis rerum descriptionem accommodare studuit et Kirwan, in *Geological Essays*, p. 35. sqq. Contra quem cf. Dan. Jul. Pott: *Moses und David keine Geologen, ein Gegenstück zu Kirwan's geolog. Versuchen,*

caput legere aggrediuntur, quae monuit HEYNIUS (in Commentat de Theogonia ab Hesiodo condita, p. 137.) de antiquissimis Graecorum cosmogeniis: „*Nihil potest magis perperam factum cogitari, quam ea, quae longo demum rerum usu scientiis mathematicis et physicis expolitis, intelligi possunt, putare rudium hominum animis illabi potuisse, seculis illis, in quibus non ad sensuum vulgares rationes omnia referre non poterant. Contra aliena a priscis aetatibus omnis illa subtilitas, quam melior philosophia, cum divina, tum humana, intulit.*“

Quod sex dierum spatio hujus universi fabricationem auctor descripsit, ejus rei alii alias afferunt rationes *). Nos accedere iis non dubitamus, qui rationem in eo quaerunt, quod Moses primarium illud suum institutum, quo sex dies operibus faciundis sunt transigendi, septimus a laboribus vacuus esse debet, ad Deum ipsum auctorem referre, et septimum quemque diem, tanquam Dei exemplo et auctoritate sanctissime celebrandum, genti suae tanto impensius commendare vellet. Nam et Exod. 20, 11. praecepti de Sabbatho sancte servando Moses hanc addit rationem, quod Deus ipse, postquam sex dies rebus omnibus procreandis consumisset, die septimo a suo opere quievisset.

Cum iis, quae de rerum omnium ortu hoc Capite legimus, in rei summa consentiunt antiquissimae Phoenicum Aegyptiorumque cosmogoniae **). In utraque reperimus permixtum primitus coelum

---

Berol. 1799. 8. Disputavit etiam contra hujusmodi interpretationem J. G. ROSENMÜLLER in *Historia Telluris antiquissima.* Ulm. 1776.

*) Plures eorum, qui rerum origines, ut vere sint factae, hic expositas credant, per sex illos dies periodos plurium aut dierum aut annorum intellexerunt, plane contra omnes interpretandi leges totiusque narrationis indolem, quicquid dicat HENSLERUS in *den Bemerkungen* etc. p. 203. sqq. Cf. C. D. BECK. in *Commentat. de fontibus, unde sententiae et conjecturae de creatione et prima facie orbis terrarum ducuntur.* Lips. 1782. 4. p. XII. not. 20., et EICHHORN *Urgesch.* P. I. p. 151. sqq. ed. Gabler. ejusdemque nott.

**) Illam quidem Phoenicum servavit nobis EUSEBIUS: *Praeparat. Evang.* L. I. c. X. Plura de Phoenic. cosmogonia in Eusebii libro leg. in FABRICII *Biblioth. Graeca* Vol. I. p. 164. sqq. ed. prim., pag. vero 224. 25. ed. quart. et cf. ANT. YVES GOGUET *Dissertation sur Sanchuniathon* ad calcem T. I. Operis: *De l'Origine des Loix, des Arts et des Sciences.* Alios, qui particulas ab Eusebio servatas Sanchuniatoni vindicare studuere recens. Beckius ad Fabricium l. l. His accessit HUG: *die mosaische Gesch. d. Mensch.* Francof. et Lips. 1793. p. 8. Aegyptiorum vero cosmog. nobis refert Diodorus Siculus (Biblioth. L. I. c. 13.). Hanc nostram Hebr. cosmog. expressam esse ad Phoeniciam illam veterem, ita tamen, ut omnium rerum productio soli verbi divini vi tribueretur, probabile erat FULDAE in Commentat. posthuma: *Ueb. Cosmogonie, Androgonie u. Menschengesch. nach d. Noach. Fluth,* in Pauli *Memorabilien* P. II. p. 102. sqq. Plura ibi egregie observata sunt super illo sive Sanchuniathonis sive Taauti philosophemate, comparatione simul instituta cum nostro Hebraeo. Cf. et *das alte u. neue Morgenland,* P. I. p. 1. 2.

et terram, tum motum aëris, lucem, deinde sidera, discessionem coeli, maris, terrae, porro volucres, reptilia, pisces, aliaque postremo animantia, etiam hominem. Qui utriusque cosmogoniae cum hac nostra consensus cum fortuitus nullo modo esse possit: sive Phoenicios et Aegyptios ex Hebraeo scriptore, sive ex illis Hebraeum sua hausisse necesse est. Sed ab Hebraeis, i. e. a populo, qui literarum et scientiarum studiis nullo unquam tempore floruit, quis credat talia mutuatos esse Phoenicios et Aegyptios, quibus scientiarum artiumque elementa unanimi consensu accepta referunt ceteri omnes antiquitatis populi? Quare Moses sive Aegyptios sive Phoenicios imitatus dicendus erit. Et ego quidem Mosen sua ex Aegyptiorum doctrina hausisse putem; horum enim literis imbutum illum fuisse vel inde credibile est, quod tanquam principis feminae Aegyptiae filius habitus, atque ut talis liberali haud dubie educatione et disciplina institutus esset, nisi et hoc diserte Stephanus, protomartyr, testaretur *). Quum constitutum esset Mosi, historiam gentis suae ab ejus origine exponere, et ex ea docere, majores Judaeorum semper Deum unum et verum coluisse, erat ipsi duplici de causa creatio mundi attingenda, et ut originem Judaeorum explicaret eamque repeteret ab ultimis generis humani primordiis, et ut doceret, Deum esse tanquam auctorem rerum omnium colendum. Et quemadmodum Mosen plura, quae ad cultum sacrum spectant, ab Aegyptiis mutuatum esse constat; ita et illi suo, quod diximus, consilio primario eum accommodasse verisimile est, quae sacerdotum Aegyptiorum disciplina de rerum origine tradidit. Phoenicios quoque sua ab Aegyptiis accepisse crederim. Quae si vere se ita habent, trium illarum cosmogoniarum consensus nemini mirus videbitur **).

---

*) Act. 7, 22. Aegyptiis hanc deberi de rerum ortu narrationem, jam dixit Simplicius (in Arist. Phys. l. 8. f. 268. *apud Moysen μυθικὴ τίς ἔστιν παράδοσις καὶ ἀπὸ μύθων Αἰγυπτίων εἰλκυσμένη*); quam sententiam nostra aetate commendarunt Hezel: *Ueb. d. Quell. der Mos. Urgesch.* Lemg. 1780. et Hasse: in *d. Entdeckungen im Felde* etc. P. I. p. 71. sqq. ubi demonstrare studuit, cosmogoniam Mosaicam haustam esse ex iisdem illis Aegyptiorum scriptis sacris, Taauto tributis, e quibus Sanchuniathon et Plato (in Timaeo) suas cosmogonias hauserint. Cf. Strotum *Parallelen zur Gesch. d. A. T., aus griech. Schriftstellern*, in Eichhornii *Repertorio* P. XVI. p. 79. sqq.

**) Cum Mosaica cosmogonia in nonnullis quoque consentit Persica, in eo potissimum, quod ex ea Oromazdes, summi numinis primum genitus, hunc mundum *sex* temporibus creavit, initio facto a lumine, et postquam omnia absolvisset, festa celebravit. Vid. *Zendavesta*, *Zoroasters lebendiges Wort* rel. a J. F. Kleuker in lingu. teuton. translat. Vol. I. p. 21. 21. et Vol. II. p. 150. Quem Mosis et Zoroastris consensum non inde esse putem, quod alteruter alterum sit imitatus; sed videtur utraque, Persica et Mosaica, sive Aegyptiaca, cosmogonia ex communi aliqua vetustiore fonte derivata esse.

Cap. 1, 1. *Coelum* et *terra* h. l. sunt informis materia (χάος, ὕλη), ex qua singula omnia secreta esse narrantur. בָּרָא, *caedere* (Jos. 17, 15. 18.), denotat etiam *praecidere*, *praecidendo asciare* et dedolare fabrilibus instrumentis, atque adeo *exasciare*, *fabricari*. Ezech. 21, 19. Tum בָּרָא est i. q. עָשָׂה et יָצַר, vid. infra Vs. 21. 27. 2, 4. 7. Jes. 43, 7. אֱלֹהִים, Plur. nominis אֱלוֹהַּ (אָלַהּ, *coluit*, *adoravit*), solenniter de Deo dicitur. Singularis in stylo poëtico librisque V. T. serioribus invenitur. Alias uti solent V. T. scriptores Plurali אֱלֹהִים, sed Singularis instar constructo, de uno vero Deo. Nam ex hebraei sermonis proprietate Pluralis, tam masculin. quam feminin. usurpatur de *una* re suo genere magna et excellente, ut אֲדֹנִים, יָמִים. Cf. Gesenii *ausführl. Lehrgeb. d hebr. Spr.* §. 171. 184. et Schroederi *Institutt. ad fundam. Ling. Hebr.* Reg. 100. not. i. et Syntax. Reg. 25. a. Nomen שָׁמַיִם est Plur. pro שָׁמָיִם ex שָׁמִי a שָׁמַי, *altus*.

2. וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ. Terrae informem incultamque molem aquarum obtexit vorago; fluctibus immensis atra nox erat offusa. *Terra fuit vastitas et inanitas.* LXX. ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύατος. Inane, χάος describitur. Duo vocc. תֹּהוּ et בֹּהוּ, quorum prius in dialectis cognatis est: *desertum*, *vasta solitudo*, alterum *inanitas*, videntur ob soni similitudinem sensu proverbiali juncta fuisse ad declaranda tesqua quaeque uniformia et inculta. Jer. 4, 23. Jes. 34, 11. וְחשֶׁךְ עַל-פְּנֵי תְהוֹם *et caligo erat supra faciem*, superficiem, *abyssi*. תְּהוֹם significat *vastum mare*, oceanum, qui omni ex parte globum terrae circumfluxisse cogitatur. Frequenter cum יָם, *mari*, et מַיִם, *aquis*, nunc תְּהוֹם, nunc תְּהוֹמוֹת jungitur in eadem periodo, aut ubi scena rerum instruitur, quae aquis per naturam insunt. Imprimis duo alia loca sunt, quibus תְּהוֹם praemisso פְּנֵי, *superficies maris*, occurrit, Job. 38, 16. 30. et Proverb. 8, 27. coll. Job. 26, 10. Utcumque igitur se habuerit hujus vocis etymologia, quae nondum stabiliri potuit, est tamen longe certissimum, denotare eam *vastum mare*, in quo nunc profunditas consideretur aquarum, nunc vis et copia, nunc ingentes fluctus, ita quidem, ut fortius quidpiam, abundantius et stupendum magis inferat, quam vulgatius יָם. Ceterum quod Moses dicit ingenti illi aquarum voragini inenbuisse *noctem* in eo consentientes habet et alios veteres, ut Hesiod. Theog. Vs. 123. רוּחַ אֱלֹהִים Judaeis plerisque est *ventus a Deo immissus*, Ps. 147, 18. Jes. 40, 7. Sed h. l., quo difficile est dictu, cui usui esset ejusmodi ventus, praestat רוּחַ אֱלֹהִים accipi de ἐνεργείᾳ, *vi divina*, qua moveri cuncta et vivificari opinata est prisca illa philosophia. Cf. Ps. 104, 30. רָחַף notione primitiva (Arab. رَخَفَ) *tener*, *mollis fuit* (Jer. 23, 9. רָחֲפוּ כָּל-עַצְמוֹתָי *emollita*, liquefacta, *sunt ossa mea*), usurpatur de *avibus*, cum *molli fotu pullis incubant*, Deut. 32, 11.; unde h. l. transfertur ad *vim* illam *divinam*, רוּחַ אֱלֹהִים, quae mundi hujus molem rudem

adhuc et suis quasi secundinis involutam, calore vivifico animasse atque tanquam a maturitate promovisse putatur.

3. Quum informem materiam ordinare ineiperet Deus, omnium primum necesse videbatur, ut altas tenebras, quibus omnia erant oppleta, diei lux dispelleret. Lucem non a sole profectam, sed naturam quandam esse fluidam, antiquissimi homines facile credere poterant, eum sole quoque nubibus obducto, nihilominus luce omnia collustrata viderent. אור — וַיֹּאמֶר *Et dixit Deus: fiat lux.* אָמַר indicat *decretum*, *voluntatem* summi opificis. Nam apud veteres Hebraeos nexus cogitationum et verborum tantus est, ut etiam taciti cogitationes et *animi consilia*, voce אָמַר, *dicere*, exprimantur. Exod. 2, 14. 2 Sam. 21, 16. אור h. l. non corpus aliquod lucidum, sed ipsum *claritatis* statum indicat. Sensus est: *illucescat! et illuxit.* Etenim mox non solum *tenebrae* opponuntur illi אור, sed idem quoque vocatur *dies.* Ita de *claritatis* statu dicitur אור et Zach. 14, 7. Exod. 10, 22. sqq. Jud. 19, 26.

4. טוב — וַיַּרְא *Vidit Deus*, *lucem esse bonam.* Loquitur de Deo quasi de opifice, qui tum demum opus suum aptum esse vidit, quando usum praestare incipit. הַחשֶׁךְ — וַיַּבְדֵּל *separatione lucis et separatione tenebrarum*, i. e. *separavit Deus lucem a caligine.* בֵּין proprie est stat. constr. Nom. בַּיִן, *distinctio*, *medium*, praepositionis instar genitiv. regens, ut Vs. 6. Sensus est: lucis occasu et ortu praestituendo suis utrumque finibus circumscripsit. Libri *de mundo* auctor, quem vulgo Aristotelem perhibent, Cap. 6. (Opp. Aristot. Vol. II. p. 1217. Aurel. Allobr. 1606.): *πορεύεται δὲ διττὰς πορείας ὁ παμφανὴς ἥλιος, τῇ μὲν ἡμέραν καὶ νύκτα διορίζων ἀνατολῇ καὶ δύσει, τῇ δὲ τὰς τέσσαρας ὥρας ἄγων τοῦ ἔτους.* Cf. infra Vs. 14. 18.

5. יום — וַיִּקְרָא *Acclamavit Deus luci: dies*, i. e. lucem vocavit diem. קָרָא sequ. ל in h. Cap. non est *assignare*, cf. Vs. 8. 10. בֹּקֶר — וַיְהִי *et fuere vespera et mane.* Meminit prius vesperae, quod illa prius extitisse creditur. Cf. Ps. 55, 18. Graeci: *ἐσχαία νύξ.* Carm. Orph.: *Νύκτα θεῶν γενετειρὰν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.* יום אֶחָד, *dies unus.* אֶחָד hic posit. pro רִאשׁוֹן, quemadmodum Latini et Graeci quoque Numeralia Cardin. pro Ordinalibus ponere solent. Cic. Sen. 5. II. 16, 173.

6. לָמַיִם — יְהִי *Fiat solidum expansum in medio aquarum, sitque separatio aquam inter et aquam.* Rerum universitatem, quae nunc sensim sensimque orta describitur, a perfecta elegantia Graeci appellant *κόσμον*, Latini *mundum.* רָקַע significatione primit. *stipavit* rem aliquam, veluti puteum, *ne corrueret;* tum, *fundare*, *solidum firmumque facere;* apud Hebr. *calcare* (*calcando stipare*, Ps. 136, 6.). Hinc, quia quae calcando stipantur, lata et plana fiunt, de metallis: *tundendo diducere* (Num. 17, 3. 4.), unde רָקִיעַ dicitur de unoquoque *solido diducto* s. *expanso*, ut Ezech. 1, 22.

de basi currus Dei tonantis, a Cherubis portati, et h. l. adhibetur ad *aërem densatum nubium*, super terra *expansum*, supra quem ulterius aquarum receptacula cogitabantur, ex quibus demitterentur pluviae. Cf. Ps. 148, 4. רָקִיעַ synonymum esse שָׁמַיִם, patet ex Vs. 8. LXX vertunt: στερέωμα; Latinus: *firmamentum.* Graecos quoque coelo soliditatem tribuisse, patet ex Odyss. 15, 328. Il. 17, 425. Theognidi Vs. 867. χάλκεος οὐρανὸς vocatur. Empedocles (apud Plutarchum de placitis philosophor. 2, 11.) coelum στερέμνιον, *solidum* et κρυσταλλοειδῶς, *glaciei* vel *crystalli* instar (ut Ezech. 1, 22. כְּעֵין הַקֶּרַח) existimavit. In verbis בֵּין מַיִם לָמָיִם observanda est peculiaris particulae בֵּין structura, quae quando, semel posita, se refert ad duo objecta diversa et sibi invicem opposita, prius nomen in genitivo regit, posterius ope partic. ל priori opponit, ut his verbis, quae proprie sonant: *separatione aquarum* respectu habito *ad aquas* scil. alias et oppositas. Similis dictio Deut. 17, 8. בֵּין דָּם לְדָם. Ordinaria constructio est Vs. 4.

7. Deus quod existere voluit, et animo constituit, est exsequutus.

8. Huic comm. Graecus Alexandrinus, ex conjectura forsan, praeponit verba: καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν, qualis approbatio in Hebraeo diebus aliis adjecta est, quibus opus aliquod absolutum describitur, vid. Vs. 4. 10. 12. 18. 21. 31. Cur hic omittitur ratio videtur haec esse, quod usque ad diem tertium opus aquarum, quod die secundo fuit inchoatum, non erat perfectum; die autem tertio non solum opus aquarum perficiebatur, verum et aliud opus inchoatum pariter ac perfectum fuit. Hinc in tertii diei operibus approbandi formula bis ponitur, Vs. 10. et 12. Recte igitur illa et in Cod. Samaritano hic abest.

9. Discrimen nunc funditur inter Oceanum et continentem; ut terra commoda et apta fiat ad habitationem animantium.

11. Terra e fluctibus emersa plantis vestitur. תַּדְשֵׁא — עֵשֶׂב *Progerminet terra germinationem herbae.* Ex *Clerici* sententia דֶּשֶׁא est nomen generale earum herbarum, quae sponte nasci creduntur, sine semine, quales sunt e minimis plurimae; עֵשֶׂב vero semiferas, quales sunt majores, designat. Nescio tamen, an non עֵשֶׂב דֶּשֶׁא sit pleonastica locutio, qualis Ps. 40, 3. *coenum luti*, Exod. 10, 22. *tenebrae caliginis*, Zach. 10, 1. *pluvia imbris.* Similiter Virgilius Eclog. 5, 25. *grāminis herbam* pro *gramine* dixit. Vid. et Livius 1, 24. et Ovidius Metam. 10, 87. LXX: βοτάνην χόρτου, *graminis herbam;* Vulgatus: *herbam virentem.* Sane infra Vs. 29. et simpliciter עֵשֶׂב, et Vs. 30 יֶרֶק עֵשֶׂב, viror herbae. מַזְרִיעַ זֶרַע *Seminans semen*, i. e. subolem procreare valens, propagandi sui habens vim. לְמִינוֹ — בּוֹ *secundum speciem suam*, *cujus* (fructus) *semen sit in ipso.* Nam affixum non ad עֵץ, sed ad פְּרִי refertur. In fructu cujusque arboris voluit semen inesse, ex quo arbor similis nasceretur.

14. Astra ad hominum tantum commoda facta esse putabatur. יְהִי מְאֹרֹת *sit lumina*, i. e. *existat* res, nempe *luminaria;* locutio ellipt., qua Verb. cum Nom. diversi generis et numeri conjungitur. Cf. SCHROEDERI Institt. in Syntax. Reg. 62. et GESENIUS *Lehrgeb.* §. 186. b. הַלָּיְלָה — לְהַבְדִּיל *ad separandum*, ut dividant, *inter diem et noctem.* Quod antea lucis beneficio tributum, nunc datur astris. וְהָיוּ לְאֹתֹת *sintque in signa*, in aëre apparentia, et vel orbi adversa praenuntiantes (Jer. 10, 2. Luc. 21, 25.), vel tempestatem indicantes. Alii interpretes voc. לְאֹתֹת ita connectunt cum sqq., ut hic exeat sensus: *sint in signa tam statis temporibus, quam dichus et annis;* tum particula ו utraque, ante לְמוֹעֲדִים et לְיָמִים, ita sibi responderet, ut lat. *et — et*, sive *tam — quam*, ratione Hebraeis non inusitata. לְמוֹעֲדִים, *ut iis observarentur* (ל enim his vocabulis praeposit. *finem* et *usum* indicat) *stata tempora.* Ps. 104, 19. יָעַד, *praesignificavit, destinavit;* ex qua *destinandi* potestate Nom. infinitum מוֹעֵד, *destinatio.*

15. Alius usus: *ut sint in luminaria in expansione coelorum ad illuminandum super terram*, i. e. ut orbem collustrent. Motus et caloris eorum non facit mentionem. עַל־הָאָרֶץ, *super terram*, i. e. terrae s. hominum causa.

16. הַגְּדֹלִים — שְׁנֵי *duo luminaria majora*, sc. reliquis sideribus. Distinguitur vero statim *luminare magnum*, i. e. majus, *in dominium diei*, et *luminare parvum*, i. e. minus, *in dominium et potestatem noctis*, ut igitur quodque regnum suum et principatum habeat. Luna in calidioribus climatibus praesertim iter noctu facientes luce sua juvat. Similes locutiones, quamquam alio sensu, vid. PLINIUS Hist. Nat. l. 2. c. 4. et CICERO Tusc. Quaestt. l. 1. n. 68.

18. הַחֹשֶׁךְ — לְהַבְדִּיל *ut separarent inter lucem et tenebras.* Hoc non idem prorsus est cum proximo, *et ad dominandum.* Plus enim complectitur *dominari*, quam *distinguere.*

20. Ab imperfectioribus ad perfectiora paulatim progreditur. יִשְׁרְצוּ — הַמָּיִם *Scateat aqua multitudine bestiarum animatarum.* שָׁרַץ docente Aethiop. *saraza*, propr. est *pullulare, germinare;* tum *serpere*, uti faciunt *plantae*, quae pedetentim et occulte *crescunt* atque *extenduntur.* Unde porro similiter, ut Graec. ἕρπειν et Latin. *serpere*, non *repere* tantum sonat; verum et *gliscere* ac *diffundi*, seu *nugescere* et *increbrescere*, vid. infra 8, 17. 9, 7. Exod. 1, 7. Denique per metonymiam antecedentis habet vim *exuberandi* et *abundandi*, vid. Exod. 7, 28. נֶפֶשׁ חַיָּה, *animae viventis*, i. e. animatum vivens, animae vitali facultate praeditae. חַיָּה est adjectiv. femin. a masc. חַי, ζῶον. Alioquin absolute ponitur pro *animante* aut *fera*, substantivo non expresso. Haec igitur noster generata putat ex *aqua.* עַל־פְּנֵי רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם *ad*, s. *versus superficiem expansi coelorum.* Quum noster coelum *solidum quoddam diductum* (Vs. 6.) crediderit, ad ejus superficiem volucres volitare ipsi vide-

bantur. עַל־פְּנֵי ponitur pro אֶל, ut Exod. 9, 22. 10, 21. et Gen. 19, 28.

21. תַּנִּין proprie est particip. formae פַּקִּיד Verbi תָּנַן, *protendere, tendendo porrigere*, et hinc denotat *extensum in longum*, atque adeo *serpentem* et *piscem majorem*. Ceterum תַּנִּין non est confundendum cum תֹּן, *canis ferus*. הָרוֹמֶשֶׂת, *motabilis*, a רָמַשׂ, *molitavit, palpitavit;* cf. Ps. 69, 35.

22. Verbum בָּרַךְ Hebraeis (Gen. 14, 11.) pariter atque Chaldaeis (Dan. 6, 11.), Syris et Arabibus id. est, quod *procubuit*, maxime genu submisso. Unde per meton. signi ortae sunt significationes *adorandi* (Ps. 95, 6.), *salutandi* (1 Sam. 13, 10.), *valedicendi* (Gen. 28, 1. 6.) et *bene precandi* (Prov. 11, 26.), imo *benefaciendi*, quo sensu de Deo imprimis frequentatur. H. l. dicitur de impertita *sobolis propagandae* facultate; cf. 24, 60. Ps. 128, 3. 4.

24. Ut pisces ex aqua, ita animantia e terra prodire jubet Deus. תּוֹצֵא, *exire faciat, proferat*. Terrestria animalia in tres dividuntur classes, quarum prima appellatur בְּהֵמָה, ubi solum legitur, *brutum* quodvis aliquantae molis, at quanto חַיַּת שָׂדֶה opponitur, ut hic, *jumenta* et *domesticae* pecudes; חַיָּה vero est *fera, agreste animal*. Tertium genus est רֶמֶשׂ, *reptilia*. Vocabulo חַיָּת adnexum est ִי paragog., ab adfixo pronom. ִי non diversum, nisi quod, more Syriaco, qua in dialecto nil est frequentius, redundet. Additur interdum nominibus in regimine positis, ut בְּנוֹ בְעֹר, *filius Beoris*, pro בְּן, Num. 24, 3. 15. Cf. Gesenius, p. 158. 548.

26. Jam vero inducit noster Deum semet excitantem ad creationem hominis, operum divinorum, quae hic describuntur, praecipuum. Cf. Ovid. Metam. 1, 16. Quod Deus Plurali se alloquitur, linguae consuetudini est tribuendum; ut נַעֲשֶׂה *faciemus*, haud magis differat ab אֶעֱשֶׂה *faciam*, quam ab הָבָה אֵרֵד *age descendam* discrepat infra 11, 7. הָבָה נֵרְדָה *age descendamus*. Neutro enim loco commemoratur, quocum Deus communiter suscipere actiones illas voluisse censeatur. Ita et Davides 2 Sam. 24, 14. in eadem orationis serie Singularem et Pluralem promiscue de *se uno* adhibet. אָדָם, *Terrenus, e terra ortus* (Sanchuniathon: *αὐτόχθονος, ἐπίγειος*), quod observatum esset, humanum corpus post mortem in pulverem redigi, et (2, 7.) *e terra* primum hominem formatum esse crederetur. Minus probabile est eorum opinio, qui אָדָם derivandum esse putent a colore *fusco* (אֹדֶם), qualis est hominum color sub coelo ferventiori; cf. Joseph. Antiq. I, 1, 2., quem defendit Bruns: *Untersuch. der ältest. Sagen v. d. Entstehung d. Menschengeschlechts* in Pauli Repertorio, P. 2. p. 197. Ceterum voc. אָדָם nunc est Nom. generale totius speciei primoque parenti inditum (Vs. 27.), nunc collective (ut hic et Vs. 28.) de toto genere humano dictum. Cf. omnino Gablerum ad Eichhornii librum, P. 2. T. 2. p. 38. sqq. בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ *in imagine nostra*, s. *typo*, vel *juxta*

similitudinem nostram, s. *nostri*. Utriusque nominis distinctio intelligitur ex Cap. 5, 3., ubi homo dicitur liberos procreasse כְּצַלְמוֹ בִּדְמוּתוֹ, inversis dictionibus, *juxta typum suum*. צֶלֶם est *imago*, *simulacrum* ipsum (Amos. 5, 26. 2 Reg. 11, 18.), דְּמוּת vero *similitudo*, ea qualitas, qua quid plane sit suo archetypo simile. Similitudinem illam alii intelligunt de imperio hominis in terra, alii de intelligentia, ratiocinatione aliisque animi virtutibus. Sed Dei in homine imago posita videtur in eo, quod homo vultu sursum spectante, ipsaque corporis majestate differret a ceteris animantibus, et nescio quid augusti prae se ferens. Quam autem numinis formam ac speciem effingunt homines, praeterquam suam? Cf. Heyne in *Excursu I. ad Aeneid. IX.* p. 357. ed. 2. et *Exc. XIII. ad Aen. I.* p. 152. et Ejusd. *Opuscc. Acad.* Vol. III. p. 24. sqq. Cic. Nat. Deor. I, 32. *Nec vero intelligo, cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quam homines Deorum. ..... Non ergo illorum humana forma; sed nostra divina dicenda est.* Vid. et Cap. 37. Ovid. Metam. I, 82. Contra Theologorum in hunc loc. commenta de imagine divina bene disputavit Gablerus ad Eichhorn. P. I. p. 223. not.; et Schott in Commentat.: *notio cognationis Dei hominumque in libro Geneseos expressa indagatur*, Sect. I. (Jen. 1812.) p. 6. sqq. וְיִרְדּוּ *Et dominentur;* pluraliter, ut ostenderet, hanc dominationem etiam ad homines posteros pertinere. וּבְכָל־הָאָרֶץ alii breviter dictum putant pro וּבְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ, *et in omnia animantia terrae*, alii, omisso ו, legendum: בַּבְּהֵמָה בְּכָל־הָאָרֶץ, *in animantia in omni terra*, s. *quae sunt super omnem terram.*

27. זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אוֹתָם *Masculum et feminam eos creavit.* Nostra aetate inter alios P. J. Bruns (*Untersuch. der ältest. Sagen* etc. in dem neuen Repertor. *für bibl. u. morgenl. Litt.*, P. II. p. 197. sqq.) evincere studuit, non jubere sacror. libror. auctoritatem, ut unum totius generis humani parentem credamus. Quam opinionem refutavit Justi in Pauli *Memorabilien*, Partic. V. p. 69. sqq. Cf. Gabler. ad Eichhorn. P. II. Tom. II. p. 46. sqq. not.

28. וְכִבְשֻׁהָ, vid. Vs. 22. וְכִבְשֻׁהָ, *subjugate*, subigite eam vobis, i. e. habeatis dominium in terram. חַיָּה h. l. est omne animans terrestre, et רָמַשׂ, *movere se* quoquo modo.

29. Herbae tantummodo et fructus alimentum hominis memorantur, omisso brutorum carne. Etenim quum nostro neutrum horum verisimile esset, neque primos homines adeo feros fuisse, ut crudam carnem vorarent, neque rursus adeo peritos, ut iis coquendi ratio nota esset, concludit, ab iliis duntaxat fructus adpetitos fuisse. Ovid. Metam. XV, 96. sqq. Plutarch. in Orationibus *περὶ σαρκοφαγίας*. זֹרֵעַ זֶרַע *seminantem semen*, i. q. Vs. 20. 21. מַזְרִיעַ, *semificantem*, i. e. producentem.

30. Animantibus brutis tantummodo כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב, *omnis viror herbae*, i. e. *gramen* (sponte nascens, Vs. 11.), in cibum con-

ceditur; quum homini aliquid melioris sueci reservatum esset, nimirum olera et poma. Admissa nonnullor. Codd. et Verss. lectione: וְאֵת־כָּל־יֶרֶק, praemissa copula וְ, hoc Vs. non de *animalium* cibo, sed de hominis alimentis adhue agitur, et si partic. לְ, animalium nominibus praemissa, reddatur: *una cum* (2 Reg. 11, 4. Num. 4, 32. Jer. 19, 13.), וְאֵת vero: *eaque cum* (1 Reg. 11, 25. Prov. 21, 9.); tum hic vers. interpretatur: „*una cum* cunctis animantibus terrae, omnibusque volucribus coeli, et universis reptilibus, quae moventur in terra, in quibus est anima vivens *eaque cum omni pabulo viridi*, ut *vobis inserviant* ad vescendum.“ Sed multo magis convenit, receptam legendi rationem retineri. Plura vid. in Scholl.

Cap. 2, 1. Epilogus superiorum, priusquam ad diem septimum transeat. וְכָל־צְבָאָם *Et omnis exercitus eorum.* צָבָא, alias de coeli exercitu, i. e. de astris, hic et ad terram refertur, quasi dicas: omnes copiae coelestes et terrestres. Similitudo sumta est de militibus, uni duci subditis. Ad hunc loc. respicit Neh. 9, 6.

2. וַיְכַל־מְלַאכְתּוֹ *Quum Deus absolvisset die septimo opus suum.* LXX. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, *die sexto*, quia septimo die nihil faciendum restabat. Sic etiam Samarit., Syrus et quidam recentiores. Sed sine necessitate sollicitatur illud הַשְּׁבִיעִי, modo Praeteritum וַיְכַל in Plusquamperf. vertas, ut fecimus.

3. הַשְּׁבִיעִי — וַיְבָרֶךְ *Et benedixit Deus diei septimo*; augustum et insignem inter ceteros esse voluit. *Benedicendi* verbum per *sanctificare*, ἁφορίζειν, וַיְקַדֵּשׁ, mox exponitur. לַעֲשׂוֹת — אֲשֶׁר *quod creaverat Deus elaborando.* עָשָׂה, *operi incumbere, efficiendae rei operam dare*, ut Coh. 2, 11. Jes. 43, 7.

II.

Antiquissima telluris hominumque historia, qua describitur 1) prima terrae conditio, 2, 4. 5. 6.; 2) primi hominis formatio, 7.; 3) Paradisi situs et exornatio, 8—14.; 4) Adami in eo collocatio et creatio Hevae, 15—25.; 5) primorum hominum primum peccatum ejusque poena, Cap. 3.; 6) Amborum filiorum Adami, Caini et Abeli, ortus, Abeli caedes a Caino commissa, Caini sors et proles, 4, 1—24.; 7) duo alii Adami filii, Sethus et Enos, 25, 26.

Cap. 2, 4. — 4, 26.

Cap. 2, 4. Enarrato in universum mundi ortu nunc transit auctor ad singula. Verbis בְּהִבָּרְאָם — אֵלֶּה continetur ἐπιγραφὴ secundae hujus libri sectionis. Non vertendum est: *et tales quidem* erant *origines coeli et terrae quum crearentur*; nam אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת

semper ad sqq. spectat. תּוֹלְדוֹת (a יָלַד) propr. *generationes*, denotat *recensum eorum, qui progeniti sunt ex eo de quo agitur*, γενεαλογίαν, ut infra 6, 9. 11, 27. Ubi vero nulla *generationis* mentio est, תּוֹלְדוֹת signif. *enarrationem*, *historiam*, ut infra 37, 2. Igitur תּוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ est *antiquissima mundi historia*, ἀρχαιολογία. Mundus vero h. l. est synecdoche totius pro parte, sc. terra. Sic κόσμος 2 Petr. 3, 6. Rom. 4, 13. בְּהִבָּרְאָם, *dum crearentur*, i. e. statim postquam creata essent, antiquissimo tempore. Litera ה in hac voce in Codd. Masor. reliquis minor pingitur, quo indicari videtur, fuisse duplici modo illam vocem in Codd. scriptam, in aliis videlicet בְּהִבָּרְאָם, Infin. Niph., in aliis בְּהִבָּרְאָם, Infin. Hoph., nulla significationis differentia. At vero quae hic traduntur non profecta esse ab eo, qui Cap. 1. conscripsit, recentiores argui volunt cum Nominum אֱלֹהִים et יְהוָה אֱלֹהִים usu (vid. Prolegg.), tum maxime diversa de rebus nonnullis sentiendi ratione, ut cum plantae 1, 11. 12. sola verbi divini virtute procreatae dicuntur, 2, 5. vero nec naturae efficacia excluditur; aut hominum creatio 1, 27. coll. 2, 7. 21. 22. Sed vix credibile est, conjunxisse Mosen, aut quemvis alium, duorum scriptorum idem argumentum tractantia, sed in nonnullis sibi repugnantia monumenta, nisi sumamus, illius consilium fuisse, varias de rerum ortu opiniones referre, quod nemo facile sibi persuadeat. Quae quum ita sint, in iis quae deinceps sequuntur auctorem non plane de iisdem, quae Cap. 1. commemorata erant, agere necesse est, sed partim ad alia transire, partim latius exponere, quae breviter attigerat tantum, vel quae etiam prorsus omiserat, resumere poterat. Id quod pluribus demonstravit, examinatis etiam dissentientium argumentis, C. F. Rinck *Ueber die Einheit der Mosaischen Schöpfungsberichte*, Heidelb. 1822. Varias de duobus, quae sequuntur, Capp. eruditorum opiniones vid. in Eichh. *Urgesch.* edit. Gabler. P. II. — Nom. יְהוָה, Dei Israelis Nom. Propr. (28, 21.), jungit Moses voci אֱלֹהִים, ut doceat, mundi conditorem esse populi Hebr. custodem. Pro יְהוָה Judaeos אֲדֹנָי legere constat cuj. nominis puncta vocalia et illi nomini adscripta sunt. Effari nom. יְהוָה Judaeis jam inde ab antiquiss. temporibus religioni fuisse, inde patet, quod LXX ejus loco semper ὁ *Κύριος* ponunt.

5. Pars posterior Vs. 4. inde a verbis בְּיוֹם עֲשׂוֹת cum initio huj. comm. arctissime cohaeret, et ו ante וְכֹל שִׂיחַ non est copulativ. sed retributiv., sic ut Latine redundet ut 3, 5. Ita vertendum est: *quo die faciebat Jova Deus terram et coelum, ullus frutex* s. *ullum virgultum agri nondum erat in terra, et ulla herba agri nondum germinarat.* טֶרֶם hic non est *antequam*, *priusquam* (LXX. πρὸ τοῦ), sed *nondum*; Exod. 9, 30. Construitur autem plerumque cum Fut. in Praeterito latine vertendo. Primam telluris conditionem respectu frumentorum (שִׂיחַ הַשָּׂדֶה), et herbarum nobiliorum (עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה), quae non crescunt, nisi cultura adhibita, hisce verbis describi voluerunt interpretes (*Hasse*, *de Dieu*, *Gussetius*; vid.

Scholl.). Verum agricolationi homines non prius operam dedisse Moses innuit, quam e Paradiso expulsi essent; vid. 3, 17. 18. 19. 23. 4, 2. Neque quod vocc. h. l. usurpata ad agriculturam pertinere dicunt, solido argumento nititur. Nam שִׂיחַ pro *frutice* s. *arbuscula* plerumque sumitur (Job. 12, 8. 30, 4. 7.), quomodo et hic usurpatum eo magis videtur, quo significaretur, ne *fruticem* quidem *agrestem*, sive *insativam* nedum sativam aut hortensem, aut arborem proceram aliquam extitisse, quum Deus terram crearet. שָׂדֶה nequaquam terram culturae aptam denotare, sed latius patere, constat e Vs. 19. 20. 3, 1., ubi חַיַּת הַשָּׂדֶה non dubium est dici *feras agrestes*, a *pecudibus* distinctas. צָמַח in genere est *oriri*. Quod igitur scriptor aliis vocabulis, quam supra 1, 11. 12. de eadem re agens utitur, pro mera styli variatione habendum erit. Jam quum supra plantarum ortum summatim memorasset, nunc accuratius exponit, qua ratione procreatae sint plantae.

6. Loco pluviae et irrigationis erat אֵד s. אִיד, *vapor*, vapor crassus, et *pondere suo* quasi gravatus (אָדַד, *gravavit*, *pressit pondere suo*), qui per *guttas tenuissimas* iterum *destillat* in terram (Job. 36, 27.) ejusque superficiem humefacit. Chaldaei paraphrastae reddunt עֲנָנָא, *nubem*. Quod supra plantas divino jussu exortas dixit, non excludit causas naturales, quibus tanquam instrumentis usus sit Deus.

7. Jam accuratius exponit, qua ratione homo creatus fuerit. וַיִּיצֶר — הָאָדָם *Formavitque Jova Deus hominem glebam argillaceam e terra.* יָצַר, verb. *fingendi* s. *formandi*, propr. refertur ad delineationem membrorum corporis in similitudinem figuli, vasi formam dantis. עָפָר, *gleba argillacea*, docente consono voc. Arab. Rationem animati a Deo hominis sic describit: חַיָּה — וַיִּפַּח, *et flavit in nares ejus* (quod in naribus est vita, quum per eas respiremus) *spiraculum* s. *halitum vitae*, *et factus est*, fuit, *in animam viventem*. Hebraei per נִשְׁמַת חַיִּים videntur intelligere *animam vitalem*, *τὴν ψυχὴν*, et per נֶפֶשׁ, *animam rationalem*, *τὸν νοῦν*, *τὸ πνεῦμα*, *animum*. Cf. *Joseph.* Ant. Jud. I, 2. et *Juvenal.* Sat. 15. Vs. 143.

8. Amoenissimam noster, sicuti omnes populi, describit primi parentis sedem, vicinamque sedibus proavorum Abrahami, ut sic etiam gentis honori consuleretur. מִקֶּדֶם — וַיִּטַּע *plantavit Jova Deus hortum in Edene ab oriente.* עֵדֶן (a quo ἡδονή), propr. *deliciae*; tum inditum est hoc voc. locis quibusdam amoenissime sitis, ut Amos. 1, 5. Erat et quaedam Mesopotamiae ad Tigrim regio, *Eden*, cujus mentio fit 2 Reg. 19, 12. Jes. 37, 12. Ezech. 27, 23. Erant, qui עֵדֶן hoc loco pro Nom. appellat. haberent et verterent: *plantavit Deus hortum in regione amoena.* Vulgatus: *paradisum voluptatis*; quod tamen praefix. ב non admittit. Esse vero h. l. Nomen propr. apparet ex 5, 16. De Paradiso cf. librum nostrum: *Handbuch der*

bibl. Alterthumskunde T. I. P. I. p. 172. sqq. Observant Hebraei, *Eden*, ubi est Nomen propr. scribi עֵדֶן (Vs. 15. 3, 23. 4, 16. Jes. 51, 3. Ezech. 28, 13.), ubi autem appellat., עֵדֶן (2 Reg. 19, 12. Jes. 37, 12. Ezech. 27, 23.). Ex J. D. Michaelis sententia *Eden* is tractus fuit, qui hodie Armenia, Ghilan, Dailem et Chorasan vocatur, atque ab Euphrate et Tigride usque ad Araxem et Oxum progreditur.

9. Huic horto inerant duae prae ceteris insignes arbores, usui, uti videtur, daemonum (אֱלֹהִים) destinatae (vid. 3, 21.), una עֵץ הַחַיִּים, *arbor vitae* (vid. 3, 22.), altera חַדְעַת טוֹב וָרָע, *arbor cognitionis boni malique* (vid. 3, 22.), cujus fructus, qui gustaret, sapientiam adipiscebatur. Omnino igitur primi homines similes fuisse sumuntur *infantibus*, qui nondum quid faciendum fugiendumve sit, intelligunt. Deut. 1, 39. Jon. 4, 11. Jes. 7, 15.

10. Quod ex uno fonte quatuor maxima flumina, quae quidem nota nostro fuere, orta esse dicuntur, id debetur eo, qui regionum illarum situm describere studuit. Conjecturas recentiorum interpretum, qui ex nostri descriptione primorum hominum sedem definire cuperent, examinarunt Gabler ad Eichh. T. II. P. I. p. 76. sqq. et Winer in dem bibl. Realwörterbuch voc. *Eden*. Cf. Schultheß: *das Paradies*, *das ird. u. überird.*, *histor.*, *mythische u. mystische*, Zürch. 1816. et *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 3. 11. רָאשִׁים id. hic ac נְהָרִים notat, nempe *fluvios majores*, Vs. enim sq. dicitur *nomen primi*, sc. *capitis*, quod proxime praecesserat, et quod ab omnibus *fluvius* vertitur, quum Vs. 13. dicatur *nomen fluvii secundi*.

11. פִּישׁוֹן *Phison*, esse videtur Graecor. *Phasis*, nunc *Aras* s. *Araxes*; oritur is in septemtrionali Armeniorum montium parte, conjungitur cum flumine *Kur*, et postquam hui. nomen accepit, in mare Caspium effunditur. חֲוִילָה *Chavilah*, haud dubie sejungenda est tum ab ea, quae Gen. 10, 7., tum ab ea, quae cod. Cap. Vs. 29. occurrit. Utraque enim in Arabia sita erat, quae nec fluvium majorem, nec, ubi Euphratem attingit, auri copiam habet. Reperitur vero in vicinia *Araxis* gens aliqua et regio nomini חֲוִילָה quodammodo consonans. Ipse mare Caspium Russi *Chwalinskoje More* dicunt a populo antiquo, nec satis noto, *Chwalissis* a Chwala. Vid. Bueschingii *Magazin*, T. XVI. p. 287. sqq. סֹבֵב, *flexuoso cursu adluit*, a rad. סָבַב, propr. *vertit*, *convertit in alteram partem*, hinc, *circumdedit*.

12. בְּדֹלַח, quod alii margaritam, alii chrystallum esse censent, sine dubio est *bdellium*, quod est cerae similis. Vid. not. ad Num. 11, 7.

13. גִּיחוֹן, *Oxus* veterum, a nostris geographis *Abi-Amu*, Arabibus, ipsisque adeo in hunc diem adcolis, *Gihon* vocatur. Cf. *die bibl. Alterthumskunde* T. I. P. I. p. 184. sqq. Ceterum Josepho

(Ant. I, 1. 3.) Gihon est *Nilus*, aliis orientale *Tigridis* brachium, al. *Araxes*, al. *Orontes*. כּוּשׁ, quod Hebraeis sensu strictiori fuit *Aethiopia*, h. l. latiore sensu sunt omnes regiones versus meridiem sitae sub zona aestuosa. Quod vero Oxum illas regiones circumfluxisse noster ait, tribuendum est imperfectae veterum Hebraeorum de dissitis illis regionibus notitiae. Cf. libr. nostr. laud. p. 209. sqq.

14. חִדֶּקֶל *Tigrim* esse, tum veteres tum recentiores consentiunt. קִדְמַת אַשּׁוּר *Vadit Assyriam versus*, propr. Assyriae Orientem versus. Nam קִדְמָת, quod legitur adhuc Gen. 4, 16. 1 Sam. 13, 5. et Ezech. 39, 11. semper significat *Orientem versus*. Sed hoc quoque, Tigrim Assyriae Orientem versus fluxisse, est veteris Hebraei error. Vid. *die Alterthumskunde* l. l. p. 213. פְּרָת *Euphrates* notior erat, quippe qui in V. T. *κατ' ἐξοχὴν* vocatur הַנָּהָר et הַנָּהָר הַגָּדֹל.

15. Hujus agri *colendi*, sed facili labore sufficiente, cura τῷ προτογόνῳ datur et *custodiendi*, sc. contra insultus ferarum.

17. Mortem, si eo fructu homo vesceretur, minatur Deus, ut eo fortius ab illius esu hominem absterreat, neque quod vere fructus esum consecuturum esset (rationis usum, 3, 7. 22.), ei aperit, ne prudentiae adipiscendae cupiditate gustandi appetitus eo magis in ipso excitetur. Videlicet quum divinum illud rationis donum homines saepe in fraudem malitiamque convertant, facile qui de his rebus quaesivit potuit in hanc dilabi cogitationem, annon melius humano generi a Deo esset provisum, si homines, infantium instar, boni malique discriminis ignari, felici simplicitate omnem vitam degissent, quam nunc, quum perniciosum illud rationis munus illis sit impertitum, quo quamvis proxime accedamus ad Deum, tamen quum perpauci bene illo utantur, simul inductum est omne illud scelerum agmen, quo miseri mortales invicem se opprimunt. Cf. Cicer. de Natur. Deor. III. 27—30. מִמֶּנּוּ additum est, ut perspicacior fiat oratio, ut הִיא 3, 12. Cf. Jes. 8, 14. Ceterum quum homines non *eo ipso die*, quo peccassent (3, 19.) mortui sunt, necesse est aut verba מוֹת תָּמוּת interpretemur: *necessitati moriendi eris obnoxius*, aut concedamus, Deum poenam indictam mitigasse (ut saepius, cf. 18, 26. sqq. 20, 7. 25, 21.), quod vitam hominum ad certum usque terminum diutius produci pateretur.

18. לֹא־טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ *Non est bonum hominem esse solum*, propr. *separatum eum esse*. Partic. בַּד propr. *nomen* est, s. *infinitiv.* verbi בָּדַד, *separavit*, et frequenter Genitiv. regit, ut Num. 11, 14. Ps. 51, 6. Gen. 21, 28. sqq. אֶעֱשֶׂה־לּוֹ עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ *faciam ipsi auxilium secundum anteriora ejus*. נֶגֶד, *anteriora*, honeste vocat *pudenda*. עֵזֶר, *auxilium*, sc. illud, quod ad sobolem propagandam inter se conferunt conjuges. Cf. Gableri not. 71. ad Eichh. Urgesch. T. II. P. II. p. 165. sqq.

19. 20. Hi Versus vertendi sunt in tempore plusquamperf., recurrit enim narratio ad ea, quae multo antea facta sunt. Simplicem hanc sententiam, hominem, perlustrato toto animalium regno, non invenisse animans, quod sibi simile esset, proponit sub mytho de animalibus ad hominem adductis, ut nomina illis inderet. Hic sensus cognoscitur ex ultimis verbis Vs. 20. Sunt alii, quibus primus sermonis usus hac narratiuncula exponi credibile sit.

21. Quod mulier initio corporis sui particulam effecerit (וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד), ex eo noster declarat vehementissimum viri desiderium iterum sese conjungendi cum illa. Simili mytho de viro ac femina uno olim corpore conjunctis, sed a Jove postea diremtis, amoris mutui vim Plato declaravit in *Symposio*: *Hinc nimirum ex illo tempore mutuus hominibus innatus est amor, priscae naturae conciliator, annitens unum ex duobus efficere, hominumque mederi naturae.* Adami somnus et exclamationes ad ornatum narrationis aperte faciunt. Cf. Hug: *die mosaische Gesch. d. Mensch.* p. 38. sqq.

23. לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה *Propterea vira vocetur.* Simili modo Romani feminas olim *viras* vocabant, unde *virgo* et *virago* permanebant.

25. וַיִּהְיוּ — יִתְבּוֹשָׁשׁוּ *Ambo autem nudi erant, nec tamen propterea erubescebant*, non magis, quam infantes: quibus verbis describitur primorum hominum innocentia atque integritas. Nil quoque aliud est aureum seculum poëtarum, quam descriptio status, quem dicunt innocentiae. Sic ex. c. Plato in Politico: *Deus eos pascebat, custosque eorum ipse erat, sicut nunc homines, divinius animal, pascunt animalium sequiora. Nudi autem et sine stragulis sub dio plerumque pascebant.*

Cap. 3, 1. Quum observatum esset, in homine rationem expergisci, cum e puero egressus, ad eos annos venit, ubi desiderii alterius sexus igniculos sentire incipit; ex nostri mente etiam primi illi mortales perniciosissimo rationis dono non prius affectos se senserunt, quam quis maris esset, quis feminae usus, cognovissent (Vs. 7.). Diversissimas Judaeor. et Christianor. de ea quae sequitur narratione interpretationes vid. in Gableri Prolegg. ad Eichh. Vol. II. P. I. p. 137. Schelling: *antiquissimi de prima malor. humanor. origine philosophematis Gen. III. explicandi tentamen*, Tubing. 1792. et Teller: *die älteste Theodicee, od. Erklär. der drei erst. Capp. im ersten Buche der vor-mosaischen Gesch.*, Jen. 1802. Orditur narratio his verbis: וְהַנָּחָשׁ — יְהוָה אֱלֹהִים *Serpens verò omnium bestiarum agri, quas fecit Jehova Deus, callidissima erat.* Calliditas serpentibus inscribitur ob hanc maxime, uti videtur, caussam, quod in pulvere, aut in herba latentes, animalium praetereuntium calces morsu adpetunt (Vs. 15. 49, 17.). עָרוּם, propr. *descalptus*, de-

tritus, metaphor. usurpatur tam de *nudo*, quam de *longo rerum usu subacto*, et *rebus probe trito* quasi et *decorticato* homine, qualem Arabes simili voce مُجَرَّب, descalptum, detritum vocant; unde تَجْرِبَة, *detritio sui*, illis dicitur *longus* rerum *usus* et *experientia*. Cf. Prov. 12, 16. 23. 13, 16. 1 Sam. 23, 22. Hinc porro *maligna versutia*, *callida improbitas* (Latini: *versutus*). Ceterum serpentem fuisse malum daemonem, etsi non disertis verbis dicat, innuere tamen noster voluisse videtur eo, quod illam loquentem inducit. Hanc opinionem inter mediae et superioris Asiae populos pervulgatam fuisse, inde apparet, quod in doctrina Zoroastrica Ahriman serpentis specie indutus primos homines ad peccandum seduxisse narratur. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* T. I. p. 12. Judaei quoque daemonum principem, qui Evam seduxerit vocant הַנָּחָשׁ הַקַּדְמוֹנִי *serpentem veterem*. Porro cf. Apoc. 12, 9. 20, 2. 2 Cor. 11, 3. Sap. 2, 24. Hinc etiam Christus diabolum vocat Jo. 8, 44. *ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς*. וַתֹּאמֶר אֶל־הָאִשָּׁה *Dixitque ad mulierem*, quae ob sexus infirmitatem facilius seduci potest אַף כִּי *multo magis*; verba cum admiratione interrogantis: *Itane verum est, eum dixisse?* LXX. *τί ὅτι*; *quid? quod dixit?*

5. Dictio נִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם *aperientur oculi vestri*, declaratur sqq. יֹדְעֵי טוֹב וָרָע *boni et mali scientes*, i. e. prudentes, 2, 9. וִהְיִיתֶם כֵּאלֹהִים *daemonibusque*, diisve, similes fiatis. Adhuc igitur daemones tantummodo excellenti rationis dono gavisi erant. Cf. 2 Sam. 14, 17. 20.

6. כִּי תַאֲוָה־הוּא לָעֵינַיִם *quod esset desiderium*, delectationi, *oculis*, *eine Lust für die Augen*. וְנֶחְמָד הָעֵץ לְהַשְׂכִּיל *arborque adspectu esset jucunda*. הַשְׂכִּיל, *adspicere*, ut Chald. סְכַל. Cf. 1 Sam. 25, 3., ubi שֵׂכֶל־טוֹבַת convenit cum יְפַת־מַרְאֶה, *pulchra adspectu*, Gen. 12, 11. Vid. et Prov. 3, 4. Ps. 41, 2. Quum הַשְׂכִּיל et *intelligentiam habere* denotet, alii vertere malunt: *optandum ad comparandam intelligentiam*. LXX. *ὡραῖον τοῦ κατανοῆσαι*.

7. Fructu gustato innocentia erat amissa. Etenim qui antea sine ulla libidine, adeoque absque omni pudoris sensu, nudi una fuissent, nunc pravae cupiditatis sentiunt igniculos; ex quo, quam perniciosam esse rationem cognoverunt. Vid. ad Vs. 1. Ceterum, quemadmodum apud Hebraeos primi homines diis sapientiam subduxisse finguntur, ablatis illorum frugibus; ita Graeci narrant Prometheum diis ignem surripuisse, instrumentum quippe artium prope omnium et victus delicatioris. Hercules etiam aurea mala in Hesperidum hortis, a dracone custoditis, decerpsisse narratur. Cf. Hasse: *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- u. Menschengesch.* P. I. p. 194. sqq. Fuere, qui omnem hanc Mosaicam de origine mali narrationem e monumento figuris hieroglyphicis inscripto haustam

existimarent, quorum sententias examinavit GABLER in Prolegg. l. l. וַתִּתְפְּרוּ — חֲגֹרֹת *Et aptarunt frondes ficulneas, sibique subligacula confecerunt.* Significantur vestimentorum, primi omnium artificii, primordia. תָּפַר, *applicare, complicare, aptare.* תְּאֵנָה, *ficus.*

8. הַיּוֹם — וַיִּשְׁמְעוּ *Tum audiverunt vocem Jovae Dei gradientis per hortum ad auram diei.* קוֹל et vocem loquentis et strepitum quemvis significat. H. l. quum nulla Dei referantur verba, videtur designari strepitus nescio qui Dei adventantis praenuntius. Cf. 1 Reg. 19, 12. 2 Sam. 5, 24. Cf. GABLER. etc. T. II. P. II. p. 216. רוּחַ הַיּוֹם *Spiramentum*, s. *respiramentum diei* est *vespera.* Etenim in Orientis regionibus aliquot horis ante solis occasum ventus oritur, auras refrigerans (Cant. 2, 16.), qui per totam noctem flare solet. Oppositum est חֹם הַיּוֹם, *aestus diei*, 18, 1.

14. Mutuum illud serpentum hominumque odium noster repetit de serpente illa versuta; ut animal illud prima quasi tot miseriarum causa diei posset. Ad hunc et sq. Vs. cf. DE AMMON: *Entwurf einer Christologie d. A. T.* p. 17. אָרוּר — הַשָּׂדֶה *Maledictus eris prae omni pecude et prae omni fera agri.* Sensus: Nullum erit brutum, quod magis homines horreant, dictisque abominentur, et exitialiori prosequantur bello. Particula מִן, *prae, magis quam*, apud Hebr. Comparativum exprimit. עַל־גְּחֹנְךָ תֵלֵךְ *super ventre tuo gradieris.* Aliis videtur Deus serpentem pedibus privatum volutatum in pulvere sese trahere jussisse (cf. Ovid. Met. IV, 578.); alii in natura serpentis quidquam mutatum esse verisimile esse negant. Quod erat naturae, cessisse, ex mente scriptoris, in poenam contendunt. חַיֶּיךָ — וְעָפָר *Pulveremque comedes omnibus vitae tuae diebus.* Nimirum serpens, cum humi repat, non potest quin pulverem in os cum aliis cibis ingerat.

15. Quemadmodum זֶרַע הַנָּחָשׁ, *proles serpentis*, totum serpentum genus indicat, ita זֶרַע הָאִשָּׁה est omne genus humanum; Job. 14, 1. 15, 14. 25. 4. Matth. 11, 11. Veteres Judaei nonnulli *semen mulieris* Judaeos interpretantur, qui auxilio Messiae et Dei vim Sammaëlis, s. angeli mortis, amplius non timebant. Huc respexisse videtur Paulus Rom. 16, 20. Unde factum, quod plures inter Christ. interprr. *semine mulieris* ipsum Messiam intelligendum putarent, (coll. 1 Jo. 3, 8.) atque hinc locum hunc *πρωτευαγγέλιον* nuncuparent. Quod sequitur הוּא referendum est ad זֶרַע, quum Verbum יְשׁוּפְךָ masc. sit generis. Pauci Vulgatae Codd. habent *ipsa*, quasi in Hebr. esset הִיא, quod defendunt Rom. ecclesiae asseclae, quia inde sibi videntur *mulieris*, i. e. Mariae virginis honorem augere. Utrumque igitur genus, hominum et serpentum, *mutuas* sibi *insidias* struet. Nam Verb. שׁוּף in cognata Arab. dialecto (ساف) propr. denotat *odorari, odoratu rem aliquam investigare*, s. *auram trahere ad vestigandum captandumque*, quo sensu de venatoribus usurpatur; hinc *observare*, et si qua nocendi detur occasio, *insidiari*

denotat. Cf. SCHULTENS in *Commentar.* in Job. 5, 5. Sensus igitur verbor. Hebr. hic erit: vos invicem observabitis, illud (human. genus), ut conterat tibi caput, tu, ut talum, quo te conculcabit, mordeas. Plures interpretes Verb. שׁוּף capiunt hic *conterendi* significatu (cf. not. ad Ps. 139, 11.), quo vero de serpentibus, qui talum mordent nec conterunt, dici non potest, nisi *καταχρηστικῶς*. Aliorum interpretationes vid. apud GABLER. l. l. T. II. P. I. p. 190. et P. II. p. 282. Ceterum homo dicitur h. l. *capiti* serpentis insidiari, quia in eo solo venenum est, eoque contrito certo interit serpens.

16. Hic etiam quae cuique sexui natura tribuit incommoda, vertuntur in poenam. וְהֵרֹנֵךְ — הַרְבָּה *Multiplicando multiplicabo dolorem et conceptum tuum*, s. *dolorem conceptus tui*, i. e, dolores, quibus obnoxiae sunt post conceptum mulieres. וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ *et ad maritum tuum appetitus tuus*, h. e. etiam post durissimos dolores mariti *συνουσίαν* flagranter desiderabis. Verb. שׁוּק in Arab. est *pellere, impellere*, unde substantivum תְּשׁוּקָה, *impulsio ad aliquam rem*, cupiditas, imprimis *appetitus libidinosus*. Cf. Cant. 7, 11. LXX. ἡ ἀποστροφή σου, pro מִשְׁמַעְתֵּךְ *obedientia tua*; qui enim sub alicujus potestate est, vultum semper ad eum convertit, ut ejus imperia exspectet. Ps. 123, 2.

17. אֲרוּרָה *Maledicta erit*, h. e. minuetur ejus fertilitas; majori cum molestia, quam olim in Paradiso, fructus terrae ab homine erunt parandi. Paria de seculo aureo poëtas dixisse, notum est. Cf. Hesiod. ἐν Ἔργοις Vs. 117. Virgil. Georg. I, 125. Eclog. IV, 39. Ovid. Met. I, 136. Pro בַּעֲבוּרֵךְ, *propter te*, LXX. ἐν τοῖς ἔργοις σου, quasi בַּעֲבֹדֵךְ legissent. בְּעִצָּבוֹן תֹּאכְלֶנָּה *Cum dolore eam*, fructus ejus, *comedes*, i. e. non proveniet sine molesto labore.

18. לָךְ — וְקוֹץ *Spinam et tribulum tibi proferet*, nisi diligenter terram colas. הַרְדַּר, nom. generale herbae, quae nascitur, ubi nemo agrum colit (*Unkraut*). וְאָכַלְתָּ — הַשָּׂדֶה *et agri herbis vesceris*, i. e. frumento et oleribus, non fructibus arborum Paradisi, sine labore provenientibus.

19. לֶחֶם — בְּזֵעַת *Cum vultus tui sudore victum tibi comparabis*, i. e. cum multo labore. לֶחֶם *victum quemvis* haud raro significat, ut Ps. 136, 25. תָּשׁוּב — כִּי־עָפָר *nam pulvis es, atque in pulverem redibis*. Cf. Il. VII, 99. Euripides in Cic. Tusc. III.

20. Nom. חַוָּה auctor ipse explicat: *nam ea erat mater omnium qui vivunt.* Erat itaque חָוָה scriptori i. q. חָיָה *vixit*, ut חָוָה i. q. הָיָה fuit, ו enim et י inter se permutantur. Cum ו potius, quam cum י scribitur nomen primae mulieris, ut discrimen esset inter illud et חַיָּה *vita* et animal. Cf. GABLER l. l. T. II. P. I. p. 606. P. II. p. 298.

21. Ulteriores artificii vestium progressus. Quum antea homines ipsi folia tantummodo adhibuissent (Vs. 7.), *Deus* nunc

e pellibus vestes confiecre ipsos docet, quae ad frigus aliaque incommoda arcenda magis essent accommodatae.

22. Manifestum est, Deum, dum prima pers. plur. loquitur, sibi conjungere ceteros daemones (Vs. 2.). Verba הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ non sunt vert. *fuit sicut nostrum unus*, sed *factus est sicut nos.* הָיָה cum כ similitudinis signif. *fieri.* Num. 17, 5. Deut. 7, 26. 1 Sam. 25, 26. Ps. 35, 5. וְעַתָּה — וְאָכַל *Nunc ergo ne extendat manum suam et capiat quoque de arbore vitae et comedat.* De hujus arboris fructibus nondum homines gustaverant, licet esus eorum ipsis interdictum non esset (2, 16. 17.). גַּם non est *amplius*, *porro* (עוֹד), (ut H. A. Schott vertit in Commentat. I. *de imagine Dei hominibus concessa* p. 38. sqq.), sed *quoque.* Videtur ex mente scriptoris *arbor vitae* ad id destinata fuisse, ut homines, si interdictum de non gustandis fructibus arboris prudentiae servassent, exacto longiore vitae spatio debilitatas vires esu fructuum illius arboris subinde recrearent, et sic vitam in perpetuum conservarent.

23. לַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה *Ad colendam terram;* cf. Vs. 17. 18. De hac conditionis commutatione pulcherrime scripsit Frid. Schiller: *Etwas über die erste Menschengesellschaft nach d. Leitfaden d. mos. Urkunde*, Cap. I. in ejus *Operr. minor. prosaicis.*

24. Est in Babylonia, in cujus regionibus confinibus Hebraei primor. hominum sedem ponunt (2, 8.), campus interdiu flagrans et tractus naphtae plenus, cui magna ignium est cognatio. Cujus rei mentionem faciunt Plin. Hist. Nat. II. 19. §. 109. Curtius V, 1. §. 16. Strabo XVI. p. 1078. ed. Almelov. Plutarch. in vita Alexandri c. 35. Quod ipsum ansam videtur dedisse huic, quod hic narratur, figmento, de Cherubis, aditum Paradisi ensibus flammas vibrantibus custodientibus. De propria Nom. כְּרוּב significatione haud satis constat. Aramaeis et Arabibus כָּרַב est *arare*, unde כְּרוּב propr. ad arandum adhibitum animal, i. e. *bovem* (cf. Ezech. 10, 14., ubi פְּנֵי כְּרוּב pro eo quod Vs. 10. est פְּנֵי שׁוֹר *vultus bovis*) significare, idque nominis Cherubis inditum plures ideo existimant, quod illi varior. animalium formas ita exhiberent, ut ad bovis speciem proxime accesserint. Alii quod bos aliis pluribus animalibus corporis viribus praestat, כְּרוּב ad *fortem*, *validum* denotandum adhibitum existimant, ut כְּרוּבִים sint *οὐσίαι* validae, potentes. Quum Arabicum كَرِبَ inter alia et *anxit animum* denotet, fuere, qui כְּרוּבִים *terrorem incutientes*, *terribiles* significare conjicerent. Plura vid. apud Spencerum de legg. Hebr. rituall. L. III. Dissert V. Cap. 4. p. 844. sqq. ed. Tubing. Ficta Cheruborum figura composita erat ex leonina, bovina, humana et aquilina; ita ut significetur Dei majestas, firmitas, lenitas atque sublimitas. Postea vero a vulgo, cui illius symboli interior significatio ignota esset, ea species tributa est daemonibus, s. naturis, hominibus fortioribus atque augustioribus,

quibus Deus tanquam ministris uteretur. Cf. Schol. ad Ezech. 1, 10. sqq. Gabler l. l. T. II. P. I. p. 234. et *die bibl. Alterthumskunde* T. I. P. I. p. 181.

Cap. 4, 1. Narratio de primo homicidio; pejoris aevi initium. Cf. Ovid. Met. I, 128. sqq. Cum ea, quam hic dabimus, interpretatione grammatica sunt conferenda, quae monuit Auctor libri: *die ältest. Urkunden d. Hebr. im erst. Buche Mos.* p. 115. sqq. Hug: *die mos. Gesch. des Menschen*, p. 72. Schiller l. l. (ad 3, 23.). Buttmann *üb. die myth. Periode von Kain bis zur Sündfluth in der Berl. Monatsschr.* März, 1811. קַיִן — וְהָאָדָם *Posthac Eva ex Adamo gravida facta peperit Cainum.* יָדַע, ut γινώσκειν et *cognoscere* (Ovid. Epist. 6, 133. cum aliqua rem habere, concumbere), interdum liberis procreandis operam dare significat. קָנִיתִי אִישׁ אֵת־יְהוָה *Virum acquisivi cum Jova*, i. e. Jova opitulante, σὺν θεῷ. 1 Sam. 14, 45. Ex hac explicatione קַיִן idem esset, si Gr. dixeris *Κτησίαν*, aut *Ἐπικτητὸν*, quasi hac possessione mater se ditiorem esse credidisset. Ps. 127, 3. Alii a *possessione* s. *acquisitione* nomen inditum illi putant, quia primus certae glebae se addixit et agricultura sibi victum quaesivit. Esse autem inde ab eo tempore, quo singuli certos tractus sibi assignare coeperint, simul avaritiam inimicitiamque ortam, declarare noster voluit eo, quod primum, qui agriculturam exercuit, eundem fingeret et primum, qui caedem fecerit. Ceterum Nom. קַיִן hic a קָנָה deducitur, contra analogiam, ex qua a קוּן deducend. esset, quod tamen in *Pohel* est *lamentari*. Nec vero repudianda est Danzii sententia, fuisse Verbis קָנָה et קוּן communem *possidendi* significatum, quemadmodum הוּחַ et הָוָה, בּוּז et בָּזָה, שׂוּחַ et שָׂחָה significationes comm. habent.

2. *Deinde iterum fratrem ejus Habelem peperit; is quidem opilio, Cain autem agricola fuit.* הֶבֶל, *vanitatis* nomen, qui *evanuit* nulla sobole relicta. צאן propr. pecudes minor. s. *oves* et *caprae*, h. l. pro quibusvis pecudibus. Agricolatione et pecudum cura duo antiquissima vitae genera eorum hominum significantur, qui primam ruditatem deposuerunt. Cf. Dicaearchum a Porphyrio L. 4. §. 2. *de abstinentia* laudatum.

3. מִקֵּץ יָמִים propr. *a fine dierum*, non *post plures dies;* nam nihil antea factum praecessit. Sed יָמִים haud raro, maxime si absolute ponitur, *annum* significat; Lev. 25, 29. Num. 9, 22. Ceterum parum verisimile est, h. l. sacrificium quoddam solemne et annuum commemorari; sed quod addit, Cainum obtulisse *de fructibus terrae*, videtur innuere, obiter illos, et ut ad manum venerint, non de adipibus, nec de primitiis frugum obtulisse (ut Abel Vs. 4.), sed de reliquiis anno completo, quae erat causa, cur ejus oblatio Deo minus grata esset. De sacrificiorum origine cf. *das alte u. neue Morgenl.* T. I. p. 16. מִנְחָה (a מָנַח) propr. *donum*, *oblatio;* Deo oblatum, *sacrificium.*

4. מִבְּכֹרוֹת צֹאנוֹ וּמֵחֶלְבֵהֶן *De primogenitis pecudum suarum, et de adipe earum;* ἔν διὰ δυοῖν; sensus: *de adipe, aut de lacte primogenitarum pecudum.* חֵלֶב omnem *pinguedinem*, et modo *adipem* modo *lac* (sic LXX.) signif. Quia κρεοφαγία ante diluvium ignota fuisse videtur, Grotius censet, victimas nullas tum fuisse mactatas; ideo sub primogenitis *lanam ovium* eximiam, sub חֵלֶב vero *lac* intelligit. מִנְחָתוֹ — וַיִּשַׁע *Respexit Deus ad Abelem et sacrificium ejus;* ἔν διὰ δυοῖν, pro: *in oblationem Abelis;* i. e. Deus munus Abelis gratum habuit, quod ignis coelo demissus arguisse creditur (Lev. 9, 24. Jud. 6, 21.).

5. שָׁעָה — וְאֶל־קַיִן *Caini oblationem autem non respexit*, i. e. sprevit. וַיִּחַר לְקַיִן מְאֹד *Et incanduit Caino valde*, sc. אַף, *nasus*, i. e. ira. וַיִּפְּלוּ פָּנָיו *Conciditque vultus ejus*, sc. quum se minoris fieri agnovisset. Similis locutio Neh. 6, 16. Ut autem, quos suae sortis poenitet, ii dicuntur *demisso vultu* incedere, ita *erectus vultus* secundas res et bonam conscientiam significat; Job. 11, 15. 22, 26.

7. הֲלוֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת *Nonne si recte feceris, elevatio* sc. פָּנֶיךָ תְּחִי לְךָ *faciei tuae esset* tibi? Si tibi bene esses conscius, non ita dejecto animo esses et vultu. LXX. οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς; *annon si recte obtuleris?* sc. sacrificium. Sed נָשָׂא nusquam *offerre* denotat. Vulgatus: *nonne si bene egeris, recipies?* i. e. percipies fructum benefacti, quomodo נָשָׂא, etsi sensu malo usurpatur Prov. 9, 12. Hieronymus: *nonne, si bene feceris, dimittetur tibi omne delictum tuum?* Verum quamvis נָשָׂא עָוֹן *peccatum condonare* significat, nusquam tamen שְׂאֵת *veniam* sonat. Saepius vero שְׂאֵת est i. q. אֶשָּׂר פָּנֶיךָ *accipiam faciem tuam*, i. e. mihi gratus eris; 32, 21. Mal. 1, 8. 9. Pergit: לַפֶּתַח — וְאִם *Si vero male egeris, ante fores peccatum jacet*, h. e. statim se prodet, non celari potest, vel etiam: prava concupiscentia insidiatur tibi. בּוֹ — וְאֵלֶיךָ *et ad te appetitus ejus*, sc. peccati, *sed tu dominaberis ei*, tuum est illi dominari, non sinere te ab eo vinci, i. e. resistere ei debes. Peccatum tanquam mulier impudica sistitur, quae hominem tentet. חַטָּאת h. l. tanquam masculinum construitur cum רֹבֵץ et cum affixo תְּשׁוּקָתוֹ, quae generum synthesis saepe obvia est; 2, 15. בּוֹ construitur cum sqq. affixis feminini generis. Cf. Gesenius *Lehrgeb.* p. 716.

8. Verba וַיֹּאמֶר קַיִן הֶבֶל אָחִיו si vertuntur: *et dixit Cainus ad Abelem, fratrem suum*, imperfectus est sensus; non enim quid dixerit, additur. Multi igitur Cod. Samar. secuti addunt: נֵלְכָה הַשָּׂדֶה *eamus in agrum.* Sic LXX, Vulgatus, Syrus al.; plerique vero illa verba non legerunt. Michaelis legendum putat וַיֵּמַר a rad. מָרַר, *amarus, amaro animo* fuit. Dathius significationem verbi אָמַר ap. Arab. obviam adhibet: *durius loqui cum aliquo.* At vero אָמַר signif. interdum *cum aliquo loqui*, ut Exod. 19, 25. Vel objurgatorie cum eo colloquutus est, ut occasionem ejus occidendi captaret; vel pla-

cide et amice cum est alloquutus, quo minus Abel sibi ab illo metueret.

9. אַיֵּה הֶבֶל אָחִיךָ *Ubi est Abel frater tuus?* Non est interrogatio ignorantis, sed ejus qui quod scit quaerit, ut a reo confessionem extorqueat, eumque ad agnitionem culpae adducat. Hoc Dei cum Caino colloquium non interpretandum est per *morsus conscientiae*; nam ex nostri mente vere habitum esse, signum argumento est, quo Deus Cainum a metu violentae mortis pacatum reddit.

10. מֶה עָשִׂיתָ *Quid fecisti?* i. e. quantum facinus patrasti? קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים אֵלַי מִן־הָאֲדָמָה — *Vox sanguinis fratris tui ex terra ad me clamat*, i. e. caedes vindictam postulat. Plur. צֹעֲקִים non ad קוֹל, sed ad דְּמֵי refertur. Nam ubi duo nomina substantiva per regimen jungantur, Praedicati genus vel numerus haud raro nomini recto respondet, vid. Exod. 15, 4. 25, 5. Levit. 13, 9., et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 721.

11. *Nunc igitur tu maledictus esto!* maledictus, inquam, exsul e *terra*, *quae aperuit os suum*, *ut susciperet sanguinem fratris tui de manu tua.* Verba וְעַתָּה אָרוּר אָתָּה scorsim sententiam faciunt, quum maxima distinctio Atnachi voci אָתָּה apposita sit, altera Vs. pars inde a מִן־הָאֲדָמָה descriptionem terrae continet, quae nimirum os suum aperuisset ad excipiendum gremio tegendumque sanguinem fratris ab eo effusi. Debent ergo verba priora ad membri posterioris initium cum emphasi repeti: *maledictus*, inquam, *tu esto* scil. *exsul ex ista terra* etc. Est constructio, quam praegnantem dicunt. Ellipsin Praepositio מִן ἀσύνταχτος demonstrat; cf. Vs. 14.

12. לָךְ — כִּי *Quando terram coles*, *tibi virtutem suam non addet dare*, h. e. tibi non exseret amplius insitam fructuum pariendorum et alendorum facultatem. נָע וָנָד תִּהְיֶה בָּאָרֶץ *Extorris et incertis sedibus per terram vagaberis.* Inter Graecos aliosque populos antiquissimis temporibus exsilium homicidii poena fuisse docet Homerus, cujus loca collegit Feithius in *Antiq. Homer.* L. II. c. 8. Cf. judicium Thesei adversus Hippolytum apud Euripid. in Hippol. Vs. 1058. sqq. et Ovid. Met. XI, 268.

13. גָּדוֹל עֲוֹנִי מִנְּשׂוֹא *Majus est scelus meum quam quod condonari possit.* עָוֹן nonnulli metonymice de poena peccati accipiunt. נָשָׂא h. l. significare potest et *ferre* et *auferre* i. e. *condonare.* Alii vertunt: *Tamne atrox facinus meum est, ut condonari nequeat?*

14. הֵן — הָאֲדָמָה *En! expellis me hodie ex hac regione.* אֲדָמָה et אֶרֶץ etiam terrae regionem significat, ut h. l. ubi ה vim δεικτικὴν habet et pro הַזֹּאת positum est. מִפָּנֶיךָ אֶסָּתֵר *A conspectu tuo me abdam.* Regio, in qua consederat Adamus, dicta fuisse videtur *in conspectu Dei*, quod eam potissimum Deus tuebatur, et quum homines alibi nusquam essent in ea sola Adamo ejusque fa-

miliae apparebat; itaque Cainus verebatur ex ea decedere, ibi maxime existimans se tutum esse. כָּל־מֹצְאִי יַהַרְגֵנִי *Quicunque in me inciderit, me occidet.* Verebatur Cainus vindictam familiae Adami. Cf. Gabler l. l. II, 2. p. 262.

15. Pro לָכֵן LXX aliique Verss. legerunt לֹא כֵן (οὐχ οὕτως), quod facile cum לָכֵן confundi poterat, quia olim (ָ) et ו eundem fere sonum habebant. יֻקַּם — כָּל *Quicunque Cainum occiderit, septuplo majores poenas luet.* Noluit Deus Cainum occidi, quamvis capitis reum, sobolis causa. *Septuplum* supplicium pro gravi; Ps. 12, 7. 119, 164. Prov. 24, 16. מֹצְאוֹ — וַיָּשֶׂם *Tum posuit*, dedit *Jova Caino signum, eum a nemine, qui forte in eum incideret, interfecturum iri.* שׂוּם h. l. i. q. נָתַן. Dedit Deus Caino signum quoddam, quo is certus esset, nihil sibi ab hominibus esse metuendum.

16. וַיֵּצֵא קַיִן מִלִּפְנֵי יְהוָה *Igitur Cainus discessit e conspectu Dei* (Vs. 14.). Cainum vero uxor, de qua postea dicitur, sequebatur in regionem nondum ab hominibus habitatam. נוֹד, *Vagatio, exilium* Cainus locum appellabat, ubi consedit. Cf. *die bibl. Alterthumskunde* T. I. P. I. p. 215. 16. קִדְמַת־עֵדֶן *ad orientem Edenis*, h. e. haud procul a sedibus paternis, 3, 24.

17. וַיְהִי בֹּנֶה עִיר *Aedificavit urbem.* עִיר non est *spelunca*, (Perizonius in *Origg. Babylonicis* T. II. p. 35. Faber *Archaeol. Hebr.* p. 36.), nec Cainus troglodyta, ut nonnulli putabant, nam scriptor verbo בָּנָה utitur. Praeterea Cainus agriculturam egit, et plures ex ejus stirpe artes invenerunt; quo satis apparet, Cainum cum familia sua jam egressum prima ruditate, domicilia plura uno in loco fixisse.

18. Inter posteros ejus, qui primus agriculturam exercuit, artium antiquiss. inventores recensentur. Cf. de hac genealogia Hug: *die mos. Gesch. d. Mensch.* p. 92. וַיִּוָּלֶד לַחֲנוֹךְ אֶת־עִירָד *Natus est Henocho Irad.* אֶת hic Nominativo servit, ut alias, c. c. infra 7, 5. 21, 5. 46, 20. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 682.

19. Lamechi polygamia refertur simpliciter, et neque probatur, neque vituperatur.

20. וּמִקְנֶה — הוּא *Hic fuit pater habitantium in tentoriis et pecuariorum*, h. e. primus, qui nomadicam sub tentorio egit vitam; postea Noachi posteri hoc vitae genere usi sunt. Idem narrant de Arabiae populis *Plinius H. N.* VI, 28., de Indis *Diodor. Sic.* II. (*eos nec urbes nec pagos incolere, sed vitam agere scenitiam*), de Scythis *Justin.* II, 2. מִקְנֶה propr. *possessio;* deinde *pecus*, quia veterum divitiae pecudibus maxime constabant. ו ante מִקְנֶה vert. *cum*, ut Exod. 1, 5. Job. 19, 23. 24. Alii supplent רֹעֵה *pastor.* Malim וּמִקְנֶה hic elliptice positum pro וַאֲנָשֵׁי מִקְנֶה (46, 32. 34.) *pecuariorum.* Frequens est ellipsis nom. אִישׁ, vid. not. ad Ps.

109, 4. Vulgatus: *atque pastorum.* Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. c. 44. T. I. p. 517. edit. Lips.

21. וְעוּגָב — הוּא *Is fuit pater omnis tractantis citharam et tibiam*, citharae et tibiae inventor. כִּנּוֹר i. q. Gr. *κινύρα.* J. D. Michaelis originem vocis quaerit in Syr. כֻּבְּנָא *cannabis*, quod fortasse cannabinis filis pro chordis primum usi fuerint, quum pro chordis olim fila ex lina fuissent. Arabibus quoque consonum voc. est *cithara*, *chelys.* עוּגָב (legitur adhuc Job. 21, 12. 30, 31. Ps. 150, 4.) instrumentum est aliis quod inflatur, aliis quod digitis psallitur, *psalterium* (cf. not. Ps. 33, 2.). Interpretes multi Chald. vertunt *fistula*, *tibia.* Cf. Pfeifferi *über d. Musik der alten Hebr.* Erlang. 1779. Invenit igitur Jubal utriusque generis instrumenta musica, ἐντατικὰ et φυσητικά. Moses vero ostendere voluisse videtur, musicae originem non apud Aegyptios fuisse; sed apud eos fuisse contendunt Diod. Sic. et Plato.

22. Nom. תּוּבַל־קַיִן, ex sententia Hebr. interpretis per compendium dictum est pro תּוּבַל וּמְכוּתוֹ שֶׁל קַיִן, et denotat: *qui excoluit* (תָּבַל Chald. *condire*, *praeparare*) *instrumenta bellica*, *quibus homicidae uti possent.* Dura interpretatio. Nomen Persicum Hebraico תּוּבַל consonum (*tupal*) denotat *aes*, *ramenta auri et argenti*, קַיִן vero Arab. est quicunque quid concinnat formatque, ut faber ferrarius et lignarius, sutor. Unde Gesenius in Lex. minori conjicit, esse hunc mythum origine Persicum. Nos תּוּבַל habemus pro nom. Hebraico, *profluxum*, *processum* significante, a יָבַל, *processit*, *profluxit*, ut תּוּבַל־קַיִן *processum*, propagationem, *progeniem* Caini denotet. Quae sequuntur לֹטֵשׁ־כָּל־חֹרֵשׁ vertunt: *erudiens omnem opificem aeris et ferri.* Sed לָטַשׁ, propr. *contudit* (et in Arab.), hinc *tundendo acuere* (Job. 16, 9.) signif.; חָרַשׁ vero *secans*, hic instrumentum, quo quis aliquid secat exasciatque indicat. Verba igitur vertenda sunt: *acuens et expoliens omnia instrumenta opificii aeris ac ferri.* Ceterum etiam haec fortasse Moses contra Aegyptios observavit, qui in Thebaide primum arma facta esse dictitabant.

23. לְחַבְּרָתִי — כִּי *si* s. *quia virum occidi ad vulnus meum, et puerum ad vibicem meum.* Onkelos in paraphrasi accepit כִּי interrogative: *num virum occidi?* i. e. *non occidi.* Deinde per לְפִצְעִי et לְחַבְּרָתִי poenas significari putavit, quibus se fatetur dignum Lamechus, si caedem commisisset. Plerique recentiores existimant, Lamechum vere caedem commisisse et his Vss. ei, qui se ideo punire velit, majus malum minari, quam fuisset id, quo Cainus ulciscendus fuisset. Sed verisimilius est, verba esse hominis admodum insolentis et sese jactantis hoc sensu: *Si propter viri aut juvenis caedem vulnera et plagae mihi intendantur, cum de Caino poena septuplex statuta fuerit, in Lamecho id fiet septuagies septies;* i. e. Cainum progenitorem suum non esse punitum, multo minus se posse puniri, si vel simile scelus commisisset. Cf. Hessius *Gesch.*

d. Patriarchen, P. I. p. 83. Ceterum apparet, haec verba a Mose ex quodam carmine inserta esse: tota enim oratio est poëtica. HERDERUS (*Geist d. hebr. Poës.* P. I. p. 344) existimat, hoc Lamechi carmen laudes canere gladii a filio inventi, cujus usum contra hostes praedicet. Cf. quae notavimus ad LOWTH *de sacra Hebr. poësi*, p. 447. edit. Lips. 1815.

25. שֵׁת — וַיֵּדַע *Et cognovit Adamus iterum uxorem suam, peperitque filium, cujus nomen vocavit Seth.* Alios quoque liberos Adamus habuit (5, 4.), sed hoc vult scriptor, post Abeli mortem primum masculini sexus natum ei fuisse Sethum, Abeli loco. כִּי הָרָגוֹ קָיִן *quia* (i. e. quem) *occidit eum Cainus.* Conjunctio causalis כִּי saepius pro relat. pron. usurpatur; Ps. 71. 15.

26. וּלְשֵׁת גַּם־הוּא יֻלַּד־בֵּן *Et ipsi Setho natus est filius.* Pron. הוּא non recte sed obliquo casu est vert., quasi esset לוֹ, ut 2 Sam. 6, 23. הוּא aptum est ad exprimendum Dativ., ubi casus obliquus jam praecessit, ut h. l., praesertim ubi particulae גַּם aut אַף cum emphasi ponuntur, ut in אֲנִי, Gen. 27, 34. 38. Prov. 23, 15. אַתָּה 1 Reg. 21, 19. Prov. 22, 19. הוּא, 2 Sam. 17, 5. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 728. אָז־יְהוָה *tunc coeptum est vocare in nomine Jovae.* Alii secundum Cod. Samar., in quo הֵחֵל extat, vertunt: *iste* (Enos) *coepit invocare nomen Domini.* Alii: *tunc profanatum est in vocando nomine Jehovae*, quia חלל interdum est *profanare*, quasi dixerit, tunc profanatum esse nomen Jovae eo, quod homines sibi fecerint idola, quibus nomen Jovae indiderint. Aliis credibile est, Sethi posteros de nomine Dei vocari coepisse, ut distinguerentur a hominum filiis, scil. Caini posteris, sic dictis, quia inter illos veri Dei cognitio mature extincta nostro videtur. Vid. phrasin קָרָא בְּשֵׁם יַעֲקֹב Jes. 44, 5. 48, 1. Sed phrasis קָרָא בְּשֵׁם יְהוָה omnibus V. T. locis cultum divinum indicat; 12, 8. 13, 4. 21, 33. 26, 25. 1 Chron. 16, 8. Ps. 105, 1. Jes. 12, 4. 41, 25. al. Dicit igitur, tunc cultum publicum, vel certos ritus Deum colendi institutos esse. Eundem sensum Lutherus expressit.

III.

Adami ex Setho prosapia ad Noachum usque.

CAP. 5 — 6, 8.

Cap. 5, 1. Verba זֶה סֵפֶר תּוֹלְדֹת אָדָם sunt inscriptionis instar. Breviter hac pericopa generationes ab Adamo descendentes per Sethum ad Noachum usque recenset, summatim tantum tempus vitae singulorum afferens, ut computari possit numerus annorum ab Adamo usque ad diluvium. Neque omnes cujusque liberos enumerat, sed eos praesertim commemorat, ex quibus certa successionis series deducta est. Fecit autem hoc ut ostenderet, qua serie a primis ho-

minibus descenderint gentis Hebr. majores. Notandum praeterea, ab Adamo ad Noachum *decem* hoc Cap. recenseri generationes, totidemque infra 11, 10. sqq. a Noacho usque ad Abrahamum. Sacer enim habebatur veteribus numerus denarius, quippe qui e duobus aliis numeris sacris, *tres* et *septem* compositus sit. Nom. סֵפֶר, proprie *enumeratio*, *catalogus*, h. l. genealogicus, ut Neh. 7, 15. אָדָם in hoc Vs. signif. tam primum parentem, quam *hominem* in universum. אֹתוֹ — בְּיוֹם *Quo die Deus hominem creavit, eum ad similitudinem suam fecit.* אֱלֹהִים repetitur loco Pronom. suff. possessivi. Velut de integro totam seriem prosapiae Adami per Sethum recenset repetitque creationem Adami et uxoris, ut intelligatur, primos parentes non esse genitos, sed creatos absque maris et feminae conjunctione.

2. זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָאָם *Marem et feminam creavit eos.* Ut mas non genitus, sed e terra creatus est a Deo, sic et femina, licet e costa viri sumta et formata, non e terra, ut vir. אֹתָם — וַיְבָרֶךְ *Et benedixit iis*, i. e. vim procreandi illis indidit, cf. 1, 28.

3. שָׁנָה — וַיְחִי *Vixit Adamus centum triginta annos.* Decem aetatibus, quae hic referuntur, tribuuntur semper anni pleni, nec aliquot mensium anno aut deficientium aut insuper accedentium ratio habita est, unde accurata chronologia hinc colligi non potest. וַיּוֹלֶד בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ *Genuitque juxta imaginem suam* sc. בֵּן *filium.* Similis ellipsis 6, 4. 10, 21. בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ cf. not. 1, 26. Imaginem Adami alii volunt esse peccatum naturae humanae insitum, alii Adami pietatem, quam Sethus imitatus sit. Rectius sola humanitas, seposita virtute vel corruptione, cogitatur. Commemoratur vero hic solus Sethus, quia per eum Adami genus est propagatum.

5. Chronologia in iis quae sequuntur intexta est genealogiis, ex more antiquissimorum hominum, qui, quum omnem nominis immortalitatem in posteris positam putarent, quos ex se progenatos reliquerunt, genealogiis ita adsueverunt, ut memoria eas tenerent. Inde factum, ut omnium fere populorum historia antiquiss. genealogiis absoluta sit. De Arabibus res nota est, nec non de Graecis. Sed in ea quae hoc Cap. habetur genealogia singulis hominibus incredibilis annorum vitae numerus assignatur, ad quem homines vitam umquam perducere non admittit mortalis corporis fragilitas, quicquid ad illam priscorum hominum longaevitatem verisimilem reddendam attulerit KRAUSIUS in Dissert. *longam hominum antediluvianorum vitam a dubiis vindicante causasque eam praestantes expendente*, ed. 2. Lips. 1793. Varias igitur interpp. excogitarunt causas, cur iis, qui hoc Cap. recensentur Hebraeor. majoribus tantus annorum vitae numerus tributus reperiatur. Sunt, qui causam inde repetant, quod, quae omnibus omnino natura sua genealogiis imminent pericula, ut multa nomina sive memoria exciderent, antequam litterae essent inventae, sive tabulae genealogicae litteris

consignatae calamitatibus rerumque conversionibus mutilae fierent, ea nec vetustissimos Hebr. ordines genealogicos effugisse credibile sit. Saepe etiam, addunt, ne memoria nimia oneraretur nominum mole, stemmata antiquiora in compendium redigebantur ita, ut integri catenarum genealogicarum articuli omitterentur. Jam vero mancis hisce atque imperfectis genealogiis quum serior aetas chronologiam intexeret, et talem quidem, quae ad ultima usque rerum primordia ascenderet, atque longa annorum series inter pauca nomina essent distribuenda, factum esse dicunt, ut singulis hominibus incredibilis annorum vitae numerus assignaretur. Verum nomina si exciderunt, vix credibile est, integros servatos fuisse numeros, quibus illa fundamenti instar essent. Alii in hanc inciderunt cogitationem, annos priscis illis temporibus longe breviores fuisse, quam nostri. Sic Varro, a *Lactantio* in *Instit. Divin.* II, 12. laudatus, quum de antiquis illis loqueretur, qui putabantur mille annos vicitasse, ait, *apud Aegyptios pro annis menses haberi.* Sed tales annos in nostris stemmatibus accipi non posse, cognoscitur ex numero annorum, quibus illi liberos procrearunt. Nec terminus apparet in hac chronologia, ad quem usque menses pro annis numeraudi sint, quum sensim longaevitas eorum, qui hic recensentur, ad Abrahamum decrescat. Verum enimvero non est cur dubitemus, veteribus illis historiarum scriptoribus, quibus, quo remotius quidquam esset, eo majorem miri atque insoliti speciem gerere videbatur, vere persuasum fuisse, hominum antiquissimos vitam ad longe majorem annorum numerum perduxisse, quam qui illos sequuti sunt. Sic, teste *Josepho* Ant. I, 3, 9., Manetho, Berosus, Mochus, Hestiacus et alii exterorum scriptores tradidere, priscos homines vixisse mille annos. *Lucianus* quoque in libello, qui inscribitur *μακρόβιοι*, eas antiquae historiae reliquias, quibus longa veterum vita narrabatur, collegit. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 21. sqq. et Bredow in *Untersuchungen über wicht. Gegenstände der alten Gesch., Geogr.* etc. P. I. No. I. praesertim p. 58. sqq. Aliorum de hac re opiniones vide recensitas in Eichh. *Biblioth. d. bibl. Litt.*, P. IV. Fasc. I. p. 105. sqq. LXX. aliter vitae annos dividunt, quam Hebr. Codd. Sumunt enim, neminem procreare sobolem potuisse ante CL. annum. Hinc, quum Hebraei tribuant Adamo ante Sethum genitum annos 130, post genitum 800; Graeci ante Sethum ponunt 230, postea tantum 700. Contra sumit Samaritanus, neminem post CL. annum patrem fieri potuisse, atque ad hanc rationem annos, quos patres vixisse dicuntur, dividit. Cf. Michaelis *de Chronologia Mos. ante diluv.* in Ejus Commentatt. (I.) Soc. reg. Goetting. 1763—1768. oblatis.

22. וַיִּתְהַלֵּךְ חֲנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים *Ambulavit Henochus cum Deo.* Quae phrasis amicam cum aliquo conversationem indicat, ut I Sam. 25, 15. Ps. 35, 14. Forma Hithp. Verbi הָלַךְ habet vim frequentativam; Job. 1, 7. 2, 2. I Sam. 30, 31. Sed הִתְהַלֵּךְ אֶת־הָאֱלֹהִים est Deum ceu ducem sectari, i. q. הָלַךְ אַחֲרֵי אֱלֹהִים *ambulare post*

Deum, Deut. 8, 19. 11, 28. 13, 4. 1 Reg. 14, 8. Similis est phrasis הִתְהַלֵּךְ לִפְנֵי אֱלֹהִים *incedere coram Deo;* 17, 1.

24. Quod repetit, Henochum *cum Deo* ambulasse, non est otiosa *ταυτολογία*, sed indicat qualem se per totam vitam gesserit, quod subjicitur: וְאֵינֶנּוּ *et non fuit*, i. e. quum nondum implesset dimidium annorum vitae, aliis concessorum (Vs. 23.), non amplius inter mortales apparuit. Simili modo de Romulo *Liv* I, 16.; de Semiramide *Diod. Sic.* II, 20.; de Hercule *Lysias* Orat. 31.; de corpore Aspalidis puellae *Antonius Liberalis* Fab. 13. Cf. Odyss. IV, 561. כִּי־לָקַח אֹתוֹ אֱלֹהִים *Sumsit enim eum Deus.* Quod constanter de aliis commemorat וַיָּמָת *et mortuus est*, id de Henocho non dicit, sed satis arguit, oportere illi, cum terris excederet, singulare quid prae ceteris contigisse. De Elia vivo in coelum sublato idem Verb. לָקַח usurpatur 2 Reg. 2, 3. 5. 9. 10. Nec aliter verba nostra intellexerunt Hebr. interpretes et *Joseph.* Arch. I, 3, 4. Cf. Hebr. 11, 5. Sir. 40, 18. Vita Henochi brevior fuit quam aliorum patriarcharum ante diluvium. Hujusmodi praematura et subita mors ab omnibus fere antiquis gentibus pro signo divini favoris et praemio eximiae pietatis habebatur. Cf. *Aeschines* Dial. 3. Odyss. XV, 245. sqq. Quodsi homines illis temporibus putabant, Henochum propter pietatem suam a Deo in sedem beatam vocatum esse, certo de futura vita aliquam notitiam habebant. Ceterum videtur et apud alios antiquitatis populos obscura quaedam Henochi superfuisse memoria, cujus vestigia exstant apud Stephanum Byzantinum et Suidam. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 19.

27. *Metusalah* omnium diutissime vixit, et mors ejus in annum diluvii cadit. Utrum vero ante diluvium obierit, an in aquis diluvii ipsis pericrit, non liquet.

29. וַיִּקְרָא — לֵאמֹר *Et vocavit nomen ejus Noach, dicendo*, q. d. causam afferens. זֶה — יְהוָה *Hic consolabitur*, recreabit *nos ab opere nostro et a dolore manuum nostrarum ex terra*, ex parte terrae, propter terram, *cui maledixit Jova.* Ratio nominis impositi, quae hic affertur, ipsi nomini non videtur respondere. Nam נֹחַ sonat *quietem*, sequitur vero *consolabitur nos*, nec וְיָנִיחֵנוּ זֶה *iste quietem dabit nobis.* Si de consolatione per filium affutura nomen ei indere voluit, debuit eum נֹחוּם s. מְנַחֵם vocare. Sed necesse non est, hic servari grammaticam analogiam, quae et alibi violatur, ut supra 4, 1. in nomine Caini, unde apparet, Hebraeos in illa nominum notatione sensum magis quam verba respexisse. Verbum vero נָחַם et sono et significatione vicinum est nomini נֹחַ, quod *quietem* notat; est enim consolatio quies a dolore cordis, s. qui consolatur alium, ei quietem conciliat. Exempla alia sunt 2 Sam. 11, 21. Gen. 29, 32. Nec est spernenda Ravii conjectura in *Exercitatt. ad Hubigantii Prolegg.* p. 101. proposita, malnisse Lamechum potius voce יְנַחֲמֵנוּ, quam וְיָנִיחֵנוּ, uti, quod illa aptior esset ad illum rhyth-

mum efficiendum, quem nemo in hoc dicto non agnoscat, si verba sic disponamus:

זֶה יְנַחֲמֵנוּ	מִן הָאֲדָמָה
מִמַּעֲשֵׂנוּ	אֲשֶׁר אֵרָרָהּ
וּמֵעִצְּבוֹן יָדֵינוּ	יְהוָה

Non est praetermittendum, et Lamechi illius senioris filii Methusaelis, dictum 4, 23. 24. esse rhythmicum. Quod Lamechus addit Noachum recreaturum esse homines a molestia, quam perferebant *ex parte terrae*, s. *propter terram, cui Jova maledixit*, id manifeste pertinet ad agriculturam. Quum enim terram ob hominum peccata sterilem esse a Deo redditam dictum esset 3, 17. 4, 12., Lamechus ominatus est, fore ut ob filii sui pietatem in melius mutetur terrae conditio meliusque se sint homines habituri sub Noacho pio, qui alios quoque ad pietatem sit reducturus. Minus recte, ut videtur, alii solatium illud per Noachum quaesiverunt in inventis agriculturae *instrumentis*, alii in *vini* usu (9, 20. 21.); alii vel in spe *Messiae* ex Noachi posteris oriundi.

Cap. 6, 1. הָאֲדָמָה — וַיְהִי *Et factum est, quod coeperit homo augescere super facie terrae.* הָאָדָם collect. pro genere humano, h. l. Caini sobolem, s. deteriorem humani generis partem designare videtur.

2. הַנָּה — וַיִּרְאוּ *Et viderunt filii Dei, quod filiae hominum bonae essent*, sc. מַרְאֵה *adspectu*, ut 24, 16. Nom. אֱלֹהִים ambiguae est significationis. Quum Ex. 21, 6. 22, 7. 8. Ps. 82, 1. 6. *principes* ita appellentur, multi interpp. existimarunt, *viros potentes*, vel etiam *viros liberos*, *ingenuos*, hic appellari בְּנֵי־אֱלֹהִים, qui *plebejorum* (haud raro haec est signif. voc. אָדָם) quasvis mulieres rapuerint, ut suam libidinem explerent. Cf. Ritteri Commentat. in Henkii *Museo für Religionswissensch.* Vol. II. Partic. 3. p. 450. In quam interpretationem plura monuit Schott in Comment. II. *de notione cognationis Dei hominumque in Genesi* p. 10. Sed quum *filii Dei* etiam verum Deum colentes appellentur (Deut. 14, 1. Ps. 73, 15. Prov. 14, 26.), sunt, qui tales et h. l. indicari putent, et quidem Sethi posteros, de quibus et capiendum volunt quod supra 4, 26. dicitur. Ita Clericus falsa loci 4, 26. nisus interpretatione. Sed recte monet Schott, *filias hominum* sensu proprio opponi *filiis Elohim*. Quum igitur אֱלֹהִים sint *daemones* (2, 9. 3, 5.), בְּנֵי־אֱלֹהִים erunt ab illis naturis coelestibus oriundi, ἡμίθεοι, qui faciunt *coelitum concilium*, Job. 1, 6. 2, 1. et cf. not. ad Ps. 29, 1. De naturis humana praestantioribus, *angelis*, hunc locum Hebraei antiqui et scriptores Christ. primor. secc. magno consensu intellexerunt. In versionis Graecae Alex. Cod. Vatic. aliisque versionibus ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ h. l. legitur. Quemadmodum igitur inter alias gentes, ita etiam inter Hebraeos antiqua traditio pererebuerat, qua homines corporis statura immani gaudentes (Vs. 4. Num. 13, 33.), et fortitudine bellica insignes, qui olim in terra inclaruissent, ex Deorum

hominumque connubiis prognatos esse judicatum est. Cf. *Joseph.* Ant. I, 4, 1. *Philonis* librum *de Gigantibus* T. I. p. 262. ed. Mang. *Lactantii Institutt.* II, 14. *Plato* in *Cratylo*, in Opp. T. III. p. 260. ed. Bip. in *Apologia Socratis*, T. I. p. 64. — Verbis וַיִּקָּחוּ — מִכֹּל אֲשֶׁר בָּחָרוּ *et ceperunt sibi mulieres ex omnibus, quas delegerunt sibi*, indicari videtur, illos sibi suo arbitratu mulieres cepisse, sc. per vim.

3. לָעֹלָם — וַיֹּאמֶר *Tum Jehova dixit, non permanebit spiritus meus in hominibus* s. *cum homine in perpetuum.* יָדוֹן plures vertunt *judicabit, litigabit*, ut sensus sit: nil proficio tot admonitionibus et minis. J. D. Michaelis ex Arab. שׁפן explicandum putat, quod propr. *inferius*, deinde *vile, contemtum* denotat, ut sensus sit: *non feram, ut spiritus meus, per prophetas admonens homines ab his in perpetuum contemnatur:* puniam! *mortales sunt! omnes post centum et viginti annos interibunt.* Sed דין s. הון propr. *judicare, jus dicere*, tum, ut שָׁפַט, et *rexit, regnavit* denotat; *spiritus divinus* vero h. l. spiritum vitalem animantibus a Deo inditum, quo vivunt, denotare videtur. Hinc verba hoc dicent: *non diu superstes erit hoc genus, auferam spiritum meum ab eo.* Cf. Ps. 104, 29. 30. Ita LXX. οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις. Onkelos: *non stabilietur* (לָא יִתְקַיָם) *generatio haec mala coram me.* Syrus et Saadias quoque יָדוֹן *habitabit* reddiderunt. LXX. enim, ut plerique veterum Interpp., rati esse videntur, concubitu angelor. cum filiabus hominum gigantas natos esse. Alii aliter interpretantur; vid. Commentat. nostr. *de Vers. Pentat. Pers.* p. 19. Buttmann *üb. d. Mythos von d. Sündfluth*, p. 14. edit. 2. Winer *de Vers. Pentat. Samar. indole*, p. 31. בְּשַׁגַּם non est Particula causalis ex Praefixis ב, שׁ et גַּם composita (*quia etiam caro est*); nam hujusmodi compositiones seriori tantum Hebraismo, seu potius stylo Rabbin. sunt propriae; sed בְּשַׁגַּם a rad. שָׁגָה *erravit*, est Inf. Pih. cum Praefixo et Affixo, et cum verbis הוּא בָשָׂר vert.: *dum errare eos facit caro*, i. e. quia *carni* laxarunt dominium et carnis voluptatibus adeo alte sunt immersi, ut emendationis spes plane nulla sit. Ita σὰρξ in N. T. de corrupto homine usurpatur. Plura de h. l. Schott in Commentat. laud. שְׁנָה — וְהָיוּ *Constituo eis terminum* 120 *annor.* sc. quo poenitentiam agere possunt. יָמִים h. l. id spatium temporis, quo elapso homines, si vitam non mutaverint, a Deo poena afficerentur.

4. הַנְּפִלִים LXX. et Vulg. *Gigantes.* Alii veter. Interprr. vertunt: *irruentes* sc. latrones (*βιαίους, ἐπιπίπτοντας*), a נָפַל *incidere, hostiliter irruere*, ut Job. 1, 15. Arabs uterque נְפִלִים derivat a جبل, quod nomen non solum *virum fortem*, verum et *statura aliis eminentiorem, gigantem* signif. Verum et Hebraeo נְפִלִים homines statura valde procera indicari, apparet e Num. 13, 33. 34. Quae igitur ibi plene scripta prior legitur vox הַנְּפִלִים est Nom. pro-

prium gentis; defective scripta, ut h. Gen. l., est appellativum et not. *gigantes*, qui quidem ab *irruendo*, utpote violenti praedatores, dici potuerint. Nec tamen repudianda eorum sententia, qui נְפִלִים *defectores*, *apostatas* propr. notare existimant, a *deficiendi* significatu verbi נָפַל 2 Reg. 25, 11. Jer. 37, 13. 14. 38, 19. (Syr. ܢܦܠܐ *apostata*, qui a Deo defecit). Simile de Gigantibus s. Titanibus Lucianus in *Dea Syra*: ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον. Cf. *Joseph. Ant.* I, 3, 1. Malim tamen adstipulari Hassio, qui in *d. Entdeckungen* etc. P. II. p. 62. נְפִלִים, a נָפַל *cadere*, *dejectos*, βεβλημένους, dici arbitratur, quod Titanum instar, de coelo fuissent deturbati. Cf. et Eisenmenger: *entdeckt. Judenth.* T. I. p. 380. et Hug: *d. mos. Gesch. d. Mensch.* p. 99. וְגַם — לָהֶם *et etiam postea cum filii Dei ingrederentur ad filias hominum*, cum iis concumberent, *pepererunt iis* sc. filios; eandem nom. בָּנִים ellipsin vid. Vs. 3. אֲשֶׁר, *quum*, *quando*, ut 33, 38. Jos. 4, 21. vel *postquam*, ut Lev. 6, 3. Num. 32, 23. הַמָּה — הַשֵּׁם *hi sunt illi potentes*, *qui a longo inde tempore viri nominis*, celebres. Describuntur famosi illi antiqui orbis tyranni. שֵׁם *fama*, ut Lat. *nomen*. גִּבּוֹר *valde validus*, *heros*, sed cum aliqua violentiae et caedis nota, ut Ps. 52, 3. 120, 4.

5. רַע — וְכָל *Et omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum.* יֵצֶר *omne quod fingitur*, propr. de operibus fictilibus, deinde de animo signif. *consilia*, *machinationes*; 1 Chron. 28, 9. 29, 18. לֵב *cor* et *animus*, ut in N. T. καρδία et ἦτορ. רַק רַע *nil aliud praeter malum.* כָּל-הַיּוֹם, *per omne vitae tempus*, ὅλην τὴν ἡμέραν, Rom. 8, 36.

6. וַיִּנָּחֶם יְהוָה *Poenituit Jovam*, loquendi modus anthropopathicus, quia, quod homines facere solent, si eos operis facti poenitet, ut illud improbent et deleant, id Deus fecit. וַיִּתְעַצֵּב אֶל-לִבּוֹ *et doluit apud se*, id. fecit, quod faciunt homines, quum dolent propter quidquam, quod factum nollent.

8. וְנֹחַ *Noachus tamen*; ו hic vim particulae exceptivae habet. יְהוָה — מָצָא *invenit gratiam apud Jovam*; vitae probae signum.

IV.

Jova Noacho diluvium futurum adnuntiat eique mandat, ut navigium exstruat, 6, 9 — 22. *Describitur diluvium magnum, quo omnia perierunt, exceptis Noacho ejusque familia et animalibus, quae navigium Noachi intraverant.* 7. *Finito diluvio Noachus cum suis navigio egressus Deo sacra facit.* 8. *Deus pangit foedus cum Noacho*, 9, 1 — 17. *Noachus mala imprecatur Canaani et moritur*, 9, 18 — 29.

Epigraphe hujus pericopes, אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת נֹחַ *haec est historia Noachi*, convenit argumento, quae enim hoc Cap. leguntur, omnia

et singula spectant ad Noachum. Vid. not. 2, 4. Si in qua alia, tum maxime in hac pericopa manifesta deprehendi indicia duorum, ex quibus illa coagmentata sit, monumentorum, statuunt plerique recentiorum post Astrucium; alternantem videlicet nominum Dei, אֱלֹהִים et יְהוָֹה, usum, frequentes earundem rerum repetitas commemorationes, et certas loquendi formulas, quae alterutri illorum scriptorum sint propriae, satis illud arguere, earundem notarum ope, quae cujusque illorum sint, discerni posse arbitrantur. Sed quum, incertos illos duces sequentes, monumenta illa discernere conarentur (Astruc: *Conjectures sur les mémoires origineaux de la Genèse*, p. 47. Eichhorn in *Repertor. für bibl. u. morgenländ. Lit.*, P. V. p. 185. et *Einl. in d. A. T.* P. II. p. 304. ed. 3. Gatterer: *Weltgesch. in ihr. ganzen Umfang*, P. I. p. 11. C. D. Ilgen: *die Urkunden des ersten Buchs v. Mos.* etc. p. 31. Buttmann: *über d. Myth. v. d. Sündfl.* p. 6. ed. 2.), in expediendo, quod susceperunt, secernendi negotio mirum quantum inter se discrepant. Saepe enim quae unus assignat monumento veteri ei, in quo nomen *Elohim* usurpatur, eadem alter tribuit alteri monumento, cujus auctor nomine *Jehova* uti solet, et contra. Est praeterea aliud, quod illam conjecturam suspectam facit. Aut enim Geneseos scriptor illa monumenta invicem coagmentavit, aut ex utroque nonnulla selegit. Hoc si sumas, mirum erit, cur non repetitiones et ἐναντιοφανείας omiserit; illud vero, apparebit in utroque monumento seorsim sumto narratio manca et hiulca, quod demonstrarunt Koeppen: *die Bibel ein Werk d. göttl. Vorsehung* P. II. p. 468. ed. 2. et Hasse: *Entdeckungen* etc. P. II. p. 224. sqq. et 241. Nobis non est dubium, auctorem, ut ejusdem intra paucorum verborum ambitum nominis repetitionem vitaret, nunc אֱלֹהִים, nunc יְהוָֹה posuisse; e. c. 6, 22. 7, 1. et 16. Nec aliam alternantis nominis אֱלֹהִים et יְהוָֹה rationem in aliis V. T. libris quis quaerat.

Cap. 6, 9. בְּדֹרֹתָיו — נֹחַ *Noachus vir rectus et integer fuit in aetatibus suis*, i. e. inter aequales suos. דּוֹר, *seculum*, temporis longior orbis, denotat etiam *aetatem*, *generationem* (Menschenalter); LXX. vertunt γενεὰν. De formula אֶת־הָאֱלֹהִים הִתְהַלֶּךְ־נֹחַ vid. ad 5, 2.; de תָּמִים ad Ps. 15, 2.

11. Quod dicit, *corruptam esse terram*, i. e. homines, *coram Deo* (quia omnia videt), sunt qui intelligant, eos palam peccasse. Sed illud לִפְנֵי אֱלֹהִים additur ad exaggerandam istorum hominum nequitiam. Servus enim, ut ait Aben-Esra, qui praesente Domino, omni ejus metu excussa, peccatum perpetrat eoque rebellat, pro sceleratissimo habendus est.

12. Sensus Versus anteced. repetitur; quae est περισσολογία quaedam vetustissimis scriptoribus haud infrequens. כִּי — דַּרְכּוֹ *Quia corrupit omnis caro viam suam.* Homines, qui ceteris omnibus animantibus praestant velut κατ' ἐξοχὴν appellantur *caro*. Cf. Ps. 145, 23. Joel. 3, 1.

13. לְפָנַי — קֵץ *Adest finis omnis carnis apud me*; i. e. constitui, ut brevi homines intereant. קֵץ LXX. καιρὸς; melius vertitur τέλος et πέρας. מִפְּנֵיהֶם *ab iis*, LXX. ἀπ' αὐτῶν. וְהִנְנִי — הָאָרֶץ *perdam eos super terram.* אֵת interdum est i. q. עַל, 1 Reg. 9, 25. Ps. 67, 2., coll. 39, 17. Alii vertunt: *auferam eos e terra*, ut אֵת sit i. q. מֵאֵת 49, 25. 2 Reg. 23, 35. coll. Vs. 7. et 7, 23. LXX. καὶ τὴν γῆν. Recte Onkelos: *una cum terra*; ita אֵת infra 37, 2. Vel: perditurus sum eos, videlicet terram i. e. per metonym. incolas terrae, ut אֵת־הָאָרֶץ sit explanativum.

14. גֹּפֶר — עֲשֵׂה *Fac tibi arcam arborum* s. *lignorum*, e lignis, *Gopher.* Voc. תֵּבָה, quod etiam Exod. 2, 3. 5. legitur de juncea fiscella, pice et bitumine illita, LXX. recte reddunt κιβωτὸν, cum voce. consona Aethiop. et Arab. etiam *arcam* signent. *Josephus Antiqq.* I, 3, 2. voce λάρναξ utitur, quod item arcam indicat, hic vero, re ipsa flagitante, navigii genus absque remis et velis, arcae in modum constructum textumque, unde nonnulli veterum תֵּבָה *navem* interpretantur. Ceterum alii populi quoque inter alias antiquae famae reliquias de eo, qui e diluvio evaserat, et illud servarunt, eum ἐν λάρναξι salutem invenisse. De עֲצֵי־גֹפֶר interpretes variare non est mirum, quum גֹּפֶר nec in Cod. Hebr. recurrat, nec in dialectis cognatis exstet. Sed duae sunt potissimum sententiae, reliquis verisimiliores. Altera Is. Vossii in Diss. *de LXX interpp.* Cap. 12., גֹּפֶר esse i. q. כֹּפֶר, quod *picem* et *resinam* denotat, ut igitur *arbores resiniferae* indicentur, quales sunt pinus, abies, cedrus pinaster, picea et sapinus, quarum arborum materia fabricandis navibus aptissima fuerit. Altera Nic. Fulleri (in Miscellann. SS. Lib. IV. cap. 5.), Bocharti in *Phaleg.* L. I. c. 4. p. 25. Celsii in *Hierobot.* P. I. p. 328. et Hassii in *Entdeckungen* P. II. p. 78. Quorum sententiam, גֹּפֶר esse *cupressum*, s. *cyparissum*, commendat et nominis similitudo (κύπαρ et γόφερ), et illud quod aptissima est cupressus ad naves confieiendas; tum circa Babyloniam, ubi primae generis humani sedes fuere, et potissimum in Adiabene, ingens fuit cupressorum copia, unde Alexander integram classem aedificavit, teste Arriano *de expedit. Alex. M.* L. VII. p. 161. ed. Steph. LXX. ξύλα τετράγωνα, *ligna quadrata.* Videntur ligna asciis in quadrum figurata intellexisse. Discedit Vulgatus, qui *ligna laevigata* posuit, quia גֹּפֶר per metathesin literarum ר et ף id. sit q. גרף, *dedolatum*, seu *runcina laevigatum.* Verba קִנִּים — הַתֵּבָה Hieron. vert. *mansiunculas in arca facies.* קִנִּים sunt *habitacula divisa*, quemadmodum faciunt columbis, in quae claudenda erant animalia. וְכָפַרְתָּ בַּכֹּפֶר — *eamque intus et foris pice obdue.* כֹּפֶר convenit Arab. كفر, *pix*, qua picantur naves.

15. Longitudo arcae 300, latitudo 50 et altitudo 30 cubitorum definitur. Non sufficere potuisse aream ita constructam putabant interpretes. Sed quum mensurae pro diversitate regionum et

temporum varientur, vanae sunt disquisitiones de illis dimensionibus. Cf. VATER in Commentar. p. 73.

16. צֹהַר plerique, praesertim Hebr. Interpp. *fenestram* interpretantur; propr. locum, quo lumen ingreditur, hoc potissimum argumento fulti quod צָהֳרַיִם *meridiem*, i. e. lucem meridianam denotat (coll. Chald. צְהוֹר *lucidum*); tum et quod infra 8, 6. Noachus dicitur aperuisse אֶת־חַלּוֹן *fenestram* arcae, quam fecerat. Unde tamen minime sequitur, צֹהַר id. esse, quod חַלּוֹן. Opposuit vero huic interpretationi merito A. SCHULTENS (in *Specim. Observatt. in V. T.*), צֹהַר nusquam pro *fenestra* legi, et absurdum esse, sumere, unicam tantum fenestram in tantae molis aedificio fuisse, unius tantum cubiti altitudine; verba enim אֶל־אַמָּה תְכַלֶּנָּה *ad cubitum perficies illud*, ad צֹהַר referenda sunt, quod ut Nom. femin. tractatur. Praeferenda omnino est Schultensii sententia, nomine צֹהַר *tectum* arcae notari, idque devexum, quo imber facile dilaberetur, coll. Arab. ظهر *dorsum*, quod dein ad gibbosas et elatas partes, tecta etiam aliaque devexa significanda transfertur. Unde h. l. ita transfert: *tectum* (devexum) *facies arcae illudque ad cubitum perficies superne.* Cf. 8, 13.; ubi legitur: וַיָּסַר נֹחַ אֶת־מִכְסֵה *et Noachus tectum aperuit*, et vidit terram exsiccatam esse; non legitur eum e fenestra circumspexisse. In hunc sensum vertisse videntur LXX. *ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν, colligens*, i. e. contrahens superne *facies arcam.* תַּעֲשֶׂה — תַּחְתִּים *Inferiora, secundana et tertiana facies* sc. navem; i. e. tres construes contignationes, in quas animalia et victus ad ea sustentanda distribuenda erant. תַּחְתִּים *inferiora* sc. tabulata, quod etiam apud שְׁנִים וּשְׁלִשִׁים suppleri debet. LXX. *κατάγαια, διώροφα καὶ τριώροφα.*

17. הָאָרֶץ — וַאֲנִי *Nam ecce ego venire faciens*; adducturus sum, *diluvium, aquas;* s. ante מַיִם repetend. est מַבּוּל sine ה articuli, qui nomini regenti praemitti non solet, ut sit: *diluvium, diluvium*, inquam, *aquarum.* Deus exitii genus causamque praecepti de area facienda Noacho aperit.

18. אִתָּךְ — וַהֲקִמֹתִי *Pangam foedus meum tecum*, tibi hoc promitto. Vox בְּרִית (בָּרָה *dissecuit*, ob *dissectionem animalium* in pangendis foederibus usitatum, cf. 15, 10.) de hominibus quaslibet pactiones mutuas signif.; de Deo saepe aut sponsiones aut leges notat. H. l. est mera *sponsio.*

19. שְׁנַיִם מִכֹּל *Bina de omnibus*, de singulis animalibus singula paria. לְהַחֲיוֹת אִתָּךְ *vivifices* sc. illa *tecum;* ut ea viva tecum serves.

Cap. 7, 1. וַיֹּאמֶר יְהוָה לְנֹחַ *Dixitque Jova Noacho*, sc. imminente diluvio, quo tempore effluxerant 120 anni; vid. 6, 3.

2. Addit Jova novum praeceptum de animalibus mundis, quae hominibus majori sunt usui, praeter bina illa (6, 19.) sumen-

dis. וְאִשְׁתּוֹ — מִכֹּל *Ex omni bestia munda sume tibi septem septem*, i. e. septena, *virum et uxorem ejus*, i. e. marem et feminam. Alii *septem paria*, i. e. quatuordecim ex unaquaque animalium mundorum specie intelligi putant. Verum solent Hebraei per voces repetitas cujuscunque generis non duplicare rem, sed distribuere eundem numerum expressum singulis speciebus, ut infra Vs. 9. 32, 16. Plura vid. in Danzii *Interpr. Hebr. Chald.* p. 2. 3. edit. Tymp. *Septena* igitur ingressa sunt, i. e. vel tria paria, tres mares, tres feminae, et unus mas, aut una femina; vel unum tantummodo par, quinque superadditis, sine respectu ad sexum, quae ad victum facerent et victimam, cui mares magis erant apti. In capiendis animalibus mundis jubet servare numerum septenarium, ut sacrum et mysticum. Sic Vs. 4. et Num. 23, 1. Ex animalibus immundis, Noachus jubetur in arcam recipere שְׁנַיִם *bina*, marem et feminam, ut diserte additur. Ceterum innuere voluisse videtur, qui haec scripsit, discrimen inter animalia munda et immunda, quod postea lege Mos. sancitum est, fuisse jam in orbe primo servatum.

3. Post הַשָּׁמָיִם Cod. Samar. addit הַטְּהֹרָה. Sic et LXX. et Syrus. Verum non opus est hoc additamento, quum sponte quisque intelligat, necesse fuisse, ut utriusque generis aves servarentur.

4. שִׁבְעָה — כִּי *Quia ad*, i. e. *post dies adhuc septem.* ל signif. *post*, ut 2 Sam. 13, 23. Jer. 22, 4. Numerum quadragenarium in V. et N. T. saepe pro indefinito poni, constat; cf. not. Ezech. 4, 6. כָּל־הַיְקוּם *omne quod subsistit.* Minus recte LXX. *ἀνάστημα* cum respectu ad rad. קוּם.

9. שְׁנַיִם שְׁנַיִם *Duo duo* i. e. bina, singula paria, non *duo paria*, vid. ad Vs. 2.

11. בְּחֹדֶשׁ הַשֵּׁנִי *Mense secundo.* Ante exitum ex Aegypto Israelitae annum incipiebant ab Octobri mense, qui postea *Tisri* vocabatur; cuj. initium in 22. Sept. incidebat. Secundus mensis fuit *Marchesvan*, cuj. primus dies nobis est 21. Octobr. Igitur dies 17. mensis Hebr. secundi erit 6. Novemb. Hoc vero anni tempore circa Virgiliarum occasum, in Oriente copiosi imbres decidere solent. נִבְקְעוּ — רַבָּה *omnes abyssi magni fontes proruperunt*, i. e. Oceanus per continuos imbres intumuit et magnam terrae partem inundavit; accedebat aquarum sub terra latentium proruptio. תְּהוֹם (vid. 1, 2.) h. l. רַבָּה *mare magnum* i. e. Oceanus. אֲרֻבֹּת הַשָּׁמַיִם נִפְתָּחוּ *et fenestrae coeli patuerunt*, i. e. nubes immensam aquarum vim effuderunt. אֲרֻבֹּת *fenestrae*, LXX. *καταῤῥάκται.*

13. בְּעֶצֶם Pronom. significatione, *hoc ipso die*, cf. Vs. 11.

14. כָּנָף — וְכָל־הָעוֹף *Et omnis volucris pro specie sua, omnis avicula, omnis ala.* Plures Interpp. putant עוֹף esse aves maximas, צִפּוֹר mediocres et כָּנָף minimas. Alii putant, עוֹף כָּנָף, pro quo hic per ellipsin solum כָּנָף positum est, indicare *insectas.* Quod autem h. l. omnes, quibus Hebraei uti solent ad aves signifi-

candas, voces coacervantur, causa videtur nulla alia esse, nisi ut indicetur, cujuscunque generis volucres in arcam receptas esse. LXX. *πᾶν ὄρνεον πετεινὸν κατὰ γένος αὐτοῦ.*

16. וַיִּסְגֹּר יְהוָה בַּעֲדוֹ *Quo facto Jova ipse fores occlusit.* Quod necesse fuit, quoniam Noachus extrinsecus januas bitumine obducere non potuit. בַּעֲדוֹ *post eum*, i. e. postquam Noachus arcam ingressus est. Qui Viror. Doct. de usu verbb. אֱלֹהִים et יְהוָה in his Vss. sententias scire cupiat, adeat Scholia.

19. Quum Vs. 18. dixisset: *et invaluerunt aquae, et creverunt valde super terram*, nunc repetit cum exaggeratione וְהַמַּיִם — הָאָרֶץ *et aquae invaluerunt valde*, maxime, *super terram.* Hebraei crebri quidem sunt repetitionibus sine emphasi; verum h. l. non possumus non in verbis cognoscere gradationem, quum iisdem fere vocibus repetitis vehemens ac subitum aquarum exprimatur incrementum; 1) crescunt aquae, ut arca ab humo elevetur; 2) ita augentur, ut jam libere quaquaversum moveatur; 3) ipsi teguntur montes. וַיְכֻסּוּ — הַשָּׁמָיִם *et tecti sunt omnes montes alti, qui* erant *sub toto coelo;* i. e. ita invaluerunt aquae illo diluvio, ut illis altissimi quique montes operti fuerint, quaqua patet orbis terrarum. Unde patet, generale describi diluvium. Estque fama de ingenti diluvio, quo prisci orbis impia progenies delecta esset, paucis piis servatis, inter plerasque gentes servata. Cf. Joseph. *Antiqq.* I, 3, 6. Eusebius *Praep. Evang.* IX, 12. Ovid. *Metam.* I, 270. Buttmann: *üb. d. Myth. v. d. Sündfl.* p. 21. et libr. nostr. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 22.

23. Quae Vs. 21. 22. de omnium animantium interitu dicta erant, h. Vs. non tam mutatis verbis repeti, quam potius exaggerari videntur, ut Vs. 19. Nam quum Vs. 21. 22. dixisset, exspirasse (וַיִּגְוַע) et mortua esse (מֵתוּ) omnia, quae vitalem spiritum ducerent in terra, mori autem quis ita posset, ut posteros et sui memoriam relinquat; nunc Verbo וַיִּמַּח usus, significat, ita plane absumtam esse impiam prioris orbis progeniem, ut nullae ej. reliquiae superstites mansissent. וַיִּמַּח אֵת־כָּל־הַיְקוּם *Delevitque* Jova s. diluvium *omne quod subsisteret*, existeret. In libris nonnullis pro וַיִּמַּח legitur וַיִּמַּח, Niph. (pro וַיִּמָּחוּ), *deletum est*, uti mox sequitur וַיִּמָּחוּ. Ita אֵת ante הַיְקוּם foret nota Nominat., ut 4, 8. Sed in libris emendatioribus est וַיִּמַּח, cum Mem raphato.

Cap. 8, 1. נֹחַ — וַיִּזְכֹּר *Recordatus est Deus Noachi;* ita se erga Noachum gessit, ut, qui amici periclitantis recordatur, ei opitulatus est. וַיַּעֲבֵר אֱלֹהִים רוּחַ *fecit Deus transire ventum*, ut partim exsiccarentur aquae, partim in Oceanum repellerentur.

2. וַיִּסָּכְרוּ — הַשָּׁמָיִם *Et clausi sunt fontes abyssi et cataractae coeli*, i. e. obstructi sunt Oceani fontes, nec imbres amplius de coelo cadebant. LXX. *ἐπεκαλύφθησαν*, legentes fortasse תְּכֻסּוּ a סָכַךְ *texit.*

3. הָאָרֶץ — וַיָּשֻׁבוּ *Redierunt aquae e terra* sc. in pristinum locum. הָלוֹךְ וָשׁוֹב *eundo et recedendo*, i. e. continuo diffluebant. הָלַךְ si in Infinit. alio verbo adponitur, *continuationem* denotat, ut 1 Sam. 6, 12. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 779. יוֹם — וַיַּחְסְרוּ *et defecerunt aquae a fine* 150 *dierum;* exactis tot diebus. Totidem diebus aquae partim creverunt, partim auctae manserunt.

4. וַתָּנַח הַתֵּבָה *Requievitque arca*, i. e. substitit loco firmo terrae. *Mense septimo*, sc. anni, non diluvii. Pro בַּשִּׁבְעָה־עָשָׂר *decimo septimo* die LXX. habent ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι, quasi בְּשִׁבְעָה עֶשְׂרִים legissent, aut legendum censuissent. עַל הָרֵי אֲרָרָט *in montibus Araraticis*, i. e. in uno eorum. Hos montes in Armenia sitos esse, omnes fere Interprr. consentiunt. Est etiamnum hodie regio in Armenia, quam incolae *Ararat* vocant, sub 63° long. 39° lat. Mons quidem ipse, in quo subsiderit navis, certo non potest definiri, sed tamen verisimile est, illum in ea quaerendum regione, ubi hodie *Macis* invenitur, mons 12 milliaribus Gallicis ab urbe Erivan ad Orient. situs, aeternis nivibus tectus, et a Persis *Couh Nouh*, i. e. *mons Noachi* dictus. In ejus cacumine navem Noachi adhuc incorruptam extare, credunt etiamnum Muhammedani; vid. CHARDIN *Voyages*. T. II. p. 188. ed. Paris. 1811. Fortasse eundem montem intelligit Nicol. Damascenus apud *Joseph. Ant.* I, 3, 6. Ceterum cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 28. sqq. et *die bibl. Alterthumsk.* T. I. P. I. p. 253. sqq.

7. וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב *Exivit exiendo et redeundo*, i. e. avolabat et revolabat. Constructio verbi finiti cum duplici Infinitivo indicat durationem et iterationem actionis; vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 779. LXX. καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν, quod Vulg. sequitur. Syrus: *et egressus est egrediendo et non rediit.* Hinc orta est inter criticos quaestio, Hebraeine librarii negationem detraxerint, an addiderint Graeci? Similis constructio est 1 Sam. 6, 12. 2 Sam. 3, 16. LXX. legisse existimant וְלוֹא יָשׁוֹב, *et non reversus est*, ut Fut. pro Praet. sumatur. Sensus igitur est, corvum semel egressum dum exsiccabantur terrae, saepius rediisse, denuoque exiisse.

8. הָאֲדָמָה — וַיְשַׁלַּח *Emisit etiam columbam a se, ut videret, an terra aquis esset desiccata.* Quum ex corvi volatu, qui cadaveribus insistere potuit, et humidis etiam gaudet locis, quo in statu terra esset, satis cognoscere nequiret Noachus, ex columbae, quae nonnisi siccis insidet locis, reditu cognovit, terras adhuc aquis esse obtectas.

10. וַיָּחֶל *Et exspectavit*, 3 Fut. Hiphil verbi חוּל (ut infra 14, 16. וַיָּשֶׁב), quod vero hic i. q. יָחַל, ut et alia verba פּוּ et עוּ significationes inter se permutant (c. c. טוּב et יָטַב, רוּעַ et יָרַע, גּוּר et יָגַר). Ita et Thren. 3, 26. וְיָחִיל *ut exspectet.*

11. בְּפִיהָ — וַתָּבֹא *Venit autem columba ad eum tempore vespertino, oleae folium viride in rostro tenens.* Voc. טָרָף vulgo

decerptum vertunt, vel substantive *folium;* quum tamen עָלֶה *folium* proxime praecesserit. Conferend. est טָרָף c. Arab. طَارِفٌ *novus*, recens, ita ut עֲלֵה-זַיִת טָרָף sit *oleae folium recens*, i. e. viride. Olea semper viret, et sub aquis etiam viridis conservatur. Plin. H. N. 13, 25.

12. וַיִּחֶל Fut. Niph. verbi יָחַל, q. d. *in exspectatione detineri*, h. l. i. q. *exspectavit*, ut Latine *praestolari* voce passiv. est, quum non sit significatione.

13. שֵׁשׁ מֵאוֹת שָׁנָה — וַיְהִי *Fuit sexcentesimo primo anno* sc. לְחַיֵּי נֹחַ vitae Noae, ut 7, 11. בָּרִאשׁוֹן *Primo* sc. mense, ex sequ. repetend., בְּאֶחָד *uno*, i. e. primo sc. die. Verbis חָרְבוּ הַמַּיִם מֵעַל הָאָרֶץ *exsiccatae sunt aquae a terra*, et postremis Versus, חָרְבוּ פְּנֵי הָאֲדָמָה *exsiccatae sunt facies*, innui tantum videtur, loca omnia eminentiora fuisse siccata. LXX. haud male ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς.

19. לְמִשְׁפְּחֹתֵיהֶם *Per cognationes suas*, i. e. per sua genera s. species.

20. Cum dicit Noachum holocausta obtulisse ex *omnibus* pecoribus et volucribus mundis, videtur quatuor tantum animantium mundorum genera intelligere, quae e Lege offerri possent sacrificio, boves, oves, sub quibus hircos et capras complectere, ex avibus columbae et turturae. Lev. 1, 2. 10. 14.

21. הַנִּיחֹחַ — וַיָּרַח *Ac odoratus est Jova odorem quietis*, i. e. suavitatis. Innuit, accepta et grata fuisse Noachi sacrificia Deo. Alii נִיחוֹחַ explicandum putant ex phrasi הֵנִיחַ חֵמָה, *quiescere facere iram*, placare. Ezech. 24, 13., ut נִיחֹחַ sit *placamen*, victima piacularis. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל-לִבּוֹ *Dixit Jehova ad cor suum*, i. e. constituit apud se. Apud Hebr., ut ap. Graec. poëtas, *anima* s. *cor* addito Suff. sacpe pro mero Pronom. usurpatur. LXX. καὶ εἶπε Κύριος ὁ θεὸς διανοηθείς. Sunt, qui Suffix. לִבּוֹ ad Noachum referant, et אֶל pro עַל capiant, ut sensus sit: *locutus est ad cor Noachi*, i. e. cum solatus est, ut 34, 3. Jes. 40, 2. Aliis אֶל-לִבּוֹ simpliciter valet: *ad eum.* לֹא אֹסִף-הָאֲדָמָה *Non addam maledicere ultra terrae*, diluvio eam perdendo, בַּעֲבוּר הָאָדָם *propter hominem*, διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων. כִּי מִנְּעֻרָיו — *Quia figmentum cordis ejus*, quidquid molitur, *malum est inde a pueritia;* itaque novis quotidie opus foret diluviis s. plagis generalibus ad eos perdendos, quum perpetua sit eorum et innata malignitas.

22. חֹרֶף, *hyems.* LXX. ἔαρ, ut Ps. 74, 17. Zach. 14, 8., forsan pro climatis Aegyptii ratione; qui enim nobis menses hyemales ii Aegyptiis vernales. Quia diluvio omnes naturalium rerum vicissitudines erant interruptae, ideo promittit Jova, eas deinceps more solito locum habituras esse.

Cap. 9, 1. Repetuntur verba benedictionis I, 28., quod de integro esset reparandus orbis.

2. מוֹרַאֲכֶם — הָאָרֶץ *Timor, terrorque vestri sit super cuncta animalia terrae.* (Quibus *dominamur*, ea nos *timent.*) His verbis Deus Noacho, tanquam secundo Adamo, imperium in animalia dat. Simul autem leges quasdam praescribit Deus Noacho filiisque, quibus muniti politiam retinerent, cujus defectu prior ille mundus in deterius ruisse videbatur. בְּכֹל pro עַל-כֹּל, *super omnia*, אֲשֶׁר תִּרְמֹשׂ הָאֲדָמָה *quae movet terra;* huic animalia producenti tribuitur verb. רָמַשׂ, quasi ea motitet et gradiri faciat.

3. כָּל-רֶמֶשׂ *Omne, quod sese movet*, sensu generali; אֲשֶׁר הוּא חַי *quod est vivum*, quod super terram sese motitat. כֹּל — יֶרֶק *Tanquam herbam virentem dedi vobis omnia*, sc. animantia, et quidem praeter herbas et fructus. Cf. 1, 29.

4. תֹּאכְלוּ — אַךְ *Modo ne carnem cum ejus anima sanguine ejus comedatis.* Ut intelligatur, quid *caro cum ejus anima* esset, additur דָּמוֹ. Lex manifesta est Deut. 12, 23. Cf. *Joseph. Ant.* I, 3, 8. Videtur utrumque includi, ne aut membrum ex animante adhuc viva palpitans, aut etiam sanguis adhuc palpitans edatur. Illud in deliciis est hodienum Habessinis. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I, p. 39. 309. Hoc interdicto feritas hominum impeditur, quum immanitas erga bestias sit veluti tirocinium scelestioris erudelitatis.

5. אֶדְרֹשׁ — וְאַךְ *Sanguinem vestrum animarum videlicet vestrarum quaeram;* ulciscar, vindicabo. דָּרַשׁ h. l. non solum signif. quaestionem, quae a judice instituitur, sed et poenam quae damnatis infligitur, ut 42, 22. coll. Ps. 9, 13. לְנַפְשֹׁתֵיכֶם non est Dativ. commodi: *animabus vestris*, i. e. in commodum vitae vestrae; sed praestat ל exponere possessive, ut propr. sit: qui ad animas vestras, vitam vestr., pertinet; s. *vitae vestrae.* 2 Reg. 5, 9. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 673. Jam specialiter addit: אֶדְרְשֶׁנּוּ — מִיַּד *a manu omnis bestiae requiram eum* sanguinem. מִיַּד כָּל-חַיָּה i. q. מִכָּל-חַיָּה. LXX. *πάντων τῶν θηρίων*, Vulg. *cunctarum bestiarum.* Legislator a sanguine animalium progreditur ad sangu. hominis. Quum vero ipsa animalia, ratione carentia, propter violatos homines occidantur Exod. 21, 28., multo magis homo poenas daturus est, si eaedem humanam perpetrarit. הָאָדָם — וּמִיַּד *Et*, quando magis, *de manu hominis*, *de manu*, inquam, *viri fratris ejus requiram animam hominis*, i. e. cujusque sanguinem de eo, qui illum interfecerit, repetam. אִישׁ אָחִיו *unus alter*, ut 26, 31. Verba מִיַּד אִישׁ אָחִיו continent repetitionem verbb. מִיַּד הָאָדָם emphaticam, quae digito monstret conjunctionem hominum fraternam. Verba אִישׁ אָחִיו appositionem efficiunt, prius autem verbum redundat, ut Lev. 21, 9.

6. שֹׁפֵךְ — יִשָּׁפֵךְ *Effundentem sanguinem humanam* quod attinet, *ejus sanguis per hominem*, vicissim, *effundatur.* שֹׁפֵךְ est Nominat. absol. Quod Versu anteced. de utrisque, et bestiis et ho-

minibus dixerat, nunc de homicida puniendo repetit, ob majorem hominis dignitatem. בָּאָדָם nonnulli vert. *in homine*, quod ad majorem emphasin additum putant, *in ipso homine*, si quis ipsius sanguinem fuderit; alii: *in hominibus*, s. *inter homines*, coram hominibus. Verum ita textui infertur aliquid ei alienum. Neque permittunt accentus istam interpretationem; nam בָּאָדָם cum sequ. est jungendum, quum praecedat distinctivus major, Zakeph-katon דָּם הָאָדָם impositus. ב signif. instrumentum, pro *per*, h. s.: qui hominem occiderit, eum vicissim per hominem occidi volo, et capite plecti lege talionis. כִּי־הָאָדָם *Quia Deus hominem ad imaginem suam fecit;* 1, 27. Qui igitur Dei imaginem violavit, ipsum Deum, illius auctorem, petit.

7. וְאַתֶּם פְּרוּ וּרְבוּ *Et vos*, s. *vos igitur crescite et augemini*, q. d. videtis me hac prohibitione velle consulere hominum propagationi.

9. וַאֲנִי — אִתְּכֶם *Et ego ecce! stabilio foedus meum vobiscum.* Sequitur tamen mera promissio de terra perpetuo conservanda. Observandum igitur, בְּרִית sumi de *immutabili* Dei de quacunque re *statuto*; Jer. 33, 20. Nom. בְּרִית usurpatur etiam pro certo promisso, etsi mutuum non sit Ex. 34. 10. Unde כָּרוֹת בְּרִית *secare* s. *ferire foedus* absolute et citra legem aut conditionem ab altera parte praestandam signif., *promittere*, vid. 2 Chron. 7, 18.

10. *In avibus*, *in pecudibus*, rel., i. e. ex genere avium etc. Quum animalia poenas irrogatas participarent, aequum videbatur, ut beneficii promissio ad illa quoque extendatur. מִכֹּל יֹצְאֵי הַתֵּבָה *Ex omnibus exeuntibus arcâ*, pro מִכֹּל אֲשֶׁר יָצְאוּ מִתֵּבָה *ex omnibus*, *quae egressa sunt ex arca.* Partic. Benoni pro Praeter. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 792. לְכָל חַיַּת הָאָרֶץ *Cum*, s. *ex omni*, inquam, *animante* terrae. ל ad declarationem pertinet, q. d. רְצוֹנִי לֵאמֹר *volo dicere*, ut Vs. 5.

11. Repetit fere eadem verba ex Vs. 9. אִתְּכֶם — וַאֲנִי, perspicuitatis causa, quia Vs. 10. plura inseruisset; q. d. stabiliam, inquam, vobiscum foedus meum de eo, quod non talis unquam futura sit aquarum illuvies, ut universam terram submergat.

13. בְּעָנָן — אֶת *Arcum meum posui in nube.* Iridem *suum* vocat Deus, vel quod quaecunque in nubibus sunt, videntur esse in Dei sede, quum Deus in nubibus tabernaculum suum constituere dicitur Ps. 18, 2., vel quod Deus auctor est iridis. Non est, ut disquiramus, num ex mente scriptoris iris jam ante diluvium, an nunc primum apparuerit. Nihil obstat, quo minus putarit noster, rem, quae jam erat, naturalem scilicet, a Deo assumtam esse in signum sui foederis. Homerus quoque iridem Jovis peculiari voluntati tribuit, eaque varia praesagiri vult, e. c. Il. 17, 547. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 43.

17. Hic Vs. clausulam facit et summam omnium quae inde a Vs. 8. de foedere Dei cum Noacho dicta sunt. Alii putant Deum

in re praesenti iridem in coelo collocasse et adjecisse: en tibi signum, de quo eram loquutus!

18. Progreditur nunc auctor ad progeniem filiorum Noachi. Antea vero commemorat, qua occasione Noachus Canaanem, Chami filium, diris devoverit; simul docet, cui vitae instituto Noachus se post diluvium addixerit. Quartum commemorat filios Noachi (ter jam 5, 32. 6, 10. 7, 13.) h. l., ut sciamus non alios ex area egressos fuisse, quam hos ipsos tres, qui ingressi fuerant. וְחָם — כְּנָעַן *Cham vero est pater Canaanis.* Quod hic dici necesse fuit, quia mox dirae memorandae erant, quae alioqui intelligi non potuissent. Omnino ex veteri memoria diligenter recensentur, quae Cananaeorum gentem apud Israelitas in contemtum adducere possent.

19. הָאָרֶץ — וּמֵאֵלֶּה *Et ab illis dispersa est tota terra*, i. e. sparsim frequentata. *Terra dispersa* dicitur, quia homines sese per eam dispersserunt; ut 10, 5. הַגּוֹיִם — מֵאֵלֶּה *ab illis divisae sunt insulae gentium*, i. e. dispersserunt se homines per orbis terrarum regiones. Simile est illud Jon. 1, 4. *et navis cogitabat frangi.*

20. אִישׁ הָאֲדָמָה *Vir terrae*, i. e. *agricola*, ut Exod. 15, 2. *vir belli.* וַיָּחֶל וַיִּטַּע כָּרֶם *Et coepit Noachus et plantavit vineam*, i. e. *plantavit vineas;* ex Hebraismo, quo duo Praeterita aut Futura adhibentur, quorum posterius est Infinitivi loco. Vites haud dubie in illa regione sponte crescebant; Noachus vero eas nobiliores reddere vinumque ex uvis exprimere coepit, adeoque vini inventor factus est. Aegyptii et plurimae antiquae gentes id Isidi et Osiridi tribuunt.

24. בְּנוֹ הַקָּטֹן h. l. *filius natu minor* (non *minimus*); nam quinque aliis locis Chamus semper secundo loco ponitur; 5, 32. 6, 10. 7, 13. 9, 6. 10, 1. Cf. infra 27, 15. 29, 18. 1 Sam. 17, 13. 14.

25. עֶבֶד — לְאֶחָיו *Sit servus servorum fratribus suis*, i. e. vilissima servitute pressus et fratribus suis addictus sit. *Fratres* autem pro eorum *posteris* positi sunt. Filii nomen pro patre ponitur, quod dirae in filium pronunciatae etiam in patrem redundant. Ceterum ex hac antiqua fama de Canaane, ab avo exsecrato, repetebantur causae inimicitiarum, quae Hebraeis cum Cananaeis fuerunt, ut appareret, Hebraeos, Semi posteros, jure suo potitos esse Cananiticae terrae.

26. שֵׁם — בָּרוּךְ *Benedictus* sit *Jova*, *Deus Semi.* Solent homines Deo *benedicere*, quando beneficio aliquo ab eo adfecti sunt; 14, 19. 20. Verum etiam gratulationis formula est, quae huc redit: est quod gratias agamus Deo, propter ingentia, quae in te, o Seme, collaturus est beneficia. Cf. Ex. 18, 10. 2 Sam. 18, 28. וְיִהְיֶה — לָמוֹ *Eritque Canaan servus iis*, sc. Semi posteris. Nam שֵׁם et יֶפֶת non solum patres, sed potissimum eorum posteros indicant. De לָמוֹ collect. semper usurpato, cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 221.

27. יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת *Dilatet Deus Japheto* (26, 22.), sc. *locum, habitationem*, s. *dilatationem faciat Japheto*, i. e. amplissimam regionem ei colendam largiatur. Haec est accommodatissima Verbi פָּתָה significatio, in Aram. dial. usitatior. LXX. πλατύνει ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφηθ sc. κατοίκησιν. Alii יַפְתְּ referunt ad rad. יָפָה *pulchrum esse*, et vert.: *Condecoret Jova terminos Japhet;* quod non admittunt rationes grammaticae. Plura vid. in Scholl. et in Fulleri *Miscell. SS.* L. II. c. 4. Verborum sqq. וְיִשְׁכֹּן בְּאָהֳלֵי־שֵׁם duplex potest sensus esse, pro Nominativo, qui subauditur. Alii volunt repeti nom. אֱלֹהִים, hoc sensu: *habitabit Deus in tentoriis Semi.* Sed recte alii monent, eum Vs. anteced. totus ad Semum pertineat, hoc toto Japhetum respici verisimile esse; deinde si ultima verba: *et huic quoque servus erit Canaan*, ad Japhetum referantur, quae proxime antecedunt, *habitabit in tentoriis Semi*, ad eundem referri necesse esse. Quare non dubium, esse nom. *Japheti* hic repetendum, ut sensus sit, Deum aliquando Japheti fines ita prolaturum, ut habitet etiam in sedibus Semitarum. Quod Chaldaeus interpres, Jonathan, eo refert, quod et Japhetitae aliquando Jovae religionem amplexuri Semitis, s. Judaeis, sese jungant.

V.

Genealogia filiorum Noachi, et terrarum inter ejus posteros divisio. Subjungitur narratio de structura turris Babylonicae, sermonum perturbatione et hominum per terras dispersione.

Cap. 10—11, 9.

Cap. 10, 1. Hoc Caput geographiam continet antiquissimam, genealogiae intextam, pro Hebr. omniumque Orient. populorum more, qui a pueritia genealogiis memoria tenendis adsueti, in chronologia et geographia genealogiam adhibent. Nomina autem, quae in hoc Cap. occurrunt, non omnia virorum ac proprio vocabuli sensu filiorum nepotumque Noachi esse, sed gentium etiam urbiumque et regionum, jam ex eo liquet, quod multi in illis pluralis numeri leguntur (Vs. 13. 14.), nec verisimile est, patrem filiis nomina pluralia indidisse. Simillimae his, quae sequuntur, sunt illae, quas apud Apollodorum *Biblioth.* II, 1, 4. legimus, populorum origines, genealogiis intextae; et cf. Heynii *Nott. ad Apollod.* T. I. p. 261. Quaedam ex nominibus h. Cap. obviis, naturam ingeniumque terrarum et urbium indicant, in quibus illae gentes habitarunt, veluti מִצְרַיִם, *limites*, quia Aegyptus limitem inter Asiam et Africam facit; *Sidon*, a צוּד, *venari, piscari*; עִוִּי *Damascena regio*, propr. *vallis*, quia Damascus in valle sita erat. Ceterum eae tantum gentes recensentur, quae Israelitis, Aegyptiis et forsitan etiam Phoeniciis cognitae erant. Cf. de toto hoc cap. Sam. Bochartus in *Phaleg. et Canaan*, s. *Geograph. Sacra* (primum prodiit Cadomi 1646. fol.).

Michaelis *Spicileg. Geographiae exterae Hebraeor. post Bochartum*, Goetting. P. I. 1769. II. 1780. et *die bibl. Alterthumskunde* T. I. P. I. Cap. 4.

2. Vs. 2—5. Japheti posteri recensentur. גֹּמֶר esse Cimmerios, s. Celtas antiquissimos, qui inter Borysthenem olim et Tanaim, in Chersoneso etiam Taurica habitarunt, atque Bosporo Cimmerio nomen reliquerunt, intelligendos, valde verisimile est. Concinit cum huj. gentis nomine domestico, *Cymr*, Hebr. גִּמְר. Et ordo gentium, quas Moses hoc Vs. nominat, *Gomer*, *Magog*, *Medi*, suadet, Gomeritas fuisse gentem, Magogitis, s. Scythis finitimam; id quod cum Cimmeriis bene convenit, quippe qui antiquiss. temporr. Europae et Asiae confinia habitaverunt. Plura vid. in *der bibl. Alterthumskunde* T. I. P. I. p. 235. מָגוֹג est *Scythia populorum orientalium*, i. e. ultima septentrionis et Orientis septentrionalis parum cognita. Eandem sententiam jam dixit *Joseph. Ant.* I, 6.: *Μαγώγης τοὺς ἀπ' αὐτοῦ Μαγώγας ὀνομασθέντας ὤκισε, Σκύθας δὲ ὑπ' αὐτῶν (τῶν Ἑλλήνων) προσαγορευομένους.* Cf. ad Ezech. 38, 2. et *d. bibl. Alterthumsk.* T. I. P. I. p. 240. מָדַי *Medi*, in iis regionibus, quae hodie *Schirvan* et *Adserbidschan* vocantur. In Danielis et Estherae libris פָּרַס וּמָדַי *Persae* et *Medi* saepius appellantur. Vid. *Alterthumsk.* l. l. p. 270. יָוָן Javanis nomine *Graecos* intelligi, dubium non est. In litt. radice. יון *Jonum* nomen facile agnoscas. יון enim sonare potest יָוָן, s. יֹן, cum ו quiesc., quod Graeco melius concinit. LXX. post יָוָן additum legisse videntur וְאֵלִישָׁה, vert. enim *καὶ Ἰώναν καὶ Ἐλισά*. Quod egregie cum originibus Graecis, quales ab Herodoto I, 56—58. narrantur, convenit. Hic enim dicit, Graecos ex duobus populis coiisse, *Jonibus*, Pelasgicae originis, lingua barbara utentibus, et *Doribus*, Graece loquentibus, ideoque *Ἕλληνες* dictis. Si igitur וְיָוָן וְאֵלִישָׁה genuinum esset, utriusque populi in Graecia habitantis mentionem Moses fecerit; יָוָן erunt *Jones*, אֵלִישָׁה *Hellenes*. Cf. et not. Ezech. 27, 19. Nominibus תֻּבַל וּמֶשֶׁךְ vix est dubium designari eos populos, qui a Graecis *Moschi* et *Tibareni* vocantur et tam in sacris, quam in exteris monumentis semper tanquam vicini populi junguntur. Obtinebant autem *Moschi* Cappadociam et montes Phasi usque ad Pontum Cappadocium, unde illi montes Moschici appellabantur. Excipiebant eos Tibarenicae gentes, quae Ciliciae et Iberiae partem habitabant, Josepho (*Ant.* I, 6, 1.) et Strabone (XI.) testibus. Cf. not. Ezech. 27, 13. et *Alterthumsk.* l. l. p. 248. תִּירָס videtur esse *Θρᾴξ*, ס et ξ permutatis, ut in Alphabeto, quod Graeci a Phoenicibus acceperunt, in quo lit. ξ occupat locum lit. ס. Inde a nonnullis Hebr. *Thracia* תראסיה per ס scribitur.

3. Gentes a Gomeritis ortae nominantur. אַשְׁכְּנַז praeter hunc locum commemoratur tantum Jer. 51, 27., ubi una cum *Ararat* et *Minni*, quae erant Armeniae provinciae, nominatur. Igitur *Aschkenas* gens quaedam vel Armeniam incolens vel Caucasum vel etiam

mare nigrum accolens fuisse videtur. Nec improbabilis est Hassii (*Entdeckungen* I, 19.) sententia, אַשְׁכְּנַז esse nom. exterum, a Hebr. receptum; antiquum esse nomen maris nigri (*Pontus Axenus*), et significare gentem *Pontum* inhabitantem. Alior. opiniones vid. in *d. bibl. Alterthumsk.* T. I. P. I. p. 238. Nomine רִיפַת quis populus sit intelligendus, difficile dictu est; quum ipsa orthographia nominis dubia sit. Syrus enim et auctor Chronicorum (1 Chron. 1, 6.) scribunt *Diphath;* tum et Masora et Vers. Chaldaica. Nonnulla tamen Chronicorum exempla etiam R habent. Si רִיפַת genuinum sit, possint intelligi montes Riphaei, quos Pomp. Mela collocat ultra Arimphaeos ad septentrionem. Vid. *Alterthumsk.* l. l. p. 232. Nomen תּוֹגַרְמָה legitur etiam Ezech. 38, 6. et 27, 14., ubi *equi et muli ad nundinas Tyriorum e domo Thogarmae adducti* dicuntur. Thogarmaeos, verisimillimum est, esse Armenios, i. q. ipsi asserunt Armenii, qui sese *stirpem* vel *domum Thogormi* esse dicant; atque haec ipsa verba in Vers. Ezechielis Armenica pro Hebraeis בֵּית תּוֹגַרְמָה ponuntur. Erat etiam Armenia, Xenophonte (*Exped. Cyri* 4.) et Strabone (*Geogr.* 11.) testibus, equorum proventu clara. Plura vid. in *Alterthumsk.* l. l. p. 251. sqq.

. 4. Quum in eo sit Moses, ut gentes a יָוָן ortas memoret, primum locum Graeciae incolis dedit; אֱלִישָׁה enim haud dubie est *Hellas*, quo plurimi consentiunt. Ezech. 27, 7. (ubi not. cf.) merces Elisaeorum, hyacinthinae purpureaeque vestes, laudantur. In Peloponneso autem ipso, aliisque Graeciae et vicinarum insularum insulis ingens purpurearum concharum copia inveniebatur, et ex iis avehebatur, ut ex pluribus antiquitatis scriptoribus probari potest. *Pausanias* in *Laconicis: Κόχλους δὲ ἐς βαφὴν πορφύρας παρέχεται τὰ ἐπιθαλάττια τῆς Λακωνικῆς ἐπιτηδειοτάτως μετά γε τὴν Φοινίκων θάλασσαν.* תַּרְשִׁישׁ esse *Hispaniam*, a Tartesso, nobilissimo olim portu et insula, in Baetis ostio, dictam, solidis argumentis probarunt Bochartus et Michaelis. Primo enim sonus concinit, שׁ primo pro more Chald. et Syr. in ת mutato. Deinde littus illud ipsum *Ταρσήιον* dicitur a Polybio L. III. *Ταρσήιον* autem *Stephanus* interpretatur *πόλιν πρὸς ταῖς Ἡρακλείαις στήλαις.* Et *Eusebius* ex Tharsis Iberos ortos dicit. Porro argenti ditissimam hanc regionem fuisse, ex Jer. 10, 9. et Ezech. 27, 12. liquet, ex quo loco etiam patet, ferrum, plumbum et stannum ex Tharschisch Tyrios petiisse. Hispania autem tum temporis Strabone, Diodoro Sic., Plinio, aliisque testibus, metallorum effossione maxime foecunda fuit. Portum etiam habuisse videtur Tharschisch, navigationibus Phoenicum nobilissimum, ut vel a poëtis naves Tharschisch pro omnibus navibus nominentur, exemplo pro toto genere posito; Jes. 2, 16. 23, 1. 4. Ps. 48, 8. Fuit quoque illud littus et remotissimum et occidentale. Alias aliorum parum probabiles opiniones qui scire cupiat, adeat Scholl. Cf. et not. Ez. 27, 12. כִּתִּים Bochart. in *Phaleg.* III, 5. pro nomine Italiae mediae circa Romam habuit. Occurrit enim ap. Halicarnassum urbs *Κεῖα*, in ipso Latio sita; et circa *Cumas* *Κητὸς* fluvius,

ab al. Silarus vocatus. Alii כִּתִּים *Macedoniae* nomen fuisse existimant, coll. I Macc. 1, 1. et 8, 1. Sed proprie כִּתִּים *Cypri* insulae nom. esse, a *Κίτιον*, Phoenicum colonia, dicit *Joseph. Ant.* I, 7, 1., quod confirmatur inscriptione bilingui in cippo Athenis nuper reperto, ubi vir quidam cui ille dicatus est, qui in Graeca inscriptionis parte a patria *Κίτιευς* dicitur, in parte Phoenicia כִּתִּי vocatur. Cf. GESENII Praefat. ad Lex. hebr. minus, ed. 2. p. 31. Hinc אִיֵּי כִתִּים Ezech. 27, 6. *insulae Cittaeorum* latius insulae maris mediterranei dictae videntur. דֳּדָנִים scribitur et *Dodanim* et *Rodanim*. Si *Dodanim*, quod praestat testium numero et auctoritate, genuinum sit, non ineptum erit, de antiquissimo Epiri oraculo et urbe, *Dodona* cogitare; si autem *Rodanim* praeferas, Galliae Rhodanensis accolae intelligi possint. Alii *Rhodum* insulam intelligunt. LXX. Ῥοδίους vertunt.

5. Recensio progenici Japheti clauditur h. v. מֵאֵלֶּה — הַגּוֹיִם *Ex his* (Vs. 2. 3. 4. enumeratis) *diversae sunt regiones gentium*, i. e. illam sibi orbis terrarum partem diviserunt, quae Hebraeis Nom. propr. אִיֵּי הַגּוֹיִם dicitur. אִיִּים, propr. *habitationes* i. e. regiones, cum הַגּוֹיִם junctum ex usu geograph. Hebr. signif. regiones earum gentium, quae Hebraeis Phoenicibusque barbarae erant, complectiturque, praeter maris mediterranei insulas, Europam, Asiam minorem, quae Pontum Euxinum inter et Caspium mare sunt, Mediam et Magogitidem s. Scythiam veterum Graecorum. בְּאַרְצָתָם אִישׁ לְלְשֹׁנוֹ *In terris eorum*, populorum, *vir*, quilibet, *juxta linguam suam*, i. e. singuli populi habitatione et lingua diversi. לְמִשְׁפְּחֹתָם בְּגוֹיֵהֶם *Secundum familias in gentibus earum*, i. e. secundum minores gentes, quarum quaeque ad majorem aliquem populum referenda. Nempe Hebraeis מִשְׁפָּחָה alias est *cognatio*, *minor familia*, subordinata majori, שֵׁבֶט dictae; hic vero, ubi de gentibus sermo, גּוֹי *totius gentis* nom. videtur, מִשְׁפָּחָה coloniae. Nonnumquam tamen latius patet, ut Zach. 14, 18. 19. de populo Aegypt.

6. Transit ad Chami progeniem. Nomine כּוּשׁ intelligitur Aethiopia utraque, Arabica, quae mater est, ejusque in Africa colonia, Abessinia. Huic sententiae insigni testimonio est *Joseph. Ant.* I, 6, 2., suo adhuc tempore Aethiopiam hoc nomine vocitatam adfirmans. Quod confirmatur linguae Syr. usu. Nam in vulgari Syr. lingua *Cusch* erat *Abessinia*. Denique ex Jer. 13, 23. patet, Cuschaeorum alium colorem esse, quam reliquor. mortalium, cujus nigredo nulla aquae copia elui possit, quod Aethiopibus optime convenit. Cuschaeos autem diu ante Mosen ex Arabia in Habessiniam trajecisse, probare studuit EICHHORN in Comment.: *de Cuschaeis verisimilia*, Arnstad. 1774. 4. מִצְרַיִם *Aegyptum* esse, nemo dubitat, sitne vero nomen origine Hebr., an Arab., an Aegypticum, definiri nequit. Quod Aegyptus dualiter plerumque vocatur, fortasse ad divisionem hnj. terrae vel in *superiorem* et *inferiorem*, vel in *orientalem* et *occidentalem* per Nilum illam secantem, pertinet. פּוּט

Phutaei videntur esse *Libyes*, circa Carthaginem habitantes, qui hodie Maroccani dicuntur, vid. MICHAELIS *Spicil.* P. I. p. 160. Fluvium *Φούτη*, qui illabitur ex regno Maroccano in mare Atlanticum, commemorant *Josephus* et *Plinius H. N.* V. 1. כְּנַעַן *Canaan*, viri nomen est, qui gentem sibi cognominem condidit. Cf. 9, 18—27. Ceterum quoque ii, qui Graecis Latinisque Phoenices sunt, a Hebraeis Cananaei vocantur. Sua quoque lingua Phoenices Cananaeos se vocabant, ut ex nummis, qui Phoenicias litteras habent, constat. Primas tamen Phoenicum sedes non in Palaestina et Phoenice, sed in Arabia ad mare Erythraeum fuisse, unde mercaturae opportunitate allecti, colonias in Palaestinam dimiserint, emporia condiderint, ac tota deinde regione potiti fuerint, probatur pluribus tam Graecorum Latinorumque quam Orientalium scriptorum testimoniis.

7. סְבָא *Sabaei*, qui et Jer. 43, 3. Ps. 72, 10. memorantur, Meroën (Nili insulam) habitasse videntur, ut ex Josepho apparet, ubi vitam Mosis et facta exponit. Narrat videlicet *Ant.* II. 10. Aethiopes bello ab Aegyptiis Mose duce impetitos, ultimum confugisse in urbem Sabam, quam postea in honorem sororis Cambyses Meroën adpellaverit. Ex quo loco apparet, Judaeos partem Aethiopiae Africanae intimam, quam exteri Meroën vocabant, Sabam appellasse. Nomine חֲוִילָה duplex populus, alter hic, alter Joctane ortus infra Vs. 29. memoratur. H. l esse regionem, quae hodie *Chaulan* dicitur, in Arabia felici s. *Jemen*, NIEBUHR existimat. סַבְתָּה haud diversum videtur a *Sabatha* s. *Sabotha* Arab. urbe, *solis cultu celebri*, Plin. H. N. VI, 28. memorata. רַעְמָה *Rhama* aut *Ragma* est Arabiae urbs ad sinum Persicum sita, quae et in Ptolemaei tabulis invenitur. LXX. Ῥεγμά. Sed cum plerique veterum hanc urbem ignorasse videantur, alii putant, *Reamam*, Arabiae felicis urbem, ut magnam mercaturam facientem, incolasque valde nigros habentem, esse Mosis Raamam. Cf. not. Ezech. 27, 22. סַבְתְּכָא, quod alias non legitur, Bochartus *Samydachen*, Carmaniae, Arabiae vicinae urbem, esse autumat, litter. B in M et Th in D permutatione haud infrequenti. Jonathan וְנִגְבָּאי *Zingitas* vertit, quos et Abulpharagius Chami posteris assignat. Sunt autem Arabibus Nigritae ad mare Indicum, quorum patria hodie Zanghebar dicitur. שְׁבָא *Sabaeos*, alii existimant Arabiae felicis partem ostio maris Persici et Caramanis proximam habitasse, quod ibi montes sint, quos veteres *Sabo*, s. Asabo, s. *Pasabo* vocant; alii suspicantur, Sabaeos, qui hic, et eos, qui Vs. 28. nominantur, unum eundemque populum esse, atque eorundem Sabaeorum aliquas familias Joctanem, alias Ragmam generis auctorem retulisse. דְּדָן vix dubium esse *Daden*, urbem ad sinum Pers. sitam, haud procul ab ipso mari Indico, inter Daban et Kourfekian. Cf. not. ad Ezech. 27, 15., ubi narratur, Tyrios Dadena ebur et hebenum petiisse.

8. וְכוּשׁ יָלַד אֶת־נִמְרֹד *Et Cusch genuit Nimrodum.* Hic est non populus aliquis, sed homo unicus, qui sive filius, s. nepos

Cuscho progenitori tribuitur. Est autem Nimrodo a מָרַד, *rebellavit, defecit* nomen, ex Hebr. sententia, ideo impositum, quod et turrim Babylon. invito Deo exstruere conatus sit, et ut Orientales tradunt, idololatriae auctor fuerit. Cf. *Joseph. Ant.* I, 4, 2. Solent autem Orientales non raro viros nobiles nominibus compellare post mortem inditis, unde mirus ille nonnumquam inter nomina et res gestas consensus. בָּאָרֶץ — הוּא *Is incepit potens esse in terra;* i. e. primus fuit, qui corporis viribus praepollens regnum exercuit in homines. Alii vert.: *hic coepit tyrannus esse in terra;* primus humano generi libertatem eripuit. Certe גִּבּוֹר haud raro in malam partem sumitur, et vim injustam praedonis, parricidae et tyranni obtinet, ut Ps. 52, 3. 120, 4. Sic et Arab. جَبَّار signif. non tantum *praepotentem*, verum etiam *insolentem*, *rebellem in Deum*. LXX. γίγας.

9. Verba הוּא הָיָה גִּבֹּר צַיִד LXX. minus recte οὗτος ἦν γίγας κυνηγὸς reddiderunt. Nam צַיִד non *venatorem*, sed *venationem* signif., unde vertendum: *is fuit potens venationis*, s. *venatione*, i. e. strenuus venator, ut Jud. 6, 12. 11, 1. Venationum praetextu collegit Nimrodus juvenum robustam manum, quam talibus exercitiis ad belli labores induravit. Cf. Schiller in *d. klein. pros. Schrr.* P. I. p. 378. sqq. לִפְנֵי יְהוָה *ad conspectum Jovae*, est frequens Hebraeorum locutio, quae variis rebus jungitur vario sensu. Conferri eum h. l. possunt Gen. 17, 9. Ps. 56, 14. 72, 17. Quibus locis phrasis illa signif. vel intensionem rei, cui jungitur, vel ejus excellentiam, vel potissimum id, quod palam, feliciter, secure, et ita, ut desideretur in eo nihil, fit, quasi in conspectu ac praesidio Dei. Sed in usu vulgari phrasis לִפְנֵי יְהוָה, quasi commune adagium, jungitur etiam rebus Deo non probatis, quae tamen ab hominibus confidenter vel excellenti modo palam et plene fiant. Conveniunt autem illa omnia venationi Nimrodi, ut dicatur vel *vere*, v. *excellenter*, v. *audacter validus*, s. *quam maxime potens*. Nam id quoque dicitur esse *coram Deo*, quod in genere suo est perfectissimum. Cf. et quae notavimus ad Lowthi librum *de sacra Hebraeor. Poësi* a nobis ed. 1815. p. 448. עַל־כֵּן יֵאָמֵר *Propterea dicetur*, i. e. dici solet; quae formula adagiis praemitti solet; cf. 22, 14.

10. בָּבֶל — וַתְּהִי *Eratque initium regni ejus* (ab eo fundati) *Babel*. Urbes, quae memorantur, jam exstitisse videntur, neque enim conditae ab eo dicuntur. Quum רֵאשִׁית etiam signif. *praecipuum, caput*, sunt, qui h. Vs. urbes regni majores nominari existiment. אֶרֶךְ esse *Edessam*, nobilem Mesopotamiae urbem, communis est Veterum opinio, quae vero certis testimoniis caret. Alii rectius statuunt אֶרֶךְ esse urbem *Araccam* s. *Arecham* apud Tigrim, Babyloniam inter et Susianam sitam. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* I. 2. p. 25. Pro אַכַּד LXX. habent Ἀρχάδ. Verisimiliter Clericus conjecit, esse urbem Σακάδα, quam Ptolemaeus paulo infra Ninum, antequam in

Tigridem influat Lycus fluvius, collocat. Nam S ab initio additi aut detracti frequentia sunt in Nomm. proprr. exempla. Michaelis cum Interpr. Syro אַכַּר legend. conjicit, quod antiquum fuit Nom. urbis nobilissimae, quae deinde *Nesibis* appellabatur. Eandem urbem agnoscunt Ephrem., Abulpharag. et Hieron. Cf. *d. bibl. Archaeol.* I. 2. p. 26. כַּלְנֵה, cujus vestigia supersunt in *Chalonitide*, ea urbs esse videtur, quam Pacorus, rex Persarum, postea Ctesiphontem vocavit. Cf. *Alterthumsk.* I. l. p. 27. Hasce urbes Moses ait sitas esse *in terra Sinear*, quod Nom. fuit regionis circa Babylonem, quae vero quousque exporrecta fuit, ignoratur. Cf. *Joseph. Ant.* I, 4. Singarae quoque urbis in Mesopotamia meminere Plin., Eutrop., Ptolem., Ammianus, Geographus Nubiensis, et Singarenae regionis Sextus Rufus et Pomponius Lactus.

11. מִן — אַשּׁוּר *Ex qua terra egressus est Assur*, s. *egressus est* sc. Nimrod in *Assyriam*. Verb. *exeundi* positum; est enim Mesopotamia separata a reliqua Asia regio, et aliqua tanquam insula, quo et nomine Orientalibus vocatur. אַשּׁוּר alii pro regionis nomine habent, alii viri nomen esse putant, et id quidem veteres Interprr. omnes. Nam Moses si *egressus est in Assyriam* dicere voluisset, אַשּׁוּרָה cum ה locali scripturus fuisset. Assur igitur illum e terra Sinear egressum dicitur condidisse *Niniven*. Quae urbs licet a Graecis et Rom. scriptoribus *Ninus* vocari soleat, tamen et Ninives nomen non ignorarunt Ptolem. et Ammianus. Verisimile est Niniven in ea sitam fuisse regione, ubi adhuc hodie vicus quidam, ad Tigrim, e regione urbis *Mosul*, *Ninive*, s. *Nunia* dictus invenitur. אֵת־רְחֹבֹת עִיר Vulg. vert. *plateas civitatis* sc. Ninives. Sed quid opus dictu, Assurum non solum urbem Niniven, sed etiam ejus plateas condidisse. עִיר pars Nom. propr. fuisse et vertend. videtur *Rechoboth Ir*, ut distingueretur ab alia urbe, רְחֹבוֹת הַנָּהָר, in Idumaea sita (36, 37.). Michaelis sub *Rechoboth Ir* Adiabenem intelligit, non procul ab aliquo Lyci fluvii, s. Zabi ponte sitam. כָּלַח sunt, qui putent esse חֶלַח 2 Reg. 17, 6. Sed quum nonnisi rarissime ח et כ inter se permutentur, Michaelis כָּלַח cum Ephremo *Chetro*, s. Hatram esse putat, nunc vicum, trans Tigrim in regione Maragae situm. Vid. *Alterthumsk.* I. l. p. 98.

12. Sub רֶסֶן quaenam urbs intelligenda sit, haud liquet. Ephremus prodit, in Assyria, ultra Tigrim, Niniven inter et Calach vicum quendam *Rhesin* situm esse. הָעִיר הַגְּדֹלָה *urbs magna*, i. e. reliquarum maxima. Cf. *Alterthumsk.* I. l. p. 99.

13. Plerosque populos, quorum originem Moses ad Aegyptios retulit, penitus ignoramus, quum nobis interiora Africae parum sint cognita. Jam *Josephi* tempore, Palaestina Lybiaque exceptis reliquas omnes gentes urbesque interiisse de illis regionibus monetur. *Ant.* I, 6, 2. לוּדִים *Ludaei* Jes. 66, 19. cum fortitudinis laude et Ezech. 27, 10. ut mercenarii Aegyptiorum et Tyriorum milites memorantur. Aliis sunt Aethiopes, aliis Lydii, aliis Avases, quas

Strabo II, p. 192. edit. Almel. describit. עֲנָמִים Bocharto sunt Nomades circa templum Jovis Ammonis. לְהָבִים ex Michaelis sententia est nomus *Libyae*, ab Aegyptiis habitatus. Nomine נַפְתֻחִים deserta inter Asiam et Aegyptum intelligenda videntur.

14. פַּתְרֻסִים nom. provinciae in Sing. פַּתְרוֹס, apud Prophetas occurrit, e. c. Jes. 11, 11. Jer. 44, 1. 15. Modo de ea loquitur, quasi de regione diversa ab Aegypto, modo quasi de parte Aegypti, nusquam quasi de urbe. Hinc colligitur, *Thebaidem* signari, quae modo superiori Aegypto accensetur, modo ab ea secernitur. Cf. not. Ezech. 29, 14. Phaturen primam et antiquissimam Aegyptiorum patriam facere videtur; quod non absimile est, quum *Thebais* haud dubie prius esset habitata, quam inferior Aegyptus, palustris nimium, habere potuit incolas. כַּסְלֻחִים alii *Colchos* esse putant, alii *Casiotidim*, regionem Gazam inter et Pelusium sitam, a monte Casio nomen gerentem significari existimant. אֲשֶׁר — פְּלִשְׁתִּים *Unde egressi sunt Philisthaei*, i. e. Philisthaei fuerunt colonia Casluchaeorum. Quum vero aliis locis (Deut. 2, 23. Jer. 47, 4. Amos. 9, 7.) Philisthaeos a Caphtoracis ortos esse affirmetur; haud improbabilis est conjectura, Casluchaeos et Caphtoracos in unam gentem coaluisse, cujus colonia fuerint Philisthaei. Sunt autem Philisthaei non aborigines in Palaestina, sed advenae. Est enim פְּלִשְׁתִּי nom. gentilitium a פְּלֶשֶׁת, regionis ab illis possessae nomine, deductum. Radix est in Aethiopico פָּלַשׁ, *migravit*; unde פָּלָשׁ, *peregrinator*, hospes, advena. LXX. Philisthaei plerumque sunt οἱ Ἀλλόφυλοι, *Alienigenae*, s. *Barbari*, Jud. 3, 3. 14, 1. כַּפְתּוֹר *Cyprus* esse videtur. Ita enim Cyprus est Aegypto et Palaestinae vicina, ut non mirum videri possit, primos eam sibi Aegyptios vindicasse. Commendatur haec sententia per nummum quendam Phoenicium, a *Swintono* in Diss. *de nummis Phoenic. et Samar.* delineatum et illustratum, in quo leguntur haec verba: לברץ כברר *Labeduz Cubdr*, quae Swintonus interpretatur *Lapetus Cypri*, urbi adjectum censens regionis nomen. Conjecit autem Swintonus, antiqui nom. Cypri veram scriptionem Κύπτιος fuisse. Alii כַּפְתּוֹר pro *Creta* insula habent, vid. ad Ezech. 25, 16.

15. כְּנַעַן — בְּכֹרוֹ *Et Chanaan genuit Sidonem, primogenitum suum*, i. e. eum, qui Sidonem urbem condidit. Sidon non est nom. viri, sed urbis s. coloniae, ex Chanaanis posteris deductae. Nom. habet a piscium ubertate, aut a piscando, a rad. צוד, *venari, piscari. Justin.* 68, 3. *Condita ibi urbs, quam a piscium ubertate Sidona appellavere; nam piscem Phoenices Sidon vocant.* Cf. *Alterthumsk.* T. II. P. I. p. 20. sqq. וְאֶת־חֵת *et Chethum*, i. e. *Chettaeos* (Gen. 23, 7. 20.), qui sedes antiquas circa Hebronem habuisse videntur. Haec post Sidonios antiquissima Phoenicum colonia periit, a Josua, s. potius a Calebo deleta.

16. יְבוּסִי *Jebusaei*, Hierosolymae ad tempora usque Davidis antiqui incolae. Vid. Jos. 15, 63. Jud. 1, 21. 19, 20. 2 Sam. 5, 9.

הָאֱמֹרִי, *Amoraei*, ultra Jordanem fuisse putantur, ubi frequens eorum mentio. Ultimis temporibus eis Jordanem in montano tractu Judaeae, circa Hebronem et Engedi inveniuntur. Amoraeorum nom. latius patere et nonnunquam pro Chananaeis universim poni videtur, ut Gen. 48, 22. 15, 16. 2 Sam. 21, 2. גִּרְגָּשִׁי *Gergesenos* ab Occidente Jordanis habitasse, ex Jos. 21, 11. constat. *Gergeseni* qui memorantur Matth. 8, 28. Marc. 5, 1. Luc. 8, 26., huc non pertinent, quia ex correctione Origenis nati sunt, pro *Γεργεσηνῶν*, vel *Γαδαρηνῶν*.

17. חִוִּי *Hevaei* Jos. 11, 3. sub radicibus Hermonis habitasse dicuntur, et Jud. 3, 3. in Libano, i. e. in vallibus ei subjectis. Sed et alibi per vicos habitabant, ut Sichemi, Gen. 34, 2. Gibeae, Jos. 9, 7. 11, 19. עַרְקִי *Arcaei* tenuere *Arcam*, s. *Arcen*, urbem in Libano sitam. Cf. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 10. סִינִי *Sinaei* Chananaei habitarunt in regione Libani; atque Hieronymi adhuc tempore nom. *Sin* in ruderibus antiquae urbis haerebat. Non confundendi sunt cum Sinaeis Aegypti, Jes. 43, 12. Ezech. 30, 15. 16. Cf. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 12.

18. אַרְוָדִי *Arvadaei* Aradum insulam, hodie *Ruad* et *Rowada*, occupaverunt, in ora Phoenices ad os Eleutheri fluminis sitam. Nobiles fuerunt rei navalis peritia (Ezech. 17, 8.). Vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 6. sqq. צְמָרִי Interprr. observant verisimile esse urbem *Simyram*, haud procul ab Eleuthero fluvio sitam, Samaraeos habuisse conditores, atque eos hanc regionem olim obtinuisse. Vidit ruinas magnae urbis, *Sumra* dictae SHAWIUS: *Reisen* p. 234., quinto milliari Anglico a ruderibus Areae, ac pro hac nostra urbe habuit. Cf. *Alterthumsk.* T. II. P. I. p. 9. וְאֶת־הַחֲמָתִי *et Hamathenses.* Exstat etiamnum urbs *Hamath*, in Syria ad Orontem sita, Graecis Epiphania dicta. *Joseph. Ant.* I, 6, 2. Cf. *Alterthumskunde* I, II, p. 271. sqq. וְאַחַר־הִפֹּצוּ *Postea vero dispersae sunt cognationes Cananaei*, i. e. eorum familiae sese per varias regiones diffuderunt.

19. Describuntur fines terrae a Chananaeis occupatae. בֹּאֲכָה *Venire tuum*, s. *dum is*, qua itur. De גְּרָר Hieron. in locis Hebraicis haec dicit: *Gerara, ex cujus nomine nunc Geraritica regio, trans Deroma, procul ab Eleutheropoli, viginti millibus et quinque ad Meridiem. Erat autem terminus Cananaeorum ad Australem plagam, et civitas metropolis Palaestinae.* עַזָּה *Gaza*, a munitione nomen accepisse videtur. Nam עַזָּה fortem munitam signif. Ac sane in loco natura munito sitam fuisse constat ex Arriano L. 2. et Curtio L. 4. Urbs hodienum extat et vetus nomen retinuit. De Sodoma, Gomorrha, Adama et Zebojim vid. c. 13. לָשַׁע Hieron.: *Lisa* est, quae nunc *Callirrhoe* dicitur, ubi aquae calidae prorumpentes, in mare mortuum defluunt. De thermis Callirrhoensibus disserit *Plin.* H. N. 4, 6. et *Joseph.* in B. I. 1, 33.

21. Transit jam ad Semi progeniem recensendam. וּלְשֵׁם יֻלַּד גַּם־הוּא *Porro ipsi Semo natus est*, sive progenitum est, i. e. *sus-*

cepta soboles etiam ipsi. De Pronom. הוּא, non recto, sed obliquo casu vertendo vid. supra ad 4, 26. *Ipsi quoque Semo*, quemadmodum et ceteris, nata est proles satis copiosa; nam 27 habet posteros. אֲבִי כָל־בְּנֵי־עֵבֶר *Patri omnium Hebraeorum.* Cognomen est honorificum. עֵבֶר non est Nom. propr. ejus, qui Vs. 24. ut pronepos Semi commemoratur, sed pro Nom. appell., *transitum*, et *quod trans* fluvium aliquem est, τὴν πέραν significante, habendum, ut בְּנֵי־עֵבֶר se. הַנָּהָר הַפְּרָת sint *incolae regionis Transeuphratensis*, quales etiam vocantur Assyrii Jes. 7, 20. Quare כָּל־בְּנֵי־עֵבֶר est i. q. כָּל־הָעִבְרִים, ut Abrahamus 14, 13. עִבְרִי περάτης appellatur, quod e terris Transeuphratensibus in Cananaeam immigravit. Cf. Gesenii *Gesch. d. hebr. Spr.* p. 11. Apte sic ostenditur, Semum et numerosa sobole, et amplis ac fertilibus regionibus fuisse donatum, quum *plerique* (sic vox *omnis* haud raro usurpatur) Transeuphratenses populi ab eo progeniti esse dicuntur. אֲחִי יֶפֶת הַגָּדוֹל, *fratri Japheti, natu majori.* Noluit Hebraeor. progenitorem dicere fratrem *Chami*, improbi, sed *Japheti*, probi. Voc. הַגָּדוֹל nonnulli conjungendum putant cum יֶפֶת, ut is sit frater natu major, quod, quum Noachus filiorum suorum diluvio superstitum primum centesimo ante diluvium anno generasse (5, 32.), Semus autem biennio demum post diluvium centesimum annum vixisse dicatur (11, 10.); hic non potuerit primogenitus esse. Verum quum parum verisimile sit, Noachum generasse uno eodemque anno tres illos filios, credibile est, loco illo 5, 32. numeros minutos subticeri, quod saepe fit. Quare h. l. non conficitur Japhetum natu fuisse maximum. In iis potius, quae praecesserunt, Semus sexies (5, 22. 6, 10. 7, 13. 9, 16. 23. 10, 1.) inter Noachi filios primo loco nominatur. Sed accedit et alia grammatica ratio. Si scriptor h. l. Japhetum filium natu majorem dicere voluisset, scripsisset בֶּן־נֹחַ הַגָּדוֹל, nam הַגָּדוֹל nude sic positum nusquam alias occurrit; semper conjungitur cum בֶּן, s. אָח. Additur vero h. l. Semum fuisse Japheti fratrem natu majorem, quia, ut facilior esset a Semi prole ad Abrahami historiam transitus, hoc cap. Noachi filii ordine inverso recensentur.

22. 23. עֵילָם *Elamitae* sunt *Elymaei*, regionem Susianam inter et Mediam tenentes, quae Arabum Geographi *Khusistan* nuncupant. Vid. *Alterthumsk.* I. 1. p. 300. sqq. אַשּׁוּר esse Assyrios nemo dubitat. Cf. *Alterthumsk.* I. 2. p. 91. sqq. אַרְפַּכְשַׁד nom. viri esse non populi, ex sequente genealogia certum est. Videtur Assyriae parti boreali *Arphaxitidi* nomen dedisse. Pars posterorum illius, ea certe, ex qua Abrahamus ortus, in *finibus Chaldaeorum* habitabat, quod nominis significatione indigitatur. Vid. *Alterthumsk.* I. 2. p. 84. (not. 125.) et 93. Nomine לוּד *Lydi*, Asiae minoris populus, videntur indicari. Cf. *Alterthumsk.* I. 2. p. 178. De alia et quidem Africana gente *Lud* sermo erat Vs. 13. Ad אֲרָם, *Aramum*, hic memoratum, *Aramaei* late per Syriam, Mesopotamiam, Chaloniticidem diffusi referendi videntur. Cf. *Alterthumskunde* I, 2. p. 232. sqq. Etiam Graecis Aramaeorum nomen non prorsus fuit

ignotum. *Strabo* L. 13. οἱ δὲ τοὺς Σύρους Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀράμους λέγουσι. L. 16. τοὺς Σύρους Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν ἢ Ἀρίμους. עוּץ est Arabiae deserta pars septentrionalis, Euphrati et Mesopotamiae contigua. Vid. Prolegg. ad Jobum §. 5. חוּל eadem Syriae regio esse videtur, quae etiamnum أرض الحولة *terra el-Ilhula* dicitur, circa lacum ejusdem nominis, qui Hebraeis lacus *Merom*, Graecis *Σαμοχωνῖτις λίμνη* vocabatur. Vid. *Alterthumsk.* I, 2. p. 253. Nominis גֶּתֶר nulla fere vestigia apud exteros reperiuntur. Clerico huc facere videtur Carthara urbs ad Tigrim, inter Lyci et Capri confluentes sita. Nomine מָשׁ intelligendi sunt *montis Masii*, qui Nesibi urbi a septentrione imminet, incolae. Cf. *Alterthumskunde* I, 2. p. 143.

24. שֶׁלַח Nomen incertum. Veterum nonnullis Susianorum conditor creditur. עֵבֶר *Heber* non a parentibus aut coaevis hoc nomine vocitatus, sed a posteris, maxime Israelitis, quod progenitor Transeuphratensium esset, nominatus est. Vid. Gesenii *Gesch. d. hebr. Spr.* p. 11.

25. Nom. unius filiorum Hebr erat פֶּלֶג i. e. *divisio*. Addit הָאָרֶץ — כִּי *nam in diebus ejus divisa est terra* inter nationes et gentes, post linguarum confusionem, de qua vid. infra 11, 1. Deus enim ipse putabatur populos in varias terrae regiones distribuisse, cf. Deut. 32, 8. יָקְטָן *Joctanem* ejusque posteros Arabiae felicis partem interiorem, hodie *Jemen* dictam, occupasse credibile est. Joctanis nomen superest in regione quadam Arabiae *Kachtan* dicta; quo ipso nomine Arabes *Joctanem* appellant, cujus posteros sese esse dicunt.

26. De אֲלְמוֹדָד nil constat, nisi quod Arabiae felicis populus fuit. שֶׁלֶף pater videtur fuisse *Salapenorum*, a Ptolemaeo commemoratorum, interioris Arabiae, hodie ignoti, populi. חֲצַרְמָוֶת est *Hadramaut*, Arabiae regio myrrhifera et thurifera. יֶרַח s., ut hic ob Accentum majorem exstat, יָרֵחַ, *Jerach*, apud Hebr. *lunam* signif. Hujus populi reliquiae sedes habent in Hadramautae vicinia, circa montem lunae, *Dschebel* s. Gobb-el-Kamar.

27. הֲדוֹרָם Bochart. L. 2. c. 20. putat fuisse *Drimatos* Plinii (*H. N.* 6, 20.), ad fretum sinus Persici. Certi aliquid definiri non potest. Certiora habemus de אוּזָל. Nam quum Judaei Arabes adhuc hodie vocent *Uzal* urbem eximiam in *Aljeman*, s. Arabia felice, quae urbs ab Arabibus dicitur *Sanaa*, concludi potest, hujus urbis vetus nomen fuisse *Uzal*. Cf. Niebuhr *Beschr. v. Arab.* p. 291. Cf. not. ad Ezech. 27, 19. edit. sec. דִּקְלָה qua in Arabia parte sedem habuerit, definiri haud potest. Alii ei adsignant Arabiam *palmiferam* (in Syr. *Declo* est *palma*), alii regionem Tigridis ostium inter ac sinum Persic., quum in Syr. Tigridis nomen simile sonet *Declat*.

28. De עוֹבָל nihil certi constat. Neque nominis אֲבִימָאֵל vestigium ullum in Arab. geographiae scriptore reperitur. שְׁבָא *Sabaei*, celeber populus olim felicis Arabiae erat.

29. אוֹפִיר est nom. regionis Arabiae australis, quam Salomonis naves adierunt 1 Reg. 9, 28. 10, 22. Seetzenius in provincia *Oman*, quae Oceano alluitur, urbem reperiit nomine *el-Ophir*. אוֹפִיר derivandum esse a עָפַר, *divitiis abundare*, opinio est Pauli *Memorabil.* V. p. 112. Cf. et Winer *Bibl. Realwörterb.* sub h. v. et Ritter *Erdkunde*, *od. allgem. vergleichende Geographie*, P. 2. p. 201. חֲוִילָה videtur ea esse Arabiae felicis regio, quae hodie *Chaulan* dicitur. Cf. Niebuhr l. l. p. 280. 81. יוֹבָב vix dubium esse Ptolemaei *Jobabitas*. Sedes habuerunt juxta sinum Salachiticum, Hadramautam inter et Oman.

30. וַיְהִי — הַקֶּדֶם *Et fuit habitatio eorum a Mescha usque dum venias Sepharam, montem Orientis*, i. e. montana Orientalia. מֵשָׁא, veterum *Mesene*, ad ostia Tigridis et Euphratis sita, habetur. Nam totam ad Euphratem Tigrimque regionem infra Seleuciam usque ad sinum Pers., Syri *Maischon* s. *Euphratem Maischanae* vocant. Hanc igitur regionem Joctanitae habitarunt. סְפַר eam esse regionem putant, quae Arabibus *Thehama* vocatur, i. e. litoralia et declivia Arabiae ad mare Erythraeum; nec tamen omnes in eo consentiunt. Verba הַר הַקֶּדֶם *mons Orientis* Michaelis observat melius ad מוֹשָׁבָם *fuit habitatio eorum*, quam ad Sefaram referri. Maxima enim pars Arabiae, in qua Joctanitae habitarunt, ex asperis quidem sed fertilibus montibus constat, angustis subjectis littoralibus et vastis desertis.

Qui a Mose hanc, quae praecessit tabulam, profectam esse putant, quaerere solent, unde is terrarum tam dissitarum notitiam habere potuerit; siquidem ipse doctior, quam pro temporis ratione sperari possit, hoc in Cap. videtur. At vero quod Arabiam attinet, atque Cusehaeorum et Joctanitarum in ea sedes et colonias, facile concedetur, Mosi Arabiam, in qua per 40 annos privatus ac pastor, totidemque dux magni populi vixit, satis cognitam esse potuisse. Deinde nec negabitur, regionem ad Euphratem et Tigridem, veram suae gentis patriam, unde et Abrahamus egressus, et in qua proavus adeo Mosis, Levi, natus est, notam esse homini tam docto et librorum antiquorum lectori potuisse. Talem autem Mosen fuisse, ex historiae exterae parergis, quae passim immiscet, et ex iis, quae de Assyriae originibus hoc ipso in Cap. attulit, facile liquet. Interiora autem Africae, ut Abessiniam et Nubiam, aeque illi ac nobis, ac melius etiam, cognita fuisse, nemini mirum videbitur, qui concedit, Mosen in regis Aegyptii aula a teneris Aegyptiorum doctrina eruditum exceltumque fuisse; et si verum est, quod Forsterus (in *Epistolis ad J. D. Michaelem*) probare studuit, Mosen sub Sesostre militasse et cum eo partem Africae Asiaeque in exercitu ejus perlustrasse, ipsi facile fuit, nobis eas gentium origines tanta accuratione tradere. Phoenicum autem varias gentes Vss. 15 — 18. curiosius a Mose numeratas, quam alias solet, bene ipse noscere potuit et debuit, quum huic genti per 40 annos bellum inferre parasset, sta-

timque initio, anno exitus secundo, exploratores misisset, de tribubus, regionibus, urbibus et aliis rebus notatu dignis exploraturos. Vicinae praeterea sedes Israelitarum Phoeniciae erant, terra enim Gosen ad Palaestinam usque pertinuit. Neque littora maris mediterranei Mosi Israelitarumque cultioribus incognita esse potuerunt. Phoenices enim, qui ad littora illa navigabant, commerciorum causa et navigationum opportunitate allecti, ex Idumaea in Palaestinam migrarunt, idque jam quinto ante Mosen seculo. Per haec quinque secula genti navigationibus et mercaturae unice deditae, facile omnia maris mediterranei Pontique Euxini littora innotescere potuerunt. Idem de regionibus Pontum Euxinum inter et mare Caspium atque ultra illud sitis valet. Videntur enim illae olim maxima in celebritate fuisse, ac commereiis floruisse; unde facile intelligi potest, Mosi nomina harum gentium non inaudita et incognita fuisse.

Cap. 11. Gentium illam adeoque linguarum diversitatem veterum illorum, qui de his rebus quaererent, aliquis ad Deum ipsum, eumque iratum, tanquam unicum auctorem retulit, quoniam linguarum diversitas mercaturae aut amicitiae, cum aliis jungendae, impedimenta non parva objiciebat. Tribuitur haec plurium linguarum origo temporibus Phalegi, 10, 25.; et quum ex vetere fama constaret, illos in planitie Sinearitidis aliquamdiu consedisse, in promtu erat, diversitatis linguarum originem ex illa regione repetere, quum nomen urbis Babylonis, בָּבֶל, in illa planitie exstructae, quod a *confundendo* (בָּלַל) factum credi poterat, atque turris alta, cujus structura non erat ad finem perducta, huic opinioni non parum patrocinari viderentur. Cf. Eichhorn: *Declarantur diversit. linguar. ex traditione Semit. origines*, in *Allg. Biblioth. d. bibl. Litt.* P. 3. p. 981. sqq. Ex iis, qui rei vere gestae narrationem huic particulae inesse putant, legendi sunt Hensler *Bemerkk. über Stell. d. Psalm. u. d. Genesis.* Deyling in *Observatt. SS.* P. I. Diss. I. Jerusalem *Betrachtungen üb. d. vornehmst. Wahrhh. d. christl. Relig.* p. 250. Cf. *Alterthumsk.* I. 2. p. 51. 54.

1. אֶחָת — וַיְהִי *Erat universa terra unius labii*, i. e. omnes homines tunc una eademque lingua utebantur. שָׂפָה *labium*, metonymice *sermo*, *eloquium*, Jes. 19, 18. 28, 19. Ez. 3, 56. Zeph. 3, 9. וּדְבָרִים אֲחָדִים *eorundemque verborum*, i. q. שְׂפָה אֶחָת. Vitringae sententia, *unum labium eademque verba* significare *animorum et consiliorum unitatem* et contra *confusionem labii*, *dissensionem animorum* (nt Ps. 55, 10., ubi Davides precatur, ut Deus *linguam hostium dividat*), omnino refutatur orationis contextu Mosisque consilio.

2. וַיְהִי בְנָסְעָם *Factum est in τῷ proficisci eorum*, cum proficiscerentur, Nomadum vitam agentes, de quorum erroribus solenne est Vb. נָסַע; 12, 9. 33, 7. מִקֶּדֶם *ex Oriente*. Probabiliter Bochart conjecit, מִקֶּדֶם more apud Assyrios recepto dici, quippe qui

partes imperii sui, quae trans Tigrim erant sitae, Orientales, eas autem, quae cis hunc fluvium, Occidentales vocabant. שָׁם — וַיִּמְצְאוּ *Invenerunt planitiem in terra Sinear, in qua consederunt.* בִּקְעָה propr. *vallis*, h. l. verti debet *planities*, *campus*. Nam terra Sinear s. Babylonia erat prorsus campestris, et sine ullis montium salebris. Cf. *Alterthumsk.* I. 2. p. 1. sqq.

3. הָבָה Imper. Vb. יָהַב, propr.: *cedo*, tum pro Interjectione usurpatur excitantis: *age! agedum!* et, uti hic, Plurali jungitur. נִלְבְּנָה לְבֵנִים *faciamus lateres.* Verb. נִלְבְּנָה deductum est a לְבֵנָה, quod laterem signif., cuj. Plur. לְבֵנִים, quasi dicas, *laterificemus lateres.* Babyloniae muros latericios fuisse plures veterum tradunt. *Herod.* I, 179. *Justin.* I, 2. וְנִשְׂרְפָה לִשְׂרֵפָה *Uramus eos ad ustionem*, i. e. coquamus eos. לַחֹמֶר — וְהַחֹמֶר *Et bitumen erat iis pro luto.* חֹמֶר, *bitumen*, ἄσφαλτος a *rubore obscuro* dictum, illud ipsum, quo, suis in terris erumpente, Babylonii calcis loco, in condendis muris usi sunt. Bitumen autem ad aedificiorum exstructionem valde idoneum esse, veterum testimonia probant. *Strabo* L. 16. p. 743. ed. Casaub. Et Dion in Trajano (Vers. lat.): *Tantam autem firmitatem coctis lateribus aut etiam lapidibus minusculis commixtum* (bitumen) *praestat, ut et saxis et ferro quovis validiores faciat.* Cf. et *Herod.* I, 179. *Joseph. Ant.* I, 4. *Plin.* L. 35. c. 15. *Vitruv.* L. 8. c. 3. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 44. *Alterthumsk.* I. 2. p. 48.

4. וּמִגְדָּל — הָבָה *Age, aedificemus nobis urbem et turrem.* Turrim designabant, quae in ipsa urbe esset instar Acropolis. Hebraei *turris* nomen ita usurpant, ut sit propugnaculum ad vim hostium propulsandam. Sic Judic. c. 8. 9. *turris Penuel, t. Sichem, t. Thebes.* מִגְדָּלוֹת appellantur hae turres ab amplitudine. וְרֹאשׁוֹ בַשָּׁמַיִם *Et caput*, fastigium *ejus in coelum*, ad coelum usque pertingat. Praep. ב nomini שָׁמַיִם praefixa h. l. *ad* vel εἰς, *in* denotat; *ad coelum*, quod Ps. 57, 11. dicitur עַד־שָׁמַיִם. Formula est loquendi ad magnam altitudinem designandam. וְנַעֲשֶׂה־לָּנוּ שֵׁם *ut faciamus nobis nomen*, ut famam nobis comparemus. Hic sensus phrasi illi inest 2 Sam. 8, 13. Jes. 63, 12. 14. Jer. 32, 20. Dan. 9, 15. Sequitur autem: פֶּן־נָפוּץ *ne dispergamur super faciem omnis terrae.* Sensu commodo igitur carere videntur verba: famam nobis adquiramus, ne per terras spargamur. Quare alii פֶּן vert. *fortasse* (qua significatione פֶּן etiam intelligi volunt Gen. 26, 9. Num. 16, 34. Job. 31, 13.), et verba ita reddunt: *forte dispergamur;* s. *antequam dispergamur* eximii quid moliamur. In hunc sensum LXX. πρὸ τοῦ διασπαρῆναι, et Vulgat.: *antequam discedamus.* Nec tamen פֶּן usquam valet *antequam;* nec magis certum est, eam Particulam *forsan* significare. Alii שֵׁם pro *signo, monumento eminente* capiunt, quod *nomen* et 2 Sam. 8, 13. dicatur de monumento, quod Davides erexit. Vertunt igitur: *Faciamus nobis altum quoddam signum, ne per totam hanc regionem dispergamur*, sed quum inter pascen-

dum pecora a nostris aberravimus, ut, turri illa e longinquo visa, ad reliquorum hominum societatem et habitationem redire possimus. At vero huic interpretationi plura adversantur. Nam *primo* Hebr. שֵׁם *signi elati* significatum obtinuisse, neque probatum est, neque probari unquam potest; nullus enim alius V. T. locus potest produci, quo שֵׁם illa significatione capiendum sit. *Deinde* phrasis *facere sibi nomen*, quum apud Hebr., ut supra vidimus, sit solennis, aliisque in locis non semel occurrat, non licet, unam inde vocem excerptam in alium, quam qui usitatus est, sensum detorquere. *Denique* dispersio illa per faciem totius terrae non potest esse pastorum per agros Babyloniae palantium et ad sua domicilia identidem redeuntium; sed secessio, vel distractio potius, est integrarum familiarum, in diversis plane regionibus novas sedes occupantium. Manifestum hoc est ex narrationis clausula Vs. 8., ubi, eadem prorsus phrasi adhibita, homines, divinitus disturbato eorum consilio, dicuntur *per faciem totius terrae dispersi.* Simplicissimus huj. Vs. sensus est hic: *Structa urbe et praealta arce*, quae urbi insigniter condecorandae inserviat, *faciamus nobis nomen*, *ut ne per totam terram dispergamur*, i. e. societati nostrae, totum humanum genus complexurae, multum adstituamus decoris, dignitatis et splendoris, quo omnes et praesentis et futurae aetatis homines atque familiae ad eam perpetuo colendam servandamque ultro alliciantur et invitentur, nec a nobis divulsi, vel sponte, vel per incertos fortunae casus, in remotas et inhospitas regiones auferantur, nostracque communitatis vinculum dissolvatur.

5. Deus hic dicitur descendisse, ut viseret urbem et turrim, quam homines condiderunt, uti omnino ex antiqua persuasione credebatur ad humanum morem consilia agitare, deliberare, rebus ex omni parte perpensis decernere, locoque ipsi, quo quid perficere vult, adesse, ita tamen, ut in sensus et oculos non incurrat.

6. הֵן־לְכֻלָּם *Ecce*, *populus unus* ipsi sunt, *et labium unum*, Vs. 1. Hac igitur cognationis et linguae conjunctione muniti magnas res efficere poterunt. וְזֶה הַחִלָּם לַעֲשׂוֹת *et hoc est τὸ incipere eorum ad faciendum*, jam prosperum initium fecerunt huj. sui operis, quo fiet, ut nihil non sibi deinceps successurum sperent. וְעַתָּה — לַעֲשׂוֹת *Et nunc non prohibebitur ab iis omne, quod cogitarunt facere.* Recte LXX. *οὐκ ἐκλείψει ἀπ' αὐτῶν πάντα ὅσα ἂν ἐπιθῶνται.* Vulg.: *non desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* יָזְמוּ a זָמַם pro יְזֻמּוּ, ut mox Vs. 7. נָבְלָה pro נְבַלָּה *confundamus.* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 372. Ceterum Deus illud hominum institutum, tanquam sapientiae suae rationibus adversum, improbasse quidem et irritum fecisse, neque tamen poenam illis irrogasse dicitur.

7. 8. שִׁפְתָם — הָבָה *Age descendamus et confundamus eorum linguam.* Vid. not. ad Vs. 1. — 8. הָאָרֶץ — וַיָּפֶץ *Et dispersit Jova eos inde super faciem universae terrae.* Exorta linguarum varietat

ex mente scriptoris odium quoddam inter familias, licet inter se cognatas, oriebatur, sic ut quisque cum sua familia, cujus membra una eademque lingua erant conjuncta, sit in aliam regionem profectus, ad quaerendas sibi sedes, quas occuparet. וַיַּחְדְּלוּ לִבְנוֹת הָעִיר *Et destiterunt construere urbem.* LXX. addunt: *καὶ τὸν πυργόν.*

9. בָּבֶל — עַל *Propterea vocavit* se. vocans, i. e. vocatum est *nomen ejus* urbis *Babel.* הָאָרֶץ — כִּי *Nam ibi confudit Jova labium universae terrae.* Cepit igitur noster בָּבֶל pro בַּלְבֵּל, altero ל extrito, ut in Syro גּוּבְלְתָא pro גּוּלְבְּלְתָא, et Chaldaeis קִיקְלְתָא est pro קִלְקַלְתָא *foetidum, stercus,* et שִׁישְׁלְתָא pro שַׁלְשֶׁלְתָא *catena.* Onkelos h. l. pro בַּלַּל posuit בִּלְבֵּל *confudit.* Eichhorn in Commentat. supra laudata *Babelis* nomen a Belo potius, primo ejus regionis rege, ductum existimat, sicuti aliae plurimae urbes, quae vel metropolium jura et privilegia nactae, vel imperiorum sedes factae sunt, a regibus, nunc urbium ipsarum aut regnorum conditoribus, nunc factis suis celebribus nomina sua duxisse legimus. *Babylonem* fuisse credit *portam,* h. l. *aulam, sedem Beli.* Ceterum huj. turris et apud scriptores exteros mentio fit. Eupolemus apud Eusebium *Praep. Ev.* IX, 14. (vers. lat.): *Urbem Babylonem primum ab illis fuisse conditam, qui a diluvio servati sunt; eos autem fuisse gigantes, et celebrem illam turrim exstruxisse, qua vi divina prostrata, gigantes per universam terram fuisse dispersos.* Et Abydenus ap. Euseb. l. l.: *Sunt qui dicant primos e terra editos, cum virium et molis ratione superbirent, turrim excelsam erexisse, ubi nunc est Babylon; et cum ea jam esset coelo proxima, ventos Diis subvenientes totum opus subvertisse; ruinis autem Babyloniae nomen fuisse impositum. Cum vero ad id temporis homines unius linguae fuissent, linguam diversam ipsis a Diis esse immissam.* Quod rem omnem attinet, cf. *d. bibl. Alterthumsk.* I, 2. p. 8. sqq. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 46.

VI.

Posteris Semi usque ad Abrahamum recensitis hujus vita et res gestae exponuntur, 11, 10. — 25, 18.

1. *Posteri Semi usque ad Abrahamum,* 11, 10 — 32.

Cap. 11, 10. Supra Cap. 10. Semi progeniem noster recensere coeperat quidem, sed non absolverat, quia ad divisionem usque linguarum tantummodo illam producere voluit, ut ostenderet, quas ex se singuli ex posteris Noachi familias et gentes constituerint. Jam ergo omissis prorsus ceteris Noachi filiis, quod ex illis deinceps gentis Hebraicae conditores recta linea non descenderint, redit ad Semi genealogiam, quam ad Abrahamum usque texit. Cujus majores breviter tantummodo enumerat cum vitae cujusque annis, ut simul haberetur certa annorum ratio a diluvio usque ad Abrahamum,

quemadmodum supra c. 5. in decem hominibus ab Adamo ad Noachum usque anni singulorum recensentur, ut, quot anni essent ab orbe condito ad Noachum certo sciretur. Ceterum in iis, quae sequuntur, LXX. atque Samaritanus uterque, annorum numeros ex iisdem, quas supra ad 5, 1. vidimus, legimus, mutant. Ne enim nimis rapide aetas humana decresceret (quae ex Hebraici textus lectione a 950 annis Noachi et 600 Semi ad 438 Arphaxadi praeceps it, iterumque, paucis stemmatibus interjectis, a 464 Eberi ad 239 Phalegi), itemque ne illa aliquando nova videretur capere incrementa, ut in Ebero ac Theracho, denique ne ante centesimum annum patriarchae ab Arphaxado ad Therachum sobolem procrearent, cautum est ea Alexandrini lectione, quae in Cod. Vatic. invenitur, nam ab eo subinde discedit Cod. Alexandr. De Graecorum interprr. atque textus Samar. dissensu ab Hebraeo multis egit J. D. Michaelis in Commentat. *de Chronologia Mosis post diluv.* in *Commentatt. Societati Reg. Goetting. per annos* 1763—1768. ab ipso oblatt. p. 153. Cf. Gesenii Comm. *de Pentat. Samar. origine* etc. p. 48. sq. Conspectum discrepantiarum textus Samar., versionis Alex., et Fl. Josephi in hac genealogia exhibent Vater in Commentar. p. 174. et Jahn in Bibl. Hebr. p. 25.

28. אֲבִיו — וַיָּמָת *Obiit Haran ad faciem Therachi, patris sui,* i. e. vivente adhuc patre. כַּשְׂדִּים — בְּאֶרֶץ *in terra nativitatis suae in Ure Chaldaeorum.* Quae hic memoratur אור, verisimillimum est, esse eandem *Ur, Persicum Castellum*, cuj. Ammianus Marcell. 25, 8. mentionem facit, reditum Rom. exercitus sub Joviano post mortem Juliani describens. Ab Ure Ammiani, quae erat inter Nesibin et Tigrim, in Palaestinam recta via transeundum erat *Carras* s. *Charene*, ubi *Therach* consedit. Accedit, quod Abrah., et qui eum sequebantur, videntur Nomades fuisse. Nulla autem terra Nomadum vitae aptior erat solitudinibus borealis Mesopotamiae, in qua Ammiani *Ur* sita erat; cuj. quidem solum admodum siccum et sterile est, ut ager coli non possit, sed tantum pecora ibi pascantur. Vid. *Alterthumsk.* I. 2. p. 148.

29. 30. Haran dicitur *pater Milcae et pater Jiscae*, quam posteriorem plures Judaeorum eandem ac Saram, Abrahami uxorem, fuisse opinantur. Sed nititur ista opinio nullo solido argumento. — 30. וְלָד — וַתְּהִי *Erat Sarai sterilis, nec fuerant ei liberi.* Hebraei ejus quod adfirmarunt passim solent contrarium negare. Vid. 42, 2. Jes. 38, 1. 39, 4. Jer. 42, 4. Jo. 1, 3. 20. Actor. 13, 11.

31. וַיֵּצְאוּ אִתָּם *Et exierunt cum iis*, i. e. egressi sunt Therach et Abraham cum Loth et Sarai. Cod. Samar. (quem LXX. et Vulg. sequuntur,): וַיּוֹצֵא אוֹתָם *et eduxit eos;* qua vero lectione non opus est. וַיָּבֹאוּ עַד־חָרָן *Et venerunt usque ad Charan*, urbem Mesopotamiae, Chaboram inter et Euphratem, quam Graeci et Romani *Carras* vocant. (Ne autem confundas hanc urbem cum חָרָן *Arabiae felicis*, Ez. 27, 23.) Haec quoque regio Nomadum vitae erat et est

aptissima. Videtur regio illa nomen accepisse a חָרַר, *ferbuit, sitivit.* Vid. *Alterthumskunde* I. 2. p. 149. Cur vero Therachus cum Abrahamo patriam reliquerit, causa videtur fuisse haec, quod pascua Urc Chaldaeorum nimis angusta illis fuerint. Quum vero jam illis temporibus Palaestinam propter fertilitatem celebrem fuisse credibile sit, eo proficisci consilium ceperunt. Ex Josephi sententia in *Ant.* I, 7. Abrahamus propter veri Dei cultum a Chaldaeis vexatus, ex ea terra egredi statuerat. Ceterum et apud scriptores exteros Abrahami fit mentio. Berosus ap. Joseph. l. l. et Eusebium *Praep. Ev.* L. 9. c. 16.: *decima post diluvium aetate apud Chaldaeos vir exstitit justus et eximius, rerumque coelestium peritus.* Hecataeus de Abrahamo, ut Josephus auctor est, singularem librum scripsit. Nicolaus Damascenus (ap. Joseph. l. l.) dicit, Abrahamum Damasci regnasse. Testatur quoque Josephus, adhuc suis temporibus nomen Abrahami in Damascena regione celebre fuisse, et monstrari illic vicum, qui Abrahami habitaculum dicatur.

32. Pro וּמָאתַיִם שָׁנָה *et ducentis annis* in Cod. Samar., Therachum annos duntaxat 145 vixisse legitur. Cui scriptioni nonnulli adhaerent, quia Stephanus protomartyr Act. 7, 4. Abrahamum mortuo demum patre in Cananaeam migrasse dicit. Quod sic probatur: dictum fuit Vs. 26., Therachum fuisse annorum 70, cum gigneret Abrahamum. Infra autem dicitur, Abrahamum fuisse annorum 75, cum ex Charane in Cananaeam profectus sit. Ex quo efficitur, ut Therachus, tempore illius profectionis, annum ageret 145., atque adeo ut, si 205 annos vixerit, totos 60 annos huic profectioni superstes fuerit. Sed vix dubium est, illud quod in Sam. Cod. exstat, deberi critico alicui Samaritae, cui opinio insedit, migrasse Abrah. post mortem patris in Cananaeam. Istam opinionem et Stephan. sequutus, cuj. auctoritas tamen non tantum valet, ut ex ea textum Hebr. mutemus. Cf. et Kuinoelii Comm. ad Act. 7, 4. Ceterum Therachi mors statim hic memoratur. Nam quia non amplius de eo verba facturus est, semel iis, quae ad eum pertinebant, defungi voluit; quo peracto Abrahami vitam narrare orsus retrogreditur.

2. *Abrahamus in Cananaeam proficisci jubetur a Deo, cui paret, unaque Lotum ducit. Promissa accipit divina, dum Cananaeam peragrat, fore eam stirpis suae.* 12, 1—9.

Cap. 12. De Abrahamo, ceterisque gentis Hebr. progenitoribus quorum nunc historia sequitur, jam longe olim multae narrationes in vulgi ore videntur circumlatae fuisse, veteri fama acceptae. Quae quum postea litteris mandari coeperint, variis modis, ut fit, auctae et exornatae sunt, ut adderentur, quae dicta et facta esse a priscis illis hominibus, sive illis accidisse, veri esset simile his, qui illorum historiam contexere tentarent talem, quae ab Hebraeis cum fructu et voluptate legi possit. Atque quum inter totius veteris orbis ho-

mines haec recepta persuasio esset, quae inter plerosque barbaros etiamnunc obtinet, invisisse numen antiquiss. temporr. terram, occurrisse hominibus, sermones ac consilia cum iis communicare solitum; nemini mirum erit, etiam vetustissimorum patriarcharum vitis hujusmodi narrationes insertas esse.

1. Quod antea 11, 31. breviter memoratum erat, ejus rei plenior nunc narratio subjicitur. וַיֹּאמֶר *Dixitque*, s. potius: *dixerat autem*, np. quum adhuc esset in Chaldaea. Cf. Act. 7, 2. et Kuinoelium ad h. l. Mesopotamiae nomen ibi late sumitur, ut et Chaldaeam comprehendat, vid. Act. 7, 4. לְךָ־לְךָ *Ito tibi*, i. e. ito, migra. Frequens Hebraismus. Nam Pronomina affixa cum ל composita saepe, praesertim post Vba *eundi*, redundant. Gesen. *Lehrg.* p. 736. מֵאַרְצְךָ *e terra tua*, i. e. e Chaldaea. *Terra alicujus* Hebr. est patria ejus.

2. וְאֶעֶשְׂךָ לְגוֹי גָּדוֹל *Et faciam te in magnam gentem*, i. e. posteros tuos augebo, ut magnam gentem efficiant. וַאֲבָרֶכְךָ *et benedicam tibi*, felicitabo te omni genere bonorum. Latiori sensu, quam de sola numerosa sobole capiendum est, ne *ταυτολογία* prodeat. וַאֲגַדְּלָה שְׁמֶךָ *et magnum faciam nomen tuum*, reddam te celebrem et clarum. וֶהְיֵה בְּרָכָה *Et esto benedictio*, i. e. eris benedictus, bonis cumulatus. Subst. pro Adj., ut Prov. 13, 1. מוּסָר, *castigatio* pro castigato. LXX. ἔσῃ εὐλογημένος.

3. אָאֵר — וַאֲבָרְכָה *Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi*, i. e. benefaciam iis, qui tibi faverint, sicuti iis, qui tibi nocere voluerint, adversabor. מְקַלֶּלְךָ *male precanti tibi* in Singul. est s. numeri enallage, s. collective capiendum. Recte LXX. τοὺς καταρωμένους σε. הָאֲדָמָה — וְנִבְרְכוּ *in te benedicentur omnes gentes terrae.* Onkelos pro בְּךָ posuit בִּדְיָלָךְ *propter te*, causa tui; et auctor τοῦ Thargum Hierosolymitani: בִּזְכוּתָךְ *merito tuo.* Nos iis adstipulamur, qui בְּךָ pro בְּזַרְעֲךָ *per semen tuum* capiunt, ut Abrahamo hoc promittatur, fore, ut per ejus posteros omnes orbis terrarum populi fortunentur, adducendi ab illis ad veri Dei cultum. Cf. Gal. 3, 8. Vid. de Ammon *Entwurf einer Christologie d. A. T.* p. 22. מִשְׁפָּחוֹת h. l. sunt *gentes*, cf. not. 10, 5.

4. מֵחָרָן — וַאַבְרָם *Et Abrahamus septuaginta quinque annos natus erat, cum Charane egressus est.* Abrahamus 75 demum annos natus dicitur, quum narratio, ut supra ad 11, 32. observavimus, revertatur ad ea, quae vivente adhuc Theracho contigerunt.

5. רְכוּשָׁם *Acquisita sua*, i. e. opes, facultates suas, quae praecipue pecudibus constabant. עֲשׂוּ — וְאֶת *Cum anima quam fecerunt*, i. e. cum servis, quos acquisiverant. נֶפֶשׁ enim collective denotat *servos*, mancipia. Sic Ezech. 27, 13. LXX. ψυχή. Vid. Apocal. 18, 13. עָשָׂה hic id q. קָנָה, *acquirere*, 30, 30. Dent. 8, 17.

6. עַד מְקוֹם שְׁכֶם *Usque ad locum Sichemi*, i. e. ubi deinde urbs Sichem exstructa est. Abrahami tempore nondum natus fuit

Siehemus, a quo urbs illa nomen accepit, 34, 2. Sita est urbs in Samaria inter montes Ebal et Garizim in planitie multis fontibus irrigua. A Graecis et Romanis *Neapolis* dicebatur, et hodie Arabibus *Nabolos* s. *Naplosa* dicitur. עַד אֵלוֹן מוֹרֶה *Usque ad Terebinthum Moreh.* Etiamnum terebinthi in Palaestina frequentes sunt, et quum per plura secula durent, fiunt saepe geographiae monumenta. Deinde sicut olim quercus a Graecis, Celtis et Germanis, ita terebinthi ab Orientalibus propter ipsarum longaevitatem colebantur tanquam arbores sacrae, sub quibus sacra faciebant. מוֹרֶה videtur nom. viri esse, a quo arbor illa aut tractus nomen habuit, ut 13, 8. (ubi cf. not.) מַמְרֵא, cum quo tamen non est confundendum. Verba וְהַכְּנַעֲנִי אָז בָּאָרֶץ *Cananaeus autem tunc erat ea in terra*, uti similia 13, 7., nonnulli existimarunt non esse a manu Mosis. Quod etiam ut statuamus minime necesse est. Nam illa observatione, quae sine lectoris jactura abesse posset, nihil singulare continetur. Sic idem, quod hic, et 13, 7. sine necessitate repetitur. Josua (21, 2.) primores Israelitarum alloquitur *Siluntem in terra Canaan*, at quis nesciebat, Siluntem esse in terra Cananaea?

8. וַיַּעְתֵּק מִשָּׁם *Et revellit inde* sc. paxillos terrae infixos, quibus alligata erant tentoria. Vid. Jud. 4, 21. הָהָרָה מִקֶּדֶם לְבֵית־אֵל *Montanam regionem versus, quae est Betheli ab Oriente.* Hic est *πρόληψις*, urbs enim Bethel a Jacobo demum hoc nomen accepit: Abrahami tempore *Luza* vocabatur, Jud. 1, 23. Sub montana regione intelligi videtur asperum illud montanumque desertum in latere septentrionali urbis Jericho, quod hodie *Quarantania* dicitur, Nomadum errationibus perquam aptum. בֵּית־אֵל מִיָּם *Bethel a mari*, i. e. ab occidente, quae coeli plaga Hebraeis *mare* vocatur, quia ad occidentem Judaeae est mare mediterraneum. *Ai* erat urbs in Judaea sita, quam Israelitae sub Josua ceperunt, Jos. 8, 9. 12. וַיִּבֶן — יְהוָה *Aram quoque ibi in honorem Dei exstruxit et Deum invocavit*, h. e. sacra fecit.

9. וַיִּסַּע — וְנָסֹעַ *Et profectus est Abrahamus eundo et proficiscendo*, i. e. sensim iter perseeutus est, Nomadum more. הַנֶּגְבָּה *meridiem versus.* Illa Palaestinae pars, quam postea tribus Judae accepit, in quatuor partes dividitur, quae sunt *Montana, Planities, Desertum et Terra meridionalis.* In ultimam hanc partem, quae Aegypto confinis est, Abrahamus jam abibat. LXX. *ἐν τῇ ἐρήμῳ*, quippe נֶגֶב aliquando *terra sicca et arida*, vid. not. Ps. 126, 4.

3. *Abrahamus famis causa in Aegyptum migrat. Uxorem ejus rex Aegypti rapit, et restituit.* 12, 10—20.

10. וַיְהִי רָעָב בָּאָרֶץ *Oborta autem est fames in ea terra.* Canaan illis temporr. non ita colebatur, ut non interdum frumenti penuria oriri posset. וַיֵּרֶד אַבְרָם מִצְרַיְמָה *Et Abrah. descendit in Aegyptum*, nam Palaestina altior est Aegypto. Vid. *Alterthumskunde*

I. 1. p. 140. לָגוּר שָׁם *Ad commorandum*, sc. dum annona levaretur.

11. מִצְרָיְמָה — וַיְהִי *Factumque est, cum appropinquasset, ut ingrederetur in Aegyptum*, i. e. cum jam propius Aegyptum accessisset. הִקְרִיב transitive exponi potest, subaudiendo מַחֲנֵהוּ, *cum fecisset appropinquare*, s. propius admovisset *castra sua*. Potest tamen et neutrum exponi, ut saepe accidit Verbis *Hiphil*, natura sua transitivis, ut absolute sumantur. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 243. אִשָּׁה — יָדַעְתִּי *Novi te mulierem esse formosam.* Quamquam eo tempore Sara annos 67 nata erat, formosa tamen adhuc fuisse dicitur. Neque incredibile esse observant interprr. has ob causas: 1) Quum homines illo tempore adhuc diutius viverent, Sara annum 67 agens veluti in flore aetatis erat. 2) Sara nondum liberos pepercrat, quorum partu et nutritione solet mulierum forma et robur imminui. 3) In Aegypto pleraeque mulieres subfuscae aut nigrae sunt; Sara autem, quae in terra ad radices montium Armeniae sita, nata erat, ubi facies hominum candida, et mulierum forma venusta esse solet, etiam aetate provectior, Aegyptiis mulieribus pulchrior facile videri potuit.

13. אִמְרִי־נָא אֲחֹתִי אָתְּ *Quare dicas, quaeso, te sororem meam esse.* Etsi uxorem periculo exponeret, tamen hoc arte aliqua caveri poterat, si aut causam fingeret, quare Sara non posset in cujusquam connubium venire, aut saltem nuptias differret, donec occasio esset Aegyptum relinquendi, praesertim cum ceremoniae Aegyptiis solemnes multum temporis requirerent. At si Abrahamus dixisset, se maritum ejus esse, Aegyptii eum quam primum per insidias interfecissent, et Saram ad secundas nuptias coegissent. לְמַעַן יִיטַב־לִי בַעֲבוּרֵךְ *ut bene mihi sit propter te*, quorum verbb. sensus declaratur sqq. וְחָיְתָה נַפְשִׁי בִגְלָלֵךְ *et vivat anima mea propter te*, hoc tibi debebo, quod vivam.

15. שָׂרֵי פַּרְעֹה *Principes*, aulici *Pharaonis*. Intelliguntur fortasse praefecti regionibus Canaanae vicinis, qui peregrinos advenientes, praesertim eos, qui, ut Abrah., magnum agmen ducebant, observare jussi erant. *Pharao* erat communis regum Aegypt. titulus usque ad Ezechielis (32, 2.) tempora. In dialecto Copt. *OYPO* est *rex*, praemisso Articulo *ΠΙ-OYPO*, unde *ΦOYPO*. וַיְהַלְלוּ אֹתָהּ אֶל־פַּרְעֹה *Et laudarunt eam Pharaoni*, s. coram Pharaone. אֶל *coram*, ut Num. 13, 30. Jud. 11, 36. פַּרְעֹה — וַתֻּקַּח *Capta est mulier domum Pharaonis*, i. e. capta et deducta est domum Phar. Ante בֵּית subaud. לְ.

16. וּלְאַבְרָם הֵיטִיב בַּעֲבוּרָהּ *Abrahamo vero benefecit propter eam* sc. Pharao. LXX. εὖ ἐχρήσαντο; videntur הֵיטֵב, Infinit., legisse, quem pro verbo finito in Plur. ceperunt. וַיְהִי־לוֹ צֹאן־וּבָקָר *Erantque ei oves et boves*, quibus ipsum rex donavit. צֹאן, *oves, caprae*, pecus minutum; בָּקָר *bos*, deinde armenta majora. Porro inter Abrah. opes hic et *camelorum* fit mentio, quod animal Orien-

talibus et praesertim Nomadibus utilissimum est. Cf. *Plin. H. N.* 8, 18. Jam *Aristoteles* (Hist. Animal. 9, 15.) dicit *ab Arabum nonnullis* 3000 *camelorum possideri.* Hodienum Arabes etiam ex iis divitias suas aestimant. Ceterum offendere posset, quod hic medios inter *asinos et asinas* inseruntur *servi et ancillae.* Meliore ut videtur ordine in Cod. Samar. legitur עבדים ושפחות וחמרים ואתנות. Neque tamen Hebr. lectio est reprobanda, in qua per *πολυσύνδετον* voce. *ὁμοιοτέλευτα* וְשִׁפָּחֹת וַאֲתֹנֹת וַחֲמֹרִים וַעֲבָדִים et conjuncta sunt.

17. 18. נְגָעִים — וַיְנַגַּע *Sed percussit Jova Pharaonem plagis magnis,* aut morbis, aut alio infortunio. — 18. Qua ratione Pharaoni innotuerit, se suamque familiam propter Saram haec mala passos esse, non declaratur. Quodvis vero infortunium inexspectatum á gentibus antiquis pro signo irae divinae propter peccatum aliquod commissum habebatur. *Josephus* (Ant. 1, 8.) sacerdotes dicit regem monuisse. Sacerdotes apud Aegypt. erant regi a consiliis et rerum latentium periti; 41, 8.

20. אֲנָשִׁים — וַיְצַו *Et praecepit de eo Pharao viris*, i. e. certis hominibus, quos ad eam rem destinavit. עָלָיו i. q. בַּעֲבוּרוֹ, *propter eum.* וַיְשַׁלְּחוּ אֹתוֹ *Dimiserunt eum*, uxorem ac domesticos ejus, h. e. ad fines regni eos comitati sunt, quasi homines a quorum consortio abstinendum esset, ne si qua illis injuria fieret, graves propterea poenas Deus immitteret.

4. Abrahamus ex Aegypto redux pristinas sedes repetit. Lotum a se dimittit, qui in planitie Jordanis sedes figit. Abrahamus promissum de Cananaea a sobole sua possidenda accipit, eam peragrat et ad Mamrem tendit. Cap. 13.

Cap. 13, 1. 2. הַנֶּגְבָּה *Meridiem versus* sc. Cananaeae. Qui in illa regione degebant, meridiem vocabant australem partem tribus Judae et Idumaeam. — 2. כָּבֵד מְאֹד *valde gravis*, i. e. valde dives.

3. 4. וַיֵּלֶךְ לְמַסָּעָיו *Et ivit per mansiones suas.* LXX. *καὶ ἐπορεύθη ὅθεν ἦλθεν.* Vulg. *reversus est per iter, quo venerat.* Videtur enim Abrah. iisdem usum esse diversoriis, quibus eum e Canan. in Aegypt. proficiscebatur, usus est. מַסָּעִים sunt certa et definita loca, in quibus subsistunt, qui iter faciunt; Ex. 17, 1. Num. 10, 6. 12. Graeci *σταθμοὺς* appellant. מִנֶּגֶב *ab austro*, ut Vs. 1. בַּתְּחִלָּה *initio*, i. e. priusquam in Aegypt. demigraret. LXX. *οὗ ἦν σκηνὴ αὐτοῦ πρότερον.* — 4. יְהוָה — וַיִּקְרָא *Et invocavit ibi Abrah. nomen Jovae.* Iterum (vid. 12, 8.) ibi sacra fecit; gratias egit pro feliee reditu.

5. 6. וְאֹהָלִים *Et tentoria*, i. e. domestici multi et servi, qui in tentoriis degebant. —. 6. הָאָרֶץ — וְלֹא *Non ferebat eos terra*, i. e. מִרְעֵה הָאָרֶץ *pascuum terrae illius*, propter tam numerosas greges.

7. לוט — וַיְהִי *Aliquando exoriebantur rixae inter Abrahami et Loti pastores*, sc. quod sibi quilibet ex aquis et pascuis optima vindicabat. בָּאָרֶץ — וְהַכְּנַעֲנִי *Cananaei vero et Pherezaei tum terram incolebant*; cf. 10, 15 — 18. H. l. כְּנַעֲנִי certae alicujus illarum tribuum appellatio videtur, ut Ex. 3, 8. 17. 33, 2. 34, 11. Eae antiquiss. illis temporr. regionem Sichemicam, de qua hic sermo est incoluerunt. Postea haec loca videntur deseruisse, ut sedes suas ad mare mediterr., Zidonem versus transferrent, ubi Mosis tempore erant, Num. 13, 29. *Pherizaei* in montanis et sylvestribus Cananaeae sedes habuerunt, Jos. 11, 3. 17, 15. Commemorat vero Moses illas gentes, quia, si Abrah. et Lotus inter se porro rixae miscuissent, periculum erat, ne regionis incolae utrumque spoliarent.

8. 9. אֲנַחְנוּ — כִּי *Quia nos homines fratres*, i. e. consanguinei. — 9. לְפָנֶיךָ — הֲלֹא *Nonne universa terra coram te?* patet tibi? Per me licet eligas, quam in partem iturus sis. אִם־ הַשְּׂמֹאל *si ad sinistram* sc. discesseris; וְאִימְנָה *tum dextrabo*, ego ad dexteras ibo. *Dextra* et *sinistra* oppositas signif. plagas. Alii de septentrione et meridie intelligunt.

10. מַשְׁקֶה — וַיִּרְא *Et contemplatus est* (Lotus) *totum circa Jordanem tractum multis fontibus irrigatum.* Ex montanis np. regionibus circa Sichem abienti Loto in oppositas montes trans Jordanem occurrebant primum Jerichuntini agri copiosissimo fonte madidi, tum Jordanes ipse, qui a lacu inde Genezareth usque ad mare inter duo mediocrium montium juga, in valle, circiter tria milliaria German. lata, labitur, ex quo rivuli derivati erant, qui campos et agros irrigarent. מַשְׁקֶה et regio canalibus fossisque rigata. כְּגַן־ יְהוָה *Instar horti Dei.* Omnia in suo genere excellentissima *divina* s. *Dei* nominantur. כְּאֶרֶץ מִצְרַיִם *Sicut Aegyptus*, quae simili modo canalibus irrigatur. בְּאֲכָה צֹעַר *Usque venias ad Zoarem.* Zoar non urbs Aegypti fuit, sed una ex quinque illis, Sodoma, Gomorrha, Adama, Zebojim et Zoar, Sap. 10, 6. Quum Zoar nominatur, extremus ad austrum terminus convallis illius, quam nunc mare mortuum occupat, indicatur. Ceterum in nomine Zoar prolepsis est; Abrahami enim tempore *Bela* vocabatur.

11. הַיַּרְדֵּן — וַיִּבְחַר *Elegitque sibi Lotus omnem planitiem Jordanis*, ut in ea pecudes pascens hac illac vagaretur. וַיִּסַּע לוֹט מִקֶּדֶם *Et profectus est Lotus orientem versus*, ita enim מִקֶּדֶם hic vertend., neque *ab oriente*, ut alias, res ipsa docet, quum Jordanes sit ad orientem eorum locorum, in quibus Lotus cum Abrah. versatus fuerit. Phrasis est ellipt. pro וַיִּסַּע לוֹט לָשֶׁבֶת מִקֶּדֶם *profectus est Lot. ad habitandum*, s. *ut habitaret*, *ab oriente*, i. e. plaga orientali. Cf. 2, 8. Similis dictio Jos. 15, 1. *austrum versus*, *ab* s. *in extremitate australi.*

12. 13. כְּנָעַן — אַבְרָם *Abrah. Cananaeam inhabitavit*; Canan. stricte sic dictam, sc. illum tractum, qui mare mediterr. inter et

Jordanem jacet. Alioquin Cananaeorum regionem non minus Lotus incoluit. וַיֶּאֱהַל עַד־סְדֹם *et tentoria fixit usque ad Sodomam*, i. e. dum huc illuc migraret; quin et in ipsa urbe eum degisse liquet ex c. 19. Cf. not. Vs. 18. — 13. מְאֹד — וְאַנְשֵׁי *Sodomitae autem mali et peccatores Jovae erant valde.* לִיהוָה i. q. לִפְנֵי *in conspectu Jovae, ἐναντίον τοῦ θεοῦ*, quod additur ad exaggerandam Sodomitarum impietatem, q. d. omnem Dei timorem penitus exeusserant. Cf. Ezech. 16, 49.

15. Verba לְךָ אֶתְּנֶנָּה וּלְזַרְעֲךָ sunt qui vertant: *tibi, id est, posteris tuis dabo*, coll. Act. 7, 5. Sed quamvis Deus hos agros Abrahami demum posteris possidendos dederit; attamen iis, sensu dilutiore, Abrahamum donasse etiam censeri potest, quum in iis per plurimos annos pacate vixerit, consenuerit et obierit; quin et in agro a se emto Saram sepelierit et ipse tandem sepultus fuerit. Hinc Josephus (40, 15.) terram *Hebraeorum* vocat.

18. מַמְרֵא — וַיֶּאֱהַל *Et tetendit Abrah. tabernacula venitque et habitavit in quercetis Mamres.* Saadias reddidit: *fixitque Abrah. tentoria variis in diversoriis usque dum veniret et commoraretur in terra Mamres.* מַמְרֵא fuisse nomen viri Emoraei, patet ex 14, 13. Cf. not. ad 12, 6. אֵלוֹן מוֹרֶה eo in loco quo postea Sichem urbs est condita, אֵלֹנֵי מַמְרֵא autem haud procul ab Hebrone extitisse dicitur. Urbes Sichem et Hebron vero plurium dierum itinera invicem distant. Vid. *Alterthumskunde* I. 1. p. 157. אֲשֶׁר בְּחֶבְרוֹן *Quae in Hebrone* sunt, i. e. in Hebronensi agro. Ceterum sunt, qui existiment, antiquum huj. urbis nomen, *Arba* s. *Kirjath-Arba* (23, 2. 35, 4. Jud. 1, 10.), a Caleb tandem nepote mutatum esse in *Hebronem*; Jos. 15, 13. 14. 1 Paral. 2, 42. 43. Alii tamen putant, חֶבְרוֹן jam Abrahami temporibus urbis nomen fuisse, quod, dum in Aegypto degerent Jacobi posteri, in *Kirjath-Arba* mutatum fuerit; postquam vero expugnata urbs a Josua fuisset, inditum iterum esse illi priscum Hebronis nomen. Cf. Jos. 15, 13.

5. *Bello oborto inter regem Elymaidis et quinque Cananaeorum principes, diripitur Sodoma, et Lotus captivus abducitur. Abrahamus, hoc audito, victores aggressus omni praeda exuit et Lotum liberat. Melchisedecum decima praeda donat, cetera Sodomae regi restituit.* Cap. 14.

Cap. 14, 1. Hunc Vs. LXX. recte vertunt: *Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῇ Ἀμαρφὰλ βασιλέως Σενναὰρ, Ἀριὼχ βασιλεὺς Ἐλλασὰρ ..... ἐποίησαν πόλεμον κ. τ. λ.* Nam Amraphelis mentio inservit hic designationi temporis, quo haec gesta sunt. Foederatorum regum praecipuus, cui reliqui auxilium tulerunt, fuit Cedorlaomerus coll. Vs. 4. Vid. *Alterthumsk.* I. 1. p. 300. 304. Pro מֶלֶךְ־שִׁנְעָר Onkelos posuit מַלְכָּא דְּבָבֶל *rex Babelis*; nam שִׁנְעָר tractus fuit circa Babelem; 10, 10. Nomen regis Ellasaris, אַרְיוֹךְ, postea etiam haud inusitatum, gessit praefectus quidam militiae

Dan. 2, 14. אֶלָּסָר Symmachus et Hieronymus *Pontum* interpretantur. MICHAELIS cogitavit de *Punda*, urbe Babyloniae a Ptolemaeo memorata, et de Euphrate Tigrideque magnam Babyloniae partem Augusto mense maris in modum inundantibus, unde Ponti regio dici potuerit. Sane Babyloniae confinem tractum aliquem nomen Ponti tenuisse, suadet et hoc, quod Jonathan h. l. et supra 11, 2. pro שִׁנְעָר posuit דְּפוֹנְטוּס אַרְעָא. Sed pro אֶלָּסָר habet תְּלַשָּׁר, quod nom. est provinciae aut loci haud procul remoti, quod extat Jes. 36, 12. et 2 Reg. 19, 12. תְּלַאשָּׁר scribitur. עֵילָם esse *Elymaidem* vix dubium; vid. ad 10, 22. Elymaeorum reges tunc temporis Asiae potentissimos fuisse, ex iis, quae hic narrantur, colligi potest. Qui hoc Vs. ultimo memoratur, *Tidhal*, vocatur מֶלֶךְ גּוֹיִם *rex gentium*. Intelligi videtur Galilaeae rex, ut Jos. 12, 23., qui in officio manserit, atque ex foedere Cedorlaomero auxilium tulerit. Galilaeam enim constat גְּלִיל הַגּוֹיִם vocari, vid. Jes. 8, 23. Matth. 4, 15. *Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν*, quia multae et variae gentes in ea habitabant. 1 Maec. 5, 15. *Γαλιλαία Ἀλλοφύλων*. Cf. et Strabo L. 16. §. 34.

2. 3. Haec quinque oppida sita erant, ubi nunc *mare mortuum* est. הִיא־צֹעַר *haec* nunc dicitur *Zoar*. Haec formula saepius occurrit, ubi veteri nomini novum additur; vid. Vs. 3. — 3. כָּל־הַשִּׂדִּים *Omnes illi jungebant se ad vallem Siddim*, i. e. copias ibi coëgerunt. עֵמֶק שִׂדִּים Onkelos et alii vertunt *planities agrorum*, quasi שִׂדִּים sit Plur. nominis שָׂדֶה, qui vero שָׂדִים esse deberet. Rectius alii interpretantur *rectitudines* (coll. Arab. سَدَّ, in Conjug. 10. *rectus fuit*), ut *vallem*, *rectitudinem*, i. e. planam planitiem significet, ut Vs. 17. עֵמֶק שָׁוֵה. הוּא יָם הַמֶּלַח *Hoc est mare salis*, salsum, a summa aquarum ejus salsedine ita dictum; cf. ad 19, 25.

4. *Servierunt Kedor-Laomero*, i. e. vectigalia ei solverunt; 2 Reg. 18, 7. מָרַד — וּשְׁלֹשׁ non vert. *et tredecim annos rebellarunt*. LXX. recte: *τῷ δὲ τριςκαιδεκάτῳ ἔτει*. Similis phrasis Exod. 20, 11. Alias dicere solent Hebraei: בִּשְׁנַת שְׁלֹשׁ־עֶשְׂרֵה. Aliter tamen Vs. 5. בַּאַרְבַּע עֶשְׂרֵה שָׁנָה *anno decimo quarto*. מָרְדוּ *rebellarunt*, i. e. defecerunt in vectigali solvendo.

5. אֲשֶׁר אִתּוֹ *Qui cum eo*, sc. foederati erant. רְפָאִים LXX. *γίγαντας*. Sane nomen Hebr., quod *mortuos*, s. potius *manes* notat, c. e. Jes. 26, 14. 19. inditum constat gentium Cananaeorum alicui, hominibus magnae staturae haud dubie insigni, vid. Deut. 2, 11. Manes enim vita praedita corpora longitudine multum superant, unde et in fabulis manes ingentibus gaudent simulaeris. Cf. Virgil. *Aen.* 2, 772. 73. Seneca in Thyeste: *Saepe simulacris domus attonita magnis*; et in Oedipo: *Simulacra virûm majora viris*. Rephaeos inter eos populos fuisse, quorum fines Israelitis daturus erat Deus, patet ex 15, 20. Eos sedisse Moses dicit h. l. in עַשְׁתְּרוֹת קַרְנַיִם, quae urbs erat Basanitidis in tribu Manasse, Jos. 13, 31. Annis 400 post Abrahamum regem habuit Ogum, corpore immanem,

Deut. 3, 11. Nom. urbis Judaici duxerunt a *cornibus*, quod sita fuerit inter duos altissimos montes, quorum extrema cacumina referebant cornua. Alii a *gregibus cornutis* nomen arcessunt; vid. Deut. 7, 13. עַשְׁתְּרוֹת צֹאן *foetus gregis.* — זוּזִים, qui nusquam alias in V. T. reperiuntur, veteres etiam pro gigantibus habuisse videntur. LXX. ἔθνη ἰσχυρά, Onkelos, Syrus et Samaritanus *fortes* verterunt. MICHAELIS conjicit זוּזִים coll. Arab. زُزٌّ, *breves et crassos homines* notare ita ut, punctis בָּהֶם mutatis in בָּהֵם, sensus sit: *profligarunt Gigantes in Astheroth Karnaim, et brevioris*, mediocris, *staturae homines, qui inter illos erant.* LXX. etiam ἅμα αὐτοῖς. Sed הָם est Nom. propr. significans Zuzaeorum sedem antiquam eamque in Ammonitarum solo; nam Zuzaei Moabitas inter et Amoraeos, Gileaditidis, vel Basanis, incolas recensentur, ad occidentem maris mortui. Qui tertio loco nominantur, אֵימִים *Emaeos*, dicit ipse Moses Deut. 2, 10. in Moabitarum regione, antequam eam Loti posteri occupassent habitasse, et Gigantes fuisse. אֵימִים sonat *terribiles.* בְּשָׁוֵה קִרְיָתַיִם *in planitie* urbis *Kirjathaim;* nam שָׁוֶה Chaldaeis est *aequum esse* et Arab. سَوَّى *aequale*, rectum. Quum autem tres civitates Kirjathaim in V. T. commemorentur, prima, Sihonis, regis Emoraeorum, Rubenitis per sortem data, Num. 32, 33., in montanis posita, Jos. 13, 17. 19.; secunda, in Moabitide sita, Jer. 48, 1. 20. 21. Ezech. 25, 9.; tertia, in sorte tribus Naphtali, 1 Chron. 6, 61.; cujus hic mentio facta, videtur esse Moabitica, illa scil., quam ante Israelitarum egressum, Emaeis veteribus colonis ejectis sibi belli jure vindicaverunt Moabitae.

6. שֵׂעִיר — וְאֵת *Et Choraeos in montibus eorum*, videlicet *Seir.* Choraei sunt Troglodytae (nam חוֹר est *foramen*, τρώγλη), qui in montibus nunc desertis, quos olim Idumaei colucrunt, ante eos habitabant. Choraei et Deut. 2, 12. montana Seir tenuisse olim, sed ab Edomitis inde pulsi dicuntur. Seir vero recentius nomen videtur illis montanis tum demum, postquam Edomitae illa occupassent, i. e. situm. Nam שֵׂעִיר i. q. שָׂעִיר i. e. *hirsutum* denotat; quod erat nomen auctoris gentis Edomitarum. עַד אֵיל פָּארָן *usque ad planitiem* s. *campestria Pharan.* LXX. et Syrus אֵיל (i. e. אֵלוֹן) vertunt *terebinthum.* פָּארָן pars est desertae Arabiae ad Idumaeae montes usque porrectae, in qua Ptolemaeus *Pharanitas* collocat. Adhuc Hieronymi temporr. urbs quaedam *Pharan* in ea regione extitit. Mansit huic valli nomen illud usque hodie. Abest ab urbe *Sues* 24 milliaria. Cf. NIEBUHR *Reisebeschr.* P. I. p. 240. אֲשֶׁר עַל הַמִּדְבָּר *quae contigua deserto*, sc. Arabiae, in quo Israelitae Aegypto egressi habitarunt.

7. וַיָּשֻׁבוּ *Et redierunt.* Videntur a septemtrionibus in austrum progressi, initio facto a Basanitide, unde trans Jordanem iter facientes, cum in Idumaeam pervenissent, ad septentrionem, per or-

tum circumacto agmine, rediisse. עֵין מִשְׁפָּט propr. *fons judicii;* sic dici putant plures hunc locum a severo illo judicio, quod contra Mosen et Aaronem pronunciavit Deus, Num. 20, 12. Verum עֵין מִשְׁפָּט fuisse vetus loci nomen, inde patet, quod novum, tum, cum haec literis mandata sunt, magis notum nomen *Cadesch* subjungitur, ut supra Vs. 2. Pro קָדֵשׁ Onkelos h. l. et 16, 14. Num. 13, 26. 33, 36. posuit רֻקֵם, *Josepho* Ἀρεκὲμ, quam refert esse Petram, Arabiae petreae, Palaestinae australi confinis, metropolin. Vid. Relandi *Palaest.* p. 931. Ut reges confoederati Seirem ex Moabitide peterent, oportuit eos haud procul ab hoc loco transire, quum fuerint ad ortum Idumaeae, ad austrum maris mortui. Vid. Num. 13, 26. 33, 36. 37. Deut. I, 2. וַיַּכּוּ — הָעֲמָלֵקִי *Profligaruntque totum agrum Amalekitarum*, i. e. incolas illius regionis, quam postea occupaverunt Amalekitae, inter Aegyptum et Canaan. Amalek enim longo post tempore natus est, 36, 12. וְגַם אֶת־הָאֱמֹרִי *Et Amoritas quoque.* Vid. 10, 16. חֹצְצֹן־תָּמָר *qui Chazazon Thamar incolebant*, recentiori nomine עֵין גְּדִי *Engedi*, i. e. *fons capri*, 2 Par. 20, 2. Nom. compositum חַצְצֹן־תָּמָר ex Arab. dialecto interpretantur *locum irriguum palmis frequentem. Plinius Hist. Nat.* 5, 17. *Engadda est oppidum secundum Hierosolymis, fertilitate palmetorumque nemoribus.*

8. 10. וַיֵּצֵא *Exiit rex* etc. copiam scil. pugnae facturus, ut saepe יָצָא sumitur, ut 2 Sam. 11, 1. *Vertente anno, quo tempore egredinntur reges* sc. ad bellum gerendum. — 10. חֵמָר — וְעֵמֶק *Vallis Siddim putei putei bituminis*, h. e. repleta erat puteis bituminis. Repetitio ejusd. vocis multitudinem designat, ut Ex. 8, 14. Jud. 5, 12. 2 Reg. 3, 16. De חֵמָר vid. ad 11, 3. שָׁמָּה — וַיִּנָּסוּ *fugeruntque rex Sodomae et Gomorrhae et ceciderunt ibi.* Bituminis s. naphthae fontes longi atque errantes ingens fugientibus impedimentum objiciebant. Simili modo in regione prope Baku ad mare Casp. nonnullis in locis tanta vi ex terrae rimis ebullire solet, ut nonnunquam aditus sit periculosus. Kaempfer in *Amoenitatt. exotic.* Fasc. 2. relat. 2. §. 6. de his fontibus dicit: *fissurae erant mire angustae, non ultra pedem palmumque hiantes, breviores aliae et in hemicyclum ductae, aliae longo et incurvo flexu delirantes;* qui locus optime hunc Vs. illustrat. וַיִּפְּלוּ *Ceciderunt*, nec tamen perierunt, Vs. 17. 21. וְהַנִּשְׁאָרִים הָרָה נָסוּ *Et reliqui*, qui e proelio evaserant, *fugerunt ad montem*, ad montana.

11. 12. וַיִּקְחוּ — וַיִּקְחוּ וְעַמֹּרָה *Et ceperunt*, sc. victores (ut apparet ex iis quae sequuntur), *omnes facultates Sodomae et Gomorrhae.* Deest Nominativus. LXX. ἔλαβον δὲ τὴν ἵππον πάσαν τὴν Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας. Legerunt רְכֻשׁ pro רְכֻשׁ, sed Vs. 12. recte ἀποσκευὴν vertunt. אָכְלָם *cibum eorum*, i. e. annonam et commeatum. — 12. In priore Versus parte verba aliquatenus sunt inversa; nam verba בֶּן־אֲחִי אַבְרָם debebant sequi vocem לוֹט. Recte LXX. ἔλαβον δὲ καὶ τὸν Λὼτ τὸν υἱὸν τοῦ ἀδελφοῦ Ἄβραμ, καὶ τὴν ἀποσκευὴν αὐτοῦ.

13. וַיָּבֹא הַפָּלִיט *Venitque unus, qui ex proelio evaserat.* LXX. *τῶν ἀνασωθέντων τις.* ה est hic pro Artic. indefinito (Deut. 18, 6. 1 Sam. 1, 4.) habendum, et *quidam*, aliquis reddendum. Voc. הָעִבְרִי omnes fere Veteres ex Praepos. עֵבֶר *trans*, recte explicant, et putant Abrahamo hoc nom. inde datum esse, quod in Cananaeam migraturus Euphratem trajecisset. LXX. *περάτης*. Alii illud nomen ducunt ab *Hebero* (11, 14.) Abrahami abavo; vid. ad 10, 21. Sed vid. Gesenii *Geschichte der hebr. Spr. u. Schr.* p. 11. וְהֵם בַּעֲלֵי בְרִית־אַבְרָם *Et ipsi erant domini* s. *viri foederis Abram*, i. e. cum eo foedus inierant. LXX. *συνωμόται, conjurati.* Cf. Neh. 11, 18.

14. אָחִיו *Frater*, agnatus *ejus.* וַיָּרֶק אֶת־חֲנִיכָיו *Et expedivit instructos suos.* הֵרִיק alias (vid. not. Ps. 35, 3.), *gladios* lanceasve e vaginis, thecis *educere* sonat, hic per metaph. *milites in aciem* velut ex umbratica vita *educere* valet. Sic Arab. جَرَّدَ propr. *exuit, nudavit, evaginavit* gladium; metaphorice: *expeditum emisit agmen.* LXX., qui vertunt *ἠριθμησε*, fortasse וירק legerunt, quod ad דוק *curiosius inspicere* referebant, ita ut *numerare* sit i. q. *lustrare.* חֲנִיכִים *instructi*, i. e. bello adsuefacti, usu armorum triti et exercitati. יְלִידֵי בֵיתוֹ *Natos domus suae*, vernas, in domo sua educatos. וַיִּרְדֹּף עַד־דָּן *Et persecutus est* sc. hostes, *ad Danum usque.* Qui existimant, hanc esse urbem, quae Josuae temporibus id nomen consequuta est, quod a Danitis capta erat, et antea vocabatur *Laisch* s. *Leschem* (Jos. 19, 47. Jud. 18, 29.), ii haec a Mosis manu esse negant. Sed alii existimant, fuisse locum alium, a priori non remotum, ubi alter fontium Jordanis. Cf. *Joseph. Ant.* 1, 10. *B. Jud.* 4, 1. Si hoc verum sit, oportet Jordanis fontem, priusquam urbe Laisch novum nomen nanciscerctur, dudum *Dan* dictum, deinde, cum Danitae ea loca invasissent, non fontem tantum, sed ipsam etiam urbem vicinam id nominis esse sortitam. Interdum contigit, locum eandem appellationem duabus diversis de causis esse sortitum; quod factum in puteo deserti Judaeae, qui *Beerscheba*, h. e. *puteus jurisjurandi*, ex duobus illis sanctis foederibus dicitur. Vid. 21, 31. 26, 33.

15. 16. וַיֵּחָלֵץ — וַעֲבָדָיו *Et divisus est sese super eos nocte, ipse et servi ejus;* divisis copiis in eos cum servis suis irruit. Accesserunt Abrami confoederati, uti e Vs. 24. liquet. וַיַּכֵּם — חוֹבָה *Et percussit eos atque persecutus est eos usque ad Chobam*, quo nomine Eusebii adhuc tempore villa (*κώμη*) exstitit in tractu Damasceno. Cf. et Judith 15, 5. Vid. *Alterthumskunde* I. 2. p. 289. מִשְּׂמֹאל לְדַמָּשֶׂק *Ad sinistrum Damasci*, i. e. ad septemtrionem Damasci. Oriens enim censetur anterior mundi pars, occidens posterior, unde meridies *dextra* pars mundi, septemtrio *sinistra* vocatur. Vid. *Alterthumsk.* I. 1. p. 136. sqq. — 16. וְגַם — הָעָם *Et mulieres quoque et populum* sc. הֵשִׁיב *reduxit.* Perinde est, ac si di-

xisset: *mulieres, universam denique* plebem. Nam voce עַם mulieres jam continentur.

17. 18. הַמֶּלֶךְ — אֶל *In vallem Schave*, quae *et regia vallis vocatur.* Vallis hujus *regiae* mentio fit 2Sam. 18, 18. Videtur fuisse ad septemtrionem Salemi, nam ex Damasco redeunti Abramo in aliam coeli plagam non obviam ire potuit Melchisedecus. — 18. Nom. מַלְכִּי־צֶדֶק, quod denotat *regem justum,* nonnulli volunt non huic regi proprium, sed titulum honorificum fuisse, quale *Augustus.* Verum tum scribendum erat: מֶלֶךְ צֶדֶק. Est vero haec Hebr. Nominum proprr. indoles, ut cum componuntur e duobus nominibus, quorum prius est concretum, posterius abstractum, tum concretum recti, abstractum obliqui casus sit, et inseratur Jod, connexionis vim habens. Sic אֲבִימֶלֶךְ 20, 22., אֲדֹנִי־צֶדֶק Jos. 10, 3. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 520. Ab Hieronymo et in utraque Chaldaica paraphrasi, Jonathanis et Hierosolymitana nomini Melchisedeci additur: הוּא שֵׁם בַּר נֹחַ *hic est Semus, Noachi filius.* Verum quod Hebraeos in hanc sententiam traxit, hoc fuit haud dubie, quod virum tam laudatum, et ipsi Abrahamo praelatum, noluerint e sua gente extraneum facere. Dicitur Melchized. מֶלֶךְ שָׁלֵם *rex Salem*, quam quidem eandem urbem fuisse, quae deinde Jerusalem vocata est, vetus est opinio, in qua jam Josephus et Onkelos fuere. Sane Ps. 76, 3. Hierosolyma dicitur Salem. Sed et alia urbs שָׁלֵם dici potuit, usitatissimo nomine, non poetico tantum. Potius bene congruit huic narrationi, quod dicit Hieronymus: „Salem fuit oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchizedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnitudinem.“ Sita erat urbs Salem in tractu lacus Genesaricum inter et mare mortuum, ad occidentale Jordanis latus. Gen. 33, 17. 18. *Salem* loci nomen esse est dubium. הוֹצִיא לֶחֶם וְיָיִן *Produxit*, attulit, *panem et vinum;* obtulit Abrahamo et servis ejus cibos, quibus se reficerent. Nonnulli hic de sacrificio cogitarunt, quod Melchizedecus Deo obtulerit; sed ejus nulla hic mentio fit. הוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן *Is autem fuit sacerdos Dei summi.* Apud antiquissimos populos rex simul erat sacerdos vel Pontifex. Vid. Virgil. *Aeneid.* 3, 80. Idem dicit Aristoteles in *Polit.* 3, 14. et Diogenes Pythagoricus apud Stobaeum Serm. 46. (Vers. lat.): *Necesse est, perfectum regem imperatorem esse strenuum, et judicem, et sacerdotem.*

19. 20. וַיְבָרְכֵהוּ *Bene precatus est ei*, Abramo, gratulatus est ei de victoria in hostes parta, et fausta quaeque ei est apprecatus. LXX. εὐλόγησε. עֶלְיוֹן — בָּרוּךְ *benedictus* sit *Abramus Deo summo*, s. *benedictus Dei summi*, i. e. benefaciat ei Deus. ל ante אֵל refert benedictionem ad Deum auctorem, et per *ab* exprimendum, ut Prov. 21, 31. קוֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ *Qui possidet coelum et terram*, i. e. dominus coeli et terrae. LXX. ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Nec male, quum קָנָה Syr. quoque et Arab. et *creandi*

notionem obtineat; cf. not. Ps. 139, 13. — 20. בָּרוּךְ אֵל עֶלְיוֹן *Benedictus sit Deus supremus*, i. e. laudetur Deus, gratiae ei agantur. אֲשֶׁר מְגַן LXX. recte: ὃς παρέδωκε, *qui tradidit*. וַיִּתֶּן־לוֹ מַעֲשֵׂר מִכֹּל *Deditque* Abrahamus *ei* Melchizedeco, *decimam ex omnibus*, sc. quae e proelio reduxit; *decimam praedae partem*. Plures antiquitatis populi haud raro decimam de praeda partem diis sacraruut. Decimis de praeda Melchizedeco solutis, non modo gratiam ei rependit Abrah., quod cum muneribus et faustis precationibus exceperat, verum et publice declaravit, se illum tanquam unius veri Dei sacerdotem agnoscere et venerari.

21. 22. *Dixitque rex Sodomae Abramo*: תֶּן־לִי הַנְּפָשׁ *da mihi animas*, i. e. homines Sodomitas, quos reduxisti. נֶפֶשׁ (vid. not. 12, 5.) hic *captivi*, qui a servis multum non differebant, quippe quos victor vendere, si vellet, poterat. וְהָרְכ�ush קַח־לָךְ *Opes vero tibi sume*. Ex jure belli illorum temporum ea, quae rex Sodomitarum in pugna amiserat et Abrah. hostibus rursus ereptuerat, videntur Abrahami possessio facta esse, ita ut non oportuerit eum illa regi Sodomitarum, licet socio et amico, restituere. Vid. Michaelis *Mos. Recht*, P. 3. p. 251. — 22. הֲרִמֹתִי יָדִי *Sustuli manum meam*. Jurantium est gestus, qui Deum testem advocantes, eum veluti, manu ad coelum, sedem ejus, porrecta, digito ostendunt. Vid. Deut. 32, 40. Ez. 20, 5, 6. Dan. 12, 7. Apocal. 10, 5. 6. *Aeneid.* 12, 195—97. אֵל־וְאָרֶץ *Ad Jovam Deum summum conditorem coeli et terrae*. Videtur Abrah. de industria his verbis uti, ut Melchizedeco, qui tunc aderat, et iisdem verbis antea erat usus, ostenderet, coli a se eundem Deum, cujus ille sacerdos esset. אֵל עֶלְיוֹן i. q. יְהוָה.

23. 24. אִם — נַעַל *Si a filo usque ad corrigiam calcei* quicquam summam, sc. τάδε ποιήσει μοι ὁ θεὸς, καὶ τάδε προσθείη (1 Sam. 25, 22.). Particula אִם in jurejurando usitata, elliptice ponitur; *quodsi hoc* fecero, sc. Deus me male perdat, *hoc et illud mihi faciat*, ut 1 Sam. 14, 44. plene dicitur. Corrigiae notant rem vilissimi pretii. Sensus: *ne vilissimum quidem de his omnibus, quae tua sunt, accepturus sum.* Voc. חוּט, *filum*, sunt qui intelligant de vestimentis ex ea materia factis (veluti צֶמֶר et פִּשְׁתָּה, *lana* et *linum* Hos. 2, 5. [al. 7.] pro vestimentis; אֶטוּן, *filum*, *funiculus*, Prov. 7, 16. pro *tapetibus*), ut adeo res pretiosae indicentur, quae veteribus inter divitias erant, et sensus sit: *non a rebus pretiosioribus usque ad vilissima quaevis.* Sane constructione phrascos per Partic. מ sequ. עַד majora minoribus, e. e. Jon. 3, 5. Esth. 1, 20., opponi solent. — 24. Voc. בִּלְעֲדֵי fere reddunt *praeter*, *praeterquam*. Sed compositum est ex בַּל *nihil*, *non*, et עַד *ad*, *usque ad*; vertendum igitur: *non* s. *nihil ad me*, sc. perveniet; *tantum quod comederunt pueri*, rel. הַנְּעָרִים *juvenes*, servi illi quos in proelium duxit, quemadmodum et 2 Sam. 2, 14. 1 Reg. 20, 14. milites eo nomine designantur.

6. *Deus Abrahamo sobolem promittit, foedus cum eo init terramque Cananaeam posi quadringentos annos propriam posterorum ejus futuram docet* cap. 15.

Cap. 15, 1. בַּמַּחֲזֶה *In visione*, quod perinde esse videtur ac בְּמַרְאֹת הַלָּיְלָה *in visionibus noctis*, 46, 2. Cf. et 15, 12. 13. 28, 12. 13. sqq. 20, 20. 31, 24. אָנֹכִי מָגֵן לָךְ *Ego* sum *clypeus tibi*, i. e. praesidium s. praesidio adversus omnia pericula; Ps. 3, 4. Nonnulli Hebraeorum haec verba Dei Abrahamum confirmantis eo spectare tradunt, quod timuisset sibi ab illis regibus, quos bello erat aggressus, aut eorum propinquis, ne rursum collectis copiis rediret in terram Canaanaeam. שְׂכָרְךָ הַרְבֵּה מְאֹד *Merces tua multum* (nam Infin. Hiph. Verbi רָבָה adverbialiter usurpatur) *valde*, sc. copiosa admodum erit. LXX. ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται σφόδρα. Alii repetunt אָנֹכִי, *ego*, inquam, *sum merces tua*, egregio sensu, quasi se Deus significet ipsius amplissimam mercedem futuram, sicuti Deus Levitarum *haereditas* et *pars* dicitur Num. 18, 20. Deut. 18, 2. Cf. Jos. 18, 7. et not. ad Ps. 16, 35.

2. 3. עֲרִירִי — מַה *Quid mihi dabis? sine prole ego ex hac vita discedam.* Sub mercede enim Abrah. majores divitias intelligebat, quibus, liberis carens, haud admodum indigere se existimabat. וְאָנֹכִי הוֹלֵךְ עֲרִירִי *orbus ego discedo* s. *discedam.* LXX. ἀπολύομαι ἄτεκνος. Sane de discessu ex hac vita saepius, ut Ps. 39, 14. 58, 9. dicitur. H. l. tamen אָנֹכִי הוֹלֵךְ valere videtur: ego vitam traduco, vivo, sum. Sic Jer. 6, 28. הֹלְכֵי רָכִיל *incedentes obtrectatores* notat, qui tales sunt. Quod sequitur בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי, praeter LXX., qui ὁ δὲ υἱὸς Μάσεκ τῆς οἰκογενοῦς μου, *hic autem filius Masecae, vernaculae meae*, et Syrum, qui reddidit: *et Elieser Damascenus, filius domus meae, haeres est mihi*, reliqui veteres omnes de *procuratore domus* Abrahami intellexerunt. Propriam vero nominis מֶשֶׁק significationem alii referunt ad שׁוּק s. שָׁקַק *discurrere, discursitare*, ut בֶּן־מֶשֶׁק sit *filius cursitationis*, i. e. procurator domus, qui ceteris servis praecst, vel quod ad eum omnes currunt, ad mandata ab eo accipienda, vel quod ipse per omnes partes domus currit, ipse omnia inspecturus. Alii tamen rectius מֶשֶׁק illustrant ex Arab. مَشَقَ, propr. *pectinare, carminare, polire*, metaphor. *diligenter et nitide curare* (مَشْقٌ *cura*), ut בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי *filius politionis domus meae* sit politor, procurator domus meae, qui universam domum administrat, curat et polit, et, ut ita dicam, sub suo pectine comtam nitidamque servat. Sic *politores* et Latinis dicti sunt, qui agros curarent pectinarentque. Praeterea *procuratoris* significatio huic loco apprime est apta; nam in ingenti servorum numero, qualem Abrah. habuit, vix dubium est, quin unus esset, qui ceteris praecrat. Sic Josephus Potipharis heri familiae praefectus fuit, 39, 4. 22., et ipse libertatem nactus procuratorem habuit, 44, 1. Procurator ille vocatur דַּמֶּשֶׂק, *Damasco oriundus*, ut subauditur אִישׁ s. בֶּן, *homo* s. *filius Damasci.* Urbs vero Da-

maseus, ut h. l. patet, antiquissimis terrae urbibus est adnumeranda. Cf. *Alterthumsk.* I. 2. p. 284. Conqueritur ergo Abrah., quod alienigenae, non proprio filio, domus suae curam committere bonaque sua relinquere cogatur. — 3. בֶּן־בֵּיתִי יוֹרֵשׁ אוֹתִי *Filius domus meae*, verna, i. e. Eliezer, aut alius ex meis domesticis, quasi diceret, יְלִיד בֵּיתִי, ut 14, 14. Lotum haereditate exclusit; unde colligere licet, moris tunc fuisse, ut, si quis sine prole decederet, verna familiae praefectus haeres ipsi fieret.

4. 6. יִירָשְׁךָ — אֲשֶׁר *Qui egreditur e visceribus tuis*, i. e. filius, qui nascetur ex te, *haeres tibi* erit. LXX. Ὃς ἐξελεύσεται ἐκ σοῦ, οὗτος κληρονομήσει σε. — 6. וַיַּחְשְׁבֶהָ לוֹ צְדָקָה *Imputavit ei hoc justitiam;* fidem Abrahami pro egregio religionis et pietatis argumento accepit. Facta enim est Abrahamo haec promissio eo tempore, quo parum verisimile erat eum liberos habiturum, cum jam annum 80. superasset. צְדָקָה, ut δικαιοσύνη saepe est *pietas*, *religio;* Rom. 4, 3. sqq.

8. 9. בַּמָּה אֵדַע כִּי אִירָשֶׁנָּה *Unde vero cognoscam, me illam possessurum?* Abrah. non dubitavit de divina promissione. Tribuit autem scriptor Abrahamo hanc interrogationem nullum alium in finem, nisi ut viam sibi pararet ad eam, quam proferre voluit, narrationem de foedere, quod Jehova cum Hebraeorum progenitore inierit, atque de mira praedictione eorum, quae illius posteris eventura essent. Hujusmodi oraculis et praedictionibus multum tribuebant Hebraei ad gloriam suam extollendam. — 9. עֶגְלָה מְשֻׁלֶּשֶׁת nonnulli vertunt: *tres vitulos;* plurimi vero rectius: τριετίζοντα, *triennem* s. *trimam.* Vid. Jes. 15, 5. Deus autem voluit animalia trima, quia tali aetate in pleno robore et vigore aetatis sunt. גּוֹזָל *pullum* quidem et aliarum avium, sed potissimum columbini generis significat.

10. Quae hactenus narrata sunt, videntur gesta *in visione*, cuj. descriptio Vs. 9. desinit. Abrah. vero expergefactus animalia ista cepit et discerpsit. וַיְבַתֵּר אוֹתָם בַּתָּוֶךְ *Et dissecuit ea in medio.* Verb. בָּתַר, *dissecuit* non nisi h. Vs. occurrit, unde nom. בֶּתֶר *pars dissecta*, hoc Vs. et Jerem. 34, 18. 19. et *separatio* Cant. 11, 17. Cf. Arab. بَتَرَ *resecuit* et بَطَرَ *fidit.* וַיִּתֵּן אִישׁ־בִּתְרוֹ *Ac posuit virum segmenti sui*, i. e. unumquodque segmentum, לִקְרַאת רֵעֵהוּ *ex adverso socii sui*, i. e. alterius. Sic Hebraei *viri* et *feminae* nomen, *socii* et *sociae*, *fratris* et *sororis*, usurpant de unaquaque re masculi aut femin. generis, quae alteri adjungitur. Dicitur, Abrahamum partes animantium dissectas altrinsecus posuisse, ita ut quaeque alteri ex adverso responderet; singulas singulis opposuit. LXX. καὶ ἔθηκεν αὐτὰ ἀντιπρόσωπα ἀλλήλοις. Describitur ritus, quo foedera inter Hebraeos pangi solerent; cf. Vs. 18. Partes paciscentes per animalia dissecta transibant (Jer. 34, 18. 19.), quod innuebat, eos imprecari sibi, ut qui prior violasset foedus, non se-

cus caederetur ac perderetur, quam animal foederi adhibitum, caedebatur. Credibile est, Abrahamum similiter inter partes victimarum diversarum transiisse, quamvis hoc Moses non diserte dicat. Ex Vs. enim 17. patet, Deum huic ritui simile quid fecisse. Ceterum ex hoc ritu vix dubium ortam esse phrasin כָּרוֹת בְּרִית *scindere foedus*. Sic antiquissimi Graeci: ὅρκια τέμνειν, *juramenta secare*, ἀντὶ τοῦ pactum jurejurando et divisis victimis sancire. Il. 2, 124. Plutarchus in *Quaestt. Romanis*: *apud Boeotos est sacrificium, quo cane in duas partes discisso, per earum medium transire solent.* Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. 1. p. 57.

11. 12. וַיֵּרֶד הָעַיִט עַל־הַפְּגָרִים *Descendit autem avis rapax* (ab עיט *irruere*), quod collective sumendum est, involarunt aves rapaces, *super*, in *cadavera*, illa sc. segmenta. וַיָּשֶׁב אוֹתָם *exsufflavitque*, flatu abegit, *eas*, nam quia עַיִט collectiv. est pronom. Suffix., plural. ponitur. Quod volucres dissectorum animalium partes appetiisse narrantur, signum fortasse scriptor esse voluit hostium diversorum in Israelitas incursantium, sed facili opera abigendorum. — 12. וַיְהִי הַשֶּׁמֶשׁ לָבוֹא *Et factum est, sol ad occidendum*; cum sol ad occasum vergeret. וַיְהִי non est ad הַשֶּׁמֶשׁ referendum, sed fertur in totam sententiam, ut Vs. 17.; quasi ita כַּאֲשֶׁר הָיְתָה הַשֶּׁמֶשׁ לָבוֹא *cum esset sol ad ingrediendum*, i. e. occidendum; loquuntur enim Hebraei de solis occasu vulgi et poëtarum more, quo videtur et putatur immergi Oceano, unde et cum oritur, verbo יָצָא *exeundi*, utuntur, quod ex Oceano videatur egredi. וְתַרְדֵּמָה נֹפֶלֶת עַל־אַבְרָם *Et sopor incidit super Abrahamum.* LXX. ἔκστασις ἐπέπεσε τῷ Ἄβραμ. Apposite ad rem; neque enim sopor naturalis hic erat, sed a Deo immissus. וְהִנֵּה — עָלָיו *Et ecce terror, obscuritas*, caligo, *magna cadens*, cadebat, *super eum*. Ejusmodi terror cum sopore conjunctus divinas ἐπιφανείας cernentes invadere solebat; Job. 4, 13. sqq. 33, 15. Dan. 10, 9. Vid. et Iliad. 2, 41.

13. 14. יָדֹעַ — לָהֶם *Scito, posteros tuos peregrinos futuros esse in terra non sua*; i. e. aliena, sc. Aegypto. וְעָבְדוּם *Et servient* posteri tui *iis*, incolis terrae peregrinae. Verbum ponitur plurale, quod זֶרַע est collectivum, et affix. pro separato לָהֶם. Vid. Gesenii *Lehrg.* p. 729. וְעִנּוּ — שָׁנָה *Et adfligent* sc. terrae alienae incolae, *eos per* 400 *annos*. Israelitae 430 annos in Aegypto commorati sunt, Exod. 12, 39., sed in oraculis numerus minor omitti solet. — 14. *Sed ego in eam gentem, cui servient, animadvertam, et denique cum magnis opibus illinc emigrabunt.* וְגַם אֲנֹכִי *Ego judicabo*; puniam. Num quum poenae antecedat judicium, ideo *judicari*, ubi de malis est sermo, etiam *punire* sonat; I Sam. 24, 16. Jes. 26, 9.

15. 16. וְאַתָּה — אֲבֹתֶיךָ *Tu vero ad patres tuos ibis*; mortis περίφρασις. Latini: *ire ad plures, ire in communem locum.* Apud Hebraeos finitimosque Aegyptios singulis familiis sua in montium cavernis erant spatiosa sepulcra. Hinc phrases: *ad patres suos ire*, s. *colligi*. Aliis ejusmodi locutiones originem duxisse videntur ab opinione, animos mortuorum certa quaedam loca petitu-

ros, et unamquamque nationem et familiam seorsim ab aliis sedes habituras esse. Animis enim hominum, qui vitam futuram esse credunt, insita est cupiditas videndorum aut consanguineorum, aut popularium, qui famam egregiam reliquerunt. — 16. הֵנָּה — וְדוֹר *Et generatio quarta redibunt huc.* דוֹר *generatio*, *aetas*, homines eadem aetate viventes. Alii, ante דוֹר subaudito ב, vertunt: *in generatione quarta*, τετάρτῃ δὲ γενεᾷ. Qui vero quatuor has generationes ex communi generationis notione disterminare velint, eos erroribus implicari necesse est. Contextu enim docemur, voc. דוֹר hic de *longiore temporis spatio* capiendum esse (Arabs uterque interpr.: جِيلٌ, גיל) et *seculum* valere. Nam Vs. 13. numerantur *quadringenti anni*, per quos Israelitae in Aegypto sint habitaturi. Cf. not. ad Ex. 12, 40. הֵנָּה — כִּי *Improbitas enim Amoraeorum non perfecta est huc usque*, i. e. nondum ad summum pervenit, sic ut a Deo amplius non sit toleranda. Amoraeis reliquae omnes Palaestinae gentes indicantur, quarum nomina omnia raro simul ponuntur.

17. וַיְהִי הַשֶּׁמֶשׁ בָּאָה *Et fuit, sol iverat*, i. e. postquam occidisset. Minus recte LXX. ἐπεὶ δὲ ὁ ἥλιος ἐγένετο πρὸς δυσμάς, *quum sol ad occasum vergeret*, quod Vs. 13. erat לָבוֹא. בָּאָה non est Particip., sed 3. Praeter. fem.; sequitur enim וַעֲלָטָה הָיָה *et densa caligo erat.* LXX. φλὸξ ἐγένετο, quasi לֶהָבָה *flamma* legissent. הָאֲלָה — וְהִנֵּה *Et ecce! clibanus fumans et fax ignea, quae per partes illas animalium dissectas transibat;* Dei praesentis ac foedus cum Abrahamo ferientis indicia (Similiter Ex. 19, 18. 20, 15.). Sunt, qui h. l. *fornace* significari putent Aegyptiacam servitutem, quae Deut. 4, 20. Jer. 11, 4. *fornax ferrea* dicitur, *face* vero liberationem, coll. Jes. 62, 1. Quae tamen aliena videntur ab h. l., ubi clibanus et lampas inter victimas transeunt, quemadmodum, qui foedus ineunt.

18. בְּרִית — כָּרַת *Cecidit*, pepigit, *Jova cum Abrahamo foedus;* vid. not. Vs. 10. *Foedus* est hic i. q. promissio, vid. ad 6, 18. Promittit vero Deus hic Abrahamo, se ejus soboli possidendum daturum omnem illum terrarum tractum, qui מִנְּהַר מִצְרַיִם *inde a flumine Aegypti ad fluvium magnum, Euphratem*, usque porrigitur. *Flumen Aegypti* sine dubio est *Nilus.* Jos. 13, 3. terminus terrae Israel. fluvio שִׁיחוֹר describitur, cujus fluvii Jes. 23, 3. Jer. 2, 18. mentio fit, quem Jesajas mox יְאוֹר vocat, quo nomine Nilus intelligitur. Numquam quidem Israelitae fines suos protraxerunt ad Nilum. Laxius tamen Euphrates et Nilus, duo nobilissima flumina tamquam extremi terrae Hebr. termini sibi opponuntur Jes. 27, 12. Jer. 2, 18. Praeterea Davidis tempore Salomonisque, reges inter illos fluvios positi aut omnes, aut plerique regum Hebraeorum vectigales fuere; 2 Chron. 9, 26. coll. 2 Sam. 8, 3. Ad Euphratem vero jam ante Davidem termini terrae Israel. exporrecti erant. Mons

enim Gilead, qui in potestate Israelitarum semper fuit, Gileaditidi nomen impertiens, Euphrati fuit quam Jordani propior. Sauli tempore ad Euphratem ipsum Israelitae transjordanenses fines suos protulerunt; vid. 1 Paral. 4, 9. 10. Antequam ergo Davides regnum capesserat, tres ultra Jordanem tribus desertis Arabiae usque ad Euphratem potiti erant, libere per illa greges pascentes, aliosque idem facere vetantes. Palmyra autem s. Thadmor, quae urbs diei tantum itinere ab Euphrate aberat, a Salomone aut condita aut munita erat. 1 Reg. 9, 18. 2 Paral. 8, 4.

19—21. Qui his Vss. nominantur populi, veteres Palaestinae incolae erant. הַקֵּינִי *Kenaei* in meridionali tribus Judae tractu habitabant. 1 Sam. 27, 10. 30, 29. *Kennizaeorum*, הַקְּנִזִּי, nomen deletum esse videtur in eo temporis intervallo, quod inter Abrahamum et Mosen intercessit, quum Josua nullam eorum mentionem faciat. הַקַּדְמֹנִי, Kadmonaeos sunt qui putent eosdem ac *Hevaeos* esse, qui 10, 17. inter Cananaeos recensentur. Dicti fuerint Orientales, quod, uti Jos. 11, 3. Jud. 3, 3. dicitur, occuparunt montem Hermon, quae pars erat terrae Cananaeae maxime orientalis. — 20. De *Chittaeis* vid. ad 10, 15., de *Pherizaeis* ad 13, 7., de *Rephaeis*, 14, 5. — 21. De *Amoraeis*, *Girgesaeis* et *Jebusaeis* vid. ad 10, 15. 16. *Cananaeis*, qui hic diserte nominantur, sensu strieto intelligenda est gens ea, quae in regione Sichemi habitaverat; vid. ad 13, 7.

7. *Sara sterilis Hagaram Abramo pellicem dat, ab ea gravida spernitur, maleque ancillam habet. Hagara fugit, sed ab angelo jussa domum redit, et Abramo filium parit.* Cap. 16.

Cap. 16, 1. 2. Nomen הָגָר, quod Arabibus notat: *discessit a suis, de regione in regionem migravit*, uti fit *propter persequutionem*, ancillae, quum natu Aegyptia esset, haud credibile est, a parentibus inditum fuisse; sed cognomen est a fatis desumtum. — 2. עֲצָרַנִי יְהוָה מִלֶּדֶת *Occlusit me*, i. e. uterum meum (20, 18.) *a pariendo*, impedit me Jova ne pariam. אוּלַי אִבָּנֶה מִמֶּנָּה *Forsan aedificabor ex ea.* LXX. ἵνα τεκνοποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς, *ut habeam filios ex ea.* Liberos tamquam aedificium parentum sistit *Plautus* in *Mostellaria*. Act. I. Sc. 2. Vs. 38. sqq. et cf. Exod. 1, 21. Deut. 25, 9., quibus locis de liberis procreandis eadem metaphorica loquendi formula usurpatur. Ceterum patet ex hoc loco et 30, 3., heram, quando ancillam viro permittebat, liberos, quos illa peperit, tanquam suos habuisse. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 142.

3. 4. *Sumsit Sara, Abrami uxor, Hagaram, ancillam suam,* מִקֵּץ — מִקְצֵץ *a fine decem annorum*, i. e. exactis decem annis, *ex quo Abramus in Cananaea consederat*, cum Abramus 85. et Sara 75. annos esset nata, coll. 12, 4. 17, 47. Consilium Sarae et Abrami obsequium ex impatientia manasse videtur, cum post longam exspectationem promissionem divinam non impletam cernerent. וַתִּתֵּן לְאִשָּׁה — *Deditque eam Abramo, viro suo, ei* (videtur abesse לִהְיוֹת

ut esset ei) *in uxorem.* In servitute tamen mansit Sarae obnoxia. Uxor tantum fuit *usuraria*, ad prolem duntaxat suscipiendam. — 4. וַתֵּקַל גְּבִרְתָּהּ בְּעֵינֶיהָ *Vilis fuit hera ejus in oculis ejus*, sprevit heram suam. Credebat enim, se Sara gratiorem esse futuram Abrahamo, et herae imperiis subtracturam se, quod ei prolem paritura esset.

5. Verba חֲמָסִי עָלֶיךָ varie exponunt. LXX. ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ. Hieron.: *inique agis contra me.* Onkelos: דִּין־לִי עֲלָךְ *lis*, contentio, *mihi contra te*, causam habeo, cur de te conquerar. Alii עַל ex Arab. vert. *debitum*, *officium*, atque explicant: *injuria*, *quae mihi fit*, *tibi incumbit.* Alii: *injuriae mihi factae poena sit in te.* חָמָס enim saepe poenam violentiae et injuriae denotat, ut Judic. 9, 24.; עַל vero, et Arabicum على, poenam incumbentem. Similis phrasis occurrit Jerem. 51, 35. Nos sensum haud dubitamus hunc esse: injuria, quae mihi infertur, tibi incumbit; tu in culpa es, qui eam tolerare et defendere videaris, cum ad tantam illius insolentiam taces. וּבֵינֶיךָ — יִשְׁפֹּט *judicabit Jova inter me et te*, i. e. an te haec pati mihi fieri decet, judicabit Deus, et delinquentem aut me, aut te plectet. Integra loquutio exstat 1 Sam. 24, 16. Vid. et Jud. 11, 27.

6. 7. וַתְּעַנֶּהָ שָׂרַי *Et afflixit eam Sara*, i. e. male eam habuit, durius tractavit. LXX. καὶ ἐκάκωσεν αὐτὴν Σάρα. — 7. וַיִּמְצָאָהּ — שׁוּר *Et offendit eam Jovae angelus ad fontem aquae in deserto.* Hic *nuntius*, s. *angelus* Jovae, Vs. 13. *Jova* vocatur. Ita saepius hisce in libris *Jova* et *Jovae angelus*, i. e. symbolum illud visibile, quo Deus sese hominibus conspiciendum praebuit, promiscue usurpatur; cf. Ex. 3. עַל־הָעַיִן *Ad fontem illum.* ה ante עַיִן demonstrativum esse videtur, ut certus quidam et notus fons indicetur. Infra Vs. 14. dicitur בְּאֵר *puteus*, ut distinguatur a fonte e rupe, aut in terrae superficie fluente. Verum fons et *puteus* haud raro confunduntur, vid. 24, 11. 13. 16. שׁוּר est *Pelusium* ad Nili ostium, teste *Josepho Ant.* VI, 7, 3. Desertum autem ante Sehuram hodie dicitur *Dschofar.* Saadias: *in via Hedschrae el-Hedschas*, provinciae Arabiae Palaestinae australi conterminae. Cf. BUESCHINGII *Erdbeschr.* P. 5. p. 625.

11. 12. וְקָרָאת שְׁמוֹ יִשְׁמָעֵאל *Et vocabis nomen ejus Ismaël.* Vid. Vs. 15. Tam a matre, quam a patre, nomen liberis imponi solebat; 29, 32. sqq. 37, 3. 4. יִשְׁמָעֵאל designat: *audit Deus*, sc. querelas, preces, quas fudit Hagara. — 12. וְהוּא יִהְיֶה פֶּרֶא אָדָם *Et ille erit onager homo*, i. e. praeditus indole onagri פֶּרֶא est *onager*, qui et עָרוֹד vocatur, vid. Job. 39, 5. Frequens invenitur illud animal in Tartariae, Syriae et Arabiae desertis. Mongoli *Dsiggetai* h. e. *longas habens aures* (*Langohr*) vocant. Medius est hic ἡμίονος inter equum et asinum; sed pulchrior et procerior vulgari asino. Nomen accepit a celeritate; nam פָּרָא Chaldaeis est *currere*, et عَرَبَ (unde alterum nomen עָרוֹד) *fugit*, *aufugit.* Fugiunt enim

onagri hominum adspectum, nec mansuefieri ullo modo possunt. Apte igitur Ismael et ejus posteri, Arabiae deserta occupantes, onagris comparantur. Ejusdemmodi comparationes vid. Job. 11, 12. 24, 5. Hos. 8, 9. Nomadum Arab. mores describit *Amm. Marcell.* 14, 10. בּוֹ — יָדוֹ *Manus ejus in omnes et omnium manus in eum*, i. e. omnium adversarius erit, eumque vicissim omnes infestabunt. Ismaelitae, s. Arabes adhuc hodie Arabiam omnem et vicinarum regionum fines latrociniis infestos faciunt. In quoslibet, si impune possint eos spoliare, impetum faciunt, omnesque vicissim ab eis cavent. Vid. *d. a. u. n. Morgenland* I. p. 58. sqq. וְעַל — יִשְׁכֹּן *Ad faciem omnium fratrum suorum habitabit*, i. e. fratribus suis ab Oriente. Hebraei enim cum situm regionis describere volunt, faciem ad orientem converterc solent, 25, 18. Jos. 15, 8. Constat, Ismaelitas regiones Hebraeis orientales inhabitasse, unde בְּנֵי־קֶדֶם *filii Orientis* vocantur; vid. not. Job. 1, 3.

13. Verba אַתָּה אֵל רֳאִי recte Syrus: *Tu Deus visionis* (est enim רֳאִי nomen formae עֳנִי *afflictio*, אֳנִי *navis*), i. e. conspicuus, qui se conspiciendum praebet, more Hebraeorum, qui Adjectiva duobus Nominibus substantivis statu regiminis positis exprimere solent. Ita Ps. 29, 3. LXX. ὁ ἐπιδών με, *qui vidisti me;* רֳאִי habuere pro Participio cum Suff. 1. Pers. Sed id foret לְאֳנִי, sive, in pausa, לְאָנִי, ut Jes. 47, 10. Quod Hagara hic Deum, qui cum ipsa colloquutus esset, אֵל רֳאִי voeasse dicitur, non illa Deo novum nomen indidit, sed duntaxat exclamavit: hic demum Deus est, qui se conspici patitur. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* T. I. p. 61. Postremum hujus Vs. membrum, הֲגַם רָאִי — LXX. (לְאִי, ut antea רֳאִי, Participium cum Suffixo rati) sic vertunt: *καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον* (al. *ἴδον*) *ὀφθέντα μοι.* Nec multo felicius Hieronymus: *profecto hic vidi posteriora videntis me.* Obversatus ejus menti est Ex. 33, 23., quo Jova Mosi, roganti ut sibi ejus majestatem conspiciendam praebeat, respondet: וְרָאִיתָ אֶת־אֲחֹרָי *tum posticam mei partem videbis.* Vario modo alii antiquiorum Interprr. hunc locum illustrare voluerunt. Omnes tamen videntur in eo errasse, quod רָאִי ceperunt vel pro אֲנִי רָאָה, vel pro רָאָה אוֹתִי, quum tamen vix dubium sit, esse nomen רֳאִי, mutato tantum, propter pausam, Schva composito, in analogam Vocalem longam. Quare vertendum: *an etiam hic video*, i. e. lucem adspicio, adhuc vivo, *post visionem*, sc. Dei, s. angeli ejus mihi oblatam. Miratur Hagara, sibi adhuc post visionem relictum esse luminum usum, quum lux, qua Deus et angeli splendebant, occoecare et posset, et crederetur; vid. Luc. 2, 9. Act. 9, 3. 8. Quinimo et qui ejusmodi ἐκστασίας habuerant, vitae suae interdum timebant, vid. 32, 30. Deut. 18, 16. Jud. 6, 22. 23. Dixit etiam Plutarchus in *Parallelis: Spectro, homine augustiore, conspecto, visum amisit* (Polyzelus), *et caecus factus est.*

14. 16. קָרָא *Vocavit* sc. הַקֹּרֵא *vocans*, i. c. vocatur, impersonali loquendi genere, quo Hebraei uti solent; vid. Gesenii *Lehrg.* p. 797. לְבְאֵר *Puteum illum*, vid. Vs. 7. בְּאֵר לַחַי רֳאִי *Puteum*

viventis, i. e. Dei, *visionis*, i. e. *puteum angeli viventis, qui visus erat ad eum.* חַי hic ponitur pro אֵל חַי *Deus vivens* (oppositus falsis diis, qui sunt *mortui*, Ps. 106, 28.); cf. Jos. 3, 10. Dan. 12, 7. Vater, quem sequitur Gesenius in Lex. hebr. minori, vertit: *puteum vitae, visionis*, i. e. ad quem conspicitur Deus sine vitae jactura. Quod tamen durius videtur. De בָּרֶד vid. not. 14, 7. בֶּרֶד nomen loci plane ignoti est. — 16. שָׁנִים — וְאַבְרָם *Et Abramus* erat *filius* 80 *annorum et* 6 *annorum.* Alias in antiquioribus V. T. libris minor numerus praeponi solet, in serioribus major numerus, ut hic. Attamen et in nonnullis aliis hujus primi libri locis idem, qui hic, ordo observatur, ut 17, 1. 18, 28. 46, 15. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 616.

8. *Deus Abramo multam sobolem promittit, Abrahamumque vocari jubet, et circumcisionem praecipit. Pollicetur etiam ei Isaacum filium ex Saraï, quam Saram in posterum vocari vult. Ex Ismaele plures tribus ortum ducturas docet. Abramus se et totam familiam circumcidit.* Cap. 17.

Cap. 17, 1. 2. 4. Annis aetatis Abrami, qui hic memorantur, comparatis cum iis, qui c. 16, 16. indicantur, patet, inter ea, quae dehinc facta narrantur et superiora intercedere 13 annos. Nomen שַׁדַּי, quo sese Deus hic appellat, notat *validum, potentem*, coll. Arab. شَدَّ, *potentia et robore valuit.* Cf. Ikenius Diss. I. in *Dissertatt. Philolog. Theoll.*, Lugd. Batav. 1749. T. I. Est autem י terminatio Pluralis, seu forma nominibus collectivis exprimendis inserviens, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 525., et שַׁדַּי pro Plurali excellentiae, ut אֲדֹנָי, habendum, quasi dicas: *potentissimus.* LXX. vertunt *παντοκράτωρ*, aut *ἐπουράνιος*, ut Ps. 68, 15. Reliqui veteres Graeci: *ἱκανός*, rati שַׁדַּי esse pro שֶׁיֵּשׁ דַּי seu שֶׁדַּי *qui est sufficiens*, scil. לְעַצְמוֹ, aut, qui sufficiens est ad omnia, quae vult praestanda. Quae sententia est plerisque Hebraeorum recepta, expressa quoque ab utroque Arab. interprete. De phrasi הִתְהַלֵּךְ לְפָנַי vid. ad 5, 22. De תָּמִים vid. not. Ps. 15, 2. — 2. וְאֶתְּנָה — וּבֵינֶךָ *Et dabo*, ponam, *foedus meum inter me et inter te*, i. e. foedus tecum inibo. H. l. non foedus generale (c. 15.), sed *speciale* circumcisionis spectatur. — 4. אֲנִי *Ego*, i. e. me quod attinet, Nominat. absolut.

5. 6. אַבְרָם — וְלֹא *Non amplius Abramus, sed Abrahamus voceris.* אַבְרָם *pater altus* (ex אַב et רָם); אַבְרָהָם *pater magnae multitudinis* (ex אַב et רָהָם). Et infantibus nomina boni ominis imponere, et hominum nomen mutare, si quid singulare eis evenisset, mos fuit apud Orientales. Vid. Ruth 1, 20. Matth. 16, 18. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 63. sqq. — 6. וּמְלָכִים מִמְּךָ יֵצֵאוּ *Et Reges ex te egredientur*, reges intellige Israelitarum, Idumaeorum, Ismaelitarum aliorumque populorum, qui ex Abrahamo per Isaacum, Ismaelem et filios Cethurae oriundi erant.

8. 10. וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים *Et ero illis Deus.* Deus *eorum Deus* esse dicitur, quibus singulari ratione favet, et prae ceteris

benefacit. Ita Latini quoque loquuntur; veluti *Aeneid.* 2, 396. *Tibull.* L. 3. Eleg. 3. Vs. 28. — 10. זֹאת בְּרִיתִי *Hoc* est *foedus meum*, i. e. foederis me inter et vos initi signum, cf. 9, 12. הִמּוֹל לָכֶם כָּל־זָכָר *Circumcidi vobis omnem masculum*, ut circumcidatur vobis omnis mas. Disertius Vs. 11. וּנְמַלְתֶּם אֵת בְּשַׂר עָרְלַתְכֶם *et circumcidatis carnem praeputii vestri.* Vix dubium est, eum ritum Abrahamo jam notum fuisse. Apud Aegyptios enim et Aethiopes jam ante Abrahami tempora haec consuetudo recepta esse videtur munditiei causa. Cf. *Herodot.* II, 104. *Diodor. Sic.* I. c. 28. p. 17. b. ed. Rhodom. Animadverti meretur, Circumcisionis ritum, sicut apud Abrahamidas, ita quoque apud Aegyptios, actum fuisse religiosum, signum et veluti tesseram singularis in religione puritatis et castimoniae: quare imprimis sacerdos, mysteriis religionis initiandus, ad circumcisionem tenebatur. Vid. Jablonski *Panth. Aegypt.* Prolegg. p. 14. Spencerus *de Legg. Mos. rituall.* L. I. c. 5. p. 19. sqq. ed. Hag. Comit. 1686. 4. Michaelis *Mos. Recht* P. 4. p. 184. sqq., et Winer *bibl. Realwörterb.* p. 99.

12. 14. לָכֶם — וּבֵן *Et filius octo dierum circumcidetur vobis. Octavo die*, quia ante eum diem infirmior est infans, quam ut par sit dolori. יְלִיד בָּיִת *Natus domi*, verna, ut 14, 14. וּמִקְנַת־כֶּסֶף *Et acquisitio argenti* s. *pecuniae*, i. e. emtus argento. — 14. וְעָרֵל *Praeputiatus vero mas, cujus caro praeputii circumcisa non fuerit.* Agitur de incircumcisis adultis, qui a parentibus neglectam circumcisionem approbaverunt, quia se postea circumcidi neglexerunt. מֵעַמֶּיהָ — וְנִכְרְתָה *Exscindetur illa anima e populo suo. Excisionem* non a judicio aliquo humano pependisse, sed mortem fuisse a Deo ipso modo qualicunque infligendam, Hebraei statuunt fere unanimes, atque non solum quidem Rabbanitae, sive illi, qui Talmudis placita amplectuntur, verum et Karaei, qui rejectis traditionibus solum codicem sacrum credendorum et agendorum normam habent. Cui Hebraeorum sententiae favent loca, in quibus Deus minatur, se ipsum ejusmodi poenas de reis sumturum, ut Levit. 18, 10. 20, 5. 6. 23, 30. Et Act. 3, 23. ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ usurpatur loco hujus phraseos אֶדְרֹשׁ מֵעִמּוֹ *requiram ex eo*, Deut. 18, 19., ubi videtur Deus sibi poenam illam exigendam servare. Christiani vero interpretes pars mortem a judicibus decretam, pars excommunicationem, seu certe juris civitatis Hebraicae privationem, et in *exsilium* ejectionem *excisionis* poenâ significari existimant. Quam sententiam confirmari putant Versibus quibusdam inter Petronii fragmenta, quibus de Judaeo, qui *non ferro succiderit inguinis oram*, dicitur, *exemtus populo Grajam migrabit ad urbem.*

15. Prius uxoris Abrahami nomen שָׂרָי signif. *generosam, nobilem*, coll. Arab. سَرَى *liberalis, generosus fuit*, unde سَرِيٌّ *principalis* et ipse *princeps*; novum vero nomen שָׂרָה signif. *mulierem proliferam* s. *foecundam* coll. سَرَأَ *numerosam prolem habuit.* Quod

huic derivationi opponi possit, vocab. Arab. habere Eliph hamzatum adeoque Hebraice שָׂרָא non שָׂרָה pronuntiari debere, jam diluit Ikenius (libro Vs. 1. laud.) observando, nihil frequentius esse in linguis Hebraeae cognatis literarum א et ה permutatione. Hieronymus ex Hebraeor. sententia in *Traditt. hebrr.:* Causa, inquit, nominis immutati haec est, quod antea dicebatur *princeps mea*, unius tantum domus mater familias, postea vero dicitur absolute *princeps*. At שָׂרַי signif. *principes mei*. Alias nominis utriusque explicationes recensuit dijudicavitque Gesenius in Appendice I. ad Lexicon hebraicum majus p. 1309. Vid. et not. ad Vs. 5.

17. 18. וַיִּצְחָק — וַיִּפֹּל *Tum concidit in faciem Abrahamus subrisitque.* Verbo צָחַק neutiquam exprimitur *laetitia* atque *exultatio*, sed revera *risus*, qualis rebus novis et non exspectatis oboriri solet, prae stupore, ut apud se obstupescens secum ita reputarit: הַלְּבֶן — יִוָּלֵד *num filio centum annorum*, homini centum annos nato, *parietur?* num talis liberos procreet? et quidem e *Sara*, e qua in juventute non genui? Cf. de h. l. Seidenstuecker in Henkii *Magaz. für Religionsphilos., Exegese u. Kirchengesch.* T. 2. fasc. 2. p. 427. sqq. — 18. לוּ יִשְׁמָעֵאל יִחְיֶה לְפָנֶיךָ *Utinam Ismael vivat coram te!* i. e., te eum respiciente, ac tuente salvum et incolumem.

19. *Vocabisque nomen ejus* יִצְחָק, a risu illo, de quo Vs. 17. Tertia pers. Fut. haud raro nomina propria formatum, ut *Jacob, Jair, Jabin*, rel. אַחֲרָיו — וְהַקֹּמְתִי *Statuamque foedus meum cum eo in foedus seculi*, i. e. perpetuum, *semini ejus post ipsum.* Pro לְזַרְעוֹ videtur dicendum fuisse אֶת־זַרְעוֹ *cum semine ejus*, uti praecessit אִתּוֹ. Sed valet haud dubie: *pro* semine ejus, i. e. in ejus commodum. LXX. εἶναι αὐτῷ θεὸς καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ. Addiderunt de suo: *ut sim ei Deus.* Sed copulam (qua tamen non opus est) ante לְזַרְעוֹ exhibent plures Codd. et Verss.

20. 22. וְלִישְׁמָעֵאל שְׁמַעְתִּיךָ *Et de Ismaële*, s. Ismaëlem quod attinet, *audivi te*, annuam votis tuis. Abrahamus nempe sobolem ex eo sibi optaverat. שְׁנֵים־עָשָׂר נְשִׂיאִם יוֹלִיד *Duodecim principes gignet.* Vid. 25, 12. sqq. — 22. וַיַּעַל אֱלֹהִים מֵעַל אַבְרָהָם *Et ascendit Deus ab Abrahamo*, ita et infra 35, 13. Pro אֱלֹהִים Onkelos posuit יְקָרָא דַיְיָ *gloria Dei;* videtur *nubem* splendentem, aut simile quid, intelligere, quae species in altiora loca abiit et tandem evanuit. Cf. Jud. 13, 20.

9. *Tres angeli Abrahamum invisunt, ei ex Sara Isaacum pollicentur, et praedicunt excidium urbium planitiei Jordanis. Abrahamus pro Sodomitis orat, sed frustra. Duo angeli Sodomam profecti hospitio excipiuntur a Loto; his nituntur illudere Sodomitae. Exitio urbis Lotus eripitur cum filiabus, sed perit ejus uxor. Fugit primum Zoaram, quae propter eum servatur, deinde abit in montes vicinos, ubi cum filiabus concumbit, unde Moabitarum et Ammonitarum origo.* Cap. 18. 19.

Cap. 18, 1. 2. וַיֵּרָא אֵלָיו יְהוָה *Apparuitque ei*, Abrahamo, *Jova.* Modus, quo Jova apparuerit, statim plenius exponitur.

בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא *In terebinthis Mamres*, ubi tum Abrahamus habitabat; 13, 18. 14, 13. יֹשֵׁב פֶּתַח הָאֹהֶל *sedens* fuit *in ostio*, s. *ad ostium tabernaculi*. Omissum est ante פֶּתַח praefix. ב aut אֶל, qua ellipsi nihil frequentius. — 2. וַיִּשְׁתַּחוּ אַרְצָה *incurvavit se ad terram*, honorem eis exhibuit, ut homines solebant invicem in iis oris salutare, vid. 23, 7. 12. 33, 3. 6. 7. Iter facientes hospitii egenos existimavit, eosque pro hospitalitate sua domum suam invitavit.

3. Nomen אֲדֹנָי, Plur. excellentiae, in Sing. *dominus* vertendum, ut שַׁדַּי (vid. ad 17, 1.) ultimae syllabae Camez adscriptum habens, nonnisi de Deo usurpari constat, ut ab אֲדֹנַי *domini mei* discernatur, cf. Gesenii *Lehrg.* p. 524. Atque ne *domini mei* hoc loco quis reddat, cavere voluerunt Masorethae apposita nota marginali קדש, qua significatur nomen divinum hic esse. Videtur Moses Abrahamum ita loquentem introducere, quia etiamsi non statim initio, postea tamen e colloquio intellexit, unum aliquem ex istis esse Jovam. Sed Abrahamum eum ex tribus illis, quem reliquis honoratiorem putaret, אֲדֹנִי *domine mi!* compellasse, eumque pro homine habuisse, inde credibile est, quod eum rogat, ut *lavet pedes*, *caperet cibum* etc. אִם־נָא מָצָאתִי חֵן בְּעֵינֶיךָ *Si*, *quaeso*, *inveni gratiam in oculis tuis*, i. e. si qua mihi est apud te gratia, si quid a te impetrare possum. Latini simili oratione utebantur aliquid rogaturi. Vid. *Ovid. Metam.* 6, 440. 41. Talis hospitalitas, qualis Abrah. hic exemplum praebet, hodienum in pluribus Orientis regionibus, et apud ipsos latrocinantes Arabes invenitur. Non autem fuit hospitibus mos pulsandi ostium, aut eos quorum hospitio excipi cupiebant, priores alloquendi. Solebant potius in via stare, expectantes dum aliquis eos alloqueretur. Vid. *Homeri Odyss.* A. Vs. 103. sqq., et cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 69. et VI. p. 82. sqq.

4. 5. רַגְלֵיכֶם — וְיֻקַּח־נָא. *Sumatur*, i. e. adferatur *aliquantulum aquae et lavate*, i. e. ut lavetis *pedes vestros*. Mos erat hospitibus pedes lavari (19, 2. 24, 32. Jud. 19, 21. Luc. 7, 44. 1 Tim. 5, 10.); quod in calidis illis regionibus post aliquantum iter confectum ad recreandum paene necessarium est. Quia enim Orientales cum soleis tantum, pedibus alligatis, aut penitus discalceati ambulare solent, eorum pedes in itineribus pulvere ac sudore perfundi necesse est. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 68. הִשָּׁעֲנוּ תַּחַת הָעֵץ *Innitamini*, quiescite, recubate *sub arbore*. Plurali autem numero loqui incipit Abrah., ut et reliqui duo intelligerent, se eos velle hospitio excipere. — 5. וְסַעֲדוּ לִבְּכֶם *Fulcite cor vestrum*, i. e. recreate vos, LXX. φάγεσθε. Similis phrasis *Homer. Od.* E. 95. אַחַר תַּעֲבֹרוּ *Postea transibitis*, discedetis, iter vestrum continuare potestis. כִּי־עַל־כֵּן עֲבַרְתֶּם עַל־עַבְדְּכֶם *Quandoquidem* (ut 33, 10. 38, 26.) *servum vestrum transivistis*, i. e. opportune accidit, ut tentorium meum transiretis. Verba sunt factum laudantis. Cf. et 19, 8. 33, 10.

6. 7. סְלֶת — מַהֲרִי *Propera tria sata farinae similae.* סְאָה erat tertia pars Ephae, uti tradunt Hebraei, sesquimodium Italicum,

teste Josepho et Hieronymo. Abrahamus videtur ideo tantam panis copiam parari jussisse, ut, si vellent hospites, quantum in iter opus esset, sibi sumerent. קֶמַח סֹלֶת *Farinae similae*, i. e. purissimae farinae, *σεμίδαλις*, ut LXX. habent. עֻגוֹת LXX. *ἐγκρυφίας*, *subcinericios*. *Ἐγκρυφίας* est panis species, qui in cinerem immittitur, et occultatur, dum coquitur. Etiamnum ejusmodi panc utuntur Arabes. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 69. — 7. *Tum ad armenta cucurrit, vitulumque tenerum et pinguem sumsit, et puero tradidit, qui eum propere pararet.* Orientales vitulum macetatum statim assare solent, et assa ejusmodi caro sapida esse dicitur. Sed ne cui mirum videatur, quod Abrahamus ipse, vir tam dives atque regulus, ad greges cucurrit et vitulum adportavit, observandum est, tale quid etiamnum in Oriente viro nobili non indignum esse; teste Shawio *Itiner.* p. 207. vers. germ. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 70. et *Homer.* Il. 9, 205—21.

8. חֶמְאָה superioris aetatis interpretes fere LXX. sequuti, *butyrum* vertunt. Sed butyrum in Palaestina, olei optimi feracc, non confici solebat. Ad quos enim usus nos boreales butyro utimur, ad eos illarum regionum incolae oleo utuntur. Vid. Michaelis *Mos. Recht*, §. 191. et 205. Deinde Jud. 5, 25. Job. 20, 17. 29, 6. vix dubitari potest חֶמְאָה esse fluidum quid atque potabile. Conferendum est voc. Arab. خَثَّ *spissum fuit lac.* Jarchi ad h. l. חֶמְאָה explicat: שומן החלב, *pinguedo* (oleosa) *lactis*, quam de ejus superficie colligunt. וְהוּא־עֹמֵד עֲלֵיהֶם *Et ipse stabat juxta eos, ministrans iis*; nam alias עָמַד per לִפְנֵי constructum, *coram aliquo stare*, valet: ei ministrare, vid. 41, 46. Deut. 1, 38. Et hodie apud Arabes ipsi hospites peregrinis comedentibus stantes inserviunt. וַיֹּאכֵלוּ *Et comederunt.* Quia tamen coelestes spiritus erant, qui corpora humana duntaxat ad tempus induerant, qui igitur revera cibos sumere non poterant, hinc alii interpretantur: *videbatur ei ac si comederent*; coll. Jud. 13, 16. Tob. 12, 10.

10. וַיֹּאמֶר *Tunc dixit*, sc. *unus ex iis*, idem, quem prae ceteris compellavit Abrah. Vs. 3., et qui Jova ipse fuit, uti patet ex iis, quae sequuntur. שׁוֹב אָשׁוּב אֵלֶיךָ *Redeundo redibo*, i. e. certissime redibo *ad te*, כָּעֵת חַיָּה *circa tempus vitae*, seu, *vivum.* LXX. *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας*, *hoc tempore ad horas*, i. e. praecise, ita ut momenta etiam hujus temporis observem. Haud inepte Persa: *circa tempus neonati*; חַיָּה partum intelligens, quem Sara esset enixura. Alias aliorum interpretationes vid. in Scholl. Optime convenire videtur, ut חַיָּה pro Adjectivo habeatur et sic vertatur: *hoc tempore vivente*, i. e. reviviscente, redeunte. Eadem phrasi hospitae Sunamitidi diu sterili filium promittens utitur Elisaeus 2 Reg. 4, 16. לַמּוֹעֵד הַזֶּה כָּעֵת חַיָּה *hac tempestate tempore revivescente amplexabere filium.* Sensu non diversa sunt verba 17, 21. לַמּוֹעֵד הַזֶּה בַּשָּׁנָה הָאַחֶרֶת *hoc tempore in anno altero.* Ista angeli verba *audivit Sara* פֶּתַח הָאֹהֶל *post ostium tabernaculi.* LXX.

πρὸς τῇ θύρᾳ τῆς σκηνῆς. וְהוּא אַחֲרָיו *Et illud*, sc. ostium erat *post eum*, angelum, qui sedens sub arbore dorsum ostio tabernaculi obversum habebat.

11. 12. בָּאִים בַּיָּמִים *Progressi in diebus*, i. e. in aetate; προβεβηκότες τῇ ἡλικίᾳ. *Desierat esse Sarae* אֹרַח כַּנָּשִׁים *via*, consuetudo, *ut mulieribus*, i. e. ordinarii et consueti mulieribus menses. LXX. τὰ γυναικεῖα. Tales mulieres autem extra spem concipiendi esse constat. — 12. וַתִּצְחַק שָׂרָה בְּקִרְבָּהּ *Risitque Sara in medio sui*, i. e. κατ' αὐτῆς, *apud se*. Hic risus erat diffitentiae et subsannationis, sequitur enim: עֶדְנָה — אַחֲרֵי *postquam anus facta sum, erit mihi voluptas?* sc. quae conceptum antecedit, i. e. ego scilicet in senectute mea voluptati indulgebo? Alii עֶדְנָה vertunt ἀκμὴ, νεότης, *adolescentia*, q. d. *ad vigorem aetatis revertar?* אֲדֹנִי, *Dominus meus*, i. e. maritus meus.

14—16. הֲיִפָּלֵא מֵיהוָה דָּבָר *Num mirum reddetur verbum*, i. e. quidquam *a Jova?* an vero erit quidquam ita arduum et mirum, quod non possit efficere Jova? Jerem. 32, 17. 27. LXX. *Μὴ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ;* Vulgat. *non est Deo quidquam difficile.* Onkelos pro הֲיִפָּלֵא posuit הֲיִתְכַּסֵּי *num occultabitur* a Jova quidquam? sensu eodem, nam quae mira et ardua eadem sunt a nobis aliena, tecta et occulta. Ita Prov. 30, 18. *Tria* נִפְלְאוּ מִמֶּנִּי *mirabiliora sunt prae me*, i. e. altiora me, mihi occulta. — 15. כִּי יָרֵאָה *Quia timebat;* videbat enim, hospitem animadvertisse risum et cogitationes suas. — 16. וַיַּשְׁקִפוּ עַל־פְּנֵי סְדֹם *Prospexerunt ad faciem Sodomae*, viam ingressi sunt, qua Sodomam ibatur. לְשַׁלְּחָם *Ad dimittendum eos*, i. e. ut deduceret causa. שָׁלַח i. q. προπέμπω, deduco, prosequor, comitor ut 31, 27. Recte h. l. LXX. συμπροπέμπων αὐτούς.

17. 18. Ex hoc Vs. patet, Jovam se Abrahamo agnoscendum dedisse. Verba הַמְכַסֶּה אֲנִי מֵאַבְרָהָם *occultone ego ab Abrahamo?* q. d. non possum id facere, quum mihi tam familiaris sit. LXX. vertunt: οὐ μὴ κρύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραάμ, et addunt: τοῦ παιδός μου, quod et Syrus habet. Sed potius legendum videtur Ἀβραάμ τοῦ φιλοῦ μου. Cf. *Philo* P. I. p. 401. ed. Mangey. Sane in toto paene Oriente *amicus Dei* commune Abrahami nomen erat, quod et occurrit Jes. 41, 8. 2 Chron. 20, 7., et quod Jacobus 2, 13. Abrahamo ex V. T. tribuit. Unde tamen minime sequitur, et hoc loco in textu Hebraeo ita lectum fuisse: מֵאַבְרָהָם אֹהֲבִי, sive מֵאַבְרָהָם רַחֲמִי — 18. *Abrahamus enim omnino futurus est in gentem magnam et validam*, rel. Eumne igitur, quem tot ornavi honoribus et benefactis, quod ago celabo?

19. Verba יְדַעְתִּיו — כִּי vulgo ita redduntur: *Novi enim, eum praecepturum esse filiis suis et posteris suis, ut instituta mea servent et juste et probe vivant.* Quae quidem interpretatio recte sese haberet, si יְדַעְתִּיו cum verbis quae sequuntur, jungeretur per Particulam כִּי *quod*, vid. 1 Sam. 14, 3. Jer. 10, 23. Ezech. 33, 33.

Sed לְמַעַן אֲשֶׁר notat *propterea quod*, *quia*, et יְדַעְתִּיו significat *amorem*; hoc sensu: *diligo eum, quia praecipit filiis* etc. יָדַע *nosse* valet etiam *alicujus rationem habere*, cum acceptum habere. Vid. not. Amos 3, 2. Ps. 144, 3. coll. Ex. 33, 12. Sic מוֹדָע est *familiaris*, *propinquus* et מוֹדַעַת *cognatio*, *affinitas*. דֶּרֶךְ יְהוָה *via Jovae* est id vitae institutum, quod divinae voluntati consentaneum est; Deut. 8, 6. 10, 12. עָלָיו — לְמַעַן *Ut venire faciat Jova supra Abrahamum, quod loquutus est super eo*, i. e. ut curet ejus posteris evenire, quod gentis conditori promisit.

20. 21. זַעֲקַת סְדֹם וַעֲמֹרָה *Clamor Sodomae et Gomorrhae* aut est fama scelerum a Sodomitis commissorum, aut querelae eorum, qui ab eis violati fuerant. Vid. 4, 10. Ps. 9, 13. Job. 34, 28. — 21. כָּלָה — אֵרְדָה־נָּא — *Descendi igitur, ut viderem, num secundum querelas ad me perlatas plane fecerint.* כָּלָה *Consummatio*, hic *prorsus*, *omnino*, ut 1 Sam. 20, 33. Deus hic de se humano more loquitur, se velle agere ut judex justus, qui non cuivis accusatori credit, sed ipse inquirit. וְאִם־לֹא אֵדָעָה *Et si non*, *cognoscam*, i. e. ut cognoscerem, an forsan res sese non ita habeat. Onkelos: וְאִם־תָּיְבִין לָא אִתְפְּרָע *si resipuerint*, non *sumam poenas*. Ceterum simillima nostro loca de Diis homines sub humana specie invisentibus extant *Homer. Od.* P. 486—88. *Ovid. Met.* I, 211. sqq. Praesertim haec narratio Mosaica in haud paucis congruit cum iis, quae veteres Mythographi, potissimum *Ovid. Fast.* 5, 495. sqq. et *Palaephatus de Incredibilib.* Cap. 5. referunt de tribus diis, Jove, Mercurio et Neptuno, Hyercum, senem, Tanagram, urbem Boeotiae, habitantem invisentibus.

22. 23. יְהוָה — וְאַבְרָהָם *Abrahamus autem stabat adhuc coram Jehova.* Dum duo angeli Sodomam proficiscuntur, tertius interea cum Abrahamo manet, et quia sic sese Jovam confessus erat, Abrahamus cum alloquitur. — 23. הַאַף תִּסְפֶּה צַדִּיק עִם־רָשָׁע *An etiam consumes*, perdes, *probum una cum improbo?* Aliis אַף est Substant. *ira*, cui ב subaudiunt et vertunt: *num in ira?*

24. 25. 27. וְלֹא־תִשָּׂא לַמָּקוֹם *Et* (*annon*) *tolles loco*, sc. עָוֹן *delictum?* delicti poenam? i. e. non condonabis loco? LXX. οὐκ ἀφήσεις πάντα τὸν τόπον; *nonne dimittes*, sc. impune, *totum locum?* — 25. חָלִלָה לְךָ *Nefas* sit *tibi!* i. e. absit. חָלִילָה propr. τὸ βέβηλον, *res profana*, *nefas*, cum Pronominib. suff. ut deprecandi formula usurpatur. Vid. Fulleri *Miscell. SS.* L. 2. c. 2. — 27. הוֹאַלְתִּי לְדַבֵּר *Volui*, i. e. suscepi, ausus sum *loqui*, וָאָנֹכִי *quamvis sim.*

28. 29. בַּחֲמִשָּׁה *Propter quinque*, i. e. quod quinque desint. Contra in Vs. proximo בַּעֲבוּר הָאַרְבָּעִים *propter quadraginta* valet: quod sint quadraginta. — 29. לֹא אֶעֱשֶׂה *Non faciam*, sc. כָּלָה בָּהֶם *consumtionem in iis.* Samarit. Cod. et hic et Vs. proximo pro אֶעֱשֶׂה habet אשחית *delebo*, quod glossema videtur e Vs. 32.

Cap. 19, 1. 2. סְדֹם — וְלוֹט *Et Lotus ad portam Sodomae sedebat.* Mos erat antiquiss. temporibus ad portas urbium convenire, et consilia publica, privataque etiam negotia ibi agitare. Vid. 34, 20. Deut. 21, 19. Ruth. 4, 1. לְקָרָאתָם — וַיַּרְא *Quos cum videret Lotus, obviam eis ivit,* quia hospites eos esse animadvertit. וְיִשְׁתַּחוּ אַפַּיִם אָרְצָה Vid. not. 18, 2. — 2. עַבְדְּכֶם — סוּרוּ *Divertite, quaeso, ad domum servi vestri.* In Oriente enim, illis temporibus, uti hodie, exceptis Xenodochiis (*Karvanserai*), non erant diversoria, sed peregrinis aut in platea urbis pernoctandum erat, aut in hospitis aedibus, qui humanitate hospitium praeberet; vid. Jud. 19, 15. sqq.

3. 4. וּמַצּוֹת אָפָה *Paravit infermentata liba*, propter festinationem. — 4. כָּל־הָעָם מִקָּצֶה *Omnis populus ab extremitate*, i. e. populus ad unum omnes. Videtur phrasis esse truncata pro מִקָּצֶה, 47, 21. Jer. 12, 12., vel pro מִן הַקָּצֶה אֶל־הַקָּצֶה Exod. 26, 28. 36, 33. et cf. not. Ez. 33, 2. Eodem sensu suo من أقصا *ab extremo*, Arabes uti solent.

5. *Ubinam sunt viri, qui ad te venerunt* הַלָּיְלָה *hac nocte*, sed prima pars noctis indicatur, ut e Vs. 1. liquet, ubi est בָּעֶרֶב *vesperi.* אוֹתָם — הוֹצִיאֵם *Educ eos ad nos, ut cognoscamus eos*, ut rem eum iis habeamus. Recte LXX. *ἵνα συγγενώμεθα αὐτοῖς.* Verbum יָדַע enim per euphemismum de *concubitu* usurpari, patet ex Vs. 8., ubi *mulieres viros cognoscere* dicuntur. Oportet angelos juvenes et forma praestantes visos esse, qui nefandam Sodomitarum libidinem tam cito et tam vehementer moverint. Indomitae libidinis et vis in hospitem intentatae exemplum huic simillimum vid. Jud. 19, 22. sqq.

8. *Sunt mihi duae filiae virgines, eas nunc ad vos educam, iis pro arbitrio utamini.* Hinc liquet, quam sancta fuerint hospitalitatis jura, cum Lotus geminas filias libidini Sodomitarum mallet exponere, quam pati hospitibus ignotis vim inferri. Fortasse et speravit, non ausuros Sodomitas, quod offerebat, accipere; quia filiae ejus duobus Sodomitis civibus (Vs. 14.) desponsatae erant. כִּי עַל־כֵּן בָּאוּ בְּצֵל קֹרָתִי *Propterea enim trabis meae umbram sulierunt*, i. e. propterea domum meam subierunt, quia in ea sese tutos sperabant.

9. 10. גֶּשׁ־הָלְאָה *Accede ultra*, i. e. accede ad ulteriorem partem, longius hinc facesse a nobis. LXX. *ἀπόστα ἐκεῖ, recede illuc.* Jubent enim Sodomitae Lotum recedere ab ostio, ad quod haud dubie stabat, postquam illud occlusit. Quemadmodum supra Vs. 2. Verb. סוּר cum אֶל construetum non *recedendi*, sed *accedendi* significatum obtinet, ita hic vicissim נָגַשׁ, quod proprie est *accedere*, hic, flagitante sententia, *recedere* valet. Nam qui recedit ab uno loco, idem accedit ad alium. הָאֶחָד בָּא־לָגוּר *Unus hic venit ad peregrinandum*, ut inquilinus sit inter nos, וַיִּשְׁפֹּט שָׁפוֹט *et judicabit judicando*, judicem, magistrum agit. עַתָּה נָרַע לְךָ מֵהֶם *Nunc malum tibi faciemus prae illis*, pejus te quam illos tractabi-

mus. מְאֹד — וַיִּפְצְרוּ *Et vim fecerunt in virum hunc, in Lotum, valde*, viro illi, Loto, qui eos placare studebat, vim acriter intulerunt. פָּצַר Vs. 3. erat *verbis urgere, instare*, hic etiam *re ipsa cogere* et *vim inferre* significat.

10. 11. הַבַּיְתָה — וַיִּשְׁלְחוּ *Et emiserunt* extra ostium *viri illi*, angeli, qui domi erant, *manum suam*, manu injecta *reduxerunt Lotum ad se in domum.* — 11. בַּפְּתָחִים — וְאֶת *Et viros illos, qui erant in ostio domus, percusserunt caecitatibus.* סַנְוֵרִים LXX. bene: ἀορασίᾳ, non fuit enim *caecitas*, sed potius scotomatis sive vertiginis species, quali percussi sunt vinolenti, sic ut quid vident non discernant nec quid sit agnoscant. Nomen hebr. semel adhuc legitur 2 Reg. 6, 18. וַיִּלְאוּ לִמְצֹא הַפָּתַח *Et laborarunt*, defatigati sunt, *quaerere ostium*, quaerebant nec inveniebant.

12. 13. עֹד מִי־לְךָ פֹּה Num *adhuc*, praeterea, *quis tibi hic?* habes hic quempiam tuorum? — 13. כִּי־מַשְׁחִתִים אֲנַחְנוּ *Nam perdentes nos*, jam in eo sumus ut perdamus. Participia nonnumquam paullo post futurum denotant, ut Vs. 14. et 18, 7.

14. 15. לֹקְחֵי בְנֹתָיו *Qui ejus filias ducturi erant.* LXX. τοὺς εἰληφότας τὰς θυγατέρας αὐτοῦ, *qui ejus filias duxerant*, quòd et ipsum dat sensum commodum. Scilicet a filiabus, quas isti duxerant et secum in urbe habebant, ceterae duae (Vs. 8.) ut praesentes, domi versantes, distinguuntur, Vs. 15. בִּנְתֶיךָ הַנִּמְצָאֹת *Filias tuas inventas*, i. e. quae tibi in promtu sunt, praesentes.

16. 17. וַיִּתְמַהְמָהּ *Et cunctabatur.* LXX. καὶ ἐταράχθησαν. Legerunt fortasse וַיִּתְמַהוּ. בְּחֶמְלַת יְהוָה עָלָיו *Per miserationem Jovae erga illum*, i. e. quia Deus eum et familiam suam servare voluit. — 17. וַיֹּאמֶר *Et dixit* sc. unus ex angelis. אַל־תַּבִּיט אַחֲרֶיךָ *Ne respice post te. Respicere post se* h. l. videtur esse morari in locis, quae subvertenda erant, videndi caussa quid sit futurum. הָהָרָה הִמָּלֵט *In montem* sc. in montes Moabiticos, *eripe te*, i. e. fuge. Hi vero montes longius a Sodoma dissiti erant; igitur rogabat Lotus, ut sibi in locum propinquiorem fugere liceret.

20. וְהִוא מִצְעָר *Et paruum est* sc. oppidum, si הִוא sumitur genere femin. נַפְשִׁי — הֲלֹא *nonne parva est illa*, urbs, *et vivet anima mea;* q. d. in parva urbe pauci sunt improbi, quare forsan non eam perditurus es; unde fiat ut vita mea in ea conservetur. Si autem הִוא genere neutro sumitur, sensus est: *atque hoc parum* sc. est, quod peto a te.

21. 22. הַזֶּה — הִנֵּה *Ecce sustuli* s. *accepi faciem tuam etiam ad hanc rem*, i. e. tui etiam hac in re rationem habebo. Hoc vult angelus, se potius Loti, quam Zoaritarum, qui Sodomitis forsan meliores non erant, rationem habere, itaque ejus causa urbi parcere velle. — 22. צֹעַר — עַל *Propterea vocavit* sc. vocans, i. e. vocatum est *nomen urbis illius Zoar*, ex eo quod Lotus eam dixisset parvam, vel parvi quidpiam esse rogans, ut illuc sibi liceret aufugere.

24. וַיהוָה — וְאֵשׁ *Et Jova pluere fecit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem.* Sed praeter has duas urbes, et duae aliae una eversae sunt, Adama et Zeboim, ut diserte dicitur Deut. 29, 22.; cf. 14, 2. Hos. 11, 8. Videntur Sodoma et Gomorrha reliquis majores et potiores fuisse. *Pluvia sulphuris et ignis* de *fulmine* intelligenda est, quasi fulmen sit *sulphur ignitum* s. accensum. Eodem modo *fulmen* describitur Ps. 11, 6. Ez. 38, 23. Quod autem additur מֵאֵת יְהוָה *a Jova*, plenius *χαραχτηρίζει* fulmen. Non solum enim Hebraeis, verum et aliis gentibus fulmen *ignis Dei* vocatur. 2 Reg. 1, 12. Job. 1, 16. et Jes. 66, 16. Quia hominum in ejusmodi meteora nulla est potentia; ideo Deus illic habitare, atque illinc tela mittere censebatur. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 74. sqq.

25. הַכִּכָּר — וַיַּהֲפֹךְ *Atque evertit has urbes omnemque illum tractum.* Bitumen, quo tota illa planities plena fuit (14, 10.) fulmine accensum est. Accesserunt forsan naphthae fontes rimaeque, ignem non solum illatum concipientis, sed solo etiam halitu rapientis. Hanc enim naphthae naturam esse testantur *Strabo Geogr.* 16, 3, 42. *Plin. H. N.* 2, 10, 6. et KAEMPFERUS *αὐτόπτης* in *Amoenitat. Exoticis Fasc.* 2. *relat.* 2. p. 274. Quum itaque per totam illam regionem longe lateque victrix regnaret flamma, ex tota gente evadere nemo potuit, qui non antea urbe egressus fuerat; et cum bitumine omnes quoque radices implexas, glebarum aequor continentes, exardescere necesse fuit, totumque tractum laxatis glebarum compagibus solutum subsidere oportuit. Aqua autem subjectae paludis non remedium, sed potius adjumentum ignis fuit. Notum enim est, naphtham, in aqua fluitantem, ardere; et ipsi carbones bituminosi modico aquae humore exardescunt. Aqua denique salsissima, qualis maris mortui est, sane non parum ad spargendum ignem contulit. Postquam hac ratione tractus ille circa Jordanem eversus et combustus fuerat, palus, jam sub terra stagnans, apparuit, *mare mortuum* s. *locus asphaltites* s. יָם הַמֶּלַח *mare salsum* dicta. Vere mera paene salsugo est hic lacus, ita ut sal in ejus aquam conjectus non liqueseat. Inde fit, ut vivi quicquam in hac aqua, longe omnium marium gravissima, submergi nequeat. Si quis se in hunc lacum immergit, undique velut crustula salis obductus inde emergere conspicitur. Sale autem maris mortui Judaei usi sunt ad sacra; et etiamnum Arabes fossas in littore excavant, in quibus residua aqua sole aestivo cocta, magnos relinquit thesauros salis, quo in cibis condiendis utuntur. Quum hic lacus meram paene salsuginem habeat, quarta parte graviorem aqua dulci, omniaque animalia, quae alias merguntur, huic salsugini innatent; pisces etiam fundum maris petere non possunt, sed in latus reclinati, summo tantum mari innatantes interire debent: inde nomen *maris mortui.* Praeterea non salsa modo, verum et aluminosa est aqua maris mortui; alumen autem ita adstringit, ut non verisimile sit, pisces in aluminosa aqua vivere posse. Quod autem a pluribus veteribus dicitur, hunc lacum nihil omnino vivi, et ne cochleolas quidem alere, atque aves supra

cum volantes, halitu ejus pestilentissimo necari, id experientiae prorsus repugnat, ut testantur Maundrell et Thompson *αὐτόπται*. Nomen *lacus asphaltitis* obtinuit a bitumine quod egerit, quod bitumen Judaicum appellari solet. Aër circa hunc lacum valde noxius est. *Plin. H. N.* 5, 17. *Tacit. Hist.* 5, 6. Ex recentioribus Pocockius (T. II. p. 57.) testatur, Arabibus hanc paludem ita suspectam esse, ut sudariis ora occludant, ne nimis libere admissus aër pestilens noceat. Cf. omnino Ritter: *Erdkunde, od. allgem. vergleichend. Geographie*, P. II. p. 331. sqq. et *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 74. sqq. *Alterthumsk.* II. 1. p. 118. sqq. Ceterum Sodomae et reliquarum urbium eversionis memoria, et apud ethnicos servata est. Vid. *Diod. Sic.* L. 19. *Strabo* L. 16. p. 526. edit. Casaub. *Tacit. Hist.* 5, 7. *Solinus Polyhistor* c. 36. ed. Salm. Universae huic narrationi mirum in modum similis est ea, quam *Ovid. Metam.* VIII, 616—724. de Philemone et Baucide habet. Quam similitudinem pluribus persequutus est Seidenstuecker in *Magazin für Religionsphilos.* etc. P. III. Fasc. 1. p. 67. sqq., qui Vir doctus etiam factum illud ad rei veritatem examinare tentavit. P. I. Fasc. 3. p. 449. sqq.

26. וַתַּבֵּט אִשְׁתּוֹ מֵאַחֲרָיו *Et respexit uxor ejus post eum*, i. e. uxor Loti, quae pone eum erat, respexit post se (vid. Vs. 17.), desiderio se. patriae, rei familiaris et cognatorum. Quum tamen hic praemisso מ Verb. הַבִּיט cum אַחֲרָיו construatur; alii hanc phrasin conferunt cum illa: שׁוּב vel סוּר מֵאַחֲרֵי *reverti* vel *recedere a tergis alicujus*, Num. 32, 15. 2 Sam. 2, 21., ut mulier in urbem rediisse dicatur, quod ipsum et ex verbis Christi Luc. 17, 31. 32. colligi possit. Verum Servatoris consilium minime fuit, *φράσιν* Mosaicam explicare, quin potius rem ipsam ob oculos habuit, et exemplo quodam docere voluit, illos, qui rerum mundanarum cupidine se abripi sinant, in maximam praecipites ruere perniciem. Nulla itaque est causa, cur non sensum verborum simplicem et planum amplectamur. Verba וַתְּהִי נְצִיב מֶלַח *et facta est statua salis*, clare dicunt, Loti uxorem in statuam salinam conversam esse. Alii, uxorem Loti reditum in urbem parasse rati, eam in flammis periisse autumant. In cujus rei memoriam postea Lotus vel ejus nepotes *monumentum publicum* erexerint, quod ob materiam peculiarem, ex qua confectum sit, נְצִיב מֶלַח *statua salis* a Mose dicatur. Taceamus hic alias aliorum, factum quod hic narratur insolitum, elevandi tentamina, quae omnia verbis simplicibus vim inferunt, et quae si scire velis, vid. in Commentario nostro majori.

28. 29. וַיַּרְא — הַכִּבְשָׁן *Ecce fumum terrae vidit ascendentem, quasi fumum fornacis.* Quod recentioribus etiam temporibus ab iis, qui illas regiones invisere, observatum est. Cf. Ritter l. l. p. 338. — 29. Quia antea Abrahami meminerat, commode subjungit, ejus causa Lotum esse eum suis a Deo servatum. וַיְהִי est in Plusquamperf. vertendum: *factum autem fuerat, quum perderet Deus urbes tractus illius, ut recordaretur Abrahami.* Videntur

respici c. 18, 23. narrata. Vs. 29. facit clausulam digressionis, quae narrationi interponitur inde a Vs. 27. de Abrahamo, simulque transitum ad reliqua, quae ad Lotum pertinerent, commemoranda. לוֹט — אֶת *oppida, in quibus* (i. e. in quarum una) *habitavit Lotus.* Similis loquendi modus est Jud. 12, 7.

30. וַיֵּשֶׁב בָּהָר *Et habitavit in monte*, i. e. in montibus Moabiticis, ad ortum lacus mortui, Num. 23, 7. quae loca postea Loti posteri incolis frequentavere. כִּי יָרֵא לָשֶׁבֶת בְּצוֹעַר *Quia veritus est habitare in Zoare.* Merito; nam frequenter etiam postea illa regio terrae motu est subruta. וַיֵּשֶׁב בַּמְּעָרָה *Et habitabat in spelunca.* Sunt in ista regione speluncae tam siccae et spatiosae, ut centum et mille hominum eas habitare possint. Vid. not. 14, 6. et cf. 36, 20 sqq. Deut. 2, 12. 22. Cf. Joseph. B. J. I. 16. 4.

31. 32. הָאָרֶץ — וְאִישׁ *Et vir nullus est in hac terra, ad veniendum super* s. *ad nos secundum viam omnis terrae*, i. e. qui nobiscum congrediatur, ut orbis natura fert et consuetudo. Narrationem de Moabitarum et Ammonitarum ortu ex incestu cum patre commisso excogitatam fuisse Hebraeorum odio, non improbabilis est De Wettii coniectura, *Beiträge zur Einl. in d. A. T.*, P. II. p. 94. — 32. Pro לָכָה Cod. Samar. exhibet לְכִי, haud dubie a manu male seduli correctoris. Verb. mascul. et de femina adhiberi potest, quod vim Adverbii hortantis habet; sic 11, 3. 7. הָבָה Plurali jungitur.

33. וְלֹא־יָדַע *Nec agnovit*, sc. filiam esse, quacum concumberet. Videtur אוֹתָהּ *eam* subaudiendum. Similis verborum constructio est 1 Sam. 26, 12. Literae ו vocis וּבְקוּמָהּ *et cum surgeret*, impositum est in nostris Codd. Hebrr. punctum extraordinarium, quia incredibile sit, ut veteres observant, coire quemquam nescientem. Sed scriptoris mens nequaquam videtur fuisse, ignorasse Lotum, se coivisse, sed cum qua muliere coivisset. Quum vero Vs. 35. eadem vox recurrat scripta וּבְקוּמָהּ, verisimile est, criticum quendam, ut variam orthographiam harum vocum in unam formam redigeret, τὸ ו puncto notasse.

35. 37. 38. וְלֹא — וּבְקוּמָהּ *Et nesciebat quum cubaret ea et quum surgeret ea*, adeo ebrius erat, ut nec cubitum venientem, nec surgentem sentiret. — 37. מוֹאָב plerique volunt idem esse quod מֵאָב *a patre*, quod e patre eum suscepit. Alii מוֹאָב contractum putant e מוֹבֵא אָב *coitus cum patre.* Nobis מוֹ videtur priscum nomen ejusdem cum מים significationis esse, quod et *aquam* et *semen* valet (cf. מַיִם *de semine* Jes. 48, 1.); ut מוֹאָב *semen patris*, i. e. a patre suscepta prolem denotet. — 38. בֶּן־עַמִּי *Filius populi mei*, quasi ex suo genere et sanguine prognatus sibi, nempe ex patre, non ex peregrino.

10. *Abrahamus Gerare peregrinans Saram uxorem suam esse dissimulat, quam ducere parat Abimelechus. Is vero somnio monitus illam Abrahamo reddit intactam, Abrahamusque pro Abimelecho Deum deprecatur. Cap.* 20.

Cap. 20, 1. וַיִּסַּע — הַנֶּגֶב *Tum Abrahamus exinde proficiscebatur in terram meridiei*, i. e. Idumaeam versus; cf. ad 13, 1. בֵּין־קָדֵשׁ וּבֵין שׁוּר *inter Cadesum* (16, 14.) *et Schurem* (16, 17.). וַיָּגָר בִּגְרָר *Et Gerare peregrinatus est. Gerar* urbs fuit Cananaeorum, ditionis eorum ad meridiem terminus, vid. ad 10, 19.

2. Quae hic narrantur, in nonnullis similia iis quae supra 12, 12. sunt relata, quo tempore facta sint, valde dissentiunt Interpretes. Jam antiquiores nonnulli conjecerunt, ea statim post Abrahami reditum ex Aegypto accidisse, nec eo temporis ordine, quo hic sequuntur. Postquam Deus Sarae Isaaeum promisit (c. 18.), intercessisse dicunt dumtaxat annum ab eo promisso ad ejus partum; quo temporis spatio non potuisse Saram in regiam Abimelechi duci, et sat diu ibi commorari, quin gravidam eam agnoscerent. Nec credibile esse, nonagenariam mulierem tantas formae praeteritae reliquias servasse, ut viros amore incenderet. At contra secundum temporis reique gestae ordinem descriptam esse hanc historiam, alii ostendere student. Nam Abrahamus, inquiunt, ex eo tempore, quo se a Loto fratre separavit, et in convalle Mamre habitare coepit, 13., 18., nec ante excidium Sodomiticum alio migravit, quemadmodum ex serie narrationis Mosaicae a c. 13 usque ad 20. praesertim ex initio c. 18. cognosci potest. Illud tamen mirum esse, fatentur, quod Abimelechus, simulae Saram nonagenariam contemplatus est, in ejus exarserit amorem, non secus, ac si tenerrima puella esset. Certi quid, ut hic historiae nodus expediatur, afferri vix poterit. LXX. post verba אֲחֹתִי הִוא addunt: *Ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν ὅτι γυνή μού ἐστι· μήποτε ἀποκτείνωσιν αὐτὸν οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως δι᾽ αὐτήν.* Glossema fortasse, quod in textum irrepsit.

3—5. הִנְּךָ מֵת *Ecce te mortuum*, LXX. *σὺ ἀποθνήσκεις*, h. e. *θανάτῳ ἔνοχος*, nisi reddas uxorem viro. Abimelechum jam aegrotum fuisse, eamque ob causam Saram intactam mansisse, ex narrationis serie potest colligi, vid. Vs. 4. 6. 17. 18. — 4. אֲדֹנָי תַּהֲרֹג — *O domine, num etiam gentem justam interficies? Gens justa* i. e. innocens in universum. LXX. *ἀγνοῦν καὶ δίκαιον.* Gens tota una cum rege punienda erat, si Saram violasset Abimelech, vid. Vs. 7. 9. — 5. בְּתֹם — זֹאת *In integritate animi mei et in munditie manuum mearum hoc feci*, h. e. nihil mali habebam in animo.

6. 7. עַל — אֲלֶיהָ *Propterea non permisi, ut eam tangeres*, morbo ei immisso; vid. ad Vs. 3. כִּי נָבִיא הוּא *Propheta enim est*, i. e. familiaris meus et nuntius. נָבִיא proprie *orato-*

rem (vid. Prolegg. ad Psalmos), hinc *nuncium*, *internuncium*, *interpretem* designat. Vid. Ex. 7, 1. Hic Abrahamus Abimelechi veluti est *nuntius* ad Deum, uti sequitur: וְיִתְפַּלֵּל בַּעַדְךָ *deprecabitur pro te.* Nam a prophetis Deum facilius exorari putabant. וְחִיֵּה *Et vive*, i. c. et vives. Imperat. pro Futuro, ut 42, 18. Ps. 37, 27. ubi not. cf. וְאִם־אֵינְךָ מֵשִׁיב *Si vero non reddideris*, sc. אֵשֶׁת־הָאִישׁ *uxorem illius viri*, דַּע־לָךְ *scito*, *te omnesque tuos perituros esse.* Cf. Ps. 105, 14. 15.

8. 9. וַיִּקְרָא לְכָל־עֲבָדָיו *Et vocavit omnes servos suos.* Servi h. l. sunt aulici liberae sortis. — 9. וּמָה־גָּדַלְתָּ *Et quid in te deliqui, ut in me et in regnum meum magnum peccatum adduceres?* i. e. nos magni peccati reos faceres, adeoque poenas nobis contraheres. מַעֲשִׂים אֲשֶׁר לֹא־יֵעָשׂוּ *Opera quae non fient*, i. c. quae fieri non debent, ut 34, 7. Lev. 4, 2.

10—12. מָה־הָיִיתָ *Quid hic vidisti, ut hoc faceres?* i. c. qui tibi ista in mentem venire poterant? An vidisti hic morem esse, ut viris uxores raperentur? — 11. כִּי־אָמַרְתִּי *Dixi enim*, sc. בְּלִבִּי *in corde meo*, i. e. cogitavi. — 12. *Vere soror mea est ex patre, sed non ex matre, igitur eam duxi in matrimonium.* Sara Therachi ex altera uxore filia fuit. Licitum igitur tum habebatur, sororem ὁμοπάτριον in matrimonium ducere; id quod postea Israelitis lege Mosaica interdictum est. Ceterum ejusmodi matrimonia apud Persas ante Cambysen, apud Aegyptios, Phoenices et Athenienses licita erant. Cf. Cornel. Nep. in *vita Cimonis* c. 1. Plutarch. in *Themistocle* p. 128. Achilles Tatius L. 1.

13. 14. וַיְהִי־אֲבִי *Et factum est quum errare me fecerint dii e domo patris mei*, i. e. postquam, patria egressus, per varias, Deo auctore, vagari coepcram terras. אֱלֹהִים saepe signif. *unum Deum*, et plerumque cum Verbo singulari jungitur; sed aliquando, numeri potius quam significationis ratione habita, sequitur Verb. plurale, ut h. l., ubi de vero Deo agi liquet ex c. 12, 1. Similis construetio occurrit 35, 7. et 2 Sam. 7, 23. coll. 1 Paral. 17, 21. Quinimo adjectivum plurale קְדוֹשִׁים, ubi de Deo Israelis sermo est, nomini אֱלֹהִים jungitur Jos. 24, 19. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 710. not. — 14. Post verba וַיִּקַּח אֲבִימֶלֶךְ in Cod. Samar. (quem sequuntur LXX.) librarius male sedulus ex Vs. 16. inseruit: אֶלֶף כֶּסֶף *χίλια δίδραχμα.* Sed h. l. recte ea tantum munera commemorantur, quae Abimelechus Abrahamo soli dedit, ut eum sibi propitium redderet.

16. נָתַתִּי אֶלֶף כֶּסֶף *Dedi mille argenti*, i. c. סְלָעִים דְּכֶסֶף *siclos argenteos*, ut Onkelos vertit. Cum didrachmo Alexandrino, sive statere Attico, siclum ante Mosis tempora comparari (quod a nonnullis Interprr. factum est) non debere, illoque multo minorem fuisse credibile esse, neque omnino antiquissimi illius sicli pretium definiri posse, ostendit J. D. Michaelis in *Commentat. I. de Siclo ante exilium Babylon.* (in *Commentatt. Soc. Reg.*

Gotting. an. 1752. T. II.) §. 4. p. 53. sqq. לְאָחִיךָ *Fratri tuo*, i. e. Abrahamo, quem fratrem tuum dixisti. Verborum הִנֵּה—אִתָּךְ tot pacne exstant explicationes, quot sunt interpretes. Nam etsi minime dubium sit, כְּסוּת עֵינַיִם esse *velamen oculorum*, tamen quid Abimelechus his verbis, donum illud, quod dedit Abrahamo, esse Sarae suisque omnibus velamen oculorum indicare voluerit, obscurum est. Plerique recentior. Interprr. *defensionem pudoris* phrasi illa indicari putant, quoniam pudicae in Oriente solent velari propter virorum verecundiam; ut Rebecca fecit, c. 24, 65. Verba tamen varie capiunt. Alii sensum hunc esse volunt: numos dedi, non tibi, ne videar pretium dedisse pudoris, sed tuo viro, qui eos profecto non accepisset, si te a me corruptam putaret, ne suae conjugis pudorem vendidisse putaretur. Alii verba כְּסוּת עֵינַיִם tropice accipiunt, sc. acceptae injuriae memoriam ex animo esse delendam, ut dicat Abimelechus: *dedi fratri tuo mille siclos argenteos, ut conniveas in iis, quae tibi evenerunt.* Nobis quidem hunc locum nemo felicius videtur tractasse N. G. Schroedero, qui in Comment. *de Vestitu mulier. Hebraear.* p. 89., observat, antiquissimis illis temporibus morem fuisse puellis, faciem non prius obvelandi, quam cum viro essent jungendae, ut ita marito servandam fidem significarent. Sane de Rebecca et Rahele virginibus Gen. 24, 15. 17. et 29, 9. non legitur, quod fuerint velatae, sed earum vultus conspectui patebat. Quod et de Sara observare licet ex Gen. 12, 14. nuda facie in publicum prodeunte, cum se Abrahami innuptam sororem simularet. Eadem apud Lacedaemonios olim vigebat consuetudo, referente Plutarcho in *Laconicis Apophthegmm.*, Oper. T. II. p. 232. *Quaerenti, cur* (Spartani) *virgines detectas, mulieres velatas in publicum emitterent? quia, inquit, virginibus quaerendi sunt viri, mulieribus opera danda, ut servent maritos.* Hinc Abimelechus, molli brachio reprehensurus Saram, quod matrimonium cum Abrahamo dissimulasset, et, velo contra uxorum morem deposito, virginem se gessisset: *Ecce*, inquit, *fratri tuo mille argenteos dedi, illud sit tibi velamen oculorum inter omnes, qui tecum sunt;* quibus verbis eam hortatur, ut tegumentum sibi comparet, ne et alios viros in errorem deducat. Veterum de h. l. opiniones vid. in Commentar. nostro majori. Etiam verba וְאֵת כֹּל וְנֹכָחַת varie explicantur. LXX. *Καὶ πάντα ἀλήθευσον, et omnibus in rebus veritatem dicito.* Aut retulit interpres נֹכָחַת ad נְכֹחָה *rectum* (Amos 3, 10.), quasi propric sit: *sis recta*, s. *verax;* aut sensum liberius expressit pro eo, quod propric notat: *et redarguita es*, s. *sis*, a Verbo יָכַח. Hieron. *et quocunque perrexeris; mementoque te deprehensum.* Sed נֹכָחַת est 3. femin., forma ad Chaldaismum inclinante, pro נֹכַחְתְּ; secunda foret נֹכַחְתִּ. Bene Onkelos: *et de omnibus quae dixit redarguita*, s. *reprehensa est.* Nam verisimile est, haec verba esse scriptoris volentis dicere, quod, quandoquidem omnia haec illi evenerint, nunc ita correpta et monita

fuerit, ne ultra se diccret sororem Abrahami, ob periculum in quod semel jam atque iterum adducta fuerat eo nomine, ו ante נְכַחַת redundat ut Lev. 12, 16.

18. *Nam occluserat Jova omnem uterum domus Abimelechi propter Saram.* Similiter Hesiód. *Oper. et Dier.* Vs. 240. *Saepe tota urbs malum ob virum plectitur;* et paullo post: *Neque mulieres pariunt, minuuntur autem populi.*

11. *Isaacus nascitur, circumciditur, ablactatur. Hagara, Sara postulante, una cum Ismaele pellitur. Illi per desertum erranti promittit angelus, Ismaelem fore patrem numerosae gentis. Cap.* 21, 1 — 21.

Cap. 21, 1. וַיהוָה פָּקַד אֶת־שָׂרָה *Jova Saram invisit*, meminit ejus, s. promissi, quod ei fecerat. Nam Deus, cum mulieribus sterilibus concipiendi et pariendi vim concedit, *earum meminisse* dicitur; vid. 30, 22. 1 Sam. 1, 19. פָּקַד propr. *aliquid adcurate inspicere;* hinc, *curam gerere*, et ejus curae specimina edere. Curam signif. *faventis*, praesertim ubi Accusat. nudo jungitur, sed etiam *plectentis*, maxime si per עַל construitur. H. l. in bonam partem sumitur: gratiosum se exhibuit erga Saram.

5. 6. Uterque Vs. jungitur hoc modo: Quum autem centenarius esset Abrah. nato ei Isaaco, dixit Sara: צְחֹק עָשָׂה לִי אֱלֹהִים *Risum mihi fecit Deus*, i. e. ridendi, laetandi causam mihi Deus praebuit. Similiter *risus* pro *gaudio* Ps. 126, 2. Innuit Sara his verbis, jam se intelligere, eum, qui ipsam ob risum reprehendisset, Deum fuisse. יִצְחַק־לִי esse potest sive *ridebit mihi*, i. e. adridebit mihi, sive *mecum laetabitur*, mihi gratulabitur; LXX. *συγχαρεῖταί μοι.*

7. וַתֹּאמֶר *Et dixit* insuper, ut intelligeretur, unde risus et sibi et aliis oboriatur. מִי מִלֵּל לְאַבְרָהָם *Quis unquam Abrahamo dixisset?* q. d. nemo procul dubio ausus fuisset hoc Abrahamo dicere, nedum spondere. Praeteritum *δυνητικῶς* pro Futuro. Videtur autem hic Vs. continere breve carmen, quod Sara cecinit in rem illam prodigiosam quae ipsi accidit (cf. 1 Sam. 2, 1 — 7.). Sunt enim tria aequalia membra, quae singula tribus constant vocibus:

מִי מִלֵּל לְאַבְרָהָם
הֵינִיקָה בָנִים שָׂרָה
כִּי־יָלַדְתִּי בֵּן לְזִקְנָיו׃

Carmen hic legi suadet et Verbi מִלֵּל Chaldaeis magis usitati usus, quod nonnisi in poëticis V. T. libris usurpari solet, et illud, quod Praeteritum הֵינִיקָה pro Futuro, poëtarum more, ponitur. הֵינִיקָה בָנִים שָׂרָה *Saram liberos esse lactaturam.* Pluralis בָנִים hic non urgendus est, quum hic universe miratu dignum sit, liberos sive plures sive pauciores seni obtigisse. LXX. *παιδίον.*

8. וַיִּגְדַּל הַיֶּלֶד וַיִּגָּמַל *Et crevit puer et ablactatus est.* Lactationis tempus, ut adhuc hodie apud plures Orientis populos, sic

et olim per biennium trienniumve duravit. Vid. 2 Maccab. 7, 28. et Joseph. *Ant.* 2, 9. וַיַּעַשׂ — אֶת־יִצְחָק *Et Abrah. eo die, quo ablactatus est Isaacus, magnum convivium paravit.* Fortasse Cananaei eum diem, quo filius primogenitus per se comedere coepit, festiva solemnitate et laetitia celebrarunt. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* VI. p. 213 sq.

9. מְצַחֵק *Ludentem.* LXX. *παίζοντα μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς.* Vulgatus: *ludentem cum Isaaco filio suo.* Sed hoc molle nimis. Nec de nihilo fuisse indignationem Sarae, arguit subsequens admonitio Dei, ut Sarae voci auscultet Abrahamus. Nonnulli putant, rixas obortas esse inter Ismaelem et Isaacum de hereditate, atque Ismaelem jus primogeniturae jactantem contempsisse Isaacum. Vid. Vs. 10. Alii, Ismaelem in convivio ablactationis subsanasse parentes, et convivas illis de filio gratulantes. Optime interpretatur vocem מְצַחֵק per *ἐδίωκε* Paulus Galat. 4, 29., quae vox omnis generis injurias exprimit, quibus fortasse Ismael Isaacum affecit.

11. 12. וַיֵּרַע — בְּנוֹ *Et male fuit verbum valde in oculis Abrahami*, i. e. hoc ei displicuit *propter filium suum.* Ismael enim, ex illorum temporum more, Abrahami filius legitimus, nec deterioris fuit sortis quam Isaacus. — 12. בְּיִצְחָק יִקָּרֵא לְךָ זָרַע *In Isaaco tibi vocabitur semen*, i. e. Isaacus unice erit filius tuus, in quem conferenda sunt beneficia tibi promissa. Ismaelitae quidem aliique ex Ketura suscepti liberi etiam Abrahami soboles habiti sunt; sed Isaacus, et ex Isaaco oriundi Abrahamidae *κατ' ἐξοχήν* dicti sunt.

13. 14. וְגַם — הוּא *Sed et filius ancillae, quia tua est proles, in gentem evadat, efficiam.* Hoc ipso pollicebatur Deus, et matris et filii curam se gessurum; ideoque non esse, cur propterea anxius esset Abrahamus. — 14. שָׂם עַל־שִׁכְמָהּ *Posuit* utrem aquae *super humero ejus*, more Aegyptio, quo viri onera capite, feminae humeris portare solebant. וְאֶת־הַיֶּלֶד *Et puerum*, sc. tradidit ei, uti recte Hieron. Neque enim matris humeris puer impositus censendus est, qui tum minimum septendecim annos natus erat. וַתֵּתַע — שָׁבַע *Et erravit per solitudinem Bersaba.* In quo nomine est *πρόληψις*, vid. Vs. 31.

15. 16. וַתַּשְׁלֵךְ אֶת־הַיֶּלֶד *Et projecit puerum*, i. e. quum haetenus eum manu duxisset, jam siti fatiscentem sub arbore quadam prostratum reliquit. — 16. הַרֹחֵק כְּמִטַּחֲוִי קֶשֶׁת *Elongando se quasi jacientes arcum*, i. e. quantum qui arcu sagittam ejaculantur, elongare a se possunt sagittam. Vel: quantum sagittarii a scopo, ad quem collimant, se dum jaculantur elongare solent.

18. 19. וְהַחֲזִיקִי אֶת־יָדֵךְ בּוֹ *Confirma manum tuam in illo*, i. e. ne eum deseras. — 19. מַיִם — וַיִּפְקַח *Tum aperuit ei Deus oculos et vidit puteum aquae.* Non animadverterat puteum, vel

dolore quasi caeca, vel quod os illius more Arabum arena tectum erat. Ejusmodi puteos, etiamnum in Oriente obvios, describit *Diod. Sic.* L. 19. Cf. et *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 87 sqq.

20. 21. וַיְהִי רֹבֶה קַשָּׁה *Et factus est jaculator arcuarius*, i. e. fuit peritus in arte jaculandi arcu sagittas. LXX. bene: τοξότης. Nam רֹבֶה significatu haud differt a רָבַב *jaculatus est*, uti et alia verba tertiae rad. ה et secundae rad. geminatae, quae duas primas radicales communes habent, significationibus conveniunt (שָׂרָה et שָׂרַר *principatum tenuit*). Minus recte alii interpretantur: *et factus est juvenis sagittarius*, רֹבֶה ducentes a רָבָה *crescere;* et alii a notione Vb. רָבָה *multum esse*, vertunt: *fuit magnus sagittarius.* קַשָּׁה est Adjectiv., quale צַיָּד, *venationem exercens*, et Chald. חַמָּד *agaso*, גַּמָּל *camelarius*, et alia ejusmodi, eos designantia, qui artem aut opus exercent. Quare קַשָּׁה erit quem prisci Latini vocarunt *arcuiten* s. *arquiten.* (Neque necesse est, ut רֹבֶה קַשָּׁה ἀσύνδετον statuamus, quale Habac. 3, 11.) Quum voc. רַבָּב *jaculator*, etiam ad ejaculationem lapidum pertinere posset, additum est קַשָּׁה, ut recte vertatur *jaculator arcūarius.* Minus congruit eorum interpretatio, qui קַשָּׁה habent pro Nom. subst. formae שַׁבָּת, ejusdem significationis cum קֶשֶׁת, et ellipsin Praepos. ב statuunt, ut verba hebraea pro רַבֵּב בַּקֶּשֶׁת posita essent, i. e. יוֹרֶה חִצִּים בַּקֶּשֶׁת *jaculans sagittas arcu.* — 21. De solitudine *Pharan* vid. not. c. 14, 6. וַתִּקַּח — מִצְרָיִם *Accepitque*, i. e. despondit *ei mater ejus uxorem e terra Aegypti*, patria videlicet sua (14, 1.). Ex more Orientalium parentes liberorum matrimonia decernere, iisque uxores ducere solent. Vid. 24, 4. 55. Ex. 21, 10, et cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 100 sq.

12. *Abimel. cum Abrah. foedus pangit, eique potestatem facit, in agro Philisthaeo habitare. Cap.* 21, 22—34.

Cap. 21, 22. 23. Pro אֲבִימֶלֶךְ וּפִיכֹל שַׂר־צְבָאוֹ LXX. habent: Ἀβιμέλεχ, καὶ Ὀχοζὰθ, ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, καὶ Φιχόλ, ὁ ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Tertii viri nomen huc adsciverunt e c. 25, 26., ubi simile foedus Abimelechi cum Isaaco percussum exponitur, ut solent isti interpretes ex locis similibus in alios aliquot voces infercire. De פִּיכֹל cf. not. 27, 21. אֱלֹהִים עִמְּךָ — בְּכֹל אֲשֶׁר אַתָּה עֹשֶׂה — *Deus tecum est in omnibus, quae agis*, secundo numine omnia agis. Id quod ex ejus rerum successu colligebat. — 23. וְעַתָּה — בֵּאלֹהִים *Nunc igitur jura mihi per Deum.* Jusjurandum in foederibus adhiberi solebat. Timebat Abimelechus, ne Abrahamus auctis opibus tandem cum vicinis de imperio certaret. הֵנָּה *hic* habet emphasin, q. d. hoc ipso in loco, non hinc recedamus donec jurejurando hoc sit confirmatum. אִם־תִּשְׁקֹר לִי *Si mihi mentiaris*, i. e. te mihi non mentiturum, non violaturum foedus inter nos ineundum; nam *mentiri* Hebraeis et dicti est et facti. *Si mentiare;* altera pars conditionis, qua quis sibi gravia imprecatur, nisi pollicitis steterit, omittitur, vid. 14, 23. Vb. שָׁקַר (h. l.

in Kal, alias semper in Piel legitur) de foedere frangendo usurpatur, ut Ps. 44, 18. וְלִנִינִי וּלְנֶכְדִּי *Aut soboli meae, aut nepotibus meis.* LXX. (*μὴ ἀδικήσειν με*) *μηδὲ τὸ σπέρμα μου, μηδὲ τὸ ὄνομά μου.* Non legerunt aliter, sed sensum liberius expresserunt. עִמָּדִי — כַּחֶסֶד *pro eadem benevolentia, qua tecum egi.* Benignitas Abimelechi in eo potissimum sita erat, quod paseuorum agri Gerarensis partem aliquam, in qua errarent Abrahami greges, quamdiu vellet, ei coneessisset; vid. 20, 15. וְעִם־הָאָרֶץ *Et cum terra*, i. e. וְעִם־אַנְשֵׁי הָאָרֶץ *cum incolis terrae*, ut Num. 14, 13.

25. הַמָּיִם — וְהוֹכַח *Arguit autem Abrahamus Abimelechum*, cum eo expostulavit, *de negotiis putei aquarum*, propter puteum (cf. עַל־אוֹדֹת supra Vs. 11.), אֲשֶׁר — אֲבִימֶלֶךְ *quem rapuerant*, vi occuparant, *servi Abimelechi.* Ante queri non erat ausus, quod forsan putaret, aut id jussu, aut certe permittente aut connivente rege factum esse; nunc commode injuriae acceptae meminit, ut in posterum omnis dissidii causam praecidat. Facile rixae circa puteos inter pastores in illis regionibus oriri possunt, propter aquae inopiam, qua fit, ut putei magni aestimentur. Vid. 26, 18. 20. 21.

29. 30. מָה הֵנָּה *Quid sunt?* sibi volunt? הֵנָּה hic non est Adv. loci, ut Vs. 23., sed Pron. femin. (pro הֵן), loco Verbi substant. לְבַדָּנָה pro לְבַדָּן cum He paragogico. — 30. בַּעֲבוּר תִּהְיֶה־לִּי *Propterea ut sit mihi*, se. זֹאת *hoc* donum, alioquin dicendum erat תִּהְיֶינָה, *ut sint* hae septem agnae, *mihi* לְעֵדָה *in testem*, testimonio; femininum Adjectivi עֵד, ut 31, 52. et mascul. עֵד Ex. 20, 13. pro *testimonio*, עֵדוּת, ponitur. הַזֹּאת — כִּי *Quod foderim hunc puteum*, i. e. ut veluti hisce agnis puteum a me effossum a te solemnius redimam, quibus acceptis, mei eum esse juris fateberc.

31. 32. הַהוּא — עַל *Ideo vocavit* (ut 11, 9.) *locum illum* בְּאֵר שָׁבַע (pro שָׁבַע extra pausam esset שֶׁבַע), quod propr. est *puteum τῶν* septem, se. agnarum. Sed auctorem שֶׁבַע significatu nominis שְׁבוּעָה *jusjurandum* coepisse inde patet, quod subjungit, appellationis illius rationem redditurus: שְׁנֵיהֶם — כִּי *quia ibi uterque juravit.* Sine idonea ratione alii ante כִּי copulam ו subaudiunt, ut dicatur, puteum illum duplici de causa illud nominis accepisse, et a septem agnis, et propter jusjurandum illic interpositum. Etenim et 26, 33. ratio appellationis urbis Bersabae a שְׁבוּעָה repetitur, quod et ibi idem quod שְׁבוּעָה *jusjurandum* valet, nulla septem agnarum mentione facta. Recte LXX. *φρέαρ ὅρκισμοῦ.* — 32. *Quum autem foedus* ambo *in Bersaba percussissent*, foedere illic pereusso et absoluto, *surrexit Abimelechus* rel. וַיָּשֻׁבוּ — פְּלִשְׁתִּים *Et redierunt ad terram Philisthaeorum* (Geraram seil., Philisthaeae caput.). Unde colligere est, Bersabam, ubi erat Abrah., non fuisse ditionis Philisthaeae, sed in finibus ejus sitam esse.

33. 34. וַיִּטַּע — שָׁבַע *Et plantavit* Abrah. *tamariscos in Bersaba.* אֶשֶׁל ut cognatum voc. Arab. notat *tamarisci* speciem, in Aegypto frequentem. Veterum alii *arborem* vertunt, alii *lucum;* Vulgatus: *nemus.* Posuerunt interpretes illi genus pro specie. LXX. ἐφύτευσεν ἄρουραν, *plantavit agrum*, sc. arboribus. Vix dubium quin umbrae et frigoris causa Abrahamus nemus plantaverit ut tentorium ibi haberet. Quia in verbis quae sequuntur cultus divini mentio fit, nonnulli existimant, lucum hic designari talem, in quo Abrah. Deo sacrificia offerret; quod ante Mosaicum interdictum non illicitum, et antiquissimis temporibus valde usitatum erat, uti Plinius *H. N.* 12, 1. testatur. Quod nomini יְהוָה hic additur אֵל עוֹלָם *deus aeternus*, ideo factum videtur, ut opponatur Diis, qui aliquando nati, ut aliquando morituri essent. — 34. וַיָּגָר — פְּלִשְׁתִּים *Et peregrinatus*, commoratus *est Abrahamus in terra Philistaeorum.* Quum Bersaba, ubi domicilium habuit Abrah. (22, 19.), in ipsis finibus terrae Philisth., s. Palaestinae, sita esset (Vs. 32.), in ea illum habitasse dici poterat, praesertim, quum vitam pastoritiam agens tentoria sua procul dubio saepe in vicinae Palaestinae pascuis figeret.

13. *Abrahamus divino jussu filium mactare paratus ab angelo revocatur, et novas accipit numerosissimae prosapiae promissiones.* *Cap.* 22, 1—19.

Cap. 22, 1. Quae jam sequuntur, patet hunc in finem narrari, ut Hebraeorum progenitor tanquam exemplum incredibilis fortitudinis animi atque pietatis erga Deum posteris propone retur. Quod Deus Abrahamum jusserit, ut filium immolaret, in somnio illi visum esse, credibile est Eichhornio in *der Allg. Biblioth. d. bibl. Litt.* P. I. Fasc. I. p. 45. sqq. P. J. Bruns in *den Memorabilien*, P. VI. p. 1. sqq. Abrahamum exemplo Phoeniciorum, qui diis pueros immolare solerent, eo adductum fuisse autumat, ut et ipse filium unicum Jehovae in sacrificium offerre voluerit. Mythum, quo insigne pietatis et obedientiae erga Deum, quod Abrahamus dederit, documentum exhibeatur, in hac narratione agnoscit De Wette *Kritik d. Isr. Gesch.* (s. *Beyträge z. Einl. in d. A. T.* P. II.) p. 98. sqq. A qua sententia haud longe abest J. G. Grever, qui in *Commentatt. miscellanar. syntagm.* (Oldenburg. 1794.) hanc narrationem pro veteris carminis particula habet, quo majorum gentis Hebr. pietas in Deum celebrata esset. Mirum vero, duumviris istis non in mentem venisse similis mythi a Sanchuniathone traditi. Vid. ad Vs. 2. Alii existimant, Abrahami hoc factum literis mandatum esse, ut liqueret, non defuisse Dei Israëlis cultores, qui, si Deo ita visum fuerit, pretiosissimas omnium victimas immolare ei parati fuerint. Cf. Guil. Frid. Hufnagel: *Für Christenthum, Aufklärung und Menschenwohl*, P. I. Fasc. 7. p. 592. sq.

2. קַח־נָא — וְצַחֲק *Sume filium tuum unicum, quem diligis, Isaacum.* Plura verba eumulantur, quae singula fere ejusmodi sunt, ut animum Abrahami vehementer perturbare, et, si minus Dei reverens fuisset, a parendo absterrere eum possent. יְחִידְךָ *Unicum tuum;* nam Ismael ab hereditate exclusus exulabat. LXX. τὸν ἀγαπητὸν, non quod יְדִידְךָ legerunt, sed quod duo isti significatus miscentur: *unicus* et *dilectus.* Nam unigeni liberi impense diligi solent. וְלֶךְ־לְךָ — הַמֹּרִיָּה *Et vade in terram Moria,* in eam regionem, in qua mons Moria situs erat, in quo postea templum est exstructum, s. in tractum Hierosolymitanum. De ratione nominis ejusque significatione haud certo constat. Plures referunt ad רָאָה, nec מֹרִיָּה differre putant a מַרְאָה, quod est Partieip. fem. Hoph. Locus autem longe latcque conspicuus idem excelsus sit necesse est. Hinc LXX. τὴν γῆν ὑψηλὴν vertunt. Ad רָאָה retulisse eum, qui haec literis consignavit, et nomine illo *locum, quo se Jova conspiciendum praebuerit,* significari existimasse, patet e Vs. 14. A רָאָה etiam auctor Chronicor. derivat, 2 Chron. 3, 1., sed rationem appellationis affert hanc, quod *ostensus fuit Davidi patri suo.* Fullerus *Miscell. SS.* L. 2. cap. 14. מֹרִיָּה componsit. putat e Partieip. Hophal Verbi רָאָה et nomine יָהּ, ut perinde valeat ac מַרְאֵה יָהּ h. e. *φανερωθεῖς Θεός,* et *Moria* sit *terra visionis* Jovae. Alii מֹרִיָּה retulerunt ad יָרֵא *timuit, reveritus est,* quod praesertim de numinis reverentia dicitur; sic Onkelos et Arabs uterque, qui *terra adorationis* reddidere. Gesenio (in Lex. hebr. min. ed. sec.) מֹרִיָּה (formae כִּרְיָה) esse videtur a Partieip. fem. Verbi מָרָה *repugnavit:* quasi terra *adversaria* ascendenti, ardua. Hebraeorum nonnulli Morijah deducunt a מֹר *myrrha,* quasi myrrhifera priscis sceulis fuerit regio Hierosolymitana. וְהַעֲלֵהוּ שָׁם לְעֹלָה *Et offerto eum illic in holocaustum.* De victimis humanis apud omnes paene antiquitatis gentes caesis, praesertim apud Syros et Phoenicios, egit Eusebius *Praep. Evang.* IV, 16., ubi inter alia ex Sanchuniathone haec tradit (vid. *Sanchuniathonis Fragmenta* ed. Orelli Lips. 1826. p. 42.): *Cronus ergo, quem Phoenices Israelem vocant, regioni cum imperitaret, atque ex indigena nympha, Anobret* (חַן עוֹבֶרֶת) *dicta, filium unigenitum haberet, quem propterea Jehud vocabant, quomodo unigenitus etiamnum a Phoenicibus appellatur, cum regioni maxima ex bello imminerent pericula, regio habitu filium ornatum in ara, quam erexerat, mactavit.*

3 — 5. וַיַּשְׁכֵּם אַבְרָהָם בַּבֹּקֶר LXX. Ἀναστὰς δὲ Ἀβραὰμ τὸ πρωΐ. Hieronymus: *Igitur Abraham de nocte consurgens.* Indicatur, promtum paratumque ad obsequendum Deo se praebuisse Abrahamum. וַיַּחֲבֹשׁ אֶת־חֲמֹרוֹ *Et ligavit asinum suum,* LXX. ἐπέσαξε τὴν ὄνον αὐτοῦ, *stragula imposuit,* s. *clitellas,* sive ut jumentum ipse conscenderet, sive ut ei ligna imponeret. נְעָרָיו *Pueri ejus,* i. e. servi ejus. וַיְבַקַּע עֲצֵי עֹלָה *Findebat ligna sacrificalia.* In nonnullis enim Palaestinae regionibus ligni penuria est; siecoque

ligno etiam commodius uti poterat. — 4. בַּיּוֹם — עֵינָיו *Die tertio tum sustulit Abrah. oculos suos.* ו ante וַיִּשָּׂא redundat, ut 20, 16. ante נֹכַחַת. — 5. נִשְׁתַּחֲוֶה *Adorabimus*, i. e. saera faciamus.

9. 12. וַיַּעֲקֹד אֶת־יִצְחָק *Et constrinxit Isaacum.* Victimae enim vinciri solebant, ne ictum effugerent, praesertim humanae. Vid. *Ovid.* ex Ponto 3, 2. 3. *Aeneid.* 2, 134. coll. Vs. 156. — וְלֹא — מִמֶּנִּי *Nec cohibuisti filium tuum unicum tuum a me*, mihi petenti non negasti. LXX. *καὶ οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σοῦ ἀγαπητοῦ δι᾽ ἐμέ.*

13. *Et vidit Abrahamus arietem post inter vepres haerentem cornibus.* Pro אַחַר *a tergo*, veterum plures legerunt אֶחָד *unus.* Ita Cod. Samar., LXX. (*κριὸς εἷς*) et Syrus. Arabes quatuor codd. hanc vocem plane omittunt, quia putarunt esse superfluam, et verba, *ecce arietem*, tantum valere, quantum, *ecce arietem unum;* hanc particulam non omissuri, si legissent אַחַר. Praeterea אֶחָד exhibent Codd. 19. a Kennicotto collati, et 13. collati a de Rossio. Atque אֶחָד quidem praeferendum vulgo receptο אַחַר duxit Boehartus, motus et loco parall. Dan. 8, 3. et eo quod *a tergo* Hebraice esset אֲחוֹר, non אַחַר, et אַחַר ita solitarium potius est *temporis* Adverb. quam loci. Neque frustra dici, addit, Abrahamum *unum* arietem vidisse; „aries quippe quum gregarium sit animal, signanter dicitur, hunc arietem nulli gregi fuisse adjunctum.“ Utramque scripturam, אחר et אחד, expressit Onkelos, qui hunc locum sic reddit: *Sustulitque Abrahamus oculos suos post haec, et ecce: aries unus.* אַחַר (cum Resch) de tempore, ut Onkelos, intellexit et Saadias, qui *post hoc* reddidit. Aben-Esra verba אַחַר נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ conjungit hoc sensu: *postquam retentus esset in implexo*, vidit, s. agnovit, arietem esse. Seb. Ravius in *Exercitatt. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 213. אַיִל hic alternare cum שֶׂה (Vs. 8.) existimat, tanquam speciale cum generali, et אַיִל אַחַר dici pecudem, quae in locum *alterius*, quam immolare debebat Abrahamus, erat substituta. Posse igitur hircum illum hoc Vs. rectissime *alium* vocari. Verum *alius* Hebraice est אַחֵר non אַחַר. Praeterea ex mente eorum, qui textum Accentibus distinxerunt, אַיִל non esse cum אַחַר jungendum, docet Accentus major distinctivus Sakeph-katon nomini אַיִל impositus, neque אַחַר cum verbis proximis, ut vult Aben-Esra, arctius connectendum esse, ostendit Accent. distinctiv. Sakeph-gadol, illi Particulae appictus. Quod non effugit Abarbenelem, qui locum recte interpretandum esse docet hoc modo: *et ecce arietem*, sc. pascentem illic, *postea*, subaudi: vidit eundem arietem *detentum in vepreto.* Quo monitus est, arietem non fortuito, sed Deo sic dirigente, illuc venisse. נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ *Detentus* s. *implicitus erat in perplexitate*, subintelligе, veprcti, dumi. Id enim subaudiendum esse patet tum ex ipsa textus serie, tum ex locis similibus, Ps. 74, 5. Jes. 9, 18. 10, 34. LXX. retinuernnt vocem סְבַךְ, verteruntque *κριὸς κατεχόμενος ἐν φυτῷ*

Σαβέκ, quasi סְבַךְ esset Nom. propr. virgulti vel arboris. Hesychius: *βάτος*, *rubus;* Phavorinus: *χρυσολάχανον*. Ceterum his, quae hic leguntur, non absimilis est Graecorum narratio de *Iphigenia*, a patre Agamemnone Dianae oblata. Cf. TZETZEM in *Lycophron.* p. 40. ed. Canter. et HYGINI Fab. 98. Et in Plutarchi *Parallelis historr. graecar. et romann.* cap. 35. similes fabulae sunt duae; una graeca, altera romana, in quibus armenta, quum arreptum gladium aquila in ea injecisset, hominibus immolandis substituta esse narrantur.

14. וַיִּקְרָא — יִרְאֶה *Vocavitque Abrahamus nomen loci illius: Jova-jireh*, i. e. Deus providebit. Adludit Abrah. ad id, quod Vs. 8. dixerat. Haud raro Hebraei pro nomine una voce exprimendo integram enunciationem ponunt, vid. 33, 20. Ex. 17, 15. Jud. 6, 24. Ut autem in nominibus virorum propriis saepe est aliqua syllaba vocis יְהוָה, ut in *Josua*, *Jehojakim*, *Jeremia*, ita etiam nominibus locorum integra inseritur, ut hic. Verba אֲשֶׁר יֵאָמֵר הַיּוֹם non sunt ita reddenda: *qui* sc. locus *dicitur hodie* (id enim Verbo קָרָא exprimendum fuisset), verum sic: illud est, *quod dici solet etiamnum*, i. e. inde est quod diei solet, vel אֲשֶׁר est pro לְמַעַן אֲשֶׁר *propterea*. Cf. supra 10, 9. עַל־כֵּן יֵאָמֵר *propterea dici solet*, adagio fertur. Tale et hic sequitur: בְּהַר יְהוָה יֵרָאֶה *in monte Dei providebitur*, eurabitur, prospicietur. LXX. ἐν τῷ ὄρει Κύριος ὤφθη. „Exivit igitur apud Hebraeos," Hieronymo notante, „in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, et Domini auxilio, optant sublevari, dicant, *in monte Dominus providebit*, h. e. sicut Abrahami misertus est, miserebitur et nostri." Ex mente eorum, qui Accentus apposuerunt, verba בְּהַר יְהוָה in statu regiminis *in monte Jovae* sunt vertenda, ut sensus sit: Deus sibi prospexit, s. elegit hunc locum, in quo majestatis suae praesentiam residere faciat, utque in eo oblationes sibi offerantur.

16 — 18. In fine Vs. 16. post יְחִידֶךָ in LXX., Cod. Samar. et Vers. Syr. est מִמֶּנִּי expressum, e Vs. 12. — 17. כִּי hic, ut alias haud raro, est *quamobrem*, *ideo*. Vel referendum est ad בִּי נִשְׁבַּעְתִּי *per me juravi* Vs. 16. et vertendum est *quid*. De בָּרֵךְ vid. not. ad 1, 22. — 18. Vid. not. ad 12, 3.

14. *Recensentur posteri Nachoris, fratris Abrahami. Vs.* 20 — 24.

20. Nachoris, fratris Abrahami (11, 27.), soboles tota recensetur propter Rebeccam itemque propter Rachelem et Leam, uxores Jacobo dandas, de illius itidem genere, filias quippe Labanis, nepotis Nachoris. יָלְדָה מִלְכָּה גַּם הִוא *Peperit Milca etiam ipsa*, ut Sara, ut neutra sororum fuerit sterilis. Praeterea, uti notat Jarchi, Nachoris proles aequant prolem Abrahami, duodecim scilicet tribus ex Jacobo progenitas; nam totidem fuerunt et filii Nachoris, ut dehinc habes enumeratos. Atque ut octo ex filiis

Jacobi fuerunt filii herarum, quatuor vero ancillarum; sic filii Nachoris ex hera, Milca, erant octo, et quatuor ex ejus concubina.

21. Nachoris primogenitus erat עוּץ. Ita etiam vocabatur Arami primogenitus, 10, 23. Fuit et huic cognominis inter Edomi posteros, infra 36, 28., unde Idumaea dicitur *terra Uz* Thren. 4, 21. בּוּז memoratur et Jer. 25, 23. inter Idumaeae et Arabiae finitimos populos. וְאֶת־קְמוּאֵל אֲבִי אֲרָם *Et Camuelem, patrem Arami.* Qui supra 10, 22. memoratur Aramus, fuit Semi filius. LXX. et Vulgatus habent hic: *πάτερα Σύρων, patrem Syrorum.* Recentiorum plerique volunt quidem, Syros, Hebraeis אֲרָם dictos, a Semi filio nomen duxisse. Sed quum multiplex sit Aram, s. Syria (commemoratur enim *Aram-Neharaim*, i. e. Mesopotamia, *Aram-Zoba*, i. e. Nesibis, *Syria Damasci*), atque hic ut notatu dignum quid memoratur, quod Camuel Arami pater fuerit, indicari videtur, utrumque, et Aramum, Sethi filium, et hunc, Camuelis filium, suae Syriae nomen dedisse. Ex אֲרָם reseeta prima litera, factum est רָם, cujus detractionis exempla exstant Job. 32, 2. et 1 Paral. 2, 9., atque addito Nun, רָמָן.

22—24. A כֶּשֶׂד quidam volunt Chaldaeos, qui Hebraeis כַּשְׂדִּים, dictos, vid. 11, 28. — 23. Pro יָלַד Cod. Samar. habet הוֹלִיד *parere fecit, genuit.* Sine necessitate; nam יָלַד tam de patre, quam de matre dici constat. — 24. וּפִילַגְשׁוֹ וּשְׁמָהּ רְאוּמָה *Et concubinam ejus* quod attinet, *nomen ejus* erat *Reuma.* E פִּלֶגֶשׁ (Chaldaice פִּילַקְתָּא) non dubium esse *παλλακὶς* et *pellex* factum. Tales mulieres, quae ad uxorem primariam et justam accedebant, inter Hebraeos ante et post Legem memoratas reperimus. Vid. 25, 1. 6. 30, 9. 35, 22. 1 Paral. 7, 14. 2, 48. Jud. 8, 31. 2 Sam. 5, 13. 1 Reg. 11, 3. Quod attinet discrimen inter pellices et justas uxores, apparet quidem e Cod. sacro, pellices eodem in honore non esse habitas. Filii tamen pellicum paris erant juris cum iis uxorum legitimarum, *nisi pater nollet.* Abrah. Keturam amandavit cum liberis, 25, 6.; et cf. 21, 14. Contra in partitione terrae Israelitieae posteri filiorum, quos e concubinis suscepit Jacobus, aequali sorte cum posteris filiorum, e justis uxoribus suscepturum, gaudebant. מַעֲכָה num sit viri nomen, an vero mulieris? ambigitur. Plures mulieres nomine Maacha commemoratas reperimus, veluti matrem Absalomi, 2 Sam. 3, 3., ejusdem filiam, 1 Reg. 15, 10. concubinam Calebi, 1 Chron. 2, 48. Erant tamen et viri, qui illud nomen gesserunt, ut pater Achis, regis Gathae, 1 Reg. 2, 39., et pater Sephatjae, 1 Paral. 28, 16. Ita et אֲבִיָּה nomen erat regis Judae, Rehabeami filii, 2 Paral. 12, 16. 13, 1., et matris Hiskiae, regis, 2 Paral. 29, 1.

15. *Mors Sarae, ad quam sepeliendam Abrahamus speluncam et agrum ad Hebronem emit. Cap.* 23.

Cap. 23, 2. Hic Versus cum Vs. 1. connectendus est hoc modo: quum explevisset Sara annum aetatis 127., mortua est in

Kirjath-arba, quae est Hebron, i. c. quae postea dicta est et hodienum dicitur Hebron. Cf. Jos. 14, 5., ubi antiqui urbis nominis ratio redditur haec, quod ab Arba, insigni quodam inter Enakaeos viro, nuncupata esset. Vid. Vs. 19. et 13, 18. Cf. de hac urbe *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 298. sqq. In Cod. Samar. post קִרְיַת אַרְבַּע legitur אל עמק *ad vallem;* LXX. quoque reddiderunt: *ἐν πόλει Ἀρβόκ, ἥ ἐστιν ἐν τῇ κοιλώματι.* Id in hebraeis Codd. non haberi observat Hieronymus in Quaestt. ad h. l. Quod hic additur בְּאֶרֶץ כְּנָעַן, eo videtur pertinere, ut intelligat lector, Saram non esse mortuam in Philisthaeorum agro, in quo diutissime commoratum esse Abrahamum c. 21, 34. dictum est. Tum igitur sedem suam in Hebronem rursus transtulisse innuitur. Verbis וַיָּבֹא אַבְרָהָם לִסְפֹּד לְשָׂרָה *venitque Abrah. ad lugendam Saram*, nihil dicitur nisi hoc: aggressus est, sive accinxit se, ut eam plangeret. Litera כ minuscula in voce וְלִבְכֹּתָהּ *ad deflendam eam*, innuit, ex Hilleri sententia, in libro *de Arcano Kethib et Keri*, p. 178., in aliis libris fuisse וְלִבְכוֹתָהּ scriptum, i. e. *ad fletum ejus*, qui scil. funeri ejus impenderetur.

3. 4. מֵתִי — וַיָּקָם *Et surrexit Abrah. a facie mortui sui*, s. a mortuo suo. Mascul. ponitur, quia nominis גְּוִיָּה *corpus*, cadaver, ratio habetur. — 4. עִמָּכֶם — גֵּר *Peregrinus et inquilinus sum vobiscum*, apud vos, unde non habeo quidquam terrae, ubi Saram, et alios deinceps, qui ex meis morientur, possim sepelire. תּוֹשָׁב *incola*, inquilinus, qui sedem in externa terra figit; oppositus est ei אֶזְרָח *indigena.* עִמָּכֶם — תְּנוּ *Date mihi possessionem sepulcri apud vos.* Apud Graecos quoque et Romanos probrosum fuit, in alieno agro sepeliri, unde unaquaeque familia suum sepulchrum habuit, nec patiebantur alios cum suis sepeliri. וְאֶקְבְּרָה מֵתִי מִלְּפָנָי *Ut sepeliam mortuum meum a conspectu meo*, ut cadaver e conspectu meo tollam.

5. 6. Pro לוֹ Samar. Cod. exhibet לֹא *non.* Consentiunt LXX., qui *Μὴ κύριε* habent. Idem scripturae dissensus Vs. 14. Videntur librarii utrumque locum cum Vs. 11. convenientem facere voluisse, cujus initio et in Cod. Hebr. legitur לֹא praecedente, in fine Vs. 10., לֵאמֹר. — 6. שְׁמָעֵנוּ אֲדֹנִי *Audi nos, domine mi!* Plures, qui loquentes inducuntur, dicunt: *domine mi!* quia unus nomine omnium loquebatur. נְשִׂיא — בְּתוֹכֵנוּ *Princeps Dei tu es in medio nostrum.* Hebraei (vid. c. 10, 8.), si alicujus rei excellentiam exprimere volunt, eam esse Dei, sive divinam, dicere solent. Dicunt igitur Chittaei: absit, ut te pro peregrino et obscuro inter nos homine habeamus, imo vero habemus te magni principis loco; atque adeo hunc tibi honorem deferimus, ut in nostra ditione sepulchrum tibi deligere possis. בְּמִבְחַר — מִבְחָר *In delectu sepulchrorum nostrorum*, i. e. in lectissimo, *optimo sepeli mortuum tuum.* אִישׁ — מִמְּךָ *Vir*, quisquam, *e nobis non prohibebit sepulchrum suum a te* (יִכְלֶה pro יִכְלָא). Alioqui enim

unicuique familia jus erat, omnes alienos arcendi a sepulcro suo, sicuti apud Graecos. Sed Graeci quoque hospites interdum sepulcris suis excipiebant.

7. 8. וַיִּשְׁתַּחוּ LXX. *προσεκύνησε*. Flexio corporis ad terram est etiam nunc apud Orientales reverentiae signum, quo etiam gratias agentes et alloquuturi utuntur. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. VI. p. 265. — 8. אִם — אֶת־מֵתִי *Si est cum anima vestra sepelire mortuum meum*, si vultis me sepelire meum mortuum. נֶפֶשׁ aliquando *voluntatem*, *arbitrium* notat, ut Ps. 27, 12. 41, 3. 105, 22. Sic et Latini: *si vobis est animus* sinere me sepelire mortuam uxorem meam. וּפִגְעוּ־לִי בְּעֶפְרוֹן *intercedite pro me apud Ephronem.* Onkelos: *orate mihi ab Ephrone.*

9. אֶת־מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה LXX. *τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν*, quos ceteri veteres interpretes raro consensu sequuntur. Hebraei quoque a כָּפַל *duplicem esse* autumant *speluncam duplicem* significari. Sed e Vs. 17. et e loco 49, 30. apparet, voc. Machpela esse Nom. propr. et מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה *speluncam* in agro cui nomen *Machpela.* Vid. et Jo. Nicolai *de sepulchris Hebr.* p. 167. Ceterum speluncae in Palaestina frequentes sepulcris inserviunt. Vid. Lowthius *de S. Poësi Hebraeor.* Praelect. VII. p. 84. edit. Uxon., p. 76. ed. Lips. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. 1. p. 96. אֲשֶׁר בִּקְצֵה שָׂדֵהוּ *Quae est in extremo agri sui*, quod extenuandi causa dictum videtur; q. d. itaque ei non admodum incommodabit, aut ejus agro, si eam mihi reliquerit. בְּכֶסֶף מָלֵא יִתְּנֶנָּה לִי *Argento pleno dabit illam mihi*, i. e. concedat mihi speluncam justo pretio. LXX. *ἀργυρίου τοῦ ἀξίου.* Cf. 1 Paral. 21, 22. 24.

10. וְעֶפְרוֹן יוֹשֵׁב בְּתוֹךְ בְּנֵי־חֵת *Ephron autem sedebat inter Chetitas.* Vb. יוֹשֵׁב alii vertunt: *habitavit;* alii volunt, sedisse Ephronem pro tribunali ut judicem aut magistratum, quomodo יָשַׁב Ps. 29, 10. (ubi not. cf.) et saepius usurpatur. A qua ratione haud multum abest J. A. Kanne in *den bibl. Untersuch. u. Auslegg.* P. 1. p. 209. sqq. Sed videtur simpliciter hoc indicari, Ephronem in consessu Chittaeorum tunc praesentem fuisse, ut non difficile fuerit eum compellari. וַיַּעַן בְּאָזְנֵי בְנֵי־חֵת *Respondit in auribus* s. *in aures Chittaeorum*, illis audientibus. לְכֹל בָּאֵי שַׁעַר־עִירוֹ *Coram* (לְ pro לִפְנֵי) *omnibus portam urbis ipsius ingredientibus*, i. e. civibus urbis; ii enim dicuntur *urbem ingredientes et exeuntes*, pro quo brevitatis causa nunc *ingredientes*, ut hic, nunc *exeuntes* duntaxat, ut 34, 24., dicitur. Cf. Jer. 17, 19. 20. Ostendit Moses haec palam acta, ut res rata esset et stabilis. Sic enim contractus iniri solebant, antequam scripturae inventae essent, ut coram toto populo confirmati.

11. 13. לֹא־אֲדֹנִי *Non, domine mi!* i. e. *non acquires eam pretio*, sed dono illam tibi dabo. Hieronymus una cum sequenti שְׁמָעֵנִי hoc bene ita expressit: *nequaquam ita fiet, domine mi; sed magis ausculta, quod loquor.* LXX. pro לֹא־אֲדֹנִי ponunt: *παρ'*

ἐμοὶ γενοῦ, κύριε, ac si לִי pro לֹא legissent. — 13. אַךְ אִם־אַתָּה לוּ שְׁמָעֵנִי *Verum*, imo vero, *utinam tu me audires!* Duae optandi Particulae אִם לוּ junctae augent rogantis humanitatem: *Quaeso ut audias me.* Minus recte LXX. pro לוּ legerunt לִי, et verterunt: ἐπειδὰν πρὸς ἐμοῦ εἶ ἄκουσόν μου, *si tu mihi*, i. e. mecum, s. mihi amicus esse, mihi gratificari velis. Ita et Cod. Sam. et Onkelos. Cf. GESENII Commentat. *de Pentat. Sam.* p. 37. כֶּסֶף הַשָּׂדֶה non est *pecunia pro agro*, sed *pecunia agri*, i. e. quam valet ager, justum ejus pretium.

15. Pro שְׁמָעֵנִי אֲדֹנִי LXX. habent: *οὐχὶ κύριε*, ut Vs. 11. Traxerunt לוּ in fine Vs. 14. ad hunc, sed לֹא legerunt. אֶרֶץ — הִוא *Terra quadringentorum siclorum*, tam parvae summae, *quid est inter nos?* qui ambo divites sumus, et insuper animis juncti; noli amplius de speluncae pretio loqui. Voc. אֶרֶץ cum iis quae proxime sequuntur in regimine est. Alii, quasi scriptum esset הָאָרֶץ, interpretantur: Hic fundus valet 400 siclis inter me et te, i. e. tibi amico hoc vili pretio relinquam. De siclo vid. ad 20, 16.

16. וַיִּשְׁמַע — עֶפְרוֹן *Et audivit Abrah. ad Ephronem*, acquievit ei de pretio agri, quod statuerat. וַיִּשְׁקֹל — הַכֶּסֶף *Et appendit Abrah. Ephroni argentum.* Nam pecunia antiquiss. temporr. appendebatur, non numerabatur. Neque videntur pecunia signata tum usi, sed habuisse duntaxat laminas aureas argenteasve, quas appenderent. Unde *aes grave* apud Latinos (cf. PLIN. H. N. 33, 3.), et vid. infra 43, 21. Etiam Jeremiae aetate pecunia appendebatur, vid. Jer. 32, 9. 10. E שָׁקַל *appendit* dictum est שֶׁקֶל, quod quum quodvis pondus notare queat, usu tamen certo cuidam ponderi, quod nos *siclum* vocamus, tributum est. שֶׁקֶל כֶּסֶף עֹבֵר עַל־סֹחֵר *siclum argenti transeuntem ad* s. *apud mercatorem*, i. e. pecuniam probatam, quae apud omnes mercatores elocari posset. LXX. *δοκίμου ἐμπόροις*. Qui mercaturam exercebant metalla probare norant, idcoque accepta apud eos pecunia proba erat. Itaque כֶּסֶף עֹבֵר est *argentum* s. *pecunia*, *quae in usu est*, quae in mutuo commercio dari et recipi solet. Ceterum non mirum videri potest, argentum jam Abrahami aetate pro pecunia usurpatum fuisse, quum Phoenicii, inter quos ille degebat, jam primis temporibus, uti Graeci scriptores testantur, argento pro pecunia uterentur.

17. 18. 20. Vs. 17. et 18. arctissime cohaerent; nam prima Vs. 17. verba וַיָּקָם שְׂדֵה עֶפְרוֹן jungenda sunt primis Vs. 18. verbis, לְאַבְרָהָם לְמִקְנָה hoc sensu: *stetitque*, perstitit *ager Ephronis* et quae ad illum pertinent, *Abrahamo in possessionem*, i. e. ratus fuit et pleno jure cessit ager Ephronis Abrahamo. Ceterum diverso genere scribendi a Mosaico (notante MICHAELI *de siclo* p. 47.) totum hoc caput decurrit, ut emtionis libellum non historici verba agnoscas; ager enim, et quid cum illo venditum sit, curate et suspiciose definitur, inque porta publica emtionem per-

actam esse, caute repetitur. Sine idonea ratione DE WETTE (*Krit. d. Israel. Gesch.* p. 106.) hanc narrationem *confictam* esse putat hunc in finem, ut Hebraeorum jus in terram Canan. comprobetur. בְּכֹל בָּאֵי שַׁעַר־עִירוֹ *Inter omnes ingredientes portam urbis illius*, Ephronis. Sensus: non solum coram Chittaeis, verum et coram omnibus, qui illic in foro ac judicio aderant, tam indigenis quam externis, q. d. palam, ut res sine omni dubio esset. — 20. Quod Vs. 17. 18. dixerat breviter repetit, ut magis confirmatum ei fuisse agrum doceat, non solum post initum jam contractum, verum et quod possessionem revera adiisset, sepulta illic Sara.

16. *Servum Charras uxorem Isaaco petiturum mittit Abrahamus; is Rebeccam ad Isaacum adducit. Cap.* 24.

Cap. 24, 2. וַיֹּאמֶר — בֵּיתוֹ *Dixit Abrah. servo suo seniori.* זָקֵן hic alii de dignitate, alii rectius de aetate interpretantur; sed colligunt ex iis, quae sequuntur, eundem, qui servorum natu maximus esset, semper rei familiari fuisse praefectum. הַמֹּשֵׁל בְּכָל־אֲשֶׁר־לוֹ *Qui dominabatur in omne quod ei*, Abrahamo erat, rebus ejus omnibus praeerat. Hunc putant Elieserum fuisse, coll. 15, 2. שִׂים־נָא יָדְךָ תַּחַת יְרֵכִי *Pone, quaeso, manum tuam sub meo femore.* Nusquam alias, neque in Hebraeis, neque in exteris scriptoribus hunc jurandi ritum adhibitum legimus, si ex familia Abrahami oriundum Josephum excipiamus, vid. 47, 29. Hebraei plerique putant hunc ritum manum supponendi femori, ob significationem et reverentiam circumcisionis, quod erat sigillum foederis cum Abrahamo initi, in jurejurando adhiberi solitum fuisse. Alii ipsum genitale membrum *femoris* nomine per synecdochen et κατ' εὐφημισμὸν indicari existimant, quum Hebraei prolem alicujus *ex ejus femore egredi* dicere soleant, vid. 46, 26. Ex. 1, 5.; jurasse vero veteres illos manu genitali parti apposita, quod inde posteritas esset futura, atque ideo veluti res sacra haberetur. GROTIUS vult, morem hunc, manu femori supposita jurandi, Abrahami temporibus receptum fuisse, quasi dicerent: *si fallam, ense tuo peream*, quia ad femur locus ensis, Jud. 3, 16. 21. Ps. 45, 4. Alias rationes de illius ritus usu protulerunt J. M. HARTMANN (in Eichhornii *Allgem. Bibl. d. bibl. Liter.* P. X. p. 458. sqq.) et J. D. MICHAELIS (in version. germ. in notis ad h. l.), quas in Commentario majori recensuimus. Adde L. C. VALKENAER Diss. *de ritibus in jurando a veteribus, Hebraeis maxime et Graecis observatis*, Franequ. 1737., P. I. II. repet. in *Collect. opuscull. histor. philol. theologicor. cur. J. Odrichs* T. I. pag. 265. sqq. et in Auctoris *Opusculis philologg. critt. oratorr. junctim editt.* T. I. (Lips. 1808.) 123. sqq. Nobis quidem prae ceteris probatur Aben-Esrae sententia, ea, quae hic describitur, jurandi ratione servum testatum fuisse obedientiam hero suo, simulque significari heri in servum potestatem; et hunc morem etiamnum suis temporibus in India obtinuisse tradit. Et

quamvis alias jurantes manum in coelum attollerent (14, 22.), hic tamen jurandi ritus videtur observatus inter aequales; at ubi subjectus alicui adjurabatur, ut filius (47, 29.), aut servus, manus femori subjiciebatur in signum obsequii et subjectionis.

3. 4. אֲשֶׁר — בְּקִרְבּוֹ *Quod non accipies*; despondebis, *uxorem filio meo ex filiabus Cananaei, in medio cujus habito*, i. e. Cananaeorum, inter quos versor. Sub Cananaeis et reliquos septem populos, imo et alios, quorum 10, 15. 15, 19—21. facta est mentio, Canaane ortos, comprehendit. Hoc idem postea praeceptum Israelitis datum est, ne affinitatem cum septem Cananaeae gentibus contraherent, quae enumerantur Deut. 7, 1. 2. — 4. כִּי hic positum est pro כִּי אִם, *sed*, ut recte observant Judaeorum Interprr. (vid. 45, 5. Ex. 16, 8. 1 Reg. 21, 15.). Formulam כִּי אִם exhibent Cod. Sam. aliique plures. Masorethae hunc locum referunt inter סְבִירִין *conjecturas*, s. *opinione ambigua loca*, quae *primo intuitu* lector opinetur posse vel debere aliter legi. Vid. Buxdorfii *Tiberias* L. I. c. 13. p. 145. ed. in quat. אֶל־אַרְצִי — תֵּלֵךְ *Ad terram meam et ad cognationem meam*, i. e. terram cognationis meae, s. ortus mei, *proficiscaris*. Hic non Ur Chaldaeorum, ubi Abrah. erat natus (11, 28. 31.), intelligitur, sed tota illa regio ultra Euphratem, respectu Cananaeae, in quam migrarat, quae erat cis Euphr., praesertim Mesopotamia, in qua sitae erant Carrae; cf. Vs. 10. Vid. *d. a. n. n. Morgenl.* I. p. 100.

5. 6. Si noluerit, inquit servus, mulier, quam filio tuo commodam invenero, huc me sequi, מְשָׁם — הֲהָשֵׁב *numquid reducendo reducam*, reducere debeo, *filium tuum ad terram, e qua egressus es?* Est ἀνυπολογία (qualis et extat 15, 16.), neque enim Isaacus unquam in Mesopotamia vixerat; sed quia familiae interdum instar unius progenitoris habentur, cui quae singulis evenerunt tribuuntur, Isaacus reductus eo dicitur, unde Abrah. venerat. — 6. הִשָּׁמֶר *Cave tibi*, cum accentu in penultima, ut observat Aben-Esra, ut discernatur ab הִשָּׁמֵר *conside super faeces tuas*, Jes. 7, 4.

7. 8. וַאֲשֶׁר וגו׳ *Et qui juravit mihi dicendo*, rel. Respicit ad foedus illud, de quo vid. 15, 17. 18. הוּא יִשְׁלַח מַלְאָכוֹ לְפָנֶיךָ *Is mittet angelum suum ante te*, ut feliciter omnia conficias. Est metaphora ducta ab iis, qui viarum reficiendarum causa, aut omnium parandorum praemittuntur. Vid. Mal. 3, 1. Jes. 40, 3. Fuit enim recepta apud Orientales opinio, omnia Deum efficere angelorum ministerio. יִשְׁלַח Aben-Esra mavult optative exponi: *mittat*, quia mox dicet: *quodsi sequi noluerit*. Sine necessitate; sunt enim verba fiduciae certae ex actis superioribus collectae. — 8. וְנִקֵּיתָ מִשְּׁבֻעָתִי זֹאת *Tunc innocens* s. *immunis eris ab hoc meo jurejurando*; sacramento, quo te obstrinxi, solutus eris, neque ullam contrahes noxam, si uxorem illinc filio meo non adduxeris.

9. 10. אֲדֹנָיו *Dominorum suorum*, i. e. domini sui. Saepius nomina appellativa, quae *dominium* notant, numero plur. pro sing. ponuntur, ut 40, 1. Ex. 21, 4. 29. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 663. — 10. וַיֵּלֶךְ — בָּדָו *Et abiit*, in viam se dedit, *ac omne bonum domini sui in manu ejus.* ו ante כָל־טוּב causalis est, et vertendum: *namque omnia* rel. Q. d. servum omnia heri sui bona in potestate sua habuisse, ideoque facile potuisse tot camelos ac quaccunque vellet, sibi ad iter accipere. Potest tamen et sensus esse hic, servum secum tulisse ex pretiosissimis Abrahami opibus, quas Rebeccae et fratribus ejus dono daret. LXX. *Καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν τοῦ κυρίου αὐτοῦ μεθ' ἑαυτοῦ*, et Hieron.: *ex omnibus bonis ejus portans secum.* Similiter 2 Reg. 8, 9. אֲרַם נַהֲרַיִם *In Aram fluviorum*, in Mesopotamiam, i. e. interamnem; quae regio hodie Arab. الجزيرة *Aldschesira*, i. e. insula appellatur. עִיר־נָחוֹר *Urbs Nachoris* (in qua Nach. diu habitabat) est Haran, s. Carrae; vid. ad 11, 31.

11. 12. וַיַּבְרֵךְ הַגְּמַלִּים *Et genua flectere jussit camelos.* Camelos, ut commode aut onerari aut exonerari queant, jubente praefecto genua fleetere, constat. לָעֵת — הַשֹּׁאֲבוֹת *Tempore vespertino*, *tempore exeundi haustrices*, s. *aquatrices* mulieres. Solebant tempore vespertino puellae aquam petentes, simul ad puteum convenire. Qui mos etiamnunc in Oriente obtinet. Vid. NIEBUHR *Reisebeschr.* T. II. p. 410. et cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 102. Igitur Abrahami servus peropportunum sibi locum elegit. — 12. הַקְרֵה־נָא לְפָנַי *Fac occurrere coram me*, sc. puellam filio herili destinatam. LXX. *εὐόδωσον*, *secunda institutum* meum.

14. וְהָיָה *Et sit*, fiat, id videlicet, quod sequitur. Fertur in totam orationem sequentem, ne putes cum הַנַּעַר, seu, uti in margine legi praecipitur, הַנַּעֲרָה, jungi. Quae sequuntur h. Vs. omnia preces s. vota sunt habenda. לְיִצְחָק — אוֹתָהּ *Eam argueris servo tuo Isaaco*, q. d. ut quaecunque puella sic ad me dixerit, ea sit quam probasti. וּבָהּ אֵדַע *Et per eam sciam*, fac eâ sciam. Incommodius quidam בָּהּ *per illud* reddunt; sed Affix. femin. magis convenit ad puellam referre, ut אוֹתָהּ quod praecessit. Optat igitur servus Abrahami, ut sibi illud sit oraculi loco, quo faustumne iter faceret, nec ne, cognosceret. Similia legimus 1 Sam. 14, 9. sqq. Jud. 6, 7. et cf. Il. 24, 312. Odyss. 20, 98. Aeneid. 2, 690.

15. 17. 18. וַיְהִי — לְדַבֵּר *Factum ergo est antequam absolvisset loqui.* Cod. Sam. addit: אל לבו *ad cor suum*, apud se. LXX. *ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτοῦ.* Videtur additamentum e Vs. 45. huc illatum. וְהִנֵּה וגו׳ *Et ecce! Rebecca exibat, quae nata fuerat Bethueli, filio Milcae, uxoris Nachoris, fratris Abrahami.* Affert Rebeccae genealogiam, ut intelligatur hanc fuisse ex Abrahami

familia apta Isaaco, ut pater postularat. Simul etiam monstrat, Rebeccam ex justa Nachoris uxore fuisse ortam. — 17. הַגְמִיאִינִי מְעַט — *Sorbere me sine pauxillum aquae ex hydria tua.* De Verbo גמא vid. not. ad Job. 39, 27. — 18. וַתְּמַהֵר וַתּוֹרֶד *Et properavit et dimisit*, i. e. properanter dimisit. Saepe cum duo Verba junguntur eorum prius Adverbii vice fungitur, v. c. 26, 18. Vid. GESEN. *Lehrgeb.* p. 823.

19. 20. גַּם לִגְמַלֶּיךָ אֶשְׁאָב *Etiam camelis tuis hauriam*, quod profecto quum decem cameli fuerint (Vs. 10.), haud exiguum laborem fuisse oportet, quum notum sit bibacia esse haec jumenta, quae ut plures dies sitim tolerant, ita ubi aquae est copia in plures dies bibunt; ut non incredibile sit quod Hebraei asserunt, cuique camelo opus fuisse ad sitim explendam dari decem hydrias. עַד אִם pro עַד כִּי *usque quo.* — 20. Pro וַתְּעַר *effudit* in Cod. Sam. est ותורד *demisit* hydriam suam ex Vs. 18. Sed Hebraicum praestare patet. שֹׁקֶת Jarchi dicit esse lapidem excavatum, e quo cameli biberent.

21. 22. וְהָאִישׁ מְשׁתָּאֶה לָהּ *Et vir ille*, servus *obstupuit ob eam.* מִשְׁתָּאֶה a שָׁאָה, quod uti שָׁמַם, et *desolari* et *obstupescere* significat; est enim utraque significatio vicina, quod desolatio repentina maxime stuporem afferat. In admirationem et stuporem conjiciebatur, quod videbat, negotium suum prope esse, ut prosperum eventum sortiretur. LXX. *κατεμάρτυρεν αὐτήν*, Hieron.: *contemplabatur eam*, admirabundus. לָהּ pro עָלֶיהָ, ut 20, 13. מַחֲרִישׁ לָדַעַת *Obmutescens ad sciendum*, ut sciret, num secundasset Jova iter suum nec ne. Miratus erat, quod tam repente omnia ita evenissent, uti a Jova petierat; sed nondum sciebat, essetne puella ex Abrahami stirpe, ut in votis erat. — 22. נֶזֶם זָהָב בֶּקַע מִשְׁקָלוֹ *Nasi annulum aureum dimidii sicli* (vid. not. ad 20, 16.) *pondo.* Solebant enim Orientales mulieres, et adhuc hodie solent, teste NIEBUHRIO (*Beschr. v. Arab.* p. 66.), nares perforare, e quibus annuli aut gemmae pendunt. Ejusmodi annulus inter ornamenta muliebria commemoratur Ezech. 16, 12. Erudite de voce נֶזֶם disputavit RAVIUS in Diss. *Observatt. ad varia V. T. loca*, C. II. p. 32. sqq. Minus recte LXX. *ἐνώτια*, et Hieron. *inaures* reddiderunt.

23—25. וַיֹּאמֶר בַּת־מִי אָתְּ *Dixitque: cujus es filia?* Infra Vs. 47., ubi servus, quid egerit, narrat, priusquam annulo et armillis Rebeccam donet, cujus sit prosapiae quaerit; qui ordo videtur accuratior. — 24. בַּת — מִלְכָּה *Filia Bethuelis ego* sum, *filii Milcae.* Non suae ipsius matris, sed aviae meminit, ut se ex domina ortam, non concubinâ, ostendat. Vid. ad Vs. 15. — 25. גַּם־מָקוֹם לָלוּן *Etiam lōcus ad pernoctandum.* Servus Vs. 23. לָלִין, in Hiphil, dixerat; Rebecca לָלוּן, in Cal, dicit. Utrumque autem eadem significatione usurpatur.

26. 27. *Et incurvavit se hic vir et adoravit Jehovam*, i. e. supplex Deum adoravit, gratum animum de tanto De in se et

herum beneficio testandi causa. קָדַד ab הִשְׁתַּחֲוָה Kimchi ita differre ait, ut illud de verticis (קָדְקֹד) inflexu dicatur, hoc vero de totius corporis inclinatione. Contra Aben-Esra dicit, הִשְׁתַּחֲוָה duntaxat levem corporis inflexum, קָדַד autem terram vertice (קָדְקֹד) ferire notare. Talmudici vero docent, קָדַד significare *in faciem se prosternere*, הִשְׁתַּחֲוָה autem, ita se in faciem prosternere, ut simul manus et pedes expandantur. — 27. בָּרוּךְ יְהוָה *Benedictus*, i. c. laudatus sit *Jova;* gratias tibi ago, o heri mei Deus. מִעִם אֲדֹנִי — אֲשֶׁר *Qui non reliquit*, detraxit, *clementiam suam et veritatem suam*, fidem promissorum, *a Domino meo*. Voc. אֱמֶת propr. *veritas*, ubi nomini חֶסֶד jungitur, *benignitatem*, *beneficentiam* significat, ut Vs. 49. 2 Sam. 15, 20. אָנֹכִי בַּדֶּרֶךְ נָחַנִי יְהוָה *Ego*, me quod attinet, *in hac via Jova me duxit.* Ita solent Hebraei Pronomen separatum affixo praeponere; e. c. 49, 8. Deut. 18, 14. Zach. 9, 11. In בַּדֶּרֶךְ Jarchi observat esse emphasin ob ה Articuli, quod latet in Patach sub ב, q. d. duxit me in via recta, qua opus habui. בֵּית אֲחֵי אֲדֹנִי *In domum fratrum*, consanguineorum, *domini mei.*

28. *Cucurrit vero puella et annunciavit domui matris suae secundum haec verba*, i. e. omnia quae acta erant ad fontem. Rebecca rem domui *maternae* potius, quam *paternae* annunciasse dicitur, quia filiae sunt matribus, quam patribus familiariores, unde haud mirum, Rebeccam matri prius, quam viris rem nunciasse. Ceterum moris tunc fuit, ut mulieres separata sua tabernacula haberent, vid. Vs. 67. 18, 9. 10. 31, 33.

31—33. בָּרוּךְ יְהוָה *Benedicte Jovae*, quem Jova suo favore prosequitur. וְאָנֹכִי פִּנִּיתִי הַבַּיִת *Et ego purgavi*, praeparavi *domum* hominibus, וּמָקוֹם לַגְּמַלִּים *et locum camelis.* — 32. וַיָּבֹא הָאִישׁ הַבַּיְתָה *Ingressus est igitur vir ille domum*, a Labane adductus. Ad alterum Vs. membrum repetendum est nomen Labanis: ingressus est vir domum, *Laban* vero camelis detraxit clitellas, rel. Saepe enim Hebraei omittunt Nominativum, ubi e contextu facile subaudiri potest. וַיְפַתַּח הַגְּמַלִּים *Solvitque camelos* detractis habenis, capistris, clitellis, et aliis, quibus instrati et ligati erant. LXX. ἀπέσαξε. Hieron. *destravit.* — 33. וַיִּישֶׂם (ita enim efferendae sunt quae in textu exstant literae) *Et posuit*, sc. *ponens*, i. c. appositum ei est ad comedendum. Ad marginem וַיִּוָּשֵׂם, significatione eadem, legi praecipitur. Sed τὸ כְּתִיב a radice minus usitata יָשַׂם deducitur, significatu haud diversa a שׂוּם. Occurrit et 50, 26. לֹא — דְּבָרִי *non comedam*, *donec quod dicendum mihi est*, *eloquutus fuerim.* Solebant veteres post coenam demum hospites rogare, cur advenissent; qui mos etiam apud Homer. observatur, Odyss. 3, 69. 70. De Arabibus idem narratur. Sed Abrahami servus, qui felicem successum negotii sui ominabatur, cupiit quam primum mandata sua exponere.

35. 36. 38. Servi et ancillae inter bestias veluti recensentur, quia pecudum instar emebantur et vendebantur; vid. et 12, 16. —

36. Pro אַחֲרֵי זִקְנָתָהּ *postquam consenuisset ea* in cod. Sam. est אחרי זקנתו *postquam consenuisset ille.* Ita et LXX. *μετὰ τὶ γεράσαι αὐτόν.* — 38. אִם־לֹא *Nisi*, hic valet *sed*, quomodo veteres omnes reddunt. Eandem vim habet Partic. Chald. אֶלָּא composita ex אִם לָא *si non*, unde forsan *ἀλλά*, quo hic utuntur LXX. Sic *εἰ μὴ* usurpatur apud Graecos; hinc Marc. 9, 8. *ἀλλὰ* posuit pro *εἰ μὴ*, quod Matth. 17, 8. habet, rem eandem, tantum non iisdem verbis narrans. Latinis quoque *nisi* frequens est pro *sed;* exempla attulit Gesnerus in *Thes.* In cod. Sam. pro illa usitatius כי אם positum.

40. 41. 45. אֲשֶׁר־הִתְהַלַּכְתִּי לְפָנָיו *In cujus conspectu ambulavi.* LXX. *ᾧ εὐηρέστηκα ἐναντίον αὐτοῦ, cui placui coram eo.* Satis erat *cui placui;* sed addit *coram eo*, ut significaret, simul se coluisse eum. Nam *coram Deo* versari dicitur, qui eum colit et observat, vid. 17, 1. — 41. וְאִם־לֹא יִתְּנוּ לָךְ *Si* (cognati mei) *tibi non dederint*, sc. puellam, quam in matrimonium petis. — 45. *Ego priusquam absolvissem* לְדַבֵּר אֶל־לִבִּי *loqui ad cor meum*, i. e. mecum, apud me.

48—50. אֲשֶׁר — אֱמֶת *Qui me duxit in via veritatis*, i. e. ea, qua consequutus sum, quod mihi propositum erat. — 49. וְאֶפְנֶה — שְׂמֹאל *Ut ad dextram vel ad sinistram me convertam*, ut ad alios heri mei consanguineos me convertam. Loquendi formula petita ab iis, qui in bivio stantes viam, quam sequantur, quaerunt, et qui, prout viarum periti respondent, ad dextram aut ad sinistram sese convertunt. — 50. וַיַּעַן לָבָן וּבְתוּאֵל *Responditque Laban et Bethuel.* Laban Bethueli hic praeponitur. Videtur enim illis temporibus moris fuisse, ut in matrimoniis virginum fratres potius consulerentur, quam parentes, et ut omnino fratres sororum suarum tuendarum jus haberent; exempla sunt 34, 13. Jud. 21, 22. De Arabibus narratur, eos uxorum suarum laesum honorem non tam aegre ferre quam sororum. Vid. Niebuhr l. l. p. 31. 39. לֹא — אוֹ־טוֹב *Non possumus loqui ad te malum aut bonum*, i. e. contradicere tibi omnino non possumus, sed, quod petiisti probamus.

53. 55. מִגְדָּנוֹת Jarchi exponit *fructus pretiosos* et *raros*, quos ex terra Canaan attulerit Abrahami servus (coll. פְּרִי־מְגָדִים Cant. 4, 13. 16. et Syriaco ܡܓܕܐ *fructus aridus).* At מִגְדָּנוֹת *fructus* esse, non patitur locus 2 Chron. 21, 3., ubi in catalogo bonorum, quae Josaphat filiis legavit una cum auro et argento recensentur. Non est dubium, מְגָדִים et מִגְדָּנוֹת esse res pretiosas, et eximias, cujuscunque tandem speciei fuerint, quas *κειμήλια* Graeci dicunt. Cf. Faber ad Harmerum in *Beobacht. üb. d. Orient*, P. 2. p. 425. Michael. *Supplemm.* p. 1477. sqq. Ceterum munera haec Rebeccae et fratribus donata, erant arrhae sive pignoris loco, quo confirmabatur illam Isaaco desponsam esse. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 111. — 55. Maneat puella apud nos יָמִים אוֹ

עָשׂוֹר *dies* aliquot *aut* saltem *decem*, sc. dies, ἡμέρας ὡσεὶ δέκα, *dies plus minus decem*, uti recte LXX. יָמִים tempus non definitum significat (40, 4. Num. 9, 22.; idcirco h. l. per additum עֲשָׂרָה restringitur. Alias minus probandas interpretationes refutavit GESENIUS, *de Pentat. Samar.* p. 31.

57. 59. וְנִשְׁאֲלָה אֶת־פִּיהָ *Et rogemus os ejus*, sciscitemur ex ea, quo sit animo; *audiamus quid dictura sit.* Eadem phrasis est Jos. 9, 14. Non ut sciscitarentur e puella, num in nuptias consentiat, arcessi videtur (coll. Vs. 51. 53.); sed ut animus ejus sciatur, num tam cito e patria domo discedere vellet. — 59. וַיְשַׁלְּחוּ אֶת־רִבְקָה אֲחֹתָם *Dimiserunt itaque Rebeccam, sororem suam.* Atqui unicus frater, Laban, memoratus est. Sed *sororis* ut *fratris* nomen Hebraice latius sumitur, quasi dicat: cognatam, propinquam suam. וְאֶת־מֵנִקְתָּהּ *Et nutricem ejus* (Deboram, 35, 8.). Nutrices quanto in honore habitae fuerint et adultis apud veteres, constat ex Homero. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 113.

60. 62. וַיְבָרְכוּ *Benedixerunt*, i. e. valedixerunt Rebeccae, ac fausta ei imprecati sunt. אֲחֹתֵנוּ אַתְּ non est vertendum: *soror nostra es*, sed: *o tu soror nostra!* וְיִרַשׁ — שֹׂנְאָיו *Et possideat progenies tua portam eorum, qui ipsum oderint.* Vid. not. 22, 17. Ceterum cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 113. — 62. וְיִצְחָק בָּא מִבּוֹא *Isaacus autem veniebat a veniendo*, i. e. redibat, nam sequuntur, *in meridiano tractu consederat;* erat enim haud procul ab hoc tractu puteus לַחַי רֹאִי, vid. 16, 14. LXX. Ἰσαὰκ δὲ ἐπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου κατὰ τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως. Legit cum cod. Samar. בא במדבר. Hieron. sensum, non verba, sic expressit: *eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quae ducit ad puteum.*

63. וַיֵּצֵא — בַּשָּׂדֶה *Egressus erat Isaacus ad meditandum in agro.* A Verbo שׂוּחַ, *serio meditatus est* (vid. not. Ps. 55, 3. coll. 74, 4. 7. 13.), derivatur nom. שִׂיחַ, *cogitatio*, quam animo versamus, 1 Sam. 1, 16. Ps. 104, 34. Indicat autem hic Moses, Isaacum tentorio exiisse, non eo animo, ut Rebeccae obviam iret, aut quidpiam aliud ageret, sed tantum ut ambulando cogitationibus suis animum pasceret. LXX. ἀδολεσχῆσαι, quod *garrire* quidem et *blaterare* est apud Atticos, sed apud LXX. *meditari*, s. *animo versare*, Ps. 119, 15. Onkelos (quem veterum plures sequuti sunt) לְשׂוּחַ reddidit *ad orandum.* Aquila vertit: ὁμιλῆσαι ἐν χωρᾷ, eodem sensu Symmachus: λαλῆσαι ἐν τῷ ἀγρῷ, cum aliquo nimirum, quem invisebat. Aben-Esra interpretatur: *ad ambulandum in agro inter virgulta*, animi causa, ut refrigerium captaret ab aestu diei, sub vesperam, uti sequitur (לִפְנוֹת עֶרֶב). Syrus: *ad deambulandum.* Arab. quoque سَاحَ (pro سَبَحَ) est *peregrinatus fuit, obivit per terram*, pecul. religionis causa. Sed Hebraeorum loquendi usu sola *meditandi* notio videtur re-

cepta fuisse. לִפְנוֹת עֶרֶב *Ad adspectum vesperae*, i. e. appetente vespera. Aben-Esra: paulo ante occasum solis.

64. 65. הַגָּמָל — וַתֵּרֶא *Et vidit* Rebecca *Isaacum et delapsa est de camelo*, i. e. conspecto et cognito, ex relatione servi, Isaaco (Vs. 65., et videtur hic esse *ὕστερον πρότερον*), mox reverentiae causa, ut sponso occurreret, e camelo desiliit, *κατεπήδησεν*, uti LXX. habent. Descensus equitantis ab equo etiamnum in Oriente signum venerationis est, quo et foeminae viros affiecre solent. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 114. — 65. וַתִּקַּח הַצָּעִיף וַתִּתְכַּס *Sumto velo sese operuit.* צָעִיף *peplum*, LXX. *Φᾶρος τρίστρον*, quod Hesychius esse ait *λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον*. Rebecca autem ideo peplo se obvelabat, quia ex moribus illius aevi uxorem ante nuptias celebratas nisi vultu velato a sponso conspici licitum non erat. Vid. not. 20, 16. et cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 115.

67. וַיְבִאֶהָ — אִמּוֹ *Isaacus vero Rebeccam in tentorium Sarae, matris suae, introduxit*, quod Sara, dum viveret, inhabitabat. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 116. et cf. not. ad Vs. 28. Post הָאֹהֱלָה est אֹהֶל repetendum, ut vertatur: *introduxit eam in tentorium, tentorium*, inquam, *Sarae*. Ita 2 Chron. 15, 8. *prophetiam, prophetiam*, inquam, *Odedi, prophetae*. Cf. et not. ad Ps. 45, 7. 60, 5. 110, 3. Diserte expressum hunc loquendi modum vid. 38, 21.

17. *Abrahamus Keturam ducit uxorem, e qua plures filios suscepit. Mors Abrahami. Cap.* 25, 1—11.

Cap. 25, 1. 2. קְטוּרָה — וַיֹּסֶף *Et addidit Abrah. et accepit*, i. e. rursum duxit *uxorem nomine Ketura*. Haec 1 Paral. 1, 32. פִּילֶגֶשׁ *concubina* vocatur, et infra Vs. 6. *concubinarum* Abrahami fit mentio, quae non essent plures, nisi haec in earum numerum adgregaretur, quum praeter Hagaram et hanc, nulla memoretur. Etiam concubina nomine אִשָּׁה, *uxor* appellabatur, coll. 20, 3. Jud. 19, 1. 27. — 2. De Abrahami ex Ketura filiis, qui h. l. nominantur, Josephus *Antiq.* I, 15, 1. haec observat: *Filiis his omnibus ac nepotibus Abramus deducendi colonias auctor fuit; terramque occupaverunt Troglodytica, et regionem Arabiae felicis, quatenus ad rubrum mare protenditur.* זִמְרָן Clericus haud diversum putat a Stephani Byzantii *Ζαδραμή, βασίλειον τῶν Κυναιδοκολπιτῶν· εἰσὶ δὲ ἔθνος τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας.* מִדְיָן *Midianis* posteri celeberrimi omnium Keturae filiorum fuere. Hieron. in *Locis Hebr.*: *Madian, urbs ab uno Abrah. filio ex Cetura sic vocata. Est autem trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum, contra orientem maris rubri, unde vocantur Madiànaei, et Madianaea regio.* Ptolemaeus duas urbes, *Madiana* et *Modiana* in illo tractu collocat. שׁוּחַ, e Clerici conjectura, nomen dedisse videri possit oppido *Soaca*, quod

in Darrorum regione in Tabulis Ptolemaei pingitur, non procul a Madianitide. De reliquis h. l. memoratis nominibus nihil certi constat.

3. 4. שְׁבָא et דְּדָן haud diversos esse ab iis, qui supra 10, 7. recensentur, cognominibus Cusehi posteris, nonnulli conjecerunt. Cf. GESENIUS in Lex. s. v. שְׁבָא. Nomina אַשּׁוּרִים וּלְטוּשִׁם וּלְאֻמִּים, quae Jarchi recte ait esse nomina propria capitum gentium, Onkelos habuit pro appellativis, et reddidit: *fuerunt in castra*, *in tabernacula*, *et in insulas*. אַשּׁוּרִם retulit fortasse vel ad שִׁירָה *turma*, *caterva*, vel ad אֲשׁוּר *gressus*, *semita* (Job. 23, 11.), לְטוּשִׁם vero pro נְטוּשִׁים cepit (נ et ל permutatis) i. e. qui sese diffundunt more Nomadum, לְאֻמִּים denique pro populis insularibus. Jonathan: *fuerunt mercatores*, *negotiatores* (ἔμποροι) *et capita populorum*. Pro אַשְׁכּוּרִין in Targum Hierosol. est אוּמָנִין *artifices*, quod praeferendum videtur; potest enim לְטוּשִׁם ad radicem לָטַשׁ referri, de qua vid. 4, 22. Hieronymus: „*Asurim*," inquit in *Quaestt. in Genes.*, „in *negotiatores* transferri putant. *Latusim*, aeris ferrique metalla *cudentes*, *Laomim* vero φύλαρχοι, id est, *principes* multarum *tribuum* et populorum. Alii ab hoc *Asurim* vocatos Syros esse contendunt, et a plerisque filiis Abraae ex Cetura occupatas Indiae regiones." Josepho tamen (l. l. ad Vs. 2.) nomina illa sunt propria, quae Ἀσσουρὶς, Λάτούσιμος, Λουόμης reddit. Et ex aliis scriptoribus refert, ἀπὸ Σουρείμ, [אַשּׁוּרִם] τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι. לְאֻמִּים nonnullis sunt Ptolemaei Ἀλλουμαιῶται, in media Arabia. — 4. De עֵיפָה, apud Ptolemaeum Ἴππος, in littore maris rubri, paulo infra Modianem seu Madianem, vid. ad Jes. 60, 6. Pro עֵפֶר cod. Samar. habet אפד. LXX. Ἀφείρ. Josephus videtur Ὀφὲρ extulisse, ut Hieronymus; ponit enim Ὤφρην. De hoc Josephus l. l. ex alio scriptore refert: *Expeditione in Libyam suscepta eam tenuit*, *posterique ejus*, *regionis incolae*, *ab ejus nomine Africam appellavere*.

5. 6. *Abrah. Isaaco omnia sua dedit*, i. e. haeredem eum constituit omnium suorum, ita tamen, ut reliquis filiis ex concubinis susceptis, munera daret, Vs. 6. Videtur igitur bonorum partitio ex patris familias arbitrio pependisse. Jacobus filios ex duabus concubinis susceptos, Leae et Rachele filiis aequavit. — 6. וְלִבְנֵי הַפִּילַגְשִׁים *Filiis vero concubinarum*, i. e. Hagarae et Keturae; cf. not. ad Vs. 1. נָתַן אַבְרָהָם מַתָּנוֹת *Dedit Abrah. munera*, legata, numos et alia, non haereditatis partem. Repetitio nominis אַבְרָהָם pleonasmus est, quale frequens occurrit in his libris, coll. 6, 9. Num. 8, 19. קֶדְמָה אֶל־אֶרֶץ קֶדֶם *orientem versus ad terram orientalem*. Non pro mera repetitione illud אֶל־אֶרֶץ קֶדֶם habendum videtur. Sed quia קֶדְמָה *ad orientem* intelligi poterat: ad regionem orientalem Isaaci, quod in terra Cananaea, haud procul, aut in vicina regione, orientem versus, esse poterat, addit nunc, *in terram orientis*, quae respectu orbis

reliqui est orientalis, et quae proprie ita appellatur. Erat vero ea Arabiae pars Palaestinae ad orientem et austrum confinis, cujus incolae בְּנֵי־קֶדֶם dicuntur (Jud. 6, 3. 1 Reg. 4, 30. 5, 10. Jes. 11, 14.) i. e. orientales (شَرْقِيُّون Saraceni). Cf. Josephi locum, Vs. 2.

8. 9. 11. וַיִּגְוַע *Exspiravit*, Hebraei tantum de *piorum* facili morte (*εὐθανασία*) usurpari volunt, quum generale Verb. וַיָּמָת subdatur. Nil aliud valet quam quod Lat. *animam efflavit*; coll. 6, 17. 7, 22., ubi וַיִּגְוַע etiam *impiorum* violentam mortem significat. בְּשֵׂיבָה טוֹבָה *in senectute bona.* Non talis significatur, quae incommodis illius aetatis non sit obnoxia; sed simpliciter *matura*, plena senectus, coll. 15, 15. זָקֵן וְשָׂבֵעַ *senex et satur* sc. יָמִים *dierum*, ut 35, 29. Job. 42, 14. Minus necesse est h. l., ut יָמִים adjiciatur, quia praecedit זָקֵן et שֵׂיבָה טוֹבָה, imo ipsum יָמִים Vs. praeced., ut itaque nulla sit obscuritas. Hebraeorum nonnulli יָמִים hic consulto omitti putant, ut significetur, Abrahamum *omnium rerum* saturum decessisse. Similiter *Lucretius* 3, 972. sq. *Et nec opinanti mors ad caput adstitit ante, Quam satur, ac plenus possis discedere rerum.* De phrasi וַיֵּאָסֶף אֶל־עַמָּיו vid. not. supra ad 15, 15. — 9. וַיִּקְבְּרוּ — בָּנָיו *Et sepeliverunt eum Isaacus et Ismael, filii sui.* Ismael, qui in deserto Pharan vagabatur, non longe hinc aberat. Praeponitur Isaacus Ismaeli, ut filius herae; dignitatis causa. De מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה vid. 23, 9. — 11. עִם־בְּאֵר לַחַי רֹאִי *Juxta puteum viventis*; vid. 16, 14.

18. *Ismaelis posteri.* Cap. 25, 12 — 18.

Cap. 25, 12, 13. Appendicis loco addit Ismaelis genealogiam, quo semel absolvat, quicquid de Ismaele esset dicendum. Praeterea illa Dei promissio (17, 20.), ut impleta fuerit, nunc explicatur. — 13. Per לְתוֹלְדֹתָם indicatur *ordo*, *quo singuli sint nati*, ut Exod. 28, 10. Ismaelis primogenitus appellatur נְבָיוֹת, a quo celebres et inter Graecos et Romanos *Nabathaei*, qui partem Arabiae Petraeae tenuerunt. Joseph. *Archaeol.* I, 12, 4. *Hi* (omnes illi, qui hoc Vs. et proximo recensentur, Ismaelis filii) *terram omnem ab Euphrate ad mare rubrum pertingentem habitant, regionem Nabatenam appellantes.* Vid. quae de Nabathaeis e veteribus collegit Relandus in *Palaest.* p. 90. sqq. De קֵדָר, a quo Plinii (*H. N.* 5, 11.) *Arabes Cedrei*, vid. ad Jes. 42, 11. et Relandum p. 96. De אַדְבְּאֵל et מִבְשָׂם nil constat.

14. דּוּמָה *Dumah* etiamnum est nomen oppidi in Arabica provincia *Aldschuf*, quod Abulfeda in descriptione Arabiae *Dumah aldschandel*, i. e. Dumah saxea, vocat, et dicit *locum id esse Syriae et Arabiae limitaneum, ab eo Damascum septem et Medinam*

tredecim stationes abesse. Cf. MICHAEL. *Supplemm.* p. 420. sqq. NIEBUHR *Beschr. von Arab.* p. 344. Vid. not. Jes. 21, 11. מַשָּׂא fortasse conditor fuit *Masanorum* gentis, cujus in Arabia deserta meminit Ptolemaeus. — 15. Num sit חֲדַד, aut חֲדָר, aut הֲדָד scribendum, plane incertum est. Varias sententias recensuit de Rossi in *Varr. Lectt.* ad h. l. et in *Scholiis Critt.* תֵּימָא fortasse est Ptolemaei *Themma*, quam urbem in Arabia deserta Chaldaeos montes versus ponit. Themaei inter Arabiae desertae incolas recensentur Jes. 21, 14. et Jer. 25, 23. Cf. not. Jes. 1, 14. יְטוּר *Jetur* nomen dedit tribui, quam Rubenitae, Gaditae et dimidia Manasse sede sua expulerunt 1 Paral. 5, 19. Trachonitidis vicini erant, aut partem ejus incolebant, unde Ituraea et Trachonitis saepe confunduntur. HIERON. in *Locis Hebrr.: Ituraea et Trachonitis regio, cujus Tetrarcha fuit Philippus: Trachonitis autem dicitur Terra, juxta Arabiae desertum, quod Bosrae jungitur.* Celeberrimi sunt apud Graecos et Romanos *Ituraei sagittarii;* vid. CIC. *Philipp.* 2, 44.

16. 18. חֲצֵרִים sunt *pagi portatiles Nomadum, tentoriis in orbem positis constantes*, quos Tatarico voc. *Horde* (*Ordu*, Οὐρδά), dicere solemus. Bene LXX. ἐν ταῖς σκηναῖς αὐτῶν. טִירוֹת *domus pastoritiae, in quibus sunt stabula.* Nomades suos quidem greges per alta deserta sub dio pascebant, videntur tamen et aliquando casas cum stabulis habuisse, maxime quidem cum greges tonderentur, sed fortasse et securitatis caussa. LXX. Ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν. SUIDAS: Ἔπαυλις, ἡ οἰκία, ἐν ᾗ τὴν αὐλὴν ποιοῦνται. HESYCH.: Ἔπαυλις, μάνδρα βοῶν, ἢ οἴκημα, ἢ αὐλὴ ἢ στρατοπεδία, ἢ ἡ ποιμενικὴ αὐλή. לְאֻמֹּתָם — שְׁנֵים *Sub duodecim phylarchis;* hac enim vocc saepe de Arabum principibus utuntur Veteres, e. c. STRABO 1, 16. *Phylarchum* nominat CICERO (*Ep. ad Fam.* 15, 1.) *Jamblichum* Arabem, Populi Romani amicum. Sunt etiamnum Arabes in tribus divisi, quarum unaquaeque principem suum (אֲמִיר *Emir*) habet. — 18. וַיִּשְׁכְּנוּ — אַשּׁוּרָה *Habitarunt autem ab Chavila usque ad Schur, quae est in conspectu*, e regione *Aegypti, dum tu venis*, i. e. tendendo *in Assyriam*, qua sc. via ex Aegypto in Assyriam tenditur, Septentrionem et Orientem versus; omnia intermedia paene occuparunt Ismaelitae. De חֲוִילָה vid. 10, 29., de *Schur* 16, 7. Fines Ismaelitarum igitur erant a meridie Aegyptus, et a septentrione Assyria. עַל — נָפַל *In conspectu omnium fratrum suorum*, i. e. iis ab Oriente (ut Jos. 15, 8.) *cecidit* sc. sors ejus, i. e. habitavit, cf. 16, 12., ubi pro נָפַל ponitur שָׁכַן. Quia inter eos, qui coloni aliquem in locum mittebantur, saepe sorte dividebatur ager, ideo etiam ubi nihil simile factum, *cecidisse* sorte ea loca iis dicuntur, qui ea possident. Hieronymus vertit hic *obiit.* נָפַל usurpatur de iis, qui praematura, aut violenta morte occiderunt. Sed Ismae-

lem ita obiisse non constat. Practerea non potest dici *occidisse coram omnibus fratribus suis*, qui in diversas oras erant amandati. Recte LXX. *κατῴκησε*. Conf. NOLDII *Concord. Vindic.* No. 1802. 3.

VII.

Isaaci et filiorum, Jacobi et Esavi, vita et res gestae usque ad Isaaci mortem, 25, 19 — 35, 29.

1. *Rebecca primum sterilis parit tandem gemellos, Esavum et Jacobum. Horum mores diversi. Esavus Jacobo vendit jus primogenitorae.* 25, 19 — 34.

Cap. 25, 19. Verba וְאֵלֶּה — בֶּן־אַבְרָהָם epigraphen constituunt totius pericopae usque ad finem cap. 35. De voc. תּוֹלְדֹת vid. not. 2, 4. coll. 9, 6. 37, 2. Quum deinceps plura de Esavo et Jacobo, quam de Isaaco commemorentur, erant, qui תּוֹלְדֹת יִצְחָק explicarent *historiam generationum*, i. e. filiorum *Isaaci*. Nil tamen impedit, quo minus per תּוֹלְדֹת יִצְחָק Isaaci ipsius aeta, et quae ei contigerunt una cum filiis, et eorum causa, intelligamus, ut 37, 2. Verba אַבְרָהָם הוֹלִיד אֶת־יִצְחָק non sunt supervacanea; voluit enim scriptor in hac formula morem genealogiarum servare, ut a parente et primo auctore ejus initium ducatur. Quare Isaaci progeniem relaturus, repetendum duxit: *Abrah. genuit Isaacum*, innuens simul, se deinceps Ismaelis aliorumque Abrahami filiorum nullam habiturum rationem.

20. Hic Moses, ut supra 12, 1., ad praeterita tempora regreditur; nam triginta quinque annis, ante narratam Abrahami mortem Vs. 8. uxorem duxit Isaacus. הָאֲרַמִּי מִפַּדַּן אֲרָם (Filia Bethuelis) *Aramaei e Paddan Aram;* quod additur, ut intelligatur, ad quod Syrorum, s. Aramaeorum, genus pertineret Bethuel. Aramaeam enim in plures partes dividunt scriptores Hebraei, ut אֲרַם נַהֲרַיִם, אֲרַם דַּמֶּשֶׂק (vid. ad 24, 10.), אֲרַם צוֹבָה et פַּדַּן אֲרָם, seu, ut Hos. 12, 13. (cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 233.) hebraice verso nomine vocatur, שְׂדֵה אֲרָם *campus Aramaeae*. „Nempe Syris ܦܕܢ, *aratrum*, inde Chaldaeis פַּדָּן et Arabibus فَدَّان *biga boum arantium*, hinc فدان et *ager*, ut in decima Sententiarum Grammaticae Erpenianae subjectarum; denique apud Syros ܦܕܢ non *ager* solum, verum et *desertum*, planities, montibus opposita. *Campos Mesopotamiae* Curtius dicere solet, e. c. L. III, 2. 3. Cap. 8, 1. L. IV, 9, 6. V, 1, 15.“ J. D. MICHAELIS in *Spicil. Geograph. Hebr. ext.* P. II. p. 119.

21. וַיֶּעְתַּר Hebraei fere *obnixe multis assiduisque precibus exoravit* interpretantur; inesse enim Verbo עָתַר *multitudinis* notionem, unde עֲתַר עָנָן sit *vis*, copia *nubis* vel *fumi*, Ezech. 8, 11., atque 35, 13. וְהַעְתַּרְתֶּם עָלַי דִּבְרֵיכֶם *multiplicastis in me verba vestra*, iis me onerastis. Animadversione est dignum, quod Isaacus orat לְנֹכַח אִשְׁתּוֹ *coram uxore sua*, quum exspectares בַּעֲבוּר אִשְׁתּוֹ *propter uxorem suam*, s. עַל־אִשְׁתּוֹ *pro uxore sua*. Et ita quidem Veterum plurimi verterunt. Verum quum לְנֹכַח infra 30, 38. *coram*, *e regione*, et Prov. 5, 24. *antrorsum* denotet; nolim hoc solo loco voci illi significatum plane alienum tribuere. Onkelos accurate *coram uxore sua* vertit; nec aliter Saadias et Arabs Erpenii. Ad animum autem referendum videtur, quod oraret Isaacus mentis oculis uxorem respiciens, ejus respectu. Vel: toto pectore intentus in statum uxoris, ut significetur, orationem ardentem fuisse.

22. וַיִּתְרֹצְצוּ הַבָּנִים בְּקִרְבָּהּ *Collidebant sese filii in medio*, in utero *ejus*. Credibile est, hosce gemellos praeter morem se commovisse, ut grave incommodum Rebeccae crearent. רָצַץ, *concutere*; sed ex sequentibus conjugationem Hithp. *mutuam collisionem* ac veluti *conflictationem* significare liquet. Nec sane *concuti* poterant, quin collidcrentur. LXX. ἐσκίρτων, *subsiliebant*, vid. Luc. 1, 44. Apollodorus *Biblioth.* L. 2. Cap. 2, 1. Ἄκρίσιος καὶ Προῖτος οὗτοι καὶ κατὰ γαστρὸς μὲν ἔτι ὄντες ἐστασίαζον πρὸς ἀλλήλους. אִם־כֵּן לָמָּה זֶּה אָנֹכִי *Si ita*, *quare istud ego?* Concisa est atque obscurior sententia. Bene congruit Jarchii explanatio: *si tanta est graviditatis molestia*, *quare ego eam optavi*, *atque ut conciperem oravi?* LXX. Εἰ οὕτω μοι μέλλει γίνεσθαι, ἵνα τί μοι τοῦτο; Hieron.: *si sic mihi futurum erat*, *quid necesse fuit me concipere?* Verba וַתֵּלֶךְ לִדְרֹשׁ אֶת־יְהוָה *ivit ad quaerendum Jovam*, non simpliciter significari *Rebeccam Jovae opem rogasse* (veluti Ps. 34, 5. *quaesivi Jovam* precibus, *et exaudivit me*); sed לִדְרֹשׁ אֶת־יְהוָה hic potius *consulere Jovam*, frequentiori hujus phraseos usu, notare, ut Rebecca dicatur sciscitatum e Deo ivisse, quid haec tota res sibi vellet, manifeste ostendit Vs. 23. Recte LXX. ἐπορεύθη δὲ πυθέσθαι παρὰ Κυρίου. Et sic veterum longe plurimi. Qua vero ratione Rebecca consulnerit Jovam, aut quomodo id factum cogitarit scriptor, eo tacente nemo definiat. Cf. Jo. Andr. Schmid, in Diss. *Oraculum a Rebecca consultum*, Helmst. 1712., repetit. in *Thesauro novo theol. philol.* T. I. p. 188. sqq.

23. Responsio oraculorum more poëtico est expressa; nam observatur in ea et membrorum parallelismus, et rhythmus quidam, quo singuli *στίχοι* tria vocabula continent, excepto secundo, qui quatuor habet:

שְׁנֵי גוֹיִם בְּבִטְנֵךְ — — וּשְׁנֵי לְאֻמִּים מִמֵּעַיִךְ יִפָּרֵדוּ
וּלְאֹם מִלְאֹם יֶאְמָץ — — וְרַב יַעֲבֹד צָעִיר

שְׁנֵי גוֹיִם *Duo populi*, i. e. duorum populorum conditores. Hinc Israelitae et Idumaei patrum nomine appellantur, e. c. Malaeh. 1, 3. Quod in textu seribitur גויים, in margine גוים, indieio est, in aliis Codd. fuisse גֹיִם, Cholem defeetive, in aliis גוֹים, Chirek longo defeetive, seriptum. Cf. HILLER *de arcano Kethib et Keri* p. 252. וּשְׁנֵי — יִפָּרֵדוּ *Et duae nationes e visceribus tuis dividentur*, i. e. prodibunt ita, ut perpetuo separati sint futuri, et inter se dissidentes. וּלְאֹם מִלְאֹם יֶאֱמָץ *Et natio natione valentior erit.* Observa, כ in מִלְאֹם hiie praeter morem Dageseh forti earere, quod ad supplendum ן Praepositionis מִן illi impositum esse deberet. וְרַב יַעֲבֹד צָעִיר *et major serviet minori*, non Esavus Jaeobo, uti quidam volunt, qui Esavi servitutem in eo positam opinantur, quod primogeniturae jus vendidit. Sed de posteris, s. populis ex utroque oriundis verba esse intelligenda, doeent, quae praeeedunt. רַב Clerieus *opulentum* intelligit, et רַב atque צָעִיר nonnisi de opibus diei eontendit, et praevaluisse opibus Idumaeos Israelitis. Sed רַבִּים Job. 32, 9. sunt *grandaevi*, et צָעִיר infra 43, 33. *minorem natu* designat; ef. Job. 30, 1. Oraculum hoe fere eo referunt, quod Idumaei a Davide subaeti sunt, eoll. 2 Sam. 8, 14. Sed brevi transiens erat Judaeorum in Idumaeos imperium; jam enim sub Salomone Hadadum, e prole regia Idumaeorum, regnum patrium reeuperasse legimus 1 Reg. 9, 15 — 22., et postea saepius bella Idumaeos inter et Judaeos memorantur; 2 Reg. 8, 21. 14, 22. 2 Paral. e. 21. 26, 2. Ceterum reges habuerunt et in proprio solo diu fuerunt Idumaei antequam Israelitae ex Aegypto exirent, et rempublieam suam formare possent. Vid. Cap. 36. Pro mytho totam hane narrationem habet DE WETTE *Kritik d. Israelit. Gesch.* p. 118.

24. 25. וַיִּמָּלְאוּ יָמֶיהָ לָלֶדֶת *Cum impleti essent dies ejus pariendi.* Cf. Luc. 2, 6. Cap. 38, 27. de Thamare dicitur וַיְהִי בְּעֵת לִדְתָּהּ *factum est quando peperit*, quoniam non expletum erat tempus ejus pariendi; peperit enim gemellos septimo mense. תוֹמִם *gemelli* defective est seriptum pro תְּאוֹמִים, ut 1 Sam. 1, 17. שְׁאֵלֶיךָ pro שְׁאֵלָתֶךָ. — 25. אַדְמֹנִי, *rubicundus*, legitur praeter hune locum bis tantum, 1 Sam. 16, 12. et 17, 42. de Davide, in laudem pulehrae ejus formae. Hie vero vix dubium, esse vituperio, uti et Jarehi observat, rufum eolorem indieio fuisse, eum sanguinoléntum futurum. כֻּלּוֹ כְּאַדֶּרֶת שֵׂעָר, LXX. ὅλος, ὡσεὶ δορὰ δασύς. Hieron.: *totus, in morem pellis, hispidus.* Quibus consentit Aben-Esra, qui שֵׂעָר jungi vult eum כֻּלּוֹ, *totus ipse* erat *pilus*, pilosus *ut pallium*, s. ehlamys, quae villosa erat. Similiter Jarshius: *instar pallii lanei, quod plenum est villis, Gallice floquere* (hodie *flocon de poil, floquers*) *dictis.* Sed alii כְּאַדֶּרֶת שֵׂעָר in statu regiminis eapiunt: *totus* ille erat *instar pallii villosi.* Zach. 13, 4. falsi prophetae induti dieuntur *palliis villosis.* Quod LXX. אַדֶּרֶת δορὰν, *pellem* verterunt, videntur, proprio vocis signifieatu insuper habito, morem Arabum ante oculos ha-

buisse, qui pellibus villosis vestiri solent. Cf. *Thevenot. Itin. Orient.* P. I. L. 2. c. 32. Nom. עֵשָׂו petendum est ex Arab. عَشَّا (pro عَشَوٌ) *pilositas*, unde أَعْشَى *pilosus*.

26. וְאַחֲרֵי — עֵשָׂו *Postea vero exiit frater ejus, et manus ejus tenebat calcaneum Esavi.* Conjecerunt nonnulli, quum jam paene totus exiisset Esavus, deprehensum ab obstetrice fuisse Jacobum tenentem fratris calcaneum; quod quum conspexisset obstetrix, manum ei reduxisse in uterum matris, ut postea debito modo exiret primo capite. De qua re judicium esto penes artis obstetriciae peritos. וַיִּקְרָא שְׁמוֹ יַעֲקֹב *Et vocavit*, sc. קֹרֵא *vocans*, i. e. vocabatur *nomen ejus Jacob.* A Nom. עָקֵב *calcaneus*, fit עָקַב, *arripere* aut *percutere calcaneum* alicujus ut cadat, unde in Futuro יַעֲקֹב *arrepto aut percusso calcaneo in terram dejiciet.* Quod est inter luctatorum artes, quibus excelluit Jacobus, vid. 32, 25. sqq. בְּלֶדֶת אֹתָם *cum pareret eos*, sc. Rebecca. LXX. ὅτε ἐγέννησεν αὐτοὺς Ῥεβέκκα. Quum tamen Rebecca in toto hoc Vs. non commemoretur, alii vertunt: *quum gigneret eos*, quum יָלַד et de patre dicatur 4, 18. 10, 8. 13.

27. 28. וַיִּגְדְּלוּ — צַיִד *Quum autem adolevissent pueri, factus est Esavus vir sciens venationem.* Pro יֹדֵעַ צַיִד Onkelos posuit נַחְשִׁרְכָן, vocem Pers. *nakdschirkon*, quae proprie *venationem exercentem*, s. *venationis praedam facientem* denotat. אִישׁ שָׂדֶה *vir campi*, non est *agricola* (אִישׁ הָאֲדָמָה 9, 20.), sed ἀγροικὸς, seu *exiens in agrum*, i. e. agros vagari amans venandi causa. אִישׁ תָּם *vir integer*, i. e. mitis, placidis moribus; opponitur enim Esavi inquieto et effcrato animo. LXX. ἄπλαστος, *a fraude alienus*, et Hieron. *simplex* verterunt, Jacobi indoli minus convenienter. יֹשֵׁב אֹהָלִים *Incola tabernaculorum*, i. e. amans domi residere, vitam amans domesticam et tranquillam. Aben-Esra nomine אֹהָלִים *tabernacula pastoritia* intelligit, ut 4, 20., ut significetur, Jacobum vitam sub tabernaculis egisse pastoritiam — 28. Isaacus amavit Esavum כִּי־צַיִד בְּפִיו *quia venatio in ore ejus*, i. e. *quia de venatione ejus comedit;* Hieron.: *eo quod de venationibus illius vesceretur.* LXX. ὅτι ἡ θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ. Recte ad צַיִד, perspicuitatis causa, addiderunt suffix. 3. pers., quod in Cod. Sam. est (צידו), haud raro tamen omittitur, ut 24, 30. כִּרְאֹת pro כִּרְאֹתוֹ et Vs. 62. מבוא est pro מְבֹאוֹ positum. Sic h. l. dicitur, fuisse *venationem Esavi*, i. e. quod is in venatu cepisset, *in ore Isaaci.*

29. 30. וַיָּזֶד יַעֲקֹב נָזִיד *Coxit autem* quondam *Jacobus coctum*, i. e. ἔψημα, *pulmentum.* נָזִיד 2 Reg. 4, 38. sqq. de herbarum jusculo dicitur. — 30. Verb. לַעַט est ἅπαξ λεγ. Formam הַלְעִיטֵנִי LXX. γεῦσόν με, et Onkel. *gustandum mihi praebe* verterunt; quod homini famelico satis non est. Jarchi observat,

in Talmude הַלְעִיט significare *affatim ingerere cibum*, et quidem *manu in os*. Hinc exponunt hoc loco: ingurgita me et opple. Utut sit, contcxtus docet, significare vocem hebraeam *affatim cibare*, quacunque tandem ratione fiat. Cognatum est Arab. لَعَظَمَ *avide voravit*, et لَعِظٌ *avidus*, *gulosus;* nec non لَعْلَمَ in Conj. II. idem quod أَكَلَ *comedit*. מִן־הָאָדֹם הָאָדֹם הַזֶּה *De rufo, rufo hoc*, cibo videlicet. Lentes intelligit (Vs. 34.), quarum cortices sunt rubri, et eum iis eoqui lentes tradunt Talmudici; vid. Tractat. *Schabbath* Cap. 6. §. 4. Quod omisso Subst. geminat Adjcct. אָדֹם, hominis est avide in cibum inhiantis, cui prae cupiditate non succurrebat cibi nomen. כִּי עָיֵף אָנֹכִי *Nam fessus* sum *ego*. Ut lassitudinem, sic et famem contraxerat longa venatione Esavus. Itaque haec sunt conjungenda. Jes. 29, 8. עָיֵף *sitientem* notat, quia lassitudo et sitis per Orientem iter faeientibus saepissime simul infestae propter aquae inopiam. Cf. Ps. 63, 2. Ad קָרָא subaudiendum est הַקֹּרֵא *vocans*, i. e. vocatur.

31—34. *Vende mihi statim jus tuum primogeniti.* כַּיּוֹם, proprie *sicut hic dies*, i. e. *statim, e vestigio*, quasi dicas: *juxta hunc diem*, jamjam in praesenti tempore, sine ulla mora, coll. 1 Sam. 9, 13. 27. LXX. σήμερον. Ceterum jus primogeniti situm erat tum in dignitate aliqua prae reliquis fratribus (49, 4.), tum et in duplici paternarum facultatum portione, Deut. 21, 17. Hebraei addunt *jus sacerdotii*, quod antiquissimis temporibus in singulis familiis ad primogenitos pertinuerit. Quam sententiam examinavit refellitque Vitringa in *Observatt. SS.* P. I. L. II. Cap. 2. Vid. J. D. Michaelis *Mosaisch. Recht*, P. II. §. 84. — 32. הִנֵּה־אָנֹכִי הוֹלֵךְ לָמוּת *En! ego vado ad moriendum*, plane ut Gallicum *je m'en vai mourir*, i. e. brevi moriturus sum. Respicit Esavus pericula, quae sibi assiduc venanti imminebant a feris, aut aliis casibus. — 34. Ad verba וַיִּבֶז עֵשָׂו אֶת־הַבְּכֹרָה *et sprevit Esavus jus primogeniti* ait Jarchi, notari illis Esavi impietatem, *quod contemserit cultum Dei.* Quod nititur opinione Hebraeis recepta, primogenitos fuisse saecrdotes et saerorum ministros. Unde et Hebr. 12, 16. Esavus hoc nomine, quod tam vili vendidit jus primogeniti, vocatur βέβηλος, *profanus.*

2. *De iis quae Isaaco et Rebeccae Gerarae versantibus acciderint,* 26, 1—33.

Cap. 26, 1. 2. De famc illa priori vid. 12, 10. sqq. Abimelechus videtur fuisse filius ejus, qui commemoratur 20, 2. sqq. Fuit enim *Abimelech* commune regum Palaestinae nomen, ut Aegyptiorum *Pharao*, unde et Davidis tempore quidam Abimelech memoratur; cf. Ps. 34, 1. De *Gerara* vid. ad 10, 19. — 2. אַל־תֵּרֵד מִצְרַיְמָה *Noli in Aegyptum descendere.* Videtur Isaaci

consilium fuisse, in Aegyptum abire. Nam si in aliis regionibus fortasse ob pluviarum penuriam annonae caritas oritur, in Aegypto nulla est, quia haec terra non pluviis, sed Nili exundatione irrigatur.

4. Vid. not. 12, 3. — 5. וַיִּשְׁמֹר מִשְׁמַרְתִּי *Et* propterea quod (עֵקֶב אֲשֶׁר) *custodivit custodiam meam*, s. *observavit observantiam.* Referenda haec sunt ad totius voluntatis divinae observantiam. Ea statim in tres partes distribuitur, מִצְוֹת *praecepta*, חֻקּוֹת *statuta*, et תּוֹרוֹת *leges*. Quae dictiones junctim usurpatae, quum in posterioribus Pentateuchi libris, potissimum in Deuter., frequenter tanquam solennis quaedam formula de legibus ritibusque in illis libris perscriptis reperiantur; DE WETTE in *Krit. d. Isr. Gesch.* p. 123. hic argumentum serioris, quo haec narratio consignata sit, temporis deprehendere sibi visus est. Contra nobis aliisque illa formula et hic adhibita argumento est, Genesin ejusdem ac reliquos quatuor libros scriptoris esse. Cf. Prolegg. §. 2.

7. 8. 10. אֲחֹתִי הִיא *Soror mea est*; vid. 12, 13. 20, 2. et cf. infra ad Vs. 33. — 8. וַיַּרְא — אִשְׁתּוֹ *Viditque Isaacum ludentem cum Rebecca, uxore sua.* Hebraei usum conjugii εὐσχημόνως innui volunt, repugnante usu Verbi צָחַק. Videtur liberior contrectatio significari, quali frater erga sororem non utitur. — 10. וְהֵבֵאתָ עָלֵינוּ אָשָׁם *Et adduxisses super nos delictum*, reatum, gravi nos culpa et delicto obstrinxisses. Idem sensus exprimitur 20, 9.

12—14. וַיִּמְצָא — שְׁעָרִים *Et invenit*, percepit, *anno illo*, quo sementem fecit, *centum mensuras*, i. e. fruges cum centesimo percepit. שְׁעָרִים, propr. *aestimationes*, in universum *mensuras* significat, non modios, aut aliud certum mensurae genus. LXX. ἑκατοστεύουσαν κριθήν, *centuplicatum hordeum.* Pro שְׁעָרִים legerunt שְׁעוֹרִים, consentiente Syro, aliis probantibus, quod, teste NIEBUHR (*Beschr. v. Arab.* p. 152.), nigrum imprimis hordeum cum multiplici foenore redditur. — 13. וַיִּגְדַּל — וְגָדֵל *Crevitque vir ille*, magnus evasit, *et ivit eundo et crescendo*, magis magisque indies opibus crevit. De הָלַךְ vid. 8, 3. — 14. וַעֲבֻדָּה רַבָּה Hieron. recte: *plurimum familiae*; cf. not. Job. 1, 3.

15—17. וְכָל — אָבִיו *Omnesque puteos quos foderunt servi patris ejus.* Cf. 21, 30.; de puteis vid. not. 21, 19. Contextus docet, Philisthacos in Isaacum, tanto rerum successu in terra ipsorum auctum et locupletatum, ea invidia et odio flagrasse, ut omni eum aquarum usu privare sint conati. וַיְמַלְאוּם עָפָר *Et replerunt eos pulvere*, ne latentis venae ulla essent vestigia, quod in ejusmodi puteis facile fuit. Cf. ad h. l. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 119. — 16. מֵאֵת — לָךְ *Discede a nobis*, *quia longe potentior nobis evasisti.* Verebantur, ne ita potens tandem evaderet, ut totam sibi regionem occuparet. — 17. וַיִּחַן בְּנַחַל־גְּרָר *Et castra*

metatus est in valle Gerar, procul ab urbe, ut rixas Gerarensium vitaret. נַחַל et *torrentem* significat, et *convallem*, s. locum per quem torrens manare solitus est, sive fluat, sive fluere desierit; cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 147. Hujusmodi loca sterilia esse solent, quod omnia inundat torrens. Videtur convallis Gerarensis non sub regis ditione, sed liberum pascuum fuisse.

18—20. וַיָּשָׁב — הַמָּיִם *Rediitque Isaacus et fodit*, i. e. rursus fodit, refodit (ne intelligas eum Gerarum rediisse) *puteos aquarum*, אֲשֶׁר חָפְרוּ בִימֵי אַבְרָהָם *quos foderant diebus Abrahami*, sc. servi ejus (cf. Vs. 15.), non Philisthaei; nec indefinite et impersonaliter sumendum est, i. e. qui effossi fuerant. In Cod. Sam. pro בִימֵי est עַבְדֵי, quod et LXX. et Vulg. exprimunt. Lectio planior, modo vetus sit. Ceterum Isaacus eo, quod puteorum illorum nomina quoque restituit, et jus suum in illos ostendere, et patris, inventoris, memoriam servare voluit. — 19. וַיִּמְצְאוּ — חַיִּים *Invenerunt ibi puteum aquarum viventium*, i. e. aquam perennem, quae opponitur aquae pluviarum in cisternis. — 20. Pro עֵשֶׂק et הִתְעַשְּׂקוּ LXX. עֵשֶׂק et הִתְעַשְּׂקוּ legerunt, vertunt enim, *καὶ ἐκάλεσαν τὸ ὄνομα τοῦ φρέατος Ἀδικία· ἠδίκησαν γὰρ αὐτόν.* Sequitur eos Vulgatus, qui *calumniam* reddidit. Sed עֵשֶׂק et Vb. הִתְעַשֵּׂק, hoc dumtaxat loco obvia, Chaldaeis magis usitata, qui illa scribunt: עֵסֶק et אִתְעַסָּקוּ, quae proprie *occupationem* et *occupatum esse* denotant, quia occupati fuerant, i. e. jurgati cum eo putei causa. Sic etiam Arabs uterque et Josephus (*Ant.* I, 18, 2.) עֵשֶׂק intellexerunt.

22—24. וַיַּעְתֵּק מִשָּׁם *Et transtulit illinc* sc. אָהֳלוֹ *tentorium suum*, ut 12, 8. Hebraei, ut res adversas *angustias* vocant, ita secundiores *dilatandi* verbis describunt; hinc nomen putei רְחֹבוֹת *latitudines*. הִרְחִיב יְהוָה לָנוּ *Dilatavit Jova nobis*, quia ex angustiis (h. l. aquae penuria) eos explicuerat. וּפָרִינוּ בָאָרֶץ *Et crescimus in terra.* Inventis copiosis aquae laticibus, et familia et greges augeri poterant. — 23. *Ascenditque inde Beersabam*, ubi pater per aliquod tempus degerat; vid. 21, 31. — 24. אָנֹכִי אֱלֹהֵי אַבְרָהָם אָבִיךָ *Ego sum Deus Abrahami patris tui.* Quo non tantum indicat, se ab Abrah. fuisse cultum, sed significat potissimum, se Isaacum non minus quam ejus patrem contra adversarios esse defensurum, et novis muneribus donaturum.

25. 26. וַיִּקְרָא בְּשֵׁם יְהוָה *Et invocavit nomen Jovae*, i. e. in altari exstructo sacra fecit, et cum omni familia, invocato palam Deo, diem celebravit; coll. 12, 7. 8. 13, 4. 18. וַיִּכְרוּ — בְּאֵר *Et foderunt ibi servi Isaaci puteum*, novum, uti videtur. — 26. וַאֲחֻזַּת מֵרֵעֵהוּ Onkelos aliique vertunt: *et comitatus* s. *caterva ex amicis*, *sociis*, *ejus*. Nec obstare videtur in voc. אֲחֻזַּת forma regiminis, quum Praepositiones, qualis hic מִ ante רֵעֵהוּ non impediant semper constructionem, veluti Ps. 60, 13. עֶזְרַת מִצָּר

auxilium ex angustia. Quum tamen אֲחֻזָּה nec alio V. T. loco *congregationis* significatum obtineat, nec is dialectis cognatis firmetur, praestat, cum vetustissimo Graeco Interpr. (quocum consentiunt Vulg., Syr. et Saadias) pro Nom. propr. Ὀχοζάθ habere. מֵרֵעַ et alias, ut Jud. 14, 20. 15, 6. *amicum, socium*, ut רֵעַ, denotat. Quid LXX. moverit, ut *νυμφάγωγον* verterint, non liquet. Clericus conjicit, notari putasse illos eum, qui duceret ad Abimelechum רֵעָה *sociam, amicam.* פִּיכֹל שַׂר־צְבָאוֹ *Pichol dux exercitus ejus* memoratur et 21, 22. 32. Non est improbabile, fuisse פִּיכֹל, quod *os*, i. e. interpretem (Ex. 4, 16.) *omnium* designat, i. e. qui omnium causam apud regem agit, aut ducem exercitus, a cujus ore omnes pendent, *dignitatis* et *officii* nomen, quale אֲבִימֶלֶךְ, vid. Vs. 1.

28. עִמָּךְ — רָאוֹ *Videndo vidimus*, i. e. certo perspeximus, *esse Jovam tecum.* Cf. 21, 22. Nomine יְהוָה Abimelechus uti non potuit; sed verborum ejus sensum suo stylo expressit Moses, et quia nomine Jova dictus postea est Isaaci Deus, nulla temporum ratione habita ita loquentem induxit Abimelechum. Ita et Laban 24, 31. ita loquens inducitur, quasi nomine יְהוָה usus esset. וַנֹּאמֶר *Et diximus*, i. e. consilium iniimus feriendi tecum foederis. תְּהִי נָא אָלָה *Sit, quaeso, jusjurandum*, proprie: *exsecratio* (24, 41.), quod jusjurandum cum exsecratione conjunctum esse solet, qua se devovent, qui jurant, ni fecerint, quae stipulati sint. בֵּינוֹתֵינוּ בֵּינֵינוּ וּבֵינֶךָ *Inter nos, nos*, inquam, *inter et te.* בֵּינוֹתֵינוּ utramque contrahentium partem complectitur; בֵּינֵינוּ ad regem tantum et suorum partem est referendum.

29. 30. אִם־תַּעֲשֶׂה עִמָּנוּ רָעָה *Si feceris nobiscum malum*, i. e. te non facturum nobis mali quidquam; vid. ad 21, 23. כַּאֲשֶׁר לֹא נְגַעֲנוּךָ *Sicut te non attigimus;* ut noceremus, i. e. te non laesimus (quomodo נָגַע Vs. 11. usurpatum), quod tamen rixae de puteis usque adeo verum non fuisse satis ostendunt. Attamen non videntur ultra verba Gerarenses pastores quicquam inhumani in Isaaci servos designasse. Verba אַתָּה עַתָּה בְּרוּךְ יְהוָה *tu nunc benedictus Jovae*, causam videntur continere, quae ipsos impulerit, ut ad illum foederis secum ineundi ergo venerint. — 30. וַיַּעַשׂ לָהֶם מִשְׁתֶּה *Fecit ergo iis convivium.* Moris fuisse, in foederibus simul convivia agitare, ad ea utrinque firmanda, colligitur etiam e locis c. 31, 54. et 2 Sam. 3, 20. 21.

31—33. וַיִּשְׁכְּמוּ — לְאָחִיו *Cum mane surrexissent* utrique, *jurarunt sibi invicem*, confirmantes foedus pridie factum; vel foederis conceptionem in diem posterum dilatarunt. — 32. וַיֹּאמְרוּ לוֹ מָצָאנוּ מָיִם *dixerunt ei: invenimus aquam.* LXX. *καὶ εἶπαν· οὐχ εὑρομεν ὕδωρ.* Pro לוֹ legerunt לֹא, sententia id mire improbante. — 33. וַיִּקְרָא אֹתָהּ שִׁבְעָה *Vocavitque eum*, puteum, *Schibah* (proprie *septem*), quod hic *jurisjurandi* significatum videtur obtinere,

quasi idem sit quod שִׁבְעָה, quomodo 21, 31. et שֶׁבַע capitur. Recte LXX. ὅρκον verterunt, immerito eos reprehendente Hieronymo, qui (in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l.) שִׂבְעָה *saturitas* legit. Cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 308. Vix dubium est, idem nomen et patrem, et filium illis puteis imposuisse, a juréjurando illic interposito inter se et Abimelechum, quemadmodum et alia plura, quae hoc Cap. narrantur, conveniunt cum iis, quae 21, 22. sqq. leguntur. Quae quidem utriusque narrationis similitudo est ea, ut VATER in *Comment.* P. I. p. 222. suspicetur, tradi utroque hoc loco duplicem eorundem factorum narrationem, quum parum sit credibile, accidisse et patri et filio paene eadem. Verum quae hoc Cap. inde a Vs. 15. leguntur manifeste respiciunt ad ea quae 21, 22. sqq. ab Abrahamo dicta et facta narrantur. עַל־כֵּן שֵׁם־הָעִיר *Propterea nomen urbis illius*, quae postea ad eum puteum condita est, dicebatur *Beer-Scheba.*

4. *Esavi cum Chitthaeis connubia*, 26, 34. 35.

Cap. 26, 34. וַיְהִי — אִשָּׁה *Erat vero Esavus natus annos* 40, *cum uxorem duxit;* eadem aetate Isaacus matrimonio jungebatur (25, 20.). Sed de numero quadragenario, Hebraeis haud raro pro minus determinato usurpato vid. not. Ez. 4, 6. Esavi uxores et 27, 46. ortu Chittaeae dicuntur. Sed 36, 2. 3., ubi *tres* Esavi uxores recensentur, nulla Judithae mentione facta, Basemath, quae filia Elonis, Chittaei, fuisse dicitur, refertur Ismaelis filia fuisse, contra Elonis, Chittaei filia illic Ada vocatur. Praeterea quum hoc loco utrique Esavi soceri sint Chittaei, altero unus tantum, Elon, talis dicitur, alter, aliud quoque nomen gerens Chivvaeus. Quam utriusque loci repugnantiam J. D. Michaelis ex parte tolli existimat, si sumamus, unam alteramve uxorum Esavi, earumque patres binomines fuisse, quod haud raro observatur apud Orientales, praesertim si nomina propria ex una lingua transferantur in aliam. Ita qui 46, 13. יוֹב, idem Num. 26, 24. יָשׁוּב vocatur, quod utrumque nomen *reversus est* significat, prius quidem (contracte pro יְאוֹב) coll. Arab. أَوَبَ (אוב). Qui Hebraeis עֵבֶר (Gen. 10, 24. 25.) Arabibus dicitur *Had* (pro *Jehud*), quod ab eo Judaei originem ducunt; יִתְרוֹ, Mosis socer, qui Hebraeis ipsis et יֶתֶר ac חוֹבָב, Arabibus dicitur *Schoaib;* Saul, rex, Arabibus est *Talut.* Neque sic tamen omnem repugnantiam tolli, Michaelis fatetur ipse, atque alterutrum horum locorum librariorum culpa in mendo cubare putat. Vatero autem in Commentario ad h. l. verisimile est, haberi utroque loco duas genealogias diversis e fontibus haustas.

35. *Fueruntque amaritudo*, s. *irritatio*, exasperatio *spiritus Isaaco et Rebeccae.* מֹרַת et a מָרָה *rebellavit* (ut מֹרַת sit Particip., quasi: unaquaeque rebellis fuit et refractaria) esse potest, et a מָרַר; malumus a posteriori, pro *amaritudine*, etsi sen-

sus eodem recidat. Uti *dulce* jucundum, ita *amarum* molestum, ingratum sonat, coll. Prov. 14, 10. 17, 25. Sic h. l. dicitur, ambas istas Esavi uxores soceris moerorem attulisse, eorum animos excruciasse, quod alia phrasi exprimitur 27, 46. Fuerunt etiam, qui Esavi uxores soceris ideo displicuisse existimarent, quod idolorum cultui addictae fuissent. Bene *Clericus:* Morum diversitas, quacunque tandem in re sita fuerit, nurus Cananaeas intolerandas fecit Isaaco et Rebeccae; nec se forte invicem Cananaei et Transeuphratenses ferre poterant.

5. *Jacobus benedictionem patris Esavo praeripit, qui propterea grave in eum odium concipit, Jacobus in Mesopotamiam fugit. Esavus tertiam ducit uxorem, Ismaelis filiam.* 27, 1. — 28, 9.

Cap. 27, 2. 3. וַיֹּאמֶר *Dixit.* E qua voce et sensu intelligimus, Isaacum loqui. — 3. שָׂא־נָא כֵלֶיךָ *Tolle*, sume, *quaeso vasa tua*, i. e. arma tua, nam כְּלִי haud raro ὅπλον significat, coll. Deut. 1, 41. Jud. 18, 11. Ps. 7, 14. Vel denotantur instrumenta venatoria in genere, inde speciatim addit: תֶּלְיְךָ וְקַשְׁתֶּךָ *pharetram* (sic LXX. et Vulg.) *tuam et arcum tuum.* Aben-Esra interpretatur *pharetram pendentem* (a תָּלָה) ab humeris, *in qua sunt sagittae. Arcus* et *sagittae*, pro quibus hic earum theca, conjunguntur quoque 2 Reg. 13, 15., et, ubi venatorum describuntur arma, Jes. 7, 24. Videtur תֶּלִי antiquum *pharetrae* nomen fuisse, solo enim h. l. legitur; usitatius est אַשְׁפָּה. Quare FULLERUS (*Miscell.* L. 1. c. 17.), Onkelosum secutus, voc. תֶּלִי verti vult *ensis.* In Cod. Sam. exstat תלותך, quod *furcam tridentem* significare possit. וְצוּדָה לִי צַיִד *Et venare mihi venationem*, ferinam. In textu est צֵידָה, *cibus* in genere; hic vero non diversum a צַיִד videtur.

4. 5. אֲמוּת — בְּעֲבוּר *Ut benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Non quasi prandere se oportere dixerit Isaacus, ut filio benedicere posset; sed evocari sibi forte voluit occasionem cibo jucundo (cf. 25, 28.), ut eo alacriori animo ei bene precaretur. — 5. וַיֵּלֶךְ — לָהֲבִיא *Et exiit Esavus in campum ad venandam feram, quam adduceret*, sc. patri suo. Pro לָהֲבִיא LXX. τῷ πατρὶ αὐτοῦ (לְאָבִיו), vel quia sono et similitudine vocum decepti sunt, vel quia putabant, id nomen h. l. melius convenire. Solent autem Hebraei, cum destinatio rei describenda est, Infinitivum cum nomine frequenter conjungere, quomodo Jos. 2, 5. חַשַּׁעַר לְסָגוֹר est *porta claudenda*, et Lev. 16, 26. שָׂעִיר לַעֲזָאזֵל *hircus ad abituriendum destinatus.* Praeterea Infinitivi in Hiph. passim sic adhibentur, ut nullum nomen post se habeant, qua ratione בָּמוֹת לְהַכְעִיס 2 Reg. 23, 19. *excelsa ad exacerbandum* dicitur pro excelsis ad irritandum Jovam destinatis. Sic h. l. צַיִד לָהֲבִיא est caro venatione quaesita ad adferendum destinata.

7. 9. *Ut tibi benedicam* לִפְנֵי יְהוָה *coram Jova.* Hoc omissum est Vs. 4., quod tamen momenti alicujus videtur, quum sermo fiat de ultimis illis votis, non iterandis, quae moribundi parentes in gratiam liberorum effundebant. Supra quoque 24, 40. Abrahami servus repetit, quae Vs. 7. narrata sunt, mutatis aliquatenus verbis. — 9. טֹבִים — וְקַח־לִי *Et sume mihi duos hoedos bonos*, opimos, pingues. Duos parari jubet, fortassis ut ita testari possit Jacobus, se bina haec animantia venatione cepisse, quasi sit Esavus. Caro haedina autem proxima est caprinae.

10. 12. 13. בְּעֵבֶר — מוֹתוֹ *Ut tibi benedicat, antequam moriatur*, ut obsequio, quod sibi adeo celeriter praestitum existimabit, delectatus, tibi antequam frater redeat, benedicat. Quum Esavus ipse jus suum fratri cessisset, Rebecca haud adeo magnam injuriam Esavo inferri putare potuit. — 12. וְהָיִיתִי בְעֵינָיו כִּמְתַעְתֵּעַ *Et fuerim in oculis ejus tanquam illusor*, habebor ei pro impostore. — 13. עָלַי קִלָּלָתְךָ *Super me sit maledictio tua*, i. e. in me incidat. Significat Rebecca, nihil Jacobo esse metuendum, si quod hac in re incommodum, sed se id luituram esse.

16. 19. Facile Isaaeus pellibus hoedinis Jacobo indutis decipi potuit; lana enim ovium oricutalium longe subtilior et minus prolixa est, quam nostrarum, nec pilis humanis absimilis. *Martialis* Lib. 12. Epigr. 46. *Hoedina tibi pelle contegenti Nudae tempora verticemque calvae.* Et Cantic. 4, 1. capilli sponsae cum caprarum pilis conferuntur. — 19. קוּם־נָא שְׁבָה *Surge, sede*, nam in lecto Isaacus prae debilitate decubuit.

26. 27. Videtur Isaaeus filium ideo jubere se osculari, ut etiam ex ejus vestium odore cognosceret, utrum Esavus esset nec ne. Nam aliquid suspicatus esse videtur ex voce et nimis cito reditu, vid. Vs. 20. 22. — 27. וַיָּרַח אֶת־רֵיחַ בְּגָדָיו *Odoratus est odorem vestium ejus.* Videntur jam tum splendidiores vestes (quales erant Esavianae, Vs. 15.), aromatum odore aut odoratis unguentis perfusae fuisse. De quo veterum more vid. J. H. Mai fil. *Observv. SS.* P. 3. p. 102. Ejusmodi vestes ab Esavo interdum gestari quum Isaaeus sciret, quin is, quem ipse manu tangeret, ille esset, non amplius dubitavit. Arabia Palaestinae vicina jam illis temporibus aromata suppeditare potuit. רֵיחַ יְהוָה — *Odor filii mei est sicut odor agri, cui Deus benedixit.* Odor non solum florum et plantarum odoratarum, sed etiam ipsius terrae intelligi potest. *Herodot.* 3, 113. Ἀπόζει δὲ χώρης τῆς Ἀραβίης θεσπέσιον ὡς ἡδύ, *redolet Arabia mirifice jucundo quodam odore. Plinius* 17, 5. *Terra cum a siccitate continua immaduerit imbre, tunc emittit illum suum halitum divinum ex sole conceptum, cui comparari nulla suavitas possit;* et paullo post fertilis soli indicium esse dicit, si proscissum aratro, odorem emittat. Quod respexisse videtur Isaaeus, quum comparet odorem filii cum odore agri, *cui benedixit Jova*, i. e. fertilis. In Cod.

Sam. post שדה additur מלא *plenus*; LXX. quoque vertunt: ὡς ὀσμὴ ἀγροῦ πλήρους, i. e. *repletus odoratis plantis.*

28. 29. וְיִתֶּן — הַשָּׁמָיִם *Dabitque tibi Deus e rore coeli.* Sub roris nomine omnia comprehenduntur bona, quae ex aëre et coelo in terram derivantur. Nam in orientis regionibus fertilitas maxime pendet a copiosis roribus, quum pluviae raro, et fere bis tantum in anno cadant. Hinc in faustis precationibus rores et pluviae conjungi et promiscue sumi solent. Deut. 23, 13. 28. Zach. 8, 12. Contra in imprecationibus et minis roris et pluviae cessatio legitur, 2 Sam. 1, 21. Hagg. 1, 10. וּמִשְׁמַנֵּי הָאָרֶץ *Et e terrae pinguedinibus*, i. e. agros fertilissimos. Palaestinam olim valde fertilem fuisse, et praecipue vini, tritici, hordei, aliorumque frumentorum magna abundasse copia, constat. — 29. הֱוֵה — אֲחִיךָ *Sis dominus fratrum tuorum, et filii matris tuae inflexo te corpore venerentur.* Erat hoc inter primogenitorum jura, ut fratres eis parerent. Et quum praerogativae, quae primogenito a patre conferebantur, etiam ad posteros ejus transmitterentur, Israelitas Idumaeis nescius praetulit Isaaeus. Impleta haec vota putant Davidis temporibus, vid. not. 25, 23.; adde 2 Sam. 8, 13. 2 Chron. 21. LXX. *Καὶ γίνου κύριος τοῦ ἀδελφοῦ σου, καὶ προσκυνήσουσί σε οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου.* Pro Plurali לְאַחֶיךָ posuerunt Sing., et pro בְּנֵי אִמֶּךָ *οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου* reddiderunt, ut Isaaci e concubinis filii significentur. Sed Pluralem לְאַחֶיךָ non esse mutandum, ostendit, quod subjicitur, בְּנֵי אִמֶּךָ. Videntur *fratribus Jacobi* omnes ejus cognati, etiam ex patre, ut qui ex Ismaele et Cetura orti sunt, intelligendi.

33. מִי־אֵפֹא Fuerunt qui explicarent: *quis est, et ubi est;* qui ferinam mihi attulit. Sed *ubi* valet אֵיפֹה; verum אֵפֹא est *nunc.* Est autem hic velut expletiva Particula: *quis jam? quis tandem?* גַּם־בָּרוּךְ יִהְיֶה *Etiam benedictus erit*, adeoque benedictus manebit. Credebant eo aevo, non irritas esse patris morientis preces, easque iterari non posse, quasi Deus patri potestatem fecisset, semel tantum liberis precandi quod vellet, si preces ratas esse cuperet. Verisimile est Isaaeum hac in re fraudi indignari noluisse, quod recordatus esset oraculi illius, c. 25, 23.; et quum videret, se quoque, quamquam invitum, id responsum benedictione sua confirmasse, rem istam divinitus contigisse intellexit. — 34. בָּרְכֵנִי גַם־אָנִי *Benedic etiam mihi;* אָנִי pro אֹתִי, cf. not. 10, 21.

36. 37. הֲכִי קָרָא שְׁמוֹ יַעֲקֹב *An quod vocavit*, sc. קֹרֵא *vocans*, i. e. vocatur (impersonalis loquendi formula, de qua pluries monitum) *nomen ejus Jacobus?* q. d. nonne nomen habet a supplantando? הֲכִי LXX. *δικαίως*, Vulg. *juste.* זֶה פַּעֲמַיִם *Jam bis;* זֶה enim nominibus numeri temporisque emphatice praeponi solet; sic 31, 38. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 751. הֲלֹא־אָצַלְתָּ לִי בְּרָכָה *Nullamne benedictionem mihi servasti?* i. e. nullumne bo-

num reliquum est, quod mihi apprecari possis? — 37. דָּגָן וְתִירֹשׁ סְמַכְתִּיו *Tritico et musto eum suffulsi.* Fecisse dicit Isaacus quod precatus erat, quemadmodum prophetae, quae praedicunt, facere dicuntur, ob certum eorum eventum, vid. Jer. 1, 10.

39. 40. *Pinguedines terrae*, in fertili et feraci solo erit *habitatio tua*, *et de rore coeli desuper*, se. יֵרֵד לָךְ *descendat tibi.* Conjungendum est cum מוֹשָׁבֶךָ יִהְיֶה, hoc sensu: in loco, in quem ros coelestis descendit, tua sit habitatio. Isaacum hoc voluisse videtur: pingue solum quidem utrique vestrum concedere possum; dominatum vero fratri tuo concessi. Addit tamen aliam promissionem Vs. 40. וְעַל־חַרְבְּךָ תִּחְיֶה *Et super gladium tuum vives*, q. d. gladio tuo, בְּחַרְבְּךָ, (ut Deut. 8, 3. *Neque enim* עַל־הַלֶּחֶם *bello gerendo duntaxat vivit homo*, ubi עַל pro ב), opera tui gladii et beneficio ac ministerio. Non hoc tantum indicari videtur, eum sibi victum paraturum gladio, armis, bello, aut venatione, aut praeda ab hostibus parta, sed quum ei assidua bella sint cum aliis populis futura, ipsam suam vitam ab illis gladio suo asserturum, hostesque victurum esse. *Joseph. B. J.* 4, 15. de Idumaeorum indole *turbarum*, inquit, *avida et incondita gens, semperque ad motus suspensa, mutationibus gaudens, minimis petentium blanditiis arma movens, et, quasi ad festum, in praelia festinans.* Ne tamen Esavus putaret, se fratri superiorem futurum, addit: וְאֶת־אָחִיךָ תַּעֲבֹד *attamen fratri tuo servies.* וְהָיָה — וְתָרִיד. Verbi תָּרִיד notio minus certa est. Hebraeorum plures, e. c. Kimchi, id. esse putant, q. רָדָה *dominari*, et explicant: *cum venerit tempus, ut du domineris, tunc franges jugum ejus*, fratris tui, ab eo tibi impositi, *franges illud* removebisque *a collo tuo. Dominandi* significatum expréssit et Arabs uterque. Sententia tamen: *cum tu dominaberis, franges jugum ejus*, mera est *ταυτολογία.* Alii Hebraeorum, e. c. Jarchi, תָּרִיד *querendi, plangendi* significatu, e Ps. 55, 3. (ubi vid. not.), loci sensum hunc esse volunt: cum questus fueris et ingemueris apud Deum prae dura servitute tibi a fratre imposita, tuas ille preces exaudiet, et tunc solves jugum fraternum e cervicibus tuis. Similis est Onkelosi paraphrasis: *et erit cum filii ejus* (Jacobi) *transgressi fuerint verba legis, tum excuties jugum ejus a collo tuo. Querendi* tamen significatus quum verbo רוּד non satis tuto tribui aliis videatur, illi ex consono voc. Arab. *volendi, cupiendi* notionem vindicandam censuere, praeeunte Lud. de Dieu in *Animadverss. ad Jer.* 2, 31., ubi nostra verba sic reddit: *quando volueris, rumpes jugum.* N. G. Schroederus in *Observatt. ad Origg. Hebrr.* Cap. I. 1. §. 9. verba כַּאֲשֶׁר תָּרִיד vertit: *prout huc illuc vagari amas*, tanquam animal ferox jugique impatiens, quod libero discursu pastuque se oblectare solet, de quo Arab. verbum frequenter usurpari pluribus exemplis docuit. Impletum hoc votum observant, quum sub Joramo Idumaei a Judaeis defecerint (2 Reg.

8, 20.) et suae gentis reges habuerint, donec ab Hyrcano subjugati populo Judaico inserti sunt.

41. 42. יִקְרְבוּ יְמֵי אֵבֶל אָבִי *Appropinquabunt*, mox adcrunt, *dies luctus patris mei*, i. e. mortis, cum lugendus erit. Hunc patri honorem habere voluit, ne eum viventem adhuc, caede in fratre commissa contristaret. — 42. אָחִיךָ מִתְנַחֵם לְךָ לְהָרְגֶךָ *Frater tuus consolatur se de te*, propter te, *occidendo te*, i. e. solatur se ipse de injuria, quam sibi a te putat factum, et sibi satis factum iri sperat, cum te occiderit. Voc. מִתְנַחֵם LXX. latius exprimunt per ἀπειλεῖ, *minatur*, quod et Vulgatus retinuit. Onkelos: *frater tuus insidiatur tibi ut te occidat.*

44 — 46. *Ut habites apud eum* יָמִים אֲחָדִים *dies unos*, i. e. paucos. LXX. ἡμέρας τινάς. — 45. לָמָּה — אֶחָד *Cur orba fierem utroque vestrum uno die?* eodem tempore, simul. Si Esavûs parricidium admiserit, aufugiendum ipsi fuisset, quum parentes illius conspectum haud ferre potuissent. Vid. e. c. 2 Sam. 13, 34. De capitis poena hic non est cogitandum. — 46. קַצְתִּי — חֵת *Taedet me vitae meae propter filias Cheth*, vid. 26, 34. 35. In קַצְתִּי lit. ק reliquis minor est, quia Codd. nonnulli habent קִצֵּרְתִּי *decurtavi* vitam meam propter Chethitas. Vid. HILLERUS in *Arcano Keri et Kethib* p. 186. Veram Jacobi ablegandi causam, fratris odium, Rebecca prudens marito non aperit.

Cap. 28, 2. קוּם לֵךְ פַּדֶּנָה אֲרָם *Surge*, *abi in Paddan-Aram*, vid. not. 25, 20. — 4. וַיִּתֶּן — אַבְרָהָם *Et det tibi benedictionem Abrahami*, i. e. quae Abrahamo promiserat. Cod. Sam. addit אביך, LXX. vertunt: τοῦ πατρός σου, secundum Cod. Alex.; in Vaticano est μου.

5. 9. אֲחִי רִבְקָה *Fratrem Rebeccae*, i. e. Labanem, non Bethuelem. Rebecca hic vocatur *mater Jacobi et Esavi;* quum enim Isaacus Jacobo injunxisset, ut uxorem sibi duceret e filiabus Labanis, fratris matris suae, subjungitur nunc, illum et fratrem matris Esavi fuisse, quia et huic praecipiendum videbatur, ut sibi uxorem e familia parentum duceret, quod et fecisse dicitur Vs. 9. Machalath c. 36, 3. Bathsema nominatur (vid. not. 26, 34.), quam Esavus in matrimonium duxit, ut sibi parentum favorem reconciliaret.

6. *Somnium Jacobi, ejusque vota*, 28, 10 — 22.

Quod hic narratum legimus somnium timidum Jacobi animum mirum in modum confirmare et in hanc spem erigere oportuit, fore, ut Deus ipsi periculosum iter ingressuro sua ope sit affuturus. Cf. HESS *Gesch. d. Patriarchen.* P. II. p. 65. sqq.

16. 17. אָכֵן — יְדַעְתִּי *Profecto hic quoque est Jova, quod ego nesciebam.* Quibus verbis innuit Jacobus, se hactenus non

putasse, quod alibi se Deus manifestet, quam in domo patris, nunc autem cognoscere se, Deum ubique adesse. Etenim (bene monente *Cyrillo Alex. Strom.* L. 4. p. 115.) *credebant, reliquam a Deo relictam esse terram, et intra eam solam illum veluti conclusum esse, in quam patria relicta, ex Chaldaea profecti, ipsi vocati fuerant. Nam quemadmodum idolorum cultores, unicuique daemoni propriam veluti tribuerent terram; ita beati quoque Patriarchae, nuper moribus idololatriae relictis, sibi persuaserunt, verum Deum non in omni terra et in omni loco ipsis adesse et auxiliari.* — 17. אֵין — הַשָּׁמָיִם *Non est hic* locus, *nisi aedes Dei, porta coeli.* Quia Angelos per scalam descendentes et adscendentes viderat, hunc locum Jacobus *portam coeli* nominat; et *domum Dei*, quasi ea potissimum in coeli parte commoraretur Deus, quod eum in summa scala stantem viderat, ad quem Angeli quasi rationem ministeriorum reddituri veniebant, et unde veluti acceptis mandatis, abibant.

18. וַיָּשֶׂם אֹתָהּ מַצֵּבָה *Et erexit eum in cippum* (LXX. *καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην*), in monimentum tanti beneficii, i. e. visionis, ut in reditu hujus rei memoriam recoleret, vid. 35, 3. Etiamnum moris est in Orientis regionibus, ut iter facientes certis in locis ad viam lapides erigere, et apud eos vota pro felici reditu facere soleant; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* VI, p. 245. שֶׁמֶן עַל־רֹאשָׁהּ *Et fudit oleum super ejus caput.* Qui ritus jam olim a patribus institutus fuerit. Libamen fuit, quod et extra sacrificia, ubi quid consecrabatur, aut Deo dicabatur, adhiberi solebat, ut id *oleo*, aut *vino* perfunderetur. Qui mos Orientalium antiquissimorum postea ad Graecos et Romanos transiit. Usus antiquissimus Tyriae orae incola, fertur *consecrasse duos cippos Igni et Vento, eosque adorasse, et sanguine ferarum, quas ceperat, iis libasse.* Verba sunt Sanchuniathonis ap. Euseb. *Praep. Evang.* 1, 10., qui paulo post subdit, posteros etiam solitos esse *eas columnas adorare, iisque quotannis dies festos celebrare.* Eos lapides *Βαιτύλια* vocabant, vid. ad Vs. 19. Similiter Graeci, ut iis exprobrat Clemens Alex. Strom. Lib. 7. p. 713. *omnem lapidem pinguem, ut dicitur, adorabant.* Plura vid. in Dougtaei *Analecti. SS.* Exc. XVII. p. 31. Ceterum non dubium, Jacobum secum sumsisse olcum, cujus usus illis in regionibus erat admodum frequens, partim ad unguendam faciem, partim ad levandam viatorum lassitudinem. Nec multo opus fuit oleo ad erecti lapidis apicem inungendum.

19. בֵּית־אֵל *Domus Dei.* Ita omnis locus apud Hebraeos appellabatur, ubi Deus sese saepius et familiarius manifestat; aut ubi colitur. Phoenicii similiter lapides unctione consecratos *Βαιτύλια* vocabant, nomine manifesto e בֵּית־אֵל orto, eosque a Numine insideri credebant, a quo eos aliquando moveri dictitabant. Sanchuniathon ap. *Euseb.* in *Praep. Ev.* Lib. 1, 10. ex Philonis

Biblii versione: Ἐπενόησε θεὸς οὐρανὸς Βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. PHOTIUS in Cod. 242. e Damascii vita Isidori narrat, κατὰ τὴν Ἡλιούπολιν Συρίας εἰς ὄρος τὸ τοῦ Λιβάνου τὸν Ἀσκληπιάδην ἀνελθεῖν, καὶ ἰδεῖν πολλὰ τῶν λεγομένων Βαιτυλίων ἢ Βαιτύλων περὶ ὧν μυρία τερατολογεῖ. HESYCHIUS: Βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ χρόνῳ ἀντὶ Διός. Cf. JOH. JOACH. BELLERMANN *Ueb. d. alte Sitte, Steine zu salben, u. deren Urspr.*, Erford. 1793. Lapides istos, quibus tantum honorem praestarunt prisci Phoenicii, fuisse ex genere τῶν ἀερολιθῶν sive μετεώρων, conjecit jam Sec. XVIII. ineunte J. J. SCHEUCHZER in *Physica S.* cap. 28. §. 265. sqq., quam sententiam commendavit F. MÜNTER in commentat.: *Vergleich. d. vom Himmel gefall. Steine mit d. Bätylien des Alterth.*, in auctoris *Antiquar. Abhandl.* Havn. 1816. p. 257. sqq. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 127. וְאוּלָם — לְרֹאשׁוֹנָה *Quae prius Luz vocabatur.* LXX. ex Adv. אוּלָם et Nom. לוּז perperam fecerunt Οὐλαμλούζ. Caeterum Luzam inter et Bethelem aliquod intervallum fuisse, colligitur ex Jos. 16, 2. Sed Bethel posteris temporibus adeo est celebratus quadam religionis opinione, ut Luzae propinquae nomen obscuraverit. Itaque quum adhuc Bethelis nomen minus pervagatum esset, dicebat Jacobus *in Luza se visum vidisse*, 48, 3.

21. 22. וְשַׁבְתִּי בְשָׁלוֹם *Et rediero in pace*, i. e. incolumis. הָיָה יְהוָה לִי לֵאלֹהִים *Et si Jova mihi Deus erit.* Alludit ad Dei promissiones Vs. 13. 14. — 22. Sequitur apodosis: *tunc lapis hic, quem erexi, domus Dei fiet.* Significat, locum hunc sanctum sibi fore, et super lapide hoc, quasi super altari, Deo sacra se facturum esse. *Omniumque, quae tu mihi dederis, tibi decimam dabo.* Hae decimae offerebantur Deo e ritu tunc solito (cf. not. 14, 20.); quod erat consuetum comburi, comburebatur sacrificando, reliqua comedebantur, non tanquam cibus profanus, sed in Dei honorem.

7. *Jacobus 14 annos Labani operam suam addicit filiasque ejus quasi mercedem accipit, et quatuor filios ex Lea tollit, c. 29.*

Cap. 29, 1. 2. וַיִּשָּׂא יַעֲקֹב רַגְלָיו *Sustulit itaque Jacobus pedes suos.* Haec verba simpliciter significant, Jacobum iter suum continuasse. Hebraei enim amant mentionem facere ejus membri, quo ad actionem aliquam praecipue utuntur. *Et profectus est in terram filiorum Orientis*, sc. Mesopotamiae incolarum, quod revera sunt ad Orientem Judaeae. — 2. וְהִנֵּה — עָלֶיהָ *Et ecce! illic tres greges ovium accubabant*, dum, congregatis gregibus tractus illius, adaquarentur; quod videtur factum, ne quis aquam putei in suos usus exhauriret. Videtur autem, licet alioqui Mesopotamia regio esset irrigua aquis, ille tamen tractus circa Charras (vid. not. 11, 31.) aquas minus copiosas habuisse. Ex quaestione Jacobi Vs. 4. apparere videtur, puteum longius ab urbe abfuisse.

5. 6. הֲיְדַעְתֶּם אֶת־לָבָן בֶּן־נָחוֹר *Numquid nostis Labanem, filium Nachoris?* Atqui Laban Bethuelis filius fuit; vid. 28, 5. coll. 24, 29. Sed Hebraeis passim nepotes avorum potius, quam patrum dicuntur filii, praesertim ubi avi longe erant patribus notiores. — 6. הֲשָׁלוֹם לוֹ *An pax illi?* i. e. valetne? LXX. ὑγιαίνει; Sed *pacis* nomine Hebraice omnia laeta, felicia et prospera significantur.

8—10. לֹא—הָעֲדָרִים *Non possumus adaquare, nisi prius congregati sint omnes greges.* Non videntur tam difficultatem amovendi lapidis, quam legem exspectandi pastoribus positam spectare. וְגָלְלוּ *Et devolvant*, sc. pastores. Saepe Verbum referri ad Nominat. subauditum constat. — 9. כִּי רֹעָה הִוא *Ipsa enim pascebat.* Etiamnunc apud Arabes filiae Emirorum greges adaquare vitio sibi non ducunt. Cf. et Ex. 2, 16. — 10. Illud אֲחִי אִמּוֹ *fratris matris suae* h. Vs. ter positum, etsi tribui possit linguae consuetudini; hic tamen innuere videtur, Jacobum ductum fuisse στοργῇ in matrem ejusque propinquos, et in animo habuisse parentum praeceptum, 28, 2. וַיְגַל—הַבְּאֵר *Devolvit ex ore putei lapidem.* Videtur peregrinis licuisse facere id, quod alias vetitum erat ex communi pastorum consensu.

11—13. וַיִּשָּׂא אֶת־קֹלוֹ וַיֵּבְךְּ *Sustulitque vocem suam et flevit*, prae gaudio, quod tam repente in eos, quos quaerebat, incidisset. — 12. וַיַּגֶּד—הוּא *Et indicavit Jacobus Rahelae, se fratrem patris ejus esse*, i. e. cognatum. *Fratres* dicuntur passim quilibet consanguinei; coll. 27, 29. — 13. *Factumque est cum audiret Laban auditum Jacobi*, i. e. non modo rumorem, sed nuncium certum. Ita שְׁמוּעָה Obad. Vs. 1. וַיְסַפֵּר—הָאֵלֶּה *Et narravit Labani omnes res illas*, i. e. causas itineris.

14. 15. *Profecto os meum et caro mea es*, i. e. te consanguineum agnosco. וַיֵּשֶׁב—יָמִים *Seditque*, egit *cum illo*, apud eum, *per mensem* quoad *dies*, s. *temporis spatium*, per mensem continuum. Ita enim יָמִים temporis notationibus additur, uti nos dicimus: *einen Monat lang.* Cf. Gesenii *Lex. maj.* p. 374., et *Lehrg.* p. 667. — 15. הֲכִי—חִנָּם *Num, quia frater meus es, gratis servies mihi?* quomodo haud male vertit Hieron. LXX. Ὅτι γὰρ ἀδελφός μου εἶ, οὐ δουλεύσεις με δωρεάν. Alii voc. הֲכִי eodem modo accipiunt, ut 27, 36. (u. v. not.) et 2 Sam. 9, 1. 23, 19., et vertunt: *annon frater*, cognatus, *meus es? et servies mihi gratis?*

17. 18. וְעֵינֵי לֵאָה רַכּוֹת *Ac oculi quidem Leae* erant *teneri*, infirmi, imbecilles; LXX. ἀσθενεῖς. Hieron. *lippis erat oculis.* Sed generalius videtur accipiendum, quod non essent vivaces oculi, quales χαροπούς Graeci dicunt. Formae autem non exigua pars est in oculis. J. G. Lackemacher in *Observatt. philologg.* P. II. Obs. I. עֵינַיִם h. l. ipsam denotare *faciem* putat, ut Jes. 1, 15.

59, 2. Jer. 4, 30., רַךְ vero omne omnino *molle*, *tenerum*, atque adeo *tenue*, *exile* significat. Sensum igitur esse: *Lea facie erat arida*, *exsucca*, *exsangui*, s., ut Plautus vocat: *ore macilento*; opponi enim Rachelae *forma egregia*. תֹּאַר totam membrorum compositionem, conformationem et proportionem indicat, מַרְאֶה *aspectus*, vultum s. faciem. — 18. אֶעֱבָדְךָ — בְּרָחֵל *Serviam tibi septem annos pro Rachela.* Apud eas gentes dotem socer a genero accipere solebat; vid. 34, 12. 1 Sam. 18, 23. 25. 27. Idem mos etiamnum apud Arabes obtinet. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 132. Jacobus vero pro dote, quum aliud nihil suppeteret; septem annorum ministerium obtulit. Similia e recentioribus temporibus exempla attulimus in libro modo laud., p. 136.

19. 20. *Melius est*, *ut tibi eam dem*, *quam ut alteri viro.* Libentius propinquis filias dabant, quam in exteras familias transferebant. — 20. שָׁנִים — וַיַּעֲבֹד *Et servivit Jacobus pro Rachela septem annos.* ב hic valet *pro*, *propter*, ut 18, 28. Hos. 12, 13. Statuerunt nonnulli, Jacobum statim ab initio horum annorum Leam nuptui collocatam accepisse. Nam, inquiunt, si ad finem septennii Leae conjugium protendatur, 7 annis necesse erit, 11 aut 12 liberos natos fuisse, quod fieri vix posse videtur, nisi septem mensium eos ponas, aut gemellos editos dicas. Attamen ut hoc sumamus, et verba Vs. sq., et totius narrationis series plane vetant. Sed temporum supputatio satis constabit, quum 12 liberos 7 annis nasci ex duabus uxoribus totidemque ancillis etiam novem mensibus, ab ordine consueto non sit alienum. Nam potuisse sub idem tempus omnes aut plures esse gravidas, quid prohibet? וַיִּהְיוּ — אֲחָדִים *Fueruntque in oculis ejus sicut dies uni*, i. e. pauci, ut 27, 44.

21—24. הָבָה אֶת־אִשְׁתִּי *Cedo uxorem meam.* *Uxor* hic dicitur, quae desponsata erat. Eodem sensu Maria *γυνὴ* dicitur Matth. 1, 20. כִּי מָלְאוּ יָמַי *Nam completi sunt dies mei*, i. e. ימי עבודתי *dies servitutis meae*, septem anni *θητείας*, quibus tibi serviturum ea lege pactus sum, ut minorem filiam mihi collocares. — 23. Facile Lea Jacobo in congressum supposui potuit, quia sponsae vultu velato in thalamum ducebantur. Ad hunc et Vs. 26. 27. cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 137. sqq. — 24. וַיִּתֵּן שִׁפְחָתוֹ *Deditque Laban ei Zilpam*, *ancillam suam*, additque relativum explicandi causa, לְלֵאָה בִתּוֹ *Leae*, *filiae suae.* Ita moris erat, sponsis, ubi nuberent, ancillas adjungi, coll. 24, 61.

26—29. לֹא־יֵעָשֶׂה כֵן *Non fiet ita*, i. e. in loco nostro non fieri solet. Futurum saepe consuetudinem significat. לָתֵת — הַבְּכִירָה *Dare parvam*, i. e. ut nuptui detur junior *ante primogenitam.* Idem mos etiamnum obtinet apud Indos. — 27. מַלֵּא שְׁבַע זֹאת non: *comple hebdomadem hanc* (tunc enim שְׁבַע erat dicendum), sed: *hebd. hujus* (sc. Leae), quum שְׁבַע, per Schva, sit in regimine. LXX. ἑβδομα ταύτης, Vulgatus: *imple hebdomadam die-*

rum hujus copulae. Nam convivia nuptialia per septiduum celebrabantur, coll. Jud. 16, 12. Tob. 11, 20. Quae igitur hebdoma nuptialis convivii praeterlabi necesse erat, antequam Jacobus Rachelem ducere posset. וְנִתְּנָה — זֹאת *tum dabimus tibi etiam hanc*, sc. Rachelem. נִתֵּן *dabimus;* loquitur Laban de se uno in Plur., linguarum etiam aliarum more. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 800. Lectio Cod. Sam. אתן *dabo* (LXX. δώσω) emendationem sapit. אֲחֵרוֹת — בַּעֲבֹדָה *pro servitute, quam servies apud me aliis septem annis.* E quibus verbis, et quum שָׁבוּעַ interdum sit *hebdomas annorum* (Dan. 9, 24.), concluderunt nonnulli, Jacobum nonnisi exacto altero septennio duxisse Rachelem. Male. Simpliciter Jacobo dicitur, ut septem dies post nuptias Leae expleat, et sic accipiat Rachelem, pro qua iterum septem annis aliis serviturus sit. Vs. 28. simplici oratione pergitur: *Et ita fecit Jacob, et implevit hebdomadem illius* (Leae), *et dedit ei etiam Rachelam in uxorem;* quod ne de septennio Rachelae intelligamus, vetat illud quod 30, 1. Rachela dicitur invidisse foecunditati sororis suae, quod non facere potuisset, si in fine secundi septennii nupsisset Jacobo; nam et ante Josephum natum, in fine haud dubie posterioris septennii (30, 24.) Rachela ancillam Bilham dederat Jacobo in supplementum sui, 30, 3 — 5. Accedit, quod ducta Rachela, Jacobus disertis verbis per septem alios annos Labano serviisse dicitur Vs. 30. — 29. Vid. not. ad Vs. 24. Fit autem mentio ancillarum Leae et Rachelae adjunctarum, quod postea eae a dominis suis sint datae Jacobo marito ad prolem suscipiendam, coll. 30, 3. 9.

31 — 33. לֵאָה — וַיַּרְא *Et vidit Jova, exosam esse Leam*, i. e. minus amatam, coll. Vs. 30. Vid. et not. Mal. 1, 3. — 32. רְאוּבֵן vel significat: *videte filium!* sc. quo signo Deus ostendit, me non esse a se abjectam; vel: *respectus* divini *filius*, ex רְאוּ *visio, respectus. Videre* enim aliquid, de Deo usurpatum, saepe perinde est ac miseris opitulari, vid. Ex. 3, 7. Utraque illa nominis רְאוּבֵן interpretatio sensu convenit cum ea, quam Lea ipsa hoc Versu dedit. Syrus habet רְאוּבֶל et Josephus (*Ant.* I, 19, 8.) Ῥούβηλος, ex mera literarum liquidarum *n* et *l* permutatione, omnibus linguis frequenti; vid. Gesenii *Lex.* sub lit. ל, *Lehrgeb.* p. 129. — 33. כִּי שָׁמַע יְהוָה *Quod audivit*, i. e. exaudivit preces meas *Jova.* שָׁמַע hic id. q. רָאָה Vs. 32. שִׁמְעוֹן a שָׁמַע *auditum* et *exauditionem* significat. Similem in nominibus liberis imponendis rationem hodienum plures Orientis populi sequi solent; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 139.

34. 35. עַתָּה הַפָּעַם *Nunc hac vice*, nunc demum, ut 1 Sam. 17, 1. יִלָּוֶה אִישִׁי אֵלַי *Associabitur vir meus ad me*, mecum ita assidue, ut cum Rachela, cohabitabit. Voc. arab. لَوَّهَ est *comitari*, quod huic loco non male convenit. Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l.: „Aquila interpretatus est: *applicabitur mihi vir*

meus, quod Hebr. dicitur *Illave*, et a doctoribus Hebraeorum aliter transfertur, ut dicant: *prosequetur me vir meus*, i. e. dilectio viri mei me ad mortem usque deducet et prosequetur.“ Ceterum quum Vs. 32. 33. Verbum femin. positum sit, וַתִּקְרָא שְׁמוֹ *vocavit* sc. mater *nomen ejus* (matrum enim erat, infantibus nomen imponere, vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 141.); hic Vb. mascul. ponitur, קָרָא־שְׁמוֹ, quod haud dubie indefinite est intelligendum, subaudito Participio קֹרֵא, *vocatum est ejus nomen*, sc. ab iis, qui ex ea hoc audierant, quod dixisset deinceps sibi virum adjunctum iri. In Cod. Sam. ex interpretamento legitur קראה. — 35. אוֹדֶה אֶת־יְהוָה *Celebrabo*, laudabo *Jovam*. Quum הוֹדָה proprie *confiteri*, *profiteri* denotet, LXX. hoc Verbum constanter ἐξομολογεῖν, et Vulgatus *confiteri* reddiderunt. Veruntamen *confessio* h. l. (ut frequenter in Psalmis, veluti 54, 8. 106, 46.) est pro gratiarum actione. A יוֹדֶה igitur יְהוּדָה *laudem* significabit, ה formativo τοῦ Hiphil expresso, more Chaldaico, ut יְהוֹדֶה *laudabit*, Neh. 11, 17. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 386.

8. *Bilhae et Zilphae, Jacobi concubinarum, filii. Lea Isascharem, Zebulonem et Dinam, Rachela Josephum parit. Jacobus reditum in Cananaeam parans, nova pactione facta, per sexennium apud Labanem manet, atque ditescit, triplici adhibito in gregibus artificio. Cap.* 30.

Cap. 30, 1—3. מֻתָה אָנֹכִי *Ego moriar*, prae dolore, quia sterilitas probrosa erat, vid. Vs. 23. — 2. הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנֹכִי *An Dei loco sum?* nam Deus solus, ut sterilis foecunda evadat, efficere potest. Eadem phrasis c. 50, 19. פְּרִי־בֶטֶן *Uteri fructus*, i. e. soboles, καρπὸς κοιλίας, Luc. 1, 42. — 3. הִנֵּה אֲמָתִי בִלְהָה בֹּא אֵלֶיהָ *Ineas ancillam meam Bilham.* Vid. ad 16, 2. וְתֵלֵד עַל־בִּרְכַּי וְאִבָּנֶה מִמֶּנָּה — *Pariet super genua mea* (i. e. ut filium ex ancilla natum pro meo excipiam, et super genua statuam), *et aedificabor etiam ego ex illa.* Vid. ad 16, 2.

6. 8. דָּנַנִי אֱלֹהִים *Judicavit me*, causam meam egit *Deus*, vindicavit me a probro sterilitatis. — 8. נַפְתּוּלֵי — נָפְתַּלְתִּי *Distorsionibus Dei*, i. e. luctationibus quam maximis, *intorsi me*, luctata sum, *cum sorore mea*, *etiam praevalui*, et tandem praevalui illi. Qui luctantur membra distorquent et versant huc illuc, ut eos, quibuscum colluctantur, dejiciant et vincant. LXX. συνεστράφην. Contendi, inquit, cum sosore, ut prole eam aequarem, et pari gradu cum illa essem apud maritum, et quia ex me suscepta prole non potui, precibus egi apud Deum, sed tandem, quum nihil obtinerem, ancilla data, prolem ex ea habui. Haec omnia *luctas*, s. *certamina* appellat *cum sorore*, quasi dicat, nullum non lapidem movi, ut sorori aequarer. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים sunt luctationes vehementissimae, quemadmodum Ps. 80, 11. *cedri Dei* sunt valde procerae, et Ps. 36, 7. הָרְרֵי אֵל *montes perquam excelsi*, nec non Cant. 8, 6. *flamma Jovae*, maxima, ardentissima. Quod enim alii luctationes, quae Dei auxilio perfectae essent, illa

phrasi designari putant, parum est verisimile. LXX. tamen pro נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים posuerunt: *συναντελάβετό μου ὁ Θεός*. Vulgat. vertit: *comparavit me Dominus cum sorore mea, et invalui*, quod verba proprie hoc dicere putaret: *conjunctionibus Dei sum conjuncta* et aequata *sorori meae*, quod פְּתִיל est *filum*, sibi invicem conjunctum et glomeratum. Sed filum potius ab *intorquendo* et *retorquendo* nomen illud nactum videtur. Onkelos locum hac periphrasi exponit: *Suscepit Deus precationem meam, cum precata sum in oratione mea; concupivi, ut esset mihi filius, uti sorori meae, et datus est mihi.* Similiter Syrus: *precata sum a Domino, et supplicavi una cum sorore mea, et etiam assequuta sum.* Saadias: *propensam voluntatem a Deo mihi conciliavi una cum sorore mea.* Clericus נַפְתּוּלֵי *artes* interpretatur, et נִפְתַּל sequ. Praepos. עִם *cum*, vertit *arte certare*, coll. נִפְתָּלִים Job. 5, 13. *dolosos* significante; et Prov. 8, 8., ubi Sapientia dicit, *justa esse omnia sua dicta, et nullum inter ea* נִפְתָּל *obliquum*, s. *dolosum.* Arab. פתל quoque proprie *torsit*, tum aliquem *circumivit* eum decipiendi causa significat. *Artes Dei* dici putat egregias, quibus nihil melius fingi poterat. *Joseph.* quoque *Ant.* I, 19. 18. Nom. נַפְתָּלִי interpretatur: *Nephtalim, quasi nullis dolis expugnandus, quod mater ejus arte certaverit.* In utraque tamen interpretatione obtinet *certandi* notio. Erit igitur נַפְתָּלִי, ut appellativum נַפְתּוּל, Nom. ex Niphal formatum, *luctatio mea;* q. d. *Luctatius*, nomine Romanis usitato.

11. Pro בָּגָד Masorethae praecipiunt בָּא גָּד legendum, quod Veteres expressserunt per *venit fortuna*, aut per *sidus faustum*, quae sit voc. גָּד significatio Jes. 65, 11. (ubi vid. not.). Hinc nonnulli Fortunam, s. *Δαίμονα γενέθλιον*, a Lea imploratum existimant. Creditum enim fuit, cuilibet ab ipsa nativitate genium certum quem implorabant, attribui, qui perpetuus individuusque prolis sit comes ac homini ad extremum usque halitum praesit (Hor. *Epist.* 2, 2. 187.). Nequaquam tamen necesse est, respexisse Leam ad istam superstitionem. Simplicissimum est, quod in textu scriptum est, בָּגָד efferre, et cum LXX. vertere *ἐν τύχῃ*, *feliciter*, *auspicato*, sc. hoc mihi accidit. Vel tanquam votum: *auspicato!* bene vertat! ut sibi deinceps bene ominetur hac prole edita ex ancilla.

13. 14. בְּאָשְׁרִי *In felicitate mea*, s. ad felicitatem meam hoc accedit. LXX. *Μακαρία ἐγώ.* כִּי אִשְּׁרוּנִי בָנוֹת *Nam felicem me praedicant filiae*, mulieres et puellae propter multitudinem liberorum. — 14. וַיֵּלֶךְ בִּשְׂדֵה *Exierat Ruben in diebus messis tritici* (mense Majo), *invenitque in agro mandragoras*, ita post LXX. et Josephum, qui *μῆλα μανδραγορῶν* posuere, et Hieronymus דּוּדָאִים vertit; quibuscum consentiunt Onkelos, Syrus et Saadias. Est ex opinione totius ferc Orientis mandragorae magna in philtris vis, ideoque iis misceri solet. Hinc Ra-

chela tantopere hunc fructum adpetisse videtur, mariti sobc ...lisque cupida. Quod enim obvertit CELSIUS *Hierobot.* P. I. p. 9. c ...t 11., nullam ad amores virtutem mandragorae inesse, nec sanctae ...et innocenti foeminae in patriarchali familia longe alios mores ed ...octae, tales tribui artes debere; utrumque parum momenti facit. Suffi- cit, Orientales mulieres hanc vim mandragorae tribuisse, i... a quo utcumque errarint, hic tamen error faciebat, ut valde fructun ... tam potentem adpeterent. Sanctitatem autem et verecundiam Rac ...helae non multum laudarit, qui ejus historiam sine partium studio ...lege- rit. Quae idola et colebat et vero furabatur, idque patri, p... ...otuit et mandragora devincire sibi velle maritum. Mores certe a ... patre non meliores edocta erat, quippe qui filiam suam virginem i... ...ascio Jacobo prostituebat. Verum et ipsum tempus, quo Ruben ... hunc fructum invenichat, mandragorae aptum est, ut ostendit MICI- ...IAE- LIS in *Supplemm.* p. 413. Messis enim triticeae tempore דּוּדָאִים adferuntur, et vero, ut ex serie orationis colligi potest, non flo- res, qui nihil habent jucunditatis, nec efficaces creduntur, ... sed mala, ut et LXX. distinctius vertunt. Mala autem mense M... ...tio, in quod tempus messis triticea incidere solet, habet, jamque de- floruit; teste HASSELQUISTO in *Itinerario Palaest.* p. 183. 1... ...34. Quum דּוּדָאִים Jerem. 24, 1. 2. *corbes* denotet; G. T. ST E- GER in *dem bibl. exeget. Repertor.* P. II. p. 64. post WOKENIU ...M in *Observv. phill.* ad Cant. 7, 14. h. l. corbes, quibus flores fru- ctusque pretiosiores implantati fuerint, intelligendas existima t. Eas tamen Rubenem in agro invenisse, parum verisimile. Plures alias de דּוּדָאִים sententias attulit Jo. SIMONIS in *Exercit. philol. ad Arcan. formar.* p. 684. et G. B. WINER in *bibl. Realwörterb.* p. 32. sub voc. *Alraun.* et cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 143. sqq.

15—17. הַמְעַט קַחְתֵּךְ אֶת־אִישִׁי *Num parum?* i. e. non sufficit tibi, *accipere te virum meum*, te vindicare tibi virum meum; ita vocat Jacobum, quod tam numerosa prole jam cum sibi plurimum devinxisset et conciliasset. Verba: וְלָקַחַת גַּם אֶת־דּוּדָאֵי בְנִי, Jarchi observat esse interrogantis et admirantis: num insu- per filii mei mandragoras tibi vindicare studes? Respondit Rachc- la: לָכֵן וגו׳ *ideo*, i. e. si ergo tanti istas facias mandragoras, *cu- bet tecum hac nocte* (pro הַלַּיְלָה הַזֶּה) *pro mandragoris filii tui.* Videntur duae sorores noctes, quibus cum marito cubarent, inter se distribuisse, consensu tamen mariti et voluntate. — 16. In Cod. Sam. post תָּבוֹא *congredieris* est הלילה *hac nocte.* LXX. vero habent σήμερον, *hodie.* — 17. *Et audivit Deus ad Leam*, i. e. exaudivit eam; nam quum diu sterilis mansisset (Vs. 9.), precata erat ut rursus foecunda fieret. וַתֵּלֶד לְיַעֲקֹב בֵּן חֲמִישִׁי *Peperit- que Jacobo filium quintum.* Ratio habetur quatuor primorum ex ipsa natorum.

18. נָתַן — לְאִישִׁי *Dedit Deus mercedem meam* pro eo *quod dederam ancillam meam viro meo.* Lea igitur sibi egregium

facin ius visa designasse, quod ancillam marito tradidisset. יִשָּׂשכָר cont racte pro יִשָּׂא שָׂכָר *affert mercedem* sc. Deus. Ceterum in hoc nomine שׂ posterius prorsus abundat, quare nec puncto vocali, nec puncto dextro aut sinistro more solito affectum, sed ejus loco est Dagesch in priori שׂ, quod eam geminat.

20. 21. זְבָדַנִי — טוֹב *Donavit me Deus dono insigni.* זָבַד Vet erum plurimi vertunt *donavit.* Cf. Gesenii Lex. LXX. *Δεδώρητ αι ὁ Θεός μοι δῶρον καλὸν*, Hieron.: *dotavit me Deus dote bon a.* הַפַּעַם יִזְבְּלֵנִי אִישִׁי *Hac vice*, nunc tandem, *habitabit mecum maritus meus* (unde filium vocavit *habitaculum*), i. e. mecum pot ius quam cum sorore versabitur, nec meum lectum deseret. Qu od antea faciebat Jacobus, ut e Vs. 15. sqq. colligere est. Hinc LX X. *αἱρετιεῖ με, eliget me*, potius quam sororem. — 21. Quum He braci, ubi Arabes in genealogiis feminarum minus rationem habe ant, obiter tantum *Dina* memoratur, et ob ea, quae c. 34. de ej is raptu narrantur, ne novus esset lector.

22 — 24. וַיִּזְכֹּר *Recordatus est*, i. e. Rachelae *opitulatus es t*, preces ejus *exaudiit*, quod statim additur. — 23. אָסַף אֱלֹהִים אֶת־חֶרְפָּנִי *Abstulit Deus óppróbrium meum*, scil. sterilitatis. אָסַף proprie *collegit*, hinc retraxit, sustulit. — 24. Josepho nomen imponit ab *auctu*, s. *accessione*, quae notio Verbo אָסַף inest. יֹסֵף—אַחֵר *Addet mihi Jova filium alium.* Sic malo, quam votum seu precationem, *addat.* Sibi bene ominatur, q. d. postquam coepi parere, propitius mihi erit et adhuc Deus.

25 — 27. Jam transit ad alia, quae Jacobo post quatuordecim annos servitutis pro uxoribus sequenti sexennio ad annum usque vigesimum, cum e Mesopotamia discessit, evenerunt. שַׁלְּחֵנִי *Dimitte me*, cum bona tua venia liceat mihi abire. Tacite etiam mercedem aliquam laborum suorum exposcit, neque enim vacuum dimittere eum poterat Laban, quod ab hoc probe intellectum esse, ejus responsio Vs. 28. ostendit. — 26. כִּי — עֲבַדְתִּיךָ *Tu enim nosti servitutem meam, qua tibi inservii*, i. e. quam fideliter tibi navarim meam operam. — 27. אִם — בְּעֵינֶיךָ *Si, quaeso, inveni gratiam in oculis tuis*, oratio manca, uti apparet coll. 18, 3. Simplicissimum videtur, subaudire שְׁמָעֵנִי *audi me*, aut simile quid. Quidam interrogative: *num inveniam gratiam in oculis tuis?* quod tamen vix admittat rogandi Particula נָא. Quod sequitur, נִחַשְׁתִּי, Hebraeorum plures exponunt: *augurando*, s. *divinando cognovi*, me fortunasse Deum tui causa; quasi revera augurio id se cognovisse Laban dicat, e suis Theraphim, idolis. Nec tamen hoc sumere opus. Videtur enim Hebraeum נִחַשׁ latius capi, ut Latinorum *augurari*, pro suspicari, conjectura assequi. LXX. *οἰωνισάμεν.* Hieron.: *experimento didici.* Aliorum de h. l. sententias, minus probabiles vid. in Commentar. majori.

28 — 30. נָקְבָה שְׂכָרְךָ *Designa mercedem tuam.* LXX. *διάστειλον, distingue*, i. e. accurate indica. עָלַי non id. qu. לִי *mihi*

sed proprie: *super me;* q. d.: mercedem mihi tuam designa, *quam meum sit*, quam mihi incumbit persolvere. Hieronymus: *quam dem tibi.* — 29. וְאֶת — אָתִּי *Et quid fuerit pecus tuum mecum*, i. c. tibi haud ignotum est, quomodo exiguus ille ovium tuarum numerus fideli mea cura auctus sit. — 30. כִּי לְפָנַי *Nam parum erat quod erat tibi ante me*, i. e. ante meum adventum. Minus recte LXX. *ἐναντίον ἐμοῦ, coram me.* וַיִּפְרֹץ לָרֹב *At erupit ad copiam*, abunde excrevit, ut locis vix certis capi queat. Hoc significatu verbum פָּרַץ aderat 28, 14. coll. Hos. 4, 10. וַיְבָרֶךְ יְהוָה לְרַגְלָי — *Et fortunavit te Deus ad pedem meum*, i. e. ex quo pedem domum tuam intuli. Ita et Jarchi: *cum pede meo, propter adventum pedis mei* fortunavit te Deus. Similes loquutiones extant Ex. 11, 8. Jud. 8, 5. וְעַתָּה — לְבֵיתִי *Nunc autem quando faciam etiam ego domui meae*, i. e. *necessitati domus meae.* Quando tandem prospiciam rebus meis? Hieron.: *justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meae.*

31. 32. וַיֹּאמֶר מָה־אֶתֶּן לָךְ *Dixitque*, sc. Laban, *quid dabo tibi?* quantum mercedis poscis? — 32. אֶעֱבֹר — הַיּוֹם *Transibo per totum pecus tuum hodie.* Vulgatus: *gyra per omnes greges tuos*, quum mox Imperativus subjiciatur. Sed loquitur Jacobus de se, quod ipsius esset, quum curam gregis haberet, pecus ducere et disponere. Mox vero ad Labanem sermonem convertit: הָסֵר *aufer*, q. d. me hodie per totum tuum pecus transeunte aufer, peto ut auferas, et segreges inde. Alii pro Infinitivo capiunt (Cod. Sam. הסיר), vertuntque *auferendo*, i. e. transibo et auferam, s. segregabo. Sed magis est verisimile, Jacobum id Labani dicere, ut ipsemet id faciat; et Vs. 35. Laban hoc fecisse legitur. Utrumque nomen, צֹאן et עֵז, *ovillum* et *caprinum* genus comprehendit. Sed צֹאן collectivum est, quum עֵז tantum de singulis dicatur, et vox נָקֹד significat *punctatum, punctis*, s. maculis minoribus *respersum.* טָלוּא a טָלָא *consuere multis pannis et coloribus* de ovibus et capris usurpatum significaret tales earum, quae *maculas habent adspersas*, aut tanquam assutas, ut in centone particulas aut assumenta. A נְקֻדִּים vero ita differre plerique interpretes statuunt, ut טְלוּאִים sint *majoribus maculis variegatae* oves et caprae. Sed טָלוּא potius esse ovem, quae *in nigro aut rufo vellere medias habet maculas albas*, probavit Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 480. ed. Lips. Ita LXX.: *διάλευκος*, quod *maculis albis insignem* denotat, consentiente Onkeloso, qui רְקוּעַ interpretatur, quod convenit cum Arab. رَقْعَا *ovis, quae latera habet alba, et* رَقْعَا *quod nigrum et album est.* חוּם est *fuscus*, a חֹם *calor*, quasi adustus, fumeus color. Arabibus حَمَمَة est *carbo*, hincque אַחַם *niger*, et חֲמָמָה *nigredo.* LXX. *Καὶ διαχώρισον ἐκεῖθεν πᾶν πρόβατον φαιὸν ἐν τοῖς ἄρνασι, καὶ πᾶν διάλευκον καὶ ῥαντὸν ἐν ταῖς αἰξίν.* Pro utroque colore, נָקֹד וְטָלוּא, unum posuerunt, *φαιόν*, quum hoc sit potius חוּם. Verum ordinem contextus perverterunt, נָקֹד et טָלוּא *διάλευκον* et *ῥαντὸν*

convertentes. Primum itaque, quod generale est omiserunt, et duo posteriora specialia tantum posuerunt. Totus vero hic locus ita est impeditus, ut jam Hieron. in *Quaestt. Hebrr.* fassus sit, se usque praesentem diem neminem potuisse invenire, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret. Tres omnino colores poni vides, *punctatum*, *albo nigroque variegatum* et *fuscum*, duos priores in universum, tam in ovibus, quam in capris, fuscum speciatim in ovibus, et rursum duos priores speciatim in capris. Petit igitur Jacobus, ut fuscas tantum oves separet Laban, non item punctatas et varias, et rursum capras tantum punctatas et varias, non item fuscas. Verba וְהָיְתָה שְׂכָרִי *et erit merces mea*, obscuriora sunt. Nam videtur pro mercede petere quicquid horum trium colorum in capris aut ovibus, separatione facta, inventum fuerit, quod sane plurimum fuisset, et repugnasset Jacobus sibi ipse, qui professus esset, se nihil petere de iis, quae Labanis nunc essent. Sed e progressu narrationis intelligitur, loqui Jacobum de eo, quod in posterum ex sibi relictis ovibus nasciturum sit varium, segregatis Labanis fuscis, maculosis et variegatis. Dicit igitur: *eritque merces mea* videlicet omne fuscum, maculosum aut varium, quod ex unicoloribus, id est, albis aut pure nigris mihi relictis nascetur.

33. 34. וְעָנְתָה־בִּי צִדְקָתִי *Respondebit pro me justitia*, innocentia, *mea*, i. e. testificabitur pro me. עָנָה verbum forense, *testimonium ferre* pro (ut h. l.) vel contra, quo sensu semper cum ב construitur, ut Ex. 20, 13. בְּיוֹם מָחָר *Die crastino*, i. e. vel eras, si ita accidat. Voce autem מָחָר et quivis sequens dies significatur, coll. Ex. 13, 14. Deut. 6, 20. כִּי־תָבוֹא עַל־שְׂכָרִי *Cum veneris super*, s. ad *mercedem meam*, cum vises, quae sit merces mea ex foetibus. לְפָנֶיךָ *coram te* referendum est ad initium Versus, non ad proxima; testabitur, inquam, *in tuo conspectu*, te praesente. כֹּל — אֲשֶׁר *Quicquid non fuerit punctatum aut varium in capris, vel fuscum in agnis*, s. *ovibus*, *surreptum erit apud me*, furto tibi sublatum dices. Contestata, inquit, erit fides mea, solo gregum meorum inspectu. — 34. הֵן hic non est *ecce!* sed Particula assentientis. In Cod. Sam. legitur: הן לא יהיה כדבריך, *et si non*, *erit secundum verba tua*, sc., ut ista furto ablata eredam. Nam הן Samaritanis valet *si*, *cum*. Conf. Gesenius de *Pent. Sam.* p. 38. לוּ יְהִי כִדְבָרֶךָ *Utinam sit*, fiat, *secundum verbum tuum*, vel, *verba tua*, si Jod, Pluralis signum, vis desiderari. לוּ hic non est optantis, uti alias plerumque, sed approbantis et assentientis: sit sane! gratum habeo, quod postulas. Persuadebat enim sibi Laban, foetus omnes sibi futuros, quia contra naturam fit, ut alba pecora non pariant alba, nigra, nigra. Sed naturam immutavit Jacobus arte, ut Vs. 37. sqq. narrabitur.

35. 36. וַיָּסַר — הָעַקֻּדִים *Removit ergo*, separavit, Laban, *die illo hircos fasciatos*. *Hircorum* Vs. 32. nulla facta erat

mentio; sed vix dubium eos illic capris contineri. עֲקֻדִּים ab עָקַד *vincire*, et quidem pecudem maetandam (22, 9.), aut tondendam, 2 Reg. 10, 12. Quia vero tale pecus pedibus vincire moris erat, inde Jarchi עֲקֻדִּים explicat *varios in loco ligationis, id est, in malleolis anteriorum et posteriorum pedum.* Ita et veterum Interprr. alii. Videtur igitur עָקַד proprie diei, quod maculas habet iis in locis, quibus in eruribus aut talis ligari solet, quasi dicas maculis velut fasciis in pedibus revinctum. Nisi potius, quum עֲקֻדִּים τοῖς נְקֻדִּים Vs. 32. respondeant, cum Clerico, coll. Arab. عُقْدَة עֻקְדָה *nodus*, pecudes punctis nigris aut albis variegatas, quasi *nodatas* dici putemus, ut puncta *nodis*, propter similitudinem conferantur. Verba כֹּל אֲשֶׁר־לָבָן בּוֹ *omne in quo erat album*, Hieronymus una cum iis, quae sequuntur, וְכָל־חוּם בַּכְּשָׂבִים male sic vertit: *cunctum autem gregem unicolorem, id est, albi aut nigri velleris.* Quid enim, si albae etiam segregatae fuissent oves, Jacobo custodiendum et pascendum remansisset? Sed verbis כֹּל אֲשֶׁר־לָבָן בּוֹ significatur omne, in quo sunt maculae albae in vellere nigro. Contra non dicit de agnis aut ovibus: כָּל־חוּם בּוֹ, sed וְכָל־חוּם בַּכְּשָׂבִים, quia Jacobus petierat, praeter variegatas pecudes, ovilli generis fuscas. וַיִּתֵּן בְּיַד בָּנָיו *Et tradidit*, se. haec omnia, *in manum filiorum suorum*, pascenda et custodienda. Filii Labanis, non Jacobi, intelliguntur. — 36. וַיָּשֶׂם — וְיַעֲקֹב *Posuitque Laban iter trium dierum inter se et Jacobum*, i. e. inter gregem suis filiis traditum, et gregem Jacobo relictum, ut omnis doli occasio tolleretur Jacobo. Pro בֵּינוֹ in Cod. Sam. legitur בינם *inter eos*, i. e. filios. Consentiunt LXX. ἀνὰ μέσον αὐτῶν. Sed in Cod. Sam. praeterea, post hunc Vs., inseritur narratio de somnio, quae exstat 31, 11 — 13. Plures alias Cod. Sam. e locis parallelis interpolationes indicat GESENIUS de *Pentat. Samar.* p. 46.

37. 38. וַיִּקַּח — וְעַרְמוֹן *Sumsit autem Jacobus virgam*, i. e. collective, virgas, *populi* arboris *viridem*, *amygdalique et platani.* Sequuti sumus LXX. et Hieronymum. LXX. tamen לְבְנָה Hos. 4, 13. λεύκη, *populus alba*, hic στύραξα verterunt; nec male, quum voc. arab. لُبْنَى, *styracis arborem* denotet. לַח *viridis* etsi de populea tantum virga ponatur, vix dubium tamen et ad reliquarum duarum arborum virgas referri. Neque existimandum est, Jacobum tres duntaxat virgas sumpsisse; plures enim fuisse necesse est. וַיְפַצֵּל — הַמַּקְלוֹת *Decorticavit in iis decorticationes albas, nudatione alboris qui supra virgas*, i. e. per intervalla corticem ita detraxit, ut niger cortex exciperetur alburno ligni nudato, atque ita virgae variae fierent. — 38. — וַיַּצֵּג הַמְּרָבִים *Deinde collocavit virgas, quas decorticarat in canalibus, in potoriis aquae.* רְהָטִים et שְׁקָתוֹת ita differre videntur, ut illud generalius sit, ad quoscunque canales designandos, שְׁקָתוֹת

vero sint proprie canales aquandis animantibus. וַיֶּחֱמֶנָה *Incaluerunt*, exarscrunt desiderio coitus. Secundum grammaticam analogiam legendum esset תֶּחֱמֶנָה, quum צֹאן feminini generis sit; sed, ut in Cod. Hebr., legimus etiam in Samar., et notant Masorethae, tres esse voces utriusque sexus, quae habent י, quae litera format maseulinas personas, et terminationem femininam. Prima est hic, altera 1 Sam. 6, 12., tertia Dan. 8, 22. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 276. et 462.

39. 40. וַיֶּחֱמוּ הַצֹּאן אֶל־הַמַּקְלוֹת *Incalescebant*, i. e. calore coitus excitatae eoncipiebant, *juxta baculos.* וַתֵּלַדְן — וּטְלֻאִים *Foetum edebant versicolorem, punctatum et maculosum.* Quod faetum esse vix dubium vi imaginationis, quae apud oves magis in foetu formando pollere dicitur, quam in aliis animalibus. Statuerunt talem imaginationis matris in sobolem vim multi antiquiorum et reeentiorum. Empedocles, vetustissimus Philosophus, docet: *Visu et imaginatione mulieris inter concipiendum formari foetus, ita ut saepe mulieres statuas et imagines adamaverint, iisque similes liberos procreaverint.* Similia de equis et columbis ex Oppiani L. I. de Venatu affert Grotius ad h. l. Cf. BOCHARTI Hieroz. T. I. p. 619. sqq. ed. Lips. Inter reeentiores hanc rem praecipue confirmat HASTFEER *de re oviaria*, vers. germ. p. 17—47. Vid. J. D. MICHAELIS *Vermischte Schriften* P. I. p. 61. sqq. — 40. וְהַכְּשָׂבִים הִפְרִיד *Tum oves separabat*, i. e. agnos varios et fuscos separavit a reliquo grege, nc Laban occasionem haberet de ipso querendi, quod varia pecora suis unicoloribus permiscuisset, ut unieoloria parerent varia, quae ex paeto Jacobi forent. כְּשָׂבִים per metonym. et eaprarum catulos varios comprehendunt, qui non minus, quam versicolorcs agni, ad mercedem Jacobi pertinuerunt. וַיִּתֵּן — בְּצֹאן לָבָן *Posuitque*, i. c. convertit *faciem gregis ad nodosum et* ad *omne fuscum in grege Labanis.* Aliud affertur Jacobi artificium. Ita enim disposuit gregem utrumque, unicolorium Labanis, et suorum reeens natorum, ut sua praecederent, Labanis sequerentur, quo faetum, ut hac contemplatione praecedentium variorum Jacobi, eum exardeseerent, concipcrent varia. Verba בְּצֹאן לָבָן *in grege Labanis*, referenda sunt ad פְּנֵי הַצֹּאן *faciem gregis*, sc. Labanis, hoe sensu: ovium, quae erant in grege Labanis, faciem convertit ad varia et fusca sibi nata. וַיָּשֶׁת — לָבָן *Ac posuit sibi gregem, soli*, inquam, *sibi*, i. c. seorsim, *nec posuit illos*, oves, *juxta gregem Labanis.* Initio Versus tantum de rcccns natis variis e contemplatione virgarum loquutus est; at nunc etiam de aliis variis, natis per secundum artificium; horum quoque gregem seorsim posuit.

41. 42. Sequitur tertium artificium, quo Jacobus est usus. וְהָיָה — הַמְקֻשָּׁרוֹת *Fiebat autem in omni ardore ovium vegetarum.* מְקֻשָּׁרוֹת a קָשַׁר *vincire*, *ligare*, proprie *ligatas* denotat, sed

quia quidpiam vinciendo firmius ac validius fit, hinc *vinctae* pecudes sunt robustiores et vegetiores. Arabibus quoque *ligandi* verba fere et *firmandi* notionem sibi junctam habent. Vegetiori bus ovibus vero intelliguntur hic eae, quae coibant in prima admissura, i. e. in mense Martio. Ita Onkelos et Syrus: *primitivae;* Arabs uterque: *vernae;* Aquila: πρωΐμα. Symmachus: πρωτόγονα, Hieron.: *quae primi temporis.* LXX. cur reddiderint: τὰ πρόβατα ἐν γαστρὶ λαμβάνοντα, difficile dictu. וְיָשֶׂם — בַּמַּקְלוֹת *Ut poneret Jacobus virgas ob oculos ovium in canalibus ad faciendum eas in virgis*, i. e. ad adspectum virgarum; quod admissura illa prima verni temporis sit melior, et inde geniti foetus robustiores. Vid. Plinius *Hist. Nat.* L. VIII. Cap. 47. §. 72., qui contendit, foetus, qui postea conciperentur, esse invalidos. Varronis tamen (*de re rust.* 2, 2.) sententia est, matres hujusce modi foetibus debilitari, non ipsos. לְיַחֲמְנָה est Infin. Piel cum Nun epenthetico, pro לְיַחֲמָהּ *ad concipere eam*, pecudem. Sed in nonnullis Codd. legitur לְיַחֲמָנָה, quod Kimchi vult factum ex לְיַחֲמָן, pro לְיַחֲמָן, *ad incalescendum eas*, sc. oves, (quomodo Pluralia praecedunt), Zere pro Camez posito, ut in רֹדֵם Ps. 68, 28. pro רָדֵם *dominans eis.* Hoc modo ה erit hic paragogicum. — 42. וּבְהֵעָטִיף הַצֹּאן לֹא יָשִׂים *Sed cum debiles erant oves, non ponebat*, sc. virgas in canalibus. עָטַף *obtegere*, in secundaria significatione usurpatur pro *deficere, languere;* vid. Ps. 61, 3. Thren. 2, 11. 12. Pro בְּהֵעָטִיף Onkelos posuit בְּלִקְשׁוּת *in serotinatione* ovium, i. e. dum coirent pro serotino partu, quod fiebat secundâ admissurâ. Ita et reliqui interpretes, praeter LXX. qui verbis Hebr. inconvenienter verterunt: ἡνίκα δ' ἂν ἔτεκε τὰ πρόβατα, *cum oves peperissent.* In autumno vero, quo secunda fiebat admissura, oves minus alacres, hinc foetus editi imbecilliores, qui hoc Vs. עֲטוּפִים vocantur.

9. *Jacobus reditum in Cananaeam parat. Discedit clam Labane, eum persequitur, et adeptus cum genero foedus ferit. Cap.* 31.

Cap. 31, 1. 2. וּמֵאֲשֶׁר — הַזֶּה *Et ex his, quae patri nostro erant, fecit omnem gloriam illam*, i. e. tantas sibi acquisivit facultates. עָשָׂה *facere* nonnumquam est *acquirere* ut 12, 5. et 1 Sam. 14, 48. כָּבוֹד h. l. *opes, facultates.* — 2. וְהִנֵּה — שִׁלְשׁוֹם *Et ecce non erat erga ipsum sicut heri et nudius tertius*, i. e. ut antea; vel Laban, vel vultus ejus; אֵינֶנּוּ enim ad utrumque referri potest, quum Hebraei nomine פָּנִים et singulariter utuntur, ut Thren. 4, 16. Deprehendit Jacobus, Labanem esse animo a se alieno.

4. 5. Misit qui accerseret uxores in rus, ubi ipse erat cum gregibus, ne qua ratione suum consilium Laban resciscere. Videtur igitur ex agro discedere clam voluisse. — 5. וֵאלֹהֵי אָבִי הָיָה עִמָּדִי *Sed Deus patris mei fuit mecum*, i. e. Deum in om-

bus r ebus comitem habui. Deum *patris sui* vocat Jacobus, vel quia (cultum ejus a patre edoctus fuerat, vel h. s.: Deus, qui patri m eo semper favit, a me etiam omnia pericula propulsaturus, mihi adest. Sed videtur hujusmodi Dei appellatio vulgari loquendi usu i ione semper certo consilio usurpata fuisse, vid. infra Vs. 42. 53. 3 2, 10.

7. 8. הֵתֵל בִּי *Imposuit mihi*, me fefellit: הֵתֵל ἀνομαλῶς pro הִתֵּל; sequitur hoc verbum formam eorum, quae propter media gutturalem, quae literae Dageseh non patiuntur, id per praecedentem vocalem longam compensant; cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 3 16. נְקֻדִּים — וְהַחֲלֵף *Mutavitque mercedem meam decem vicibus*, i. e. *saepius*; quo significatu denarius numerus occurrit Num. 14, 22. Job. 19, 3. LXX. *Καὶ ἤλλαξε τὸν μισθόν μου τῶν δέκα ἀμνῶν*, seu, ut nonnulli volunt legi: *μνῶν*. LXX. enim pro voc. מָנִים posuerunt *μνᾶς*, 1 Reg. 10, 17. Esr. 2, 69. Neh. 7, 71. 72. Ez. 45, 12. *Hieron. Quaestt.* ad h. l.: „Pro eo quod nos posuimus *decem vicibus*, LXX. posuerunt: *decem agnis*, nescio qua opinione ducti.“ — 8. אִם — שְׂכָרֶךָ *Si sic dicebat: puncta quae erunt merces tua*, tantum, videlicet, non etiam aliae versicolores, aut fuscae, contra primi pacti formulam, quod putaret, nonnisi parituras oves punctatas, atque ita quae naseerentur, suas fore, וְיָלְדוּ כָּל־הַצֹּאן נְקֻדִּים *tunc pariebant omnes oves punctatas*, contra ejus exspectationem, quia Jacobus virgas ejusmodi punctatas adhibuit canalibus. Idem sentiendum est de ceteris coloribus, quos brevitatis causa omittit (nisi quod עֲקֻדִּים etiam hoc Vs. commemorat, de quibus vid. not. 30, 35.); nam et ubi de colore vario in alium colorem varium subinde pertransisset Laban, fraudandi Jacobi causa, potuit et eum eo paciscì, ut albas tantum aliquando ferret, et ferebat, non adhibitis scilicet virgis. Quod quum reputarent LXX., pro עֲקֻדִּים hic *λευκὰ*, *albas* posuerunt. Quos sequutus Hieron. reddidit: *quando vero e contrario ait: allia quaeque accipies pro mercede; omnes greges alba peperierunt.*

9. 10. *Sed eripuit Deus patris vestri pecus deditque mihi.* Hoc dicit propter somnium, quod tanquam *θεόπεμπτον* uxoribus protinus narrat. — 10. וְהִנֵּה — הַצֹּאן *Et ecce hirci qui ascendebant super oves.* עֻתְּדִים hic *hircos* et *arietes* complectitur, unde LXX. *οἱ τράγοι καὶ οἱ κριοὶ ἀναβαίνοντες ἐπὶ τὰ πρόβατα καὶ τὰς αἶγας.* Ceterum quum supra 30, 32. 35. quatuor tantum colores memorati essent, hic additur quintus, בְּרֻדִּים, a בָּרָד *grando*, quasi *grandineos*, s. *grandinosos* dicas, quia sunt magnis maculis, albis seu albicantibus in morem grandinis, vel etiam parvis respersi, ut apud Virgilium *Ecl.* 2, 41. *Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo.* Cf. not. Zach. 6, 3.. Insomnio tamen, quod sic sibi contigisse Jacobus dicit, non respondet res ipsa, quum revera hoc modo foetus varios non sit adeptus Jacobus, ut sc. hirci

varii in pecora insilirent. Unde enim hircos aut arietes varios Jacobus habebat initio, quum omnes abduxisset Laban? coll. 30, 35. Verum insomnium non semper plane idem esse constat cum eo, quod per ipsum significatur, sed satis esse, si inter se respondeant. Quod ergo sibi in somnio videre visus est, varios hircos in pecora insilientes, hoc innuebat, fore, ut cum secus etiam albi hirci in albas feminas insilientes varios foetus gignerent, ope videlicet virgarum.

12—14. כִּי — לָךְ *Vidi enim omnia, quae Laban tibi fecit.* Elliptica oratio, ut desit: ideoque jure potes arte uti, qua mercedem, quam non esset alioquin daturus, ex avaro homine elicias. Certe e superioribus apparet, ita somnium interpretatum Jacobum. — 13. Observat R. Moses-ben-Nachman, superiorem, et eam, quae sequitur, visionem, diversas esse oportere. Nam prior fuit sub initium sexennii, postquam de mercede futuri temporis inter eos conventum esset, cum in somnio edoctus est rationem augendi sui gregis. At visionem, quae sequitur, in fine sexennii factam esse, cum discessum a Labane meditaretur, res ipsa suadet. אָנֹכִי הָאֵל בֵּית־אֵל *ego sum Deus, qui me tibi patefeci in Bethele;* cf. c. 28. הָאֵל בֵּית־אֵל per ellipsin pro הָאֵל אֵל בֵּית־אֵל *Deus ille, Deus*, inquam, *Bethelis*, quia regimen non admittit ה demonstrat., s. Articuli. אֲשֶׁר — מַצֵּבָה *Ubi unxisti erectum lapidem*, coll. 28, 18. Verba: עַתָּה קוּם וגו׳ *nunc* ergo *surge, egredere ex hac terra, et redi in solum tuum natale*, exstant et Vs. 3., ubi promissio adjecta: וְאֶהְיֶה עִמָּךְ *et ero tecum.* — 14. הַעוֹד וגו׳ *Num adhuc est nobis pars et haereditas in domo patris nostri?* Non est, inquiunt, quod revocare nos posset.

15. 16. *Annon peregrinae habitae sumus ei, quia vendidit nos* (dum te coegit pro nobis servire), *et comedit etiam comedendo*, i. e. quia in suos usus convertit *pretium nostrum.* Dos enim Jacobi erat servitium Labani praestitum. Vid. et not. 29, 18. Laban ergo, si aequus, nec avarus fuisset, pretium illud, quod servo mercenario pro tot annorum opera solvisset, filiabus suis ut dotem dare debuisset. כֶּסֶף *pretium*, ut 23, 13. — 16. — כִּי וּלְבָנֵינוּ *Nam omnes divitiae, quas eripuit Deus a patre nostro, nobis sunt, et filiis nostris.* כִּי commode pro *nam* capi potest, hoc sensu: nam quod attinet ad ea, quae hoc sexennio Jacobus comparavit, haec sane nostra erant, nobis jure divino attributa et illi erepta, quia totis superioribus annis nobis debita interverterat.

19. וְלָבָן — צֹאנוֹ *Laban autem ad ovium suarum tonsuram iverat.* Qua occasione pecudum domini convivia habere, ideoque diutius in rure morari solebant; cf. not. 38, 12. וַתִּגְנֹב וגו׳ *Et furata est Rachela patris sui penates.* תְּרָפִים pro Diis habitos fuisse, apparet e Vs. 30. Fuisse autem Deos penates, liquet e Jud. 17, 5. 1 Sam. 19, 13. Hoc loco veteres omnes תְּרָפִים per *imagines* reddunt. LXX. *εἴδωλα.* Josephus *Antiqq.* 1, 19. 9. vo-

cat τύπους θεῶν. Kimchi ab astrologis, ut futura praedicerent, fictos esse putat; sed humana forma factos, ita ut coelestis influentiae essent capaces, censet Aben-Esra. Varias de hisce idolis sententias exposuit JURIEU *Histoire crit. des dogmes et de cultes*, p. 456. J. D. MICHAELIS (in commentat. I.) *Commentatt. in Societ. Reg. Goetting. prael.* 1758—1762. Theraphos Silenos esse existimat, Pausaniae quodam loco (*Graeciae descriptio*, 6, 24.) ductus, ubi dicit, in terra Hebraeorum sepulchra Silenorum ostendi. Ostendit vero E. A. SCHULZIUS in *Exercitatt. philoll.* Fasc. I. Exerc. I., illam Hebraeorum terram, quae sepulchra Silenorum habere credebatur, Sichemum videri imminentemque illi urbi montem Garizim. Nempe in hoc monte defossi a Jacobo Dii uxorum patrii, Gen. 35, 4., unde et exprobrari Samaritanis solebat, inscios eos adorare idola, dum inter precandum ad hunc montem sese converterent. Cf. et not. Hos. 3, 4. Rachela autem patris Theraphim surripuisse videtur, aut quia haec idola e pretiosa materia confecta fuerint, aut quia vcrita sit, ne pater cos consuleret disceretque ab iis, qua via fugisset Jacobus.

20. 21. וַיִּגְנֹב — הָאֲרַמִּי *Et furatus est Jacobus cor Labanis Syri*, i. e. fefellit ejus mentem, quod illo inscio abiit. Cf. Vs. 27. Alluditur ad verba Vs. 19., *Rachela furata est patris sui Theraphos.* Labanem hic vocari *Syrum* Clericus putat, non ut patria ejus signetur, sed ut viri mores notentur. Q. d. scriptor, Labanem, quamvis callidum, ut vulgo Syri esse solent, delusum tamen a Jacobo prudentiore fuisse. Quae appellationis illius ratio tamen non valet infra Vs. 24., ubi Deus *Labani Syro apparuisse* dicitur. Pro עַל־בְּלִי הִגִּיד *eo quod non indicavit*, Cod. Samar. aliique habent עַד־בְּלִי הִגִּיד *adeo ut ne quidem nunciaret.* Sed recepta lectio, antiquis interpretibus probata, meliorem reddit sensum, quum rationem reddat verborum: Jacobus Labanis cor furatus est. — 21. וַיַּעֲבֹר וגו׳ *Et trajecit fluvium* (Euphratem, qui κατ' ἐξοχήν *fluvius* dicitur), *et posuit faciem suam*, i. e. recta tendit, *ad montem Gilead. Facies* peregrinantium Hebraeis dicitur esse *ad ea loca*, ad quae tendunt; Jer. 50, 5. Luc. 9, 53. In nomine Gilead est πρόληψις, nam hoc nomen a Jacobo demum postea huic monti impositum est; vid. Vs. 47. De situ huj. montis cf. *die bibl. Alterthumsk.* T. II. P. I. p. 130. Saadias pro גִּלְעָד posuit גרש, unde *Gerasa* Graecorum et Romanorum.

22—24. בַּיּוֹם הַשְּׁלִשִׁי *Tertio demum die*, ex quo nempe profectus erat Jacobus. — 23. וַיִּרְדֹּף וגו׳ *Septemque dierum itinere eum persequutus tandem in montibus Gilead est assecutus.* Septimo die Labanus Jacobum assequitur, tertio demum post fugam de hac certior factus; supersunt ergo quatuor dies, quorum unus demendus est, quod Laban non statim ad ipsum Euphratem esset, ad quem fortasse vesperi hujus dici pervenit. Montem Gilead propiorem esse Euphrati quam Jordani ostendit J. D. MICHAE-

LIS *v. d. Schafzucht d. Morgenl.* P. I. p. 13. *Vermischt. Schrr.* p. 319. — 24. וַיָּבֹא — הַלָּיְלָה *Venit autem Deus ad Labanem Syrum somnio nocturno.* Apparuisse Deus narratur in somniis et falsorum deorum cultoribus, ut 20, 3. Abimelecho, et 41, 23. 28. Pharaoni. הִשָּׁמֵר וגו׳ *Cave tibi, ne* forte *loquaris cum Jacobo a bono usque ad malum*, i. e. ne acrius Jacobum increpes. LXX. bene: *Μήποτε λαλήσεις κατὰ Ἰακὼβ πονηρά.*

25. 26. וְיַעֲקֹב — בָּהָר *Et Jacobus fixerat tabernacula sua in monte illo*, Gilead. וְלָבָן וגו׳ *Et Laban* quoque *fixerat*, repete: tabernacula sua *cum fratribus suis in monte Gilead*, in eodem monte, licet alio montis loco, seu alio colle aut clivo. אֶת ante אֶחָיו cum Hieronymo ut Praepositionem capimus, sed reliqui veteres pro Accusativi nota ceperunt. LXX. Ἔστησε τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. Quae metonymia esset non aliena. — 26. מֶה — לְבָבִי *Quid fecisti ut furatus sis cor meum?* cf. not. Vs. 20. Alii עָשִׂיתָ וַתִּגְנֹב pro simplici תִּגְנֹב poni volunt, ut 1 Reg. 8, 32. וְעָשִׂית וְשָׁפַטְתָּ *et fecisti et judicasti*, i. e. judicasti. Vid. et Jud. 9, 16. Dan. 8, 12. וַתְּנַהֵג וגו׳ *Et duxisti*, s. *duxeris filias meas tanquam captivas gladio*, bello captas, quae invitis parentibus abducuntur.

27. 28. לָמָּה נַחְבֵּאתָ לִבְרֹחַ *Cur abscondisti te, ut fugeres?* clam fugisti? Discessum exaggerat voce *fugae*, quasi turpiter, ut fur aut latro, fugerit. וַתִּגְנֹב אֹתִי *Furatus es me*, i. e. לְבָבִי *cor meum*, ut Vs. 26. וָאֲשַׁלֵּחֲךָ וגו׳ *Et dimisissem te cum gaudio et cum canticis, cum tympanis et cum citharis.* Quomodo iter longinquum ingressuros in ipso discessu amici in Orientis terris etiamnum honorare solent; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 153. Nomen תֹּף onomatopoïeticon, sonitum tympani manu pulsi exprimit. Ea tympana, hodienum in illis oris usitata, minora sunt, atque ex altera tantum parte, aut etiam utraque clausa, qualia sunt, quae *tambours de Basque* a Gallis vocantur. Iis saltando utebantur feminae, vid. not. Ex. 15, 20. coll. 1 Sam. 18, 7. Jer. 31, 4. Cf. libr. laudat. P. II. p. 22. — 28. *Nec dimisisti*, permisisti, *me osculari filios meos*, i. e. nepotes, *et filias meas; nunc imprudenter fuisti agendo.* Aben-Esra: *imprudenter egisti facere hoc*, seu: *ita faciendo.* Sed Infinitivus passim valet tempus finitum, quocum conjungitur, s. Praet. sit, s. Fut.; unde et haec verba ita capi possunt: אַסְכַּלְתְּ מַה דְּעָבַדְתְּ *stulte egisti, quod fecisti.*

29. 30. יֶשׁ־לְאֵל יָדִי *Est in potestate manus meae.* אֵל hic non est Adjectivum, sed Substantivum, *robur, fortitudinem* denotans, ut Prov. 3, 27. et לְאֵל idem quod בְּכֹחַ, vid. ad Mich. 2, 1. ו ante אֱלֹהֵי אֲבִיכֶם valet אַבָל *sed.* De *Deo patrio* vid. Vs. 42. — 30. *Ac nunc*, nunc sane, *eundo ivisses* (concedentis est), — כִּי אָבִיךָ *quia desiderando desiderabas domum patris tui*, incredibili desiderio tenebaris domus patriae revisendae; sed *cur furatus es*

deos meos? Justa tibi causa fuerit discedendi; sed quae tandem tibi causa justa esse potuit meos penates suffurandi?

32. 33. עִם — יִחְיֶה *Apud quem inveneris deos tuos, non vivat*, occidendi eum tibi potestatem facio, vel: interimat eum Deus, et ita factum detegat. Aben-Esra enunciative: *non vivet*, sed manu mea eum ipse occidam. Verba נֶגֶד אַחֵינוּ *coram fratribus nostris*, plures jungunt iis, quae praecedunt, h. s.: ille pereat coram fratribus, i. e. palam. Quum vero voci יִחְיֶה accentus distinctivus major sit appositus, rectius sic explicatur: נֶגֶד — עִמָּדִי *coram fratribus nostris* (propinquis et comitibus nostris omnibus testibus) *agnosce tibi quid sit apud me*, sc. de rebus tuis. Quae interpretatio probatur Jacobi verbis Vs. 37.: *Quid invenisti de omnibus vasis domus tuae? pone hic*, profer, *coram fratribus meis et fratribus tuis, et* (ut) *arguant inter nos ambos*, scil. uter alteri injurius sit. וְקַח־לָךְ *Et cape tibi*, i. e. aufer. — 33. וַיָּבֹא לָבָן בְּאֹהֶל־יַעֲקֹב *Venitque Laban in tabernaculum Jacobi.* Cod. Sam. post לבן inserit: ויחבש s. ויחפש (quod nostro Cod. extat Vs. 35.) *et scrutatus est in tabernaculo Jacobi.* LXX. quoque ἠρεύνησε inserunt. וַיֵּצֵא וגו׳ *Exiitque e tabernaculo Leae ac ingressus est Rachelae tabernaculum.* Modo quidem dixerat, Labanem prius intrasse in ancillarum tabernacula, quasi antea cetera excusserit tentoria, quam in Rachelae venerit. Verum haud raro negligi ordinem in ejusmodi circumstantiis commemorandis constat.

34. 35. וַתְּשִׂמֵם בְּכַר הַגְּמָל *Posuerat eos in sella camelina.* כַּר enim, ut Arab. كور, est sella camelina operta et rebus necessariis instructa, quales plerumque domunculas mulieribus parare solent Arabes, cum ob equitandi minorem peritiam, tum ne ab omnibus cernantur. Ad caveae normam fabricatae sunt, pannoque obductae, ut in iis latitare singuli insidentes possint. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 154. Uni harum sellarum, qua vehi solebat, quaeque per noctem in tentorium ejus reposita fuerat, Rachela insedit, tanquam in scdile aliquod aut lectulum commodiorem, in eaque penatium statuas, quae parvae erant, abscondidit. — 35. כִּי־דֶרֶךְ נָשִׁים לִי *Quia via mulierum* est *mihi*, mensibus laboro; i. q. 18, 11. אֹרַח כַּנָּשִׁים. Videtur menstruis jam tum vis polluendi adscripta fuisse. Cavet igitur hoc modo Rachela, ne pater propius accederet, et ne suspicaretur quidem, filiam menstruatam super Diis sedere.

37. Vid. not. Vs. 32. — 38. זֶה עֶשְׂרִים שָׁנָה *Hoc*, sc. זְמַן *tempus viginti annorum.* Iam agitur annus vicesimus, ex quo tecum sum. De quo usu voc. זֶה vid. ad 27, 36. רְחֵלֶיךָ וְעִזֶּיךָ לֹא שִׁכֵּלוּ *Oves tuae feminae et caprae tuae non orbarunt* sc. foetum, non abortierunt, dum impedivi, quae abortum afferre possunt. וְאֵילֵי וגו׳ *Et arietes gregis tui non comedi*, quod tamen interdum facere coguntur pastores, ut habeant, quod edant. *Arietum*

nomine etiam *agnos* complecti apparet, quia parum esset, arietibus majoribus parcere, interim agnis vesci.

39. 40. טְרֵפָה — אֵלֶיךָ *Laceratum*, discerptum pecus a feris, *non attuli ad te*, quod subinde faciunt pastores dominis gregum, quia talia non tenentur praestare, nisi eorum negligentia sit commissum. אֲחַטֶּאנָּה contracte pro אֲחַטְּאֶנָּה, more quiescentium 3. rad. ה ob affinitatem quiescentium ל״ה et ל״א. חָטָא in Piel alias significat *expiare* a peccato, ut Ps. 51, 9.; hic vicina notione: *luebam illud*, damnum praestando, uti subjungit, מִיָּדִי תְּבַקְּשֶׁנָּה *de manu mea requirebas illud.* In quo ejus injustitiam ostendit. Quum vero Jacobus de suo aliquid posset restituere, peculium aliquod ei fuisse oportet. גְּנֻבְתִּי וגו׳ *Furtum diei et furtum noctis*, si quid surreptum esset de pecore, vel interdiu vel nocte, sc. a me requirebas. Verba capienda sunt, ac si essent: גְּנֻבַת יוֹם וּגְנֻבַת לָיְלָה Nam in גְּנֻבְתִּי est י paragog., non Pron. affix., quasi affixum passive sumatur, h. s.: si quid mihi surreptum esset. Nam si 1. Pers. suffix. esset, foret גְּנַבְתִּי scriptum. Exempla י paragog. sunt: מְלֵאתִי Jes. 1, 24., רַבְּתִי Thren. 1, 1. — 40. בַּיּוֹם — הָיִיתִי *Fui* sc. in hoc statu, *interdiu consumsit me aestus et glacies noctu.* Quam ardens enim in Oriente interdiu est aestus, tam vehemens et periculosum est frigus nocturnum, quod ante auroram rore cadente oriri solet. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 155. Cf. et Jer. 36, 30.

41. 42. וְשֵׁשׁ שָׁנִים בְּצֹאנֶךָ *Et sex annis* sc. עֲבַדְתִּיךָ *servii tibi*, *pro ovibus tuis*, foetibus sc., quos ex pacta mercede consequerer. וַתַּחֲלֵף וגו׳ vid. ad Vs. 7. — 42. לוּלֵי — לִי *Nisi Deus patris mei*, quod declarat, *Deus* sc. *Abrahami*, *et pavor Isaaci fuisset*, affuisset *mihi.* Quum Abrahamus in sua familia veri dei instituisset cultum, quem Isaacus servarat, Jacobus *πατρῷον Θεὸν*, h. e. avi et patris, creatorem coeli et terrae vocat. Alioqui *patrii dii* frequentius commenticii Dii erant, quam veri, quum tunc temporis perpaucorum patrius Deus verus esset. Cf. not. ad Vs. 5. פַּחַד יִצְחָק *ille quem timet*, singulari reverentia prosequitur *Isaacus.* Ita et Jes. 8, 13. וְהוּא מוֹרַאֲכֶם וְהוּא מַעֲרִיצְכֶם *is* (Jova) *timor vester*, *is terror vester sit.* Falsi etiam dei simulacrum, quod reverebatur in luco, vocatur 1 Reg. 15, 13. מִפְלֶצֶתָהּ *terriculamentum ejus.* Quod autem Deus hic Isaaci potius quam Abrahami פַּחַד vocatur, ratio videtur nulla alia fuisse, nisi quod Isaacus ipse ita loqui soleret, unde et Vs. 54. Jacobus jurat *per pavorem Isaaci patris sui.* כִּי ante עַתָּה valet hic *sane*, *utique.* וַיּוֹכַח אֱמֶשׁ *arguitque*, s. *monuit te heri*, nocte superiore, te scilicet (coll. Vs. 29.), ne mihi noceres. Potest יוֹכִיחַ eodem modo hic sumi, quo Vs. 37., ut sensus sit: hoc palam arguit, quam sis injustus, et meam causam esse justam.

43—45. הַיּוֹם — וְלִבְנֹתַי *Sed filias meas quod attinet* (ita enim ל hic est capiendum, ut 1 Sam. 9, 20. Ps. 16, 3. Jes. 32, 1.

et saepius), *quid* tandem *hodie*, nunc, *iis faciam?* Inique facis, inquit, quod putes me eo animo te insectatum, ut liberis meis nocerem. — 44. וְעַתָּה לְכָה *Et nunc ito!* age! est hortantis, ut 19, 32. — וְהִיָה לְעֵד *Et sit in testem.* Per synthesin refer ad בְּרִית *foedus* (alioqui si ad בְּרִית referretur, quod femineum est, dicendum fuerat הְיִתָה); hoc modo: הְיֵה זֶה לְעֵד *sit hoc*, sc. pactionis inter nos initae signum, acervus mox erigendus, *testimonio*, quod non nocebimus deinceps invicem. — 45. *Sumsit igitur Jacobus lapidem et erexit eum cippum*, cf. ad 28, 18. Erexit lapidem columnae instar in perpetuam rei memoriam. Similiter Josua, Jos. 24, 27.

46. 47. וַיֹּאמֶר יַעֲקֹב לְאֶחָיו *Dixitque Jacobus fratribus suis.* Intelligunt alii cognatos Labanis, alii uxores Jacobi cum filiis ejus et comitibus. Sed videntur tam hi, quam quos Laban secum adduxerat, qui adfines erant Jacobi, intelligendi. Nam et hos communi consensu adhortari potuit, ut simul eum suis lapides congererent (cf. Vs. 51.). וַיִּקְחוּ אֲבָנִים וַיַּעֲשׂוּ־גָל *Sumserunt igitur lapides et fecerunt acervum.* Jacobus unum lapidem magnum primus erexit, illi alios minores congesserunt ad illum circumquaque stabiliendum. וַיֹּאכְלוּ שָׁם עַל־הַגָּל *Et comederunt ibi ad hunc acervum.* Quod per prolepsin dicitur (cf. Vs. 54.); prius enim est foedus initum. — 47. יְגַר שָׂהֲדוּתָא *Acervus testimonii*, sunt Syr. aut Chald. voces. Iam illo igitur tempore in Mesopotamia alius fuit sermo, quam in Cananaea. גִּלְעֵד nonnulli explicant *tumulum testis;* nam tumulus *testimonii* Hebr. esset גַּל עֵדוּת. Attamen עֵד, neutraliter sumtum pro *eo quod testatur*, ut Substant. *testimonium* usurpatur et Ex. 20, 13. Deut. 5, 17. 31, 21. Itaque cum nomine Syr. bene convenit.

48 — 50. קָרָא־שְׁמוֹ Cf. not. ad 27, 36. — 49. E Vs. 48. repetendum est קָרָא שְׁמוֹ, h. s.: *vocavitque nomen ejus et* מִצְפָּה, *speculam*, אָשֶׁר, i. e. כִּי, *quia*, אָמַר *dixit*, sc. uterque: יִצֶף וגו׳ *speculetur Jova inter me et te, si*, i. e. cum, quando, *absconditi erimus vir a socio suo*, i. e. quando discesserimus alter ab altero. Judicio Dei vindicandum permittit Laban quicquid alter in alterum absentem injuriae moliatur, q. d.: quamvis ad me usque non pervenerit injuriae notitia, Deum tamen oro, ut animadvertat etiam in te, si pactum fregeris. Quam sententiam clarius Vs. 50. declarat. מִצְפָּה Jarchi putat loci nomen esse in summo monte. Sed malumus, eundem illum tumulum utroque nomine ab illis dictum, et גִּלְעֵד et מִצְפָּה. Postea urbs eodem nomine non procul ab illo tumulo condita in monte et terra Gilead ultra Jordanem, in agro, qui tribus Gadi fuit, coll. Jos. 11, 3. 18. 13, 26. Alia urbs מִצְפָּה dicta fuit in tribu Benjamin, Jud. 20, 1. 21, 1. al. — 50. אֵין אִישׁ עִמָּנוּ *Non est vir*, quisquam, *nobiscum* (i. e. tum, cum invicem discesserimus), qui injuriam videat, quam tu mihi meisve filiabus facies, aut quam ego tibi faciam; רְאֵה וגו׳ *vide*, Jacobe,

Deus est *testis inter me et te*, et injuriae mihi illatae vindex existet.

51. 52. הַמַּצֵּבָה אֲשֶׁר יָרִיתִי *Haec statua, quam projeci*, i. e. conjectis in unum lapidibus erexi, uti LXX. ἔστησα. Sententia absolvitur Vs. 52. אִם־אָנִי לֹא־אֶעֱבֹר *Si ego non transibo*, i. e. quod non transibo. אִם pro אֲשֶׁר, ut 24, 33. עַד אִם־דִּבַּרְתִּי pro עַד אֲשֶׁר et alias. Satis erat אִם, *si transibo*. Ita לֹא abundaret. Verum utrumque hic conjungitur, conditionale et negativum, quasi diceret: si transiero, sed non transibo. Ad indicandum autem hic simul, jusjurandum esse et negationem cum asseveratione conjunctam, in אָנִי est distinctio (Rbhia), ut suspendatur sententia: *si ego*, se. foedus hoc violaro, dispeream; ut seorsim sequatur: *non transibo*. אֵלֶיךָ *Ad te*, i. e. ut ad te veniam, nempe לָרָעָה *in malum*, malo animo, nocendi causa.

53. 54. אֱלֹהֵי אַבְרָהָם וֵאלֹהֵי נָחוֹר *Deus Abrahami et dii Nachoris*, ita enim verba interpretanda ex mente Hebraeorum, qui observant, אֱלֹהֵי אַבְרָהָם esse קדש *sanctum*, i. e. de uno et vero Deo, אֱלֹהֵי נָחוֹר vero חול *profanum*, i. e. de diis falsis capiendum. Erant certe diversi; nam trans Euphratem Abrahami majores deos alienos coluisse, diserte dicitur Jos. 24, 2. Cf. not. ad Vs. 5. — יִשְׁפְּטוּ בֵּינֵינוּ *Judicent inter nos*, ultores sint fidem fallentis; cf. ad 16, 5. Verbis אֱלֹהֵי אֲבִיהֶם Jarchi iterum adnotat חול, esse deos falsos intelligendos. Ita et Clericus, qui *eorum patris*, i. e. Theraehi, interpretatur, additque: „Post proprios invocatos deos superstitiosus Laban iis conjungit communis parentis numen, quasi utrique reverendum.“ Nobis recte observasse videtur Aben-Esra, verba אֱלֹהֵי אֲבִיהֶם esse Mosis, adeoque per parenthesin a reliquo sermone seeludenda, quasi diceret: suum quisque numen violati foederis ultorem invocavit. LXX. illa non expresserunt. Haud inepte Syrus in Plurali legit et cum affixo 1. Pers.: *Deus patrum nostrorum*. וַיִּשָּׁבַע וגו׳ *Juravit autem Jacob per pavorem patris sui Isaac*, i. e. per Deum, quem pater summopere colebat et reverebatur, cf. ad Vs. 42. — 54. Verba וַיִּזְבַּח יַעֲקֹב זֶבַח Jarchi explicat: *mactavit animalia ad convivium*, quod mox disertius dicitur, et cf. Vs. 46. Sane verbum זָבַח in universum *mactare* denotat, 1 Sam. 28, 24. 1 Reg. 19, 21. et זֶבַח *epulum*, Prov. 17, 1. Ez. 39, 17. De *sacrificio* Deo Jacobi oblato verba capi non posse, Hebraei observant, quod Jacobus invitasse dicitur Labanem et ejus comites ad comedendum secum. Post foedera sancita convivia esse celebrata, vidimus 26, 30.

10. *Jacobus ad Esavum accedere veritus, visione mirifica recreatur; munera praemittit ad ejus animum placandum; luctatur cum angelo, a quo superato Israelis nomen accipit. Cap.* 32.

Cap. 32, 2. 3. וַיִּפְגְּעוּ־בוֹ מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים *Occurrerunt ei in via angeli Dei.* Abarbenel putat, fuisse viatores, ejus regionis

viros, mercatores, qui eum praetereuntes narraverint, Esavum cum hostili exercitu occurrere Jacobo, cui viri illi fuissent instar angelorum Dei, quippe qui ipsi indicassent rem scitu necessariam. Aliam sententiam proferunt JOSEPHUS *Antiqq.* I. 20. 1. *Jacobo visiones occurrerunt, in bonam spem eum erigentes de iis, quae in posterum ei essent obventura;* et CHRYSOSTOMUS in Homil. Lib. 8. in Genesin: *Deus ille humanissimus securo animo esse Jacobum omnemque metum ipsi exuere volens Angelorum haec castra ut videret, curavit.* Pro mytho etymologico, quo nominis urbis מַחֲנַיִם, in confinio tribuum Gadi et Manassis, trans Jordanem sitae (Jos. 21, 38. 2 Sam. 17, 24.), ratio redderetur, hanc narrationem habet DE WETTE, *Kritik d. Israel. Gesch.* p. 132. — 3. מַחֲנֵה אֱלֹהִים *Castra Dei*, quod multos simul videret angelos, in unum locum congregatos, quasi una iter facerent. מַחֲנַיִם *gemina castra*, i. e. angelica et Jacobi ipsius castra. Alii duali numero hic indicari putant, Jacobum castra angelorum a dextris et sinistris conspexisse, quasi illis undique cinctus esset et stipatus, praesidii causa.

4 — 6. אַרְצָה שֵׂעִיר *In terram Seir*, vid. 14, 6. שְׂדֵה אֲדוֹם *Agrum*, ditionem *Edomi*, i. e. Esavi, coll. 36, 1. — 5. לַאדֹנִי *Domino meo*, honoris et civilitatis causa, cf. ad 23, 6. — 6. וְאֶשְׁלְחָה לְהַגִּיד לַאדֹנִי *Ac misi ad renunciandum* haec *domino meo.* Videtur hoc dici a Jacobo, ut intelligeret Esavus, se non esse opum egenum, neque redire eo animo, ut, primogeniti sibi olim vendito jure, haereditatis paternae bessem sibi vindicaret; qua testificatione sine dubio ei Esavi conciliabatur animus.

7. 9. וְאַרְבַּע־מֵאוֹת אִישׁ עִמּוֹ *Et quadringenti viri cum eo*, sine dubio servi armati, cf. 14, 14. Non videntur prolixe egisse cum Esavo legati. Proinde responsum afferunt nullum, sed Esavum duntaxat comitibus suis properare obviam Jacobo referunt. Hinc Jacobus fratrem suum hostili animo ei occurrere putat. — 9. Non voluit vim vi armata repellere, sed potius eam cautionem servare, ut, si omnino Esavus hostilia meditaretur, non omnes internecione delerentur. Ceterum conf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 157.

11 — 13. קָטֹנְתִּי — הָאֱמֶת *Minor sum*, indignus, *omnibus beneficiis et omni veritate*, i. e. fide verborum tuorum, dum mihi servasti omnia promissa, quae mihi promisisti. כִּי — הַזֶּה *Cum baculo enim meo hunc Jordanem transivi*, i. e. nihil praeter baculum possedi. וְעַתָּה וגו׳ *Nunc vero in duo castra evasi*, i. e. duo agmina duco. Pecus meum in duo agmina dispescere possum, quorum utrumque satis magnum sit. — 12. הַצִּילֵנִי — עֵשָׂו *Libera me, quaeso, e manu fratris mei, e manu Esavi.* In verbis: *de manu*, inquam, *Esavi*, est emphasis, q. d.: e manu ejus, qui non tam mihi frater nunc est, quam Esavus, saevus et infestus. כִּי־יָרֵא וגו׳ *Vereor enim, ne me aggrediatur, matremque cum*

liberis occidat. Proverbialis locutio (Hos. 10, 14.), qua summa crudelitas significatur. Desumta esse videtur ex eo, quod fit interdum in urbibus obsidione captis. — 13. וְאָשִׂמְתִּי אֶת־זַרְעֲךָ כְּחוֹל הַיָּם *Et ponam*, faciam, *posteritatem tuam sicut arenam maris.* Sensus idem est, quem vidimus in promissionibus illis 22, 17. 28, 14.

14. 16. וַיִּקַּח מִן־הַבָּא בְיָדוֹ *Cepit ex iis, quae in manu erant*, i. e. ex iis, quae in promptu ipsi erant. — 16. גְּמַלִּים מֵינִיקוֹת *Camelos lactantes*, lac praebentes, pretiosiores ergo, quum Arabes camelinum lac etiamnum bibant. Quod lac, testibus jam Veterum pluribus, omnium dulcissimum est. E. c. *Plin. H. N.* 11, 94.: *Cameli lac habent, donec iterum gravescant; suavissimum hoc existimatur, ad unam mensuram tribus aquae additis.* Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 159. Ceterum in hoc munere (quod divitias Jacobi haud medioeres arguit), additi sunt mares pro necessitate foeminarum. Nempe in capris et ovibus servata est proportio decupla. Similis proportio 2 Paralip. 17, 11.

20. 21. De industria Jacobus greges interpositis intervallis agi jusserat. Nam praeterquam quod major erat munerum species, tempus ipsum ad iram sedandam multum condueere poterat, atque iterata munera, quae ejus ad fratrem iter morabantur, erant veluti iteratae Jacobi preces, quibus veniam ab eo petebat et fraternae caritatis admonebat. — 21. אֲכַפְּרָה פָנָיו Jarchi recte exponit: *cessare faciam*, i. e. abolebo iram ejus, quo significatu כִּפֶּר et Jes. 28, 18. 47, 11. usurpari ait (cf. quae nos ad ea loca notavimus). Addit, esse verbum Aramaeis *abstergendi* significatu frequens, quo saepe in Gemara occurrat, hinc 1 Chron. 28, 17. *crateres* appellari כְּפוֹרִים, quod sacerdotes in iis manus abstersissent. אוּלַי יִשָּׂא פָנָי *Forsan feret vultum meum*, i. e. me amice excipiet.

22. 23. עַל־פָּנָיו *Ante eum*, i. e. priusquam ipse ex eo loco proficisceretur. Igitur עַל־פָּנָיו hic est Adverb. loci et temporis simul. LXX. προεπορεύετο τὰ δῶρα κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ. Vulgatus: *praecesserunt munera ante eum.* וְהוּא וגו׳ *Ipse vero pernoctavit ea nocte in castris.* Quum soleret in tentorio suo seorsim a gregibus aliquantum, et suo comitatu non permixtim cubare; nunc impendente periculo non secubat a reliquo agmine. — 23. וַיָּקָם בַּלַּיְלָה הוּא *Surrexit autem nocte illa.* הוּא pro הַהוּא, ut 30, 16. וַיַּעֲבֹר אֵת מַעֲבַר יַבֹּק *Et trajecit trajectum*, vadum, *Jabboci*, qui amnis fuit terminus septentrionalis regionis Ammonitarum, quem non transgressi sunt Israelitae Cananacam occupantes; vid. Deut. 2, 37. 3, 16. Torrentem esse eundem, qui hodie *Wadi-Serka*, i. e. fluvius corruleus dicitur, non vero, ut J. D. Michaelis aliique putarunt *Hieromiacem*, Arabibus *Jarmuc* dictum, constat et Seetzenii et Burckhardti nostra aetate factis observationibus; vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 201. coll. p. 130.

25. וַיִּוָּתֵר יַעֲקֹב לְבַדּוֹ *Jacobus autem ipse solus remansit*, in ulteriore ripa, quae est versus montem Gilead. וַיֵּאָבֵק אִישׁ עִמּוֹ *Et luctatus est vir cum eo.* Is vero quum Vs. 29. 31., nec non Hos. 12, 4. אֱלֹהִים *Deus*, et Vs. 5. מַלְאָךְ *angelus* appelletur; nostri Theologi fere statuunt, fuisse hunc Angelum increatum, i. e. Dei filium, Patris personam, tanquam ejus *Legatus*, sustinentem, insignem nomine *Angeli*, *Jovae*, *Angeli foederis*, *Faciei Jovae*, iisque titulis distinctum ab angelis gregariis, vid. 16, 7. 21, 11. 13. Ex. 23, 2. 4. coll. Vs. 14. Vid. praeter alios Joach. Ehrenfr. Pfeiffer in Diss. *de lucta Jacobi cum viro Domino*, *futurae manifestationis Dei in carne indice*, Erlang. 1760. 4. Cf. Henkii *Magazin* P. III. p. 113. 128. sqq. 162. sqq. נֶאֱבַק, in Niphal tantum obvium, *luctari*, ab אָבָק *pulvere* ductum, quem luctantes attollunt et excitant, quasi pulverizari, s. pulvere conspergi dicas, quemadmodum et Latini dicunt, *in arenam descendere*. Minus placet, quod alii volunt, אָבַק esse i. q. חָבַק, *complecti*, quod de *lucta* usurpetur, quia membra invicem complectuntur, et arcto nexu colligant, qui colluctantur. Ea, quae hic narrantur, Jacobo in somnio contigisse nonnulli putant; sine argumento idoneo, quum scriptor ne verbulo quidem innuat, se somnium referre. Vestigium hujus narrationis deprehendere licet in mytho Graecorum de Jove cum Hercule certante, cui quum praevalere non posset, se ipsi agnoscendum praebuit.

26. 27. וַיַּרְא כִּי לֹא יָכֹל לוֹ *Et vidit*, quum videret, *quod non praevaleret ei*, Jacobo, in illa sc. virium corporis contentione, וַיִּגַּע בְּכַף־יְרֵכוֹ *tetigit volam femoris ejus.* Luctantium artificium est, ut arte aliqua membrum corporis contorqueant, ut vel dejiciatur, vel offendatur adversarius, ut succumbat, aut saltem non sit omni ex parte superior. *Tactus femoris* est laesio nervi ejus, ut liberum femoris motum non haberet Jacobus. כַּף *vola*, metaphorice hic est concavitas ischii et vertebra, qua femoris pars inferior cum superiori jungitur et colligitur, ac velut in illud inseritur, Latini *acetabulum femoris* dicunt, Graeci κοτύλην. וַתֵּקַע כַּף־יֶרֶךְ יַעֲקֹב *Atque ita luxata est acetabulum femoris Jacobi.* וָקַע a quo וַתֵּקַע, ab Hebraeis exponitur: *recessit a loco suo*, qui significatus convenit et huic loco, et Jer. 6, 8. — 27. שַׁלְּחֵנִי כִּי עָלָה הַשָּׁחַר *Dimitte me, oritur enim aurora.* Ex veterum opinione Deus post aurorae ortum mortalibus apparere non solet, sed duntaxat per noctem et somnium. Jacobi igitur adversarius innuit, se superiorem esse, a quo Jacobus sibi prospera quaeque expetere debeat.

28—30. מַה־שְּׁמֶךָ *Quod est nomen tuum?* Sciebat sane; sed interrogat de eo, ut ex ejus confessione sumat occasionem mutandi ejus nominis. — 29. לֹא־יִשְׂרָאֵל *Non Jacob dicetur nomen tuum, sed Israel*, non quod nomine Jacob ultra vocatus non fuerit; sed quod eo longe insignius et augustius esset hoc, Israel,

ad commendandam hujus luctae et victoriae de Deo relatae, memoriam. Verba כִּי שָׂרִיתָ עִם־אֱלֹהִים LXX. *ἐνυσχῖσας κατὰ Θεοῦ* reddiderunt, et hinc Hieron.: *contra Deum fortis fuisti.* Alii: *quia dominatus es cum Deo*, i. e. principem te gessisti in Deum, certamine eum vincens. Sed שָׂרָה nusquam aut *fortitudinis* aut *victoriae* notionem habet. Sed Nom. יִשְׂרָאֵל significat potius *θεομαχεῖ*, s. *ἀγγελομαχεῖ*, et referendum est ad שָׂרָה, quod, ut consonum voc. Arab. denotat: *contendit cum aliquo.* Vertendum igitur est: *quia contendisti*, certasti *cum Deo.* וְעִם־אֲנָשִׁים וְתוּכָל *Et hominibus quanto magis praevalueris?* ו ante תוּכָל *δυνητικῶς* videtur exponendum esse, q. d. וְלֹא־אֲנָשִׁים אַתָּה כִּי תוּכָל. Deinceps non erit tibi quispiam hominum timendus, postquam tam feliciter tete cum Deo pugnans gessisti; non est ergo, quod fratrem timeas. Quia שָׂרָה construitur cum עִם, eandem constructionem et יכל propter similitudinem recipit cum עִם, pro ל. — 30. לָמָּה זֶּה תִּשְׁאַל לִשְׁמִי *Cur hoc*, cur ita *rogas nomen meum?* Innuit, Jacobum ex ipso Israelis nomine ei a se imposito posse intelligere, non cum homine sibi rem esse. Similiter angelus respondet Jud. 13, 18.

31. 33. פְּנוּאֵל *Facies Dei.* LXX. *εἶδος τοῦ Θεοῦ.* Pro פְּנִיאֵל Vs. 32. et Jud. 8, 8. 9. 17. legitur פְּנוּאֵל. Remansit enim nomen illud urbi, postea tribui Gad assignatae ad confluentem Jordanis et Jabboci conditae. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 31. Ejusdem nominis locum, Libano monti ad austrum, memorat *Strabo Geogr.* 66, 2, 15. et 19. כִּי־רָאִיתִי אֱלֹהִים *Quia vidi Deum*, subaudi: dixit, cogitavit: sic vocabo hunc locum, quod in eo Deum viderim פָּנִים אֶל־פָּנִים *facie ad faciem*, praesens praesentem, וַתִּנָּצֵל נַפְשִׁי *et erepta est anima mea*, et tamen evasi salvus. Vid. not. ad 16, 13. coll. Jud. 13, 22. 23. — 33. עַל־הַגִּדֶּה *Propterea Israelitae vesci non solent nervo ischiatico.* גִּדֶּה *nervus* s. *tendo*, *qui per femur et crus ad talos defertur*, nostris Anatomicis *tendo Achillis* dictus. Futurum יֹאכְלוּ verte: *comedere non solent.* Additum עַד הַיּוֹם הַזֶּה *usque ad hunc diem* ostendit de consuetudine ab aevo Jacobi ad Mosis aetatem perdurante agi. Judaei hanc consuetudinem ita anxii observant, ut ab omnibus nervis in posterioribus animantium abstineant.

11. *Jacobi et Esavi amicus congressus et per Cananacam iter. Cap.* 33.

Cap. 33, 1—4. וַיַּחַץ—רָחֵל *Et divisit pueros super*, i. e. apud, juxta *Leam et juxta Rachelam;* suos cuique assignavit natos. — 2. Ordinem ita constituit Jacobus, ut quo quicquam carius habuit, eo posterius collocaret, ut, si saeviret Esavus, saltem posteriores reliqui fierent et evaderent. Praeterea cum matribus liberos prudenter collocavit, ut misericordia ductus Esavus utriusque parceret. — 3. וְהוּא עָבַר לִפְנֵיהֶם *Ipse autem transiit*, progressus est, *ante illos*, paratus primam aciem subire, et vitam

pro illis exponere. וַיִּשְׁתַּחוּ אַרְצָה שֶׁבַע פְּעָמִים *Et prostravit se ad terram septies*, honoris causa, ut intelligeret Esavus, multum abesse, ut sibi primogeniti jura adripere velit, qui tam submisse ad eum accederet. De illo reverentiae signo cf. 18, 2. 23, 7. — 4. Puncta extraordinaria voci וַיִּשָּׁקֵהוּ *et osculatus est eum* superne appicta, indicant, illam a Codd. quibusdam olim abfuisse; cf. not. 19, 33. Origenes illam suis in Codd. Hebraicis non reperit.

8. 9. מִי־לְךָ כָּל־הַמַּחֲנֶה הַזֶּה אֲשֶׁר פָּגָשְׁתִּי *Quaenam est tibi turma ista, cui occurri?* quam praemisisti. מַחֲנֶה nunc locum castrorum, nunc *exercitum*, et *turmam* s. *catervam*, h. l. pastores, qui munera ducebant una cum gregibus designat. לְךָ Dativus redundans ut Vs. 5. Sive: unde est, quod tota haec tibi sit turma? quod tantam turmam habeas? וַיֹּאמֶר אֲדֹנִי *Et dixit* Jacobus: *ut invenirem gratiam in oculis domini mei*, ut a te gratiam inirem hoc munere. Loquitur Jacobus ut inferior cum superiore. Nemini autem inferiorum in Oriente sine praemissis muneribus superiorem adire licet; et pro signo maximi contemtus habetur, si hic munera ipsi oblata repudiat. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 165. — 9. יֶשׁ־לִי רָב *Est mihi multum*, satis multa habeo, tuis non egeo.

10. 11. כִּי עַל־כֵּן רָאִיתִי פָנֶיךָ כִּרְאֹת פְּנֵי אֱלֹהִים *Nam propterea vidi vultum tuum, quasi viderim faciem Dei*, eo nomine te salutare omnino statui, ut hoc ex me munus susciperes, et ideo mihi aeque gratum fuit, te coram videre, ac si Dei faciem adspicerem, Dei videlicet mihi faventis. וַתִּרְצֵנִי *Et gratum me habuisti*, i. e. et quod mihi propitius factus sis. — 11. קַח־נָא אֶת־בִּרְכָתִי *Sume*, accipe, *quaeso*, *benedictionem meam*, qua non passive significatur, quod Deo benedicente divitiarum sit consequutus, sed munus, quod quis ei, quem salutandi causa adit, offert, a *salutando*, quod Verbum בָּרַךְ nonnumquam valet (2 Reg. 4, 29.), quia, qui salutant, alteri fausta apprecantur. Sic 1 Sam. 25, 27. 30, 26. בְּרָכָה de munere dicitur. אֲשֶׁר הֻבָאת לָךְ *Quod adducitur tibi.* הֻבָאת more Aramaico pro הֻבְאַת.

12. 13. וְאֵלְכָה לְנֶגְדֶּךָ *Et ibo ad conspectum tui*, i. e. aequali tecum itinere et gressu, ut, licet armatorum turmam habeam mecum, quae celeriori cursu graditur, me tibi tamen attemperem. Bene Symmachus: *πορευθῶμεν, ἵνα συνοδεύσω σοι.* — 13. וְהַצֹּאן וְהַבָּקָר עָלוֹת עָלַי *Et oves et vaccas lactantes* (scit dominus meus) esse *super me*, i. e. mihi, meae curae incumbere, ut illis providcam, ne quid concitatiore gressu detrimenti capiant. De עָלוֹת *lactantes* vid. ad Jes. 40, 11. Ante עָלוֹת decst ה articuli. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 659. וְדָפְקוּם pro וְאִם־יִדְפְּקוּם הָרֹעִים *et si pulsarint*, impulerint *eos pastores*. Ita ו et alias pro וְאִם, ut Jes. 30, 20. ubi vid. not. Verbum דָּפַק duobus reliquis locis, quibus in V. T. occurrit, Jud. 19, 22. Cant. 5, 2. *ostium pulsare* denotat. Sed proprie in universum pulsare quoquo modo videtur signi-

ficare. Verbum hebr. maxime convenit cum Arab. دَفَعَ *trusit*, *pepulit*, *impulit*, literis ع et ק alternantibus. וְמֻתוּ pro אָז יָמוּתוּ *tunc morituae essent*, כָּל־הַצֹּאן *omnes oves*, de iis specialiter dicit, quod infirmiores sunt; boves enim facilius resistunt, nec moriuntur, sed tantum infirmantur, si celerius agantur; quod et de pueris valet.

14. 15. יַעֲבֹר־נָא אֲדֹנִי לִפְנֵי עַבְדּוֹ *Transeat, quaeso, dominus ante servum suum*, comiter, me praecedat; וַאֲנִי אֶתְנַהֲלָה לְאִטִּי *ego vero ducam me*, incedam, sequar, *ad quietem meam*, pro commoditate mea. Alii: sensim, pedetentim, ut Jod sit paragogicum. Sed rectius pro Suffixo habetur, et לְאִטִּי exponitur: *lentitudine mea*; nam ל in לְאִטִּי non servile sed radicale est, atque לָאַט (a rad. אטט) notionem נחת *quietis* habet, ut 2 Sam. 18, 5. Jes. 8, 6. לְרֶגֶל אֲשֶׁר — לְפָנַי *Ad pedem*, ad gressum, *operis*, *quod est ante me*, i. e. quantum ferre potest gressus gregum, qui me antecunt. מְלָאכָה, quod proprie *opus*, *functionem* notare constat, aliquando designat rem et substantiam omnem, quam sibi quis opera et industria acquirit, ut 1 Sam. 20, 9. et hic. Est nomen formae מַמְלָכָה pro מַלְאָכָה, quod ostendit Plurale constructum מַלְאֲכוֹת 1 Chron. 28, 19. עַד — שֵׂעִירָה *Donec veniam ad dominum meum Seirem.* Videtur Esavus invitasse Jacobum, ut in ditionis suae agros veniret, nec negavit Jacobus, quamvis forsan numquam eo iverit. Nusquam saltem ejus itineris meminit Moses. — 15. אַצִּיגָה — אִתִּי *constituam*, *quaeso*, *tecum de populo*, *qui mecum est*, i. e. saltem de meo comitatu aliquos tecum sine relinquam, qui te honoris causa, vel tuendi ergo contra latrones, deducant itineris comites. Recusat tamen Jacobus et hoc, לָמָּה זֶּה *quare hoc*, inquiens, sc. facies? est mihi sat magnus comitatus. Forsan suspectum hoc habuit Jacobus, ne forte pro praesidio custodes, qui se observarent, invitumque deducerent, quo nollet ire, acciperet. אֶמְצָא וגו׳ *Inveniam gratiam in oculis domini mei*, i. e. sine te, quaeso, exorari etiam hac in re, ne invito praesidium des; vid. 34, 11. 47, 25. Formula est, qua utebantur Hebraei, si quidpiam peterent, quod se impetraturos confidebant. Minus recte LXX. *ἱκανόν ὅτι εὗρον χάριν ἐναντίον σου, κύριε.* Vulgatus: *hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.*

17. וְיַעֲקֹב נָסַע סֻכֹּתָה *Jacobus vero profectus est ad Succoth*, i. e. in locum, quem postea ita appellavit, uti mox sequitur. Situs erat trans Jordanem, assignatus postea tribui Gad, vid. Jos. 13, 27. Jud. 8, 15., alius ab eo, qui Ex. 12, 37. Num. 33, 5. memoratur, ubi prima statio erat Israelitarum, postquam Aegypto exiissent. וַיִּבֶן לוֹ בָּיִת *Ac aedificavit sibi domum*, illic videlicet, tabulis et trabibus, uti videtur, quod diutius ibi mansurus esset. וּלְמִקְנֵהוּ עָשָׂה סֻכֹּת *Pecori autem suo fecit tabernacula*, quod nondum assidua migratione ei facere licuerat. Taber-

nacula vero ramis et foliis arborum facta, qualia aliis V. T. locis nomine סֻכּוֹת indicantur, ut Lev. 23, 42. Jes. 4, 6. Jon. 4, 5., hoc loco, recte monente J. D. Michaele in *Supplemm.* p. 1745., vix intelligi possunt. „Tam calido in climate quis tuguria ovibus conderet? maxime quum lana sub dio semper degentium multo sit melior, quam quae aestu et sudore stabuli corrumpitur. Terrarum, quas percrrabant, vastatores fuissent immanissimi Nomades, si ubique ex arborum ramis gregibus suis inutilia et noxia fecissent tuguria.“ Satis verisimilis Michaelis est conjectura, significari hic per סֻכּוֹת *mandras*, similes quodammodo illis, quae גְּדֵרוֹת dicuntur (vid. ad Num. 32, 16.), nec tamen muro circumseptas, sed spinis, adeoque ab iis nomen habere, coll. Arab. سَوْكٌ *spina.*

18. 19. וַיָּבֹא יַעֲקֹב שָׁלֵם עִיר שְׁכֶם LXX. reddidere: *καὶ ἦλθεν Ἰακὼβ εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων*, quod sequutus Hieron.: *transivitque in Salem, urbem Sichimorum*, de qua supra ad 14, 18. Nec aliter Syrus. Sed malumus cum Onkeloso, Saadia et Jarchio שָׁלֵם pro Adjectivo *incolumis* habere, ut simpliciter capiamus ita: sine detrimento ullo, aut calamitate e Succoth venit Sichemum. In Cod. Sam. pro שלם est שלום, quod potest verti *incolumis*, ut sit pro בְּשָׁלוֹם, 28, 21. עִיר pro לְעִיר, ut Ruth 1, 19. כְּבֹאָנָה בֵּית לָחֶם pro לְבֵית לָחֶם. *Sichem* urbs erat inter montes *Garizim* et *Ebal*, postea instaurata Neapolis dicta est; hodie sedes Samariticarum reliquiarum. וַיִּחַן אֶת־פְּנֵי הָעִיר *Castra posuit in conspectu urbis*, ex adverso ejus, extra eam. — 19. קְשִׂיטָה quid sit, incertum. Pecunia signata non esse videtur, cujus antiquitas tanta non est. Michaelis putat, pondus fuisse veterum, nobis ignotum. Alii opinantur, Kesita fuisse vas argenteum aut aurcum fabricatum; cujus generis vasa antiquissimis temporibus in negotiis loco pecuniae, et sic quoque in muneribus in usu fuerint. LXX., quos secuti sunt omnes veteres interpretes, vertunt *ἑκατὸν ἀμνῶν*. Intellexerunt fortasse nummos, agni imagine signatos. A. Schultensius in *Commentar. ad Job.* 42, 11. קְשִׂיטָה *masculam auri ad stateram exacti* significare putat, coll. Arab. قِسْطٌ *mensura, trudina, statera.* Plura vid. in Bochartı *Hieroz.* T. I. p. 473. sqq. edit. Lips. et not. nostr. p. 478. ibid. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 167. Stephanus, protomartyr, Act. 7, 16. Abrahamo tribuit, quod hic et Jos. 24, 32. de Jacobo narratur. Sed confudisse hoc videtur errore memoriae cum eo, quod supra 23, 9. 17. 18. legimus.

20. *Statuitque illic altare, et vocavit illud: Deus, Deus Israelis.* LXX. *ἐπεκαλέσατο τὸν θεὸν Ἰσραήλ*, et Vulgatus: *invocavit super illud fortissimum Deum Israelis.* Verum וַיִּקְרָא לוֹ ex perpetuo linguae Hebr. usu significat: *vocavit eum.* Videtur haec loquutio elliptica esse, ut ante אֵל repetendum sit מִזְבֵּחַ, h. s.: vocavit altare illud *altare Dei*, et *Dei* quidem *Israelis*, i. e.

illius, quem Israel colit. Simill modo Ex. 17, 15., ubi vid. not. Sic et instauratae Hierosolymae dicitur nomen futurum Ez. 48, 35. יְהוָה שָׁמָּה *Deus illic*, i. e. urbs in qua Deus est. Vid. et infra 35, 7. Similiter hodie templa memoriae Sanctorum consecrata appellamus, brevitatis causa, eorum nominibus, ut *S. Paulus*, *S. Petrus*.

12. *Dina a Sichemo rapitur; Jacobi filii cum eo et Sichemensibus foedus feriunt, quod perfide violant.* *Cap.* 34.

Cap. 34, 1—3. לִרְאוֹת בִּבְנוֹת הָאָרֶץ *Ut spectaret filias terrae*, i. e. ut cum tractus illius puellis amicitiam contraheret. Fortassis illo ipso tempore Sichemitae diem solennem agebant. In pluribus Cod. Sam. exemplis pro לִרְאוֹת legitur לְהֵרָאוֹת, ut sensus sit, exiisse Dinam, ut sese terrae filiabus conspiciendam praeberet. — 2. שְׁכֶם *Sichem*, a quo urbi nomen forsan, uti conjiciunt interpretes, factum est. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 118. בֶּן־חֲמוֹר הַחִוִּי *Filius Chamoris Chivvaei*, quod nomen unius ex decem Cananaeorum familiis, quae tamen tempore Josuae alia insederat loca (vid. ad 10, 17.). נְשִׂיא הָאָרֶץ *Princeps*, vel *principis terrae*. Nam נָשִׂיא utroque potest referri. Hebraeorum plures ad filium referunt, cui pater principatum concessisset. וַיִּקַּח וגו׳ *Cepitque*, i. e. rapuit *eam*, *cubuitque cum ea*, *ac oppressit eam*, vim ei intulit, quod verbo עִנָּה indicatur. אֹתָהּ prius cum וַיִּקַּח conjunctum, est Accusat. *eam*, posterius vero Praepos. אֶת *cum*, cui suffixum tertiae femininae junctum, *cum ea* vertendum, pro אֹתָהּ. Neque enim Hebr. שָׁכַב construitur cum Accusativo (*eine beschlafen*), sed cum עִם seu אֶת. — 3. וַתִּדְבַּק נַפְשׁוֹ בְּדִינָה *Adhaesitque anima ejus in Dina*, i. e. non ut scortum eam habuit, postquam constuprasset, sed perseveravit eam deperire. וַיְדַבֵּר עַל־לֵב הַנַּעֲרָה *Et loquutus est ad cor puellae*, solatus est eam, amoris omnia ei praebuit indicia, pollicitusque est eam se uxorem ducturum. De phrasi *ad cor alicujus loqui* vid. Jes. 40, 20.

7—9. וְכֵן לֹא יֵעָשֶׂה *Et ita non fieri debebat*, i. e. contra omne hospitii jus ac morem est, puellam, quae inter sui generis socias tutam se credat, ita vitiari. — 8. חָשְׁקָה נַפְשׁוֹ בְּבִתְּכֶם *Defixa est anima ejus in filia vestra*, i. e. vehementer amat filiam vestram. חָשַׁק *fixit*, *defixit*, unde ad amorem intensissimum transfertur, ut h. l. et Deut. 7, 7. 21, 10. 1 Reg. 9, 19. *Filiam vestram* dicit Chamor, fratres Dinae alloquendo. Videtur בַּת sensu latiore de *puella* usurpatum fuisse, ut Gallis *fille*. — 9. וְהִתְחַתְּנוּ אִתָּנוּ *Sponsalia nobiscum facite*, i. c. affinitatem cum nobis contrahite. LXX. voce Hellenistica usi, ἐπιγαμβρεύσασθε ἡμῖν.

10—12. אִתָּנוּ תֵּשֵׁבוּ *Nobiscum habitate*, in unum populum nobiscum coalescite. וְהָאָרֶץ תִּהְיֶה לִפְנֵיכֶם *Et terra erit ante oculos vestros*, tota regio vobis patet. וְסַחֲרוּהָ *Et circumite eam*,

sc. cum gregibus vestris. וְהֵאָחֲזוּ בָהּ *Et possessores vos constituite in ea;* hinc אֲחֻזָּה *possessio*, quae Graecis *κατοχή*, quia quae a nobis possidentur ea in nostra tenemus potestate, אָחַז enim i. q. *κατέχω*. — 11. אֶמְצָא־חֵן בְּעֵינֵיכֶם *Inveniam gratiam in oculis vestris;* cf. ad 33, 15. — 12. הַרְבּוּ עָלַי מְאֹד מֹהַר וּמַתָּן *Multiplicate super me admodum dotem et munus*, imponite mihi quantamvis dotem et munera. Sponsi virginibus desponsatis dotem dabant, vid. ad 29, 18. Cujus moris et Homerus meminit, Odyss. 6, 159. Iliad. 16, 190. Idem de Germanis refert Taeitus *de mor. Germ.* c. 17. Patri vero dotem tradere, sicuti apud Hebraeos, ita etiam apud Graecos erat moris; ut apparet ex Odyss. 8, 318. Sic species quaedam emptionis ac venditionis in nuptiis fuit.

13, 15. בְּמִרְמָה *Cum dolo*, pro quo Onkelos בְּחוּכְמְתָא *prudenter* posuit, quum tamen מִרְמָה ubique de dolo modo dicatur. Siehemus hic patri praeponitur, quod illius res maxime agebatur, uti Laban Bethueli, 24, 50. (ubi vid. not.), ubi frater in causa sororis, tacente patre, loquitur. וַיְדַבְּרוּ *Et loquuti sunt*, videlicet quod proximus Vs. subjungit. Priusquam vero verba eorum adducuntur, causa fraudis, quam cogitarunt, praemittitur. אֲשֶׁר וגו׳ *propterea quod* (pro בַּעֲבוּר אֲשֶׁר, ut 31, 49.) *polluisset Dinam, sororem ipsorum.* Pro טִמֵּא in Cod. Sam. est טמאו, consentientibus LXX., qui ἐμίαναν habent, patrem socium facientes criminis a filiis commissi, ut Vs. 31. Hujus responsi auctores praecipuos fuisse Simeonem et Levi, germanos Dinae fratres, patet ex Vs. 25. — 15. אַךְ־בְּזֹאת נֵאוֹת לָכֶם *Tantum in hoc*, hac lege, *acquiescamus vobis.* נֵאוֹת simplicissime ad rad. אוּת refertur, ut Vs. 22. יֵאוֹתוּ, et Vs. 23. נֵאוֹתָה, nec non 2 Reg. 12, 9. וַיֵּאֹתוּ *consenserunt.* Vocis נֵאוֹת hic est duplex apud LXX. translatio, quarum altera ex glossemate orta videtur: ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν, *similes fiemus vobis*, voluntate nimirum, ut in unum populum coeamus, altera, καὶ κατοικήσομεν ἐν ὑμῖν, voc. נֵאוֹת relato ad נָאָה, i. q. נָוָה, *habitare.* Vulgatus divinando: *valebimus foederari.* Onkelos voc. נֵאוֹת retulit ad אוֹת *signum*, et reddidit נְטַבַּע לְכוֹן *formabimus* s. *conformabimus nos vobis*, quomodo haec interpretatio cum Alexandrinorum ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν convenit. Ac perinde ut ab אוֹר *lumen*, fit in Niphal נֵאוֹר *illuminabimur*, sic ab אוֹת, in eodem illo Futuro, נֵאוֹת formatum fuerit. Igitur hac ratione נֵאוֹת לָכֶם notabit ad verbum: *consignabimur vobis*, q. d. tanquam signo utrisque communiter expresso similes efficiemur vobis.

19 — 21. וְהוּא וגו׳ *Et ipse honoratus erat ex* s. *prae omni domo patris sui*, quem pater omnium liberorum maxime faciebat. — 20. וַיָּבֹא — שְׁכֶם עִירָם *Venit ergo*, i. e. venerunt, per ζεῦγμα, *Chamor et Sichem, filius ejus, ad portam urbis suae*, ubi, tanquam in foro, negotia publica tractabantur; cf. ad 19, 1. — 21. הָאֲנָשִׁים — אִתָּנוּ *Homines hi pacati sunt nobiscum*, non oppugna-

re nos volunt ob Dinam corruptam. וְהָאָרֶץ — לִפְנֵיהֶם *Et terra, vide!* est *ampla manu utraque coram iis*, satis ampla et spatiosa est terra nostra ut utrisque sufficiat. יָד haud raro *latus*, tum *locum, spatium* notare constat. Ita Ps. 104, 25. mare dicitur *spatiosum manibus.* לִפְנֵיהֶם *Coram iis* sc. patet, ut Vs. 10.

22—24. בְּהִמּוֹל לָנוּ כָּל־זָכָר *Eo quod circumcisus sit nobis*, i. e. inter nos *omnis mas.* בְּהִמּוֹל Jarchi exponit בְּהִיוֹת נִמּוֹל, est enim Infinit. Niph. verbi מוּל. — 23. הֲם — מִקְנֵהֶם *Pecora eorum, opes et omnia eorum jumenta nonne nostra sunt?* erunt? Fient opes populi et oppidi, quae familiae separatae erat. Interrogatio magis asseverat. — 24. כָּל־יֹצְאֵי שַׁעַר עִירוֹ *Omnes exeuntes porta urbis ejus*, i. e. omnes cives, cf. ad 23, 10. Videntur, ut observat Clericus, non magno numero aut opulentissimi fuisse, qui propter unius familiae opes eo adducti fuerunt, ut circumcisionem susciperent. Sed si tunc temporis in usu erat is ritus apud Aegyptios, ut videtur, potuit magnae gentis exemplum apud Sichemitas alicujus esse efficaciae.

25. וַיְהִי — כֹּאֲבִים *Factum est autem die tertio, quum essent dolentes*, ex circumcisione, et ideo infirmi. Ajunt Hebraei, circumcisos die tertio gravissime dolere, uti omnino in omnibus morbis et vulneribus diem tertium graviorem esse constat. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 169. וַיִּקְחוּ—חֲרְבּוֹ *Et ceperunt duo filii Jacobi, Simeon et Levi, fratres Dinae, quisque gladium suum.* Hi duo nomine appellantur, non quasi sine ullo auxilio hoc facinus exsequuti fuerint, sed quia duces fuerunt hujus coepti, nec alios fratres, sed tantum servorum numerum secum habuerunt. Simeon et Levi autem hic *fratres Dinae* appellantur, aut, quod ii soli stuprum Dinae sunt ulti, aut, quod uterini Dinae fratres fuerunt. וַיָּבֹאוּ עַל־הָעִיר בֶּטַח *Et venerunt adversus urbem*, invaserunt eam, confidenter, audacter, vel, בֶּטַח ad urbem secure agentem relato, ut Onkelos, *quae sedebat*, agebat: *confidenter*, nihil sibi metuebat a foederatis. Hoc Jacobi filiorum factum maximopere detestandum pater ipse graviter et tunc (Vs. 30.) et moriens, 49, 5. 6., reprehendit. Sed vindictae cupiditas apud Orientis populos multo vehementior, quam apud alios. Cf. et not. ad 24, 50. et vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 170.

27. 30. בְּנֵי יַעֲקֹב *Jacobi filii*, sc. reliqui, praedandi caussa advenerunt, audito felici facinoris eventu. Voci בְּנֵי in cod. Sam. praemissum est וּ; LXX. *οἱ δὲ υἱοὶ*, et sane styli Hebraici consuetudini convenientius est. אֲשֶׁר טִמְּאוּ אֲחוֹתָם *Propterea quod* (pro בְּעַבּוּר אֲשֶׁר ut Vs. 13.) *violassent sororem suam.* Urbem diripuerunt, cujus cives, quia se non opposuerunt Sichemo, visi erant illius factum probare. — 30. עֲכַרְתֶּם אֹתִי *Turbastis me*, ducta ab aquis metaphora, quum essem jam hac in regione tranquillus, meas omnes res atque animum turbastis. LXX. *μισητόν με πεποιήκατε.* לְהַבְאִישֵׁנִי בְּיוֹשֵׁב הָאָרֶץ *Foetidum*, i. e. detestandum *me reddendo inter incolam*, i. e. *incolas terrae, inter Cananaeos*

et Pherezaeos, qui vel tum potentissimi erant, vel Jacobo vicini, et in suos irruere poterant ad facinus vindicandum. וַאֲנִי מְתֵי מִסְפָּר *Et me* meamque familiam quod attinet, *viri numeri*, i. e. paucissimi sumus; nam qui pauci sunt facile numerantur, et vicissim. Vid. ad Jes. 10, 19.

13. *Jacobus, Deo jubente, Bethelem proficiscitur, et aram Deo exstruit. Debora, Rebeccae nutrix, moritur. Cap.* 35, 1—8.

Cap. 35, 2. הָסִרוּ אֶת־אֱלֹהֵי הַנֵּכָר *Amovete Deos peregrini* sc. populi, deos alienos. Iis vix dubium Teraphim et alia idola intelligi, quae Rahela et servi Jacobi ex Mesopotamia secum duxerant, et quae abjecta esse, nusquam in superioribus legitur. וְהִטַּהֲרוּ *Mundamini*, i. e. abluite vos aqua. Hae corporis lotione indicare debuerunt uxor et servi Jacobi, se et idolorum immunditie contaminatos esse, et hoc ritu ab ea purificari. Nonnulli hunc ritum signum transitus ad veram religionem, adeoque genus quoddam baptismi fuisse putant. וְהַחֲלִיפוּ שִׂמְלֹתֵיכֶם *Et vestes vestras mutate.* Vestes enim quoque idolorum cultu contaminatae putabantur.

4. וַיִּתְּנוּ — הַנֵּכָר *Dederunt Jacobo omnes Deos alienos.* Plures fuisse voc. כֹּל indicare videtur. וְאֶת־הַנְּזָמִים אֲשֶׁר בְּאָזְנֵיהֶם *Et inaures quae erant in auribus eorum.* Sermo non est de inauribus, quae ornamenti causa a mulieribus gestabantur; sed de alio inaurium genere, quod sacrum habebatur, et amuleti instar, ad malum quodpiam averruncandum, etiam a viris solebat geri. Fortasse *Talismanorum* ritu sub certo sidere figuris quibusdam erant sculptae, quibus eam vim inesse idololatrae existimabant. Eam superstitionem Augustini adhuc aevo inter Christianos quosdam Afros viguisse, patet ex illius Epist. 245. Similes annulos gestasse videtur Jacobi familia, quos hic amoveri, ut alienis Diis consecratos, voluit. Hinc et Judaei talia servare illicitum putant, ut docet MAIMONIDES *de cultu peregrino*, Cap. 7. §. 10. *Si inveniantur*, ait, *vasa imagine solis, lunae, vel Draconis signata, aut insculpta sint in fibulis aut annulis, prohibita sunt.* וַיִּטְמֹן וגו׳ *Et abdidit Jacobus haec omnia sub terebintho illa, quae est propter Sichem.* אֵלָה est i. q. אֵלוֹן *terebinthus*, vid. 12. 6. Arborem illam notam tum fuisse et insignem, ostendit praemissum ה demonstrativum. LXX. addunt: *Καὶ ἀπώλεσεν αὐτὰ ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας*, id quod neque in Judaicis neque in Samaritics codd. legitur. Nonnulli eundem locum, qui hic nominatur, etiam Jos. 24, 26. signari volunt, nec certe ab eo remotus esse potuit, quum ad eandem urbem fuerit. Ceterum simulacra illa deorum atque annulos ritibus magicis consecratos, haud dubie Chaldaei servi, quos Jacobus secum habebat, et qui adhuc superstitione gentis suae infecti erant, in illius familiam intulerunt.

5. 6. Timendum erat Jacobo, ne Cananaei Siehemensibus vicini ob facinus a filiis patratum illi insidias struerent; quod tamen

non fecerunt propter חִתַּת אֱלֹהִים *Dei terrorem*, qui eos invasit. Non quasi illae gentes Deum timuerint, sed est *terror a Deo immissus*, ut Ex. 23, 27. — 6. וַיָּבֹא — בֵּית־אֵל — וַיָּבֹא *Venit ergo Jacobus Luzam, quae est in terra Canaan, ea est Bethel;* sic enim vocarat Jacobus, vid. 28, 19.

7. 8. וַיִּקְרָא לַמָּקוֹם אֵל בֵּית־אֵל *Vocavit locum Deus Bethelis*, i. e. Deo Bethelis, s. qui in Bethele apparuit, sacrum, cf. 33, 20. כִּי — הָאֱלֹהִים *Quoniam ibi sese ei apparuisset Deus.* Jungitur nomini אֱלֹהִים (quod Masorethae ad marginem hic notant esse קָדוֹשׁ *sanctum*, i. e. Deum eo indicari, non angelos) verbo plurali נִגְלוּ, uti 20, 13., ubi cf. not. Praeterea hoc loco אֱלֹהִים *Deum* indicare, ostendit ipsa loci appellatio, אֵל בֵּית־אֵל. Hinc in Cod. Sam. verbum singulare, נִגְלָה, ponitur, et LXX. reddiderunt: ἐκεῖ γὰρ ἐπεφάνη αὐτῷ ὁ θεός. — 8. וַתָּמָת — רִבְקָה *Mortua autem est Debora, nutrix Rebeccae* eadem, haud dubie, quae 24, 59., omisso tamen ejus nomine, est memorata. וַתִּקָּבֵר מִתַּחַת לְבֵית־אֵל *Et sepulta est subter Bethel*, qui locus in monte aut colle videtur situs fuisse, unde et Vs. 1. Jacobus jubetur *ascendere ad Bethel.* Hieronymus: *ad radices Bethel.* תַּחַת הָאַלּוֹן *Sub terebintho illa*, sc. nota aut celebri, quod praepositum ה demonstrat. indicat, uti Vs. 4. אֵלָה. Onkelos: *in declivitatibus planitiei.* Cepit אַלּוֹן *planitiei* significatu, ut אֵלוֹן 12, 6. 13, 18., ubi cf. not. Sed arboris nomen esse, patet ex Ez. 27, 6. LXX. hic *βάλανον*, *glandem* pro arbore posuerunt, unde Hieronymus *subter quercum* vertit. Deborae mors nulla alia de causa videtur memorari, quam quia originem nominis quercetti, quod scriptoris aevo perdurabat, indicare obiter voluit; id quod et alias facere solet, ut in nomine Tsoharis, 19, 22., Bethelis, 28, 9. et aliis in locis. וַיִּקְרָא וגו׳ *Vocavitque nomen ejus terebinthum fletus*, propter luctum, quo funus Deborae celebrarunt. Observandum est, nutricis in vetere vita ut educandis pueris praecipuam operam, ita magnam fuisse reverentiam, ut parentali pietate coleretur. Res inprimis in Graecorum Tragicis obvia. Cf. et *Virg. Aen.* L. 7. init.; et vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 113.

14. *Deus apparet Jacobo, eique nomen tribuit Israël. Cap.* 35, 9—15.

9—11. *Apparuit autem Deus Jacobo iterum, cum reverteretur e Mesopotamia.* Primum ei apparuerat, cum Bethele Mesopotamiam proficiscebatur, 28, 16. sqq. — 10. לֹא — שִׁמְךָ *Non vocabitur nomen tuum ultra Jacobus; sed Israel erit nomen tuum.* Vid. 32, 28. sqq. Confirmatur hic quod supra dictum fuerat, ut magis magisque, insigni et magnifico nomine *Israelis* corroboretur Jacobi animus ad ea, quae ipsi restarent perferenda. Quum tamen non solum Moses passim deinceps, sed alii quoque V. T. scriptores nomine illo priori eum appellent; sensus ita capiendus est: *non solo* Jacobi, verum et multo praestantiore *Israelis* nomine appellandum illum esse. — 11. De nom. שַׁדַּי cf. ad 17, 1. וגו׳

Gens et congregatio gentium erit, nascetur *ex te*, *et reges e lumbis tuis prodibunt.* Propagatio e patribus undecim tribuum jam natis et Benjamine mox nascituro indicatur. קְהַל גּוֹיִם Onkelos bene reddidit *congregationem tribuum.* „Non modo totus Israel, sed quoque unaquaeque tribus *gens* haberi potuit. Observandum, eo tempore גּוֹיִם *gentes* non fuisse numerosas, ut postea fuerunt. Singulae familiae initio in colonias sparsae *gentes* conficiebant, et quum ex Jacobo oriturae essent duodecim familiae, *nationes* eae, pro more ejus aevi, vocari potuerunt.“ Cleric.

12. 13. וְאֶת — וְלִיצְחָק *Et terram quam dedi Abrahamo et Isaaco*, i. e. quam promisi eorum posteris me daturum. Pollicetur ergo Deus Jacobo eum haeredem futurum promissionum, quae patribus essent datae. — 13. וַיַּעַל מֵעָלָיו אֱלֹהִים *Et ascendit Deus ab eo*, i. e. signum s. symbolum praesentiae divinae ascendit. Onkelos: *et ascendit ab eo gloria Domini.* בַּמָּקוֹם וגו׳ *In* eo ipso *loco*, *quo loquutus cum eo fuerat.* Quod bis adhuc Vs. 14. 15. repetit, ut loci illius celebritatem indicet, quod eodem illo loco, ubi jam bis Jacobo Deus apparuerat et cum ipso loquutus fuerat, haec omnia, quae hic dicit, acta sint, ut non immerito locum hunc tantopere honorarit.

14. 15. וַיִּצֵּב יַעֲקֹב מַצֵּבָה *Erexitque Jacobus statuam*, memoriae causa et testandae piae gratitudinis etiam aliis de tam insigni visione et promissione. וַיַּסֵּךְ עָלֶיהָ נֶסֶךְ *Et fudit super eam* statuam *libamen;* non e vino, ut praeceptum Num. 15, 5., sed וַיִּצֹק עָלֶיהָ שָׁמֶן *fuditque super eam oleum.* Sunt, qui hic putent tantum repeti, quae 28, 18. narrantur, ut omnino per Plusquamperf. vertendum sit: *ubi loquutus fuerat*, *statuam erexerat*, *libamen libarat*, *illamque oleo adsperserat*, *et eum locum Bethel vocarat.* Nihil tamen impedit, quo minus statuamus Jacobum idem bis hoc loco fecisse. Nam statua, quam ante viginti annos erexerat, nunc potuit aut injuria temporum, aut etiam incolarum, magna ex parte, aut tota dissecta esse, ut renovanda fuerit. — 15. Jacobus votum illud, 28, 20 — 22., persolvit, et id hujus loci nomen confirmat, quod tunc (28, 19.) indiderat. Itaque ter jam eundem locum appellat Bethel; primum in discessu e terra Canaan (28, 19.), deinde in reditu, proprie altare ipsum, supra Vs. 7., et nunc tertio totum locum.

15. *Rachela, Benjaminem enixa, moritur, Rubenis flagitium. Cap.* 35, 16 — 22. *dimid.*

16. וַיְהִי — אֶפְרָתָה *Et factum est cum aliquod terrae spatium superesset, ut Ephratam pervenirent.* כִּבְרַת־הָאָרֶץ esse viae mensuram, res ipsa flagitat, etsi quanta mensura intelligenda sit, vix definiri queat. LXX. h. l. et 48, 7. hebr. nomen retinuerunt, sed cum Syriaca terminatione תָּא. Et hoc quidem loco verterunt: ἤγγισεν χαβραθὰ εἰς γῆν, posteriore loco cum interpre-

tatione adjecta: *κατὰ τὸν ἱππόδρομον χαβραθὰ τῆς γῆς. Equi* vero *cursus* (quantum equus quotidie currere debet, ne stando corrumpatur, pedumque agilitatem amittat), mensura viae Arabibus usitata, proxime accedit ad *Parasangam* Arabicam, quae fere est milliare Gallicum commune, quorum 25 in uno gradu. *Parasanga* vertit et Persa. Arabs uterque: *milliare*. Haec sane verisimillima videtur loquutionis כִּבְרַת־הָאָרֶץ interpretatio. Aliorum de h. l. opiniones recensitae sunt in opere nostro majori. Cf. et *die bibl. Alterthumsk.* T. I. P. I. p. 159. sq. וַתִּקָשׁ בְּלִדְתָּהּ *Induravitque in pariendo ipsius*, i. e. laboravit, difficultatem in pariendo passa est.

17. 18. אַל־תִּרְאִי וגו׳ *Ne timeas, quia etiam hic tibi filius* erit. Solatur eam, quod alterum filium ultra priorem, Josephum, sit habitura. — 18. בֶּן־אוֹנִי *Filius doloris mei.* אָוֶן passim *luctum*, *dolorem* denotat, ut Hos. 9, 4. Hab. 3, 7. Jacobus vero, ne sibi perpetuo refricetur dolor de carissima uxore amissa, nomen commutavit in בִּנְיָמִין, i. e. *filium dextrae*, i. e. roboris, quod in dextra situm est, quasi ominaretur robustum eum et potentem inter fratres futurum. Aliis יָמִין est Plur. Chaldaicus pro Hebr. יָמִים *dies*, ut בֶּן־יָמִים esset *filius dierum*, i. e. senectutis, *τηλυγέτης*, s. *τηλύγετος*, coll. 44, 20. Ita et textus Sam. et versio Sam. habent. Pro vero tamen hoc interpretamentum non haberi posse observat GESENIUS *de Pentat. Samar.* p. 32., quod ferme flagitet contextus, ut יָמִין opponatur *τῷ* אוֹנִי, et sensus hic sit: *filius felicitatis*, i. e. parentibus acceptissimus.

20. 21. וַיִּצֵּב — קִבְרָתָהּ *Erexitque Jacobus columnam super ejus sepulchrum.* Ostendunt etiamnunc Arabes Rachelae sepulchrum Hierosolymam inter et Bethelem, teste Pocockio T. II. p. 57. vers. germ. Cf. *bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 286. — 21. וַיֵּט וגו׳ *Posuit tentoria sua ad turrim Eder*, i. e. gregis, quia inde greges observari tutique a periculis (latronibus et bestiis in primis) praestari poterant. Fuit aut Hierosolymis aut non procul ab ea urbe turris ejus nominis, ut patet ex Mich. 4, 8. Hieronymus, ex incolarum sui aevi traditione, non procul Bethlehemo hanc turrim collocat. Plura de turribus ad greges tuendos exstructis habet J. E. FABER *Archaeol. Hebr.* p. 185.

22. Post וַיִּשְׁמַע יִשְׂרָאֵל *audivit Jacobus* sc. hoc, Masorethae in margine notant פסקא באמצע פסוק, *lacuna in medio Versu*, seu: deesse aliquid h. l. LXX. addunt: *καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ*, quasi legissent: וַיֵּרַע בְּעֵינָיו, cf. 21, 11. In cod. Samar. nil amplius legimus, quam in nostris. J. D. MICHAELIS (*Oriental. Bibl.* P. IX. p. 200.) conjicit, deesse aliquid de partu a Bilha edito ejusque nomine et fatis. Sed Hebraei volunt, hic in medio Vs. distinctionem esse, ut partim sit finitus Versiculus, partim continuetur cum sequenti catalogo filiorum Jacobi, ne quis putet, esse Rubenem ob flagitium a se commissum e numero pa-

triarcharum exclusum. Patrem tamen illum hoc nomine privasse jure primogeniti idque Josepho tribuisse, ita tamen, ut in tabulis genealogicis Ruben ut primogenitus recensendus esset, uti dicitur 1 Paral. 5, 1. Graviter notavit Rubenem ob detestandum, quod hoc memoratur, facinus pater in ultimis votis 49, 3. 4. H. l. vero dicitur tantum, intellexisse Jacobum turpitudinem filii, nec vero, quomodo affectus fuerit, subjungitur. Quod aestimandum quum relinquat scriptor, rem magis exaggerare videtur.

16. *Recensentur Jacobi filii. Jacobus ad Isaacum proficiscitur, qui moritur. Vs.* 22. *dimid. usque ad cap. fin.*

23. dimid. Quum c. 29. et 30. Jacobi filii singuli sparsim, prouti nati essent, commemorati fuerint, nunc ex matrum ordine recensentur, ut uno in loco duodecim omnium nomina conspici possint.

26, 27. אֲשֶׁר יֻלַּד־לוֹ *Quod*, quicquid, *natum est ei*, liberorum. Sic יֻלַּד de multis dicitur 10, 21. (ubi cf. not.) et 46, 22. Cod. Sam. habet ילדו ex emendatione. Dicuntur hic duodecim illi filii nati *in Mesopotamia*, quum tamen Benjamin in terra Canaan sit natus; vid. Vs. 17. 18. Quod per synecdochen dictum est. Ubi enim pars major est aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad Apostolos jam non pertinebat Judas, et tamen duodenarii numeri nomen retinetur, c. c. 1 Cor. 15, 5. — 27. De מַמְרֵא et קִרְיַת הָאַרְבַּע vid. 13, 18. 23, 2. Ceterum nomini אַרְבַּע hic *ἀπωμάλως* ה articuli praeponi observat Jarchi, quod non solet nominibus propriis praemitti, quale est אַרְבַּע, vid. Jos. 14, 15. Putat debuisse dici הַקִּרְיַת אַרְבַּע, ut ה priori praeponeretur, sed de more linguae fieri, ut ubi nomen aliquod proprium duabus vocibus effertur, et ei debuerat ה praeponi, posteriori voci praeponatur, ut בֵּית־הַלַּחְמִי *Bethlehemita*, 1 Sam. 16, 1., et בֵּית הָאֵלִי *Bethelensis*, 1 Reg. 16, 34. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 515.

29. וַיֵּאָסֶף אֶל־עַמָּיו *Et collectus est ad populos suos*, i. e. ad majorum sepulchra aggregatus; conf. ad 15, 15. coll. 25, 8. Quod ad historiae ordinem, notat Jarchi, esse *ὕστερον πρότερον*, quod Isaaci mors commemoretur ante venditionem Josephi, quae Isaaci obitum annis duodecim praecesserit. Sunt tamen in annorum, qua id ostendere satagit, supputatione nonnulla sine idoneo argumento posita ut eum ex mera traditione sumit, Jacobum, postquam patris benedictionem accepisset, latuisse quatuordecim annis in domo Semi aut Heberis; aut Josephum, cum est venditus et in Aegyptum ductus, fuisse septendecim annos natum.

VIII.

De Esavi familia et posteris; de Seiritis eorumque phylarchis, atque de regibus Edomitarum. Cap. 36.

Cap. 36, 1. De nom. תּוֹלְדוֹת cf. ad 2, 4. 6. 9. H. l. tamen propriam *tabulae genealogicae* significationem servat; pauca enim historica inspersa sunt. Ponitur hoc cap. etiam genealogia Seiris, Choraei, cujus terram, ipso inde ejecto, occupavit Esavus, uti dicitur Deut. 2, 12.

2. עֵשָׂו — כְּנַעַן *Esavus ceperat uxores suas e filiabus Canaan*, i. e. אֲנָשֵׁי vel יִשְׁבֵי, *viris* vel *incolis Canaan*, duas videlicet, *Adam, filiam Elonis, Chittaei, et Oholibamam, filiam Zibonis, Chevai.* Hae aliis nominibus sunt 26, 34. (ubi cf. not.) appellatae, quin et earum parentes. עָדָה vix dubium est esse eandem, quae 26, 34. בָּשְׂמַת appellatur, nomine ab *aromatibus*, בְּשָׂמִים ducto, quum idem pater utrobique ponatur, Elon Chitthacus; oportetque eam binominem, instar mariti, fuisse. Altera Esavi uxor אָהֳלִיבָמָה *tentorium excelsi*, 26, 34. יְהוּדִית *laudabilis* appellatur. Eam Jarchi vult ita initio vocatam ab Esavo, ut patrem falleret, quasi idolis abnegatis verum Deum coleret. Alii putant, has alias esse a superioribus, quasi illis mortuis Esavus alias duas superduxerit, unam, sororem Basemathae, filiae Elonis, et alteram Oholibamam, filiam Anae, ut in universum quinque uxores habuerit. Veruntamen uti c. 26, 34. et 28, 9., ita et hic, tres tantum Esavi uxores commemorantur, et utrobique duae Cananaeae et una Ismaelis filia. Sed alia hic est difficultas, quod Oholibama filia Anae, עֲנָה, eademque filia Zibeonis, צִבְעוֹן, Chitthaei, dicitur, atque sic duobus patribus assignatur. Sunt, qui עֲנָה nomen muliebre existimcnt, et Anam uxorem Beeri Chitthaei (26, 34.), qui hic Zibeon dicatur, ut hic et socrus quoque Esavi commcmoretur, illic socer tantum. Nec obstat quod Vs. 24. Ana, filius Zibeonis, memoratur, et Vs. 29. phylarchus Choraeorum ejusdem nominis. Potuit enim *Ana* et muliebre et virile nomen esse, quale מַעֲכָה 22, 24., et hoc ipso Cap. *Oholibama* Vs. 41. est nom. virile; item *Thimna* Vs. 12. 22. est nom. fcmin., mascul. vero Vs. 40. C. B. Michaelis conjecit, pro בַּת צִבְעוֹן legendum essc בֶּן־צִבְעוֹן, tam Vs. 20. et 24., ubi diserte dicitur, Anam filium fuisse Sibeonis, non filiam; quam textus Samar. et Verss. antiquae, LXX. sc. et Syrus, suadere possint. Hanc legendi rationem scquuti sunt J. D. Michaelis in versione vernacula et in *Biblioth. Orient.* P. IX. p. 202. nec non in Commentat. *de Troglodytis Seiritis et Themud.* in *Syntagm. Commentatt.* P. I. p. 194. §. 2. et Dathius in versione et in nota ad h. l. Mutavit tamen Michaelis scntcntiam in *Supplemm.* p. 191. et judicavit, receptum בַּת־צִבְעוֹן esse genuinum. Primum enim non magnae sunt auctoritates, Samaritanus et LXX. corrigere soliti, si quae displiccbant,

et Syrus octavo seculo ex LXX. correctus. Deinde in eodem hoc cap. Vs. 14. eadem, quae hic verba leguntur, et Vs. 39. eodem quo hic modo מְהֵיטַבְאֵל בַּת־מַטְרֵד בַּת מֵי זָהָב legitur, et ibi quidem non in Hebraeis solum, sed et in Samar. codd., licet et hic LXX. et Syrus in בֶּן correxerint. Accedit magna in his tribus Versibus codicum Judaicorum constantia. Ex quibus omnibus Michaelis colligit, tria in uno Capite exempla vix posse errore librariorum constitisse, sed בַּת secundo loco positum, ante עֶנָה, *neptem* significare, et quum hic genealogia Edomitica intexta sit, cujus maxima pars haud dubie ex monumentis Idumaeorum desumta sit, hunc neptes quoque recensendi morem, Hebraeis insolentem, Idumaeis fortasse usitatum fuisse. In eandem cogitationem incidit et Aben-Esra, cui tamen opposuit R. Levi, tunc simpliciter positum esse בֶּן־צִבְעוֹן. Sed hoc ipsum, quod בַּת, non בֶּן, ponitur, proprium esse potuit Idumaeis genealogiis. Praeterea quod Oholibamae pater aut avus hic הַחִוִּי, *Chivaeus*, vocatur, contrarium videtur illi quod 26, 34. dicitur, utrasque Cananacas uxores Esavi gente *Chitthaeas* fuisse. Si igitur utrarumque patres Chittaei fuerunt, unus eorum non Chivaeus fuisse potest. Quem nodum J. D. Michaelis in Commentat. *de Troglodytis* §. 3., in *Bibl. Or.* P. IX. p. 202, et in notis ad versionem germanicam ita solvi putat, ut pro חִוִּי legendum sit חֹרִי *troglodyta* (cf. ad 14, 6.), quum duo haec nomina uno tantum litterae apice distent, ideoque facile commutari possint. Zibeon vero Chorita fuit, ut ex Vs. 20 — 24. patet, ut vix sit dubitandum, et h. l. Mosen eum Choritam vocare. Qua conjectura admissa hic locus superiori 26, 34. non contradicit. Quum enim Phoenices, in quibus et Chivaei et Chitthaei sunt, a mari rubro venerint, sedesque antiquissimas ad intimos ejus sinus in Arabia habuerint; non contrarium est, troglodytam in Seiritide esse, et tamen sive Chivaeum sive Chitthaeum. C. B. Michaelis in Diss. *de nominibus muliebribus in virilia versis* §. 21. (p. 123. *Syll. Commentatt.* a D. S. Pott edit. P. VII.) monet, gente diversum esse nostrum Zibeonem, avum uxoris Esavia, a Zibeone Troglodyta (inf. Vs. 24.), quamvis uterque Anam genuerit, filiam noster, alter filium; illum enim Zibeonem Troglodytam s. Choraeum fuisse, nostrum hic Chivaeum dici.

3. 5. Tertia Esavi uxor בָּשְׂמַת *aromatica*, 28, 9. מָחֲלַת *aegra* et *valetudinaria* appellatur. Sunt qui putent, Esavum nomen uxoris male sonantem in melius mutasse. — 5. Tertio filiorum Oholibamae, Coracho (קֹרַח), cognominis memoratur Vs. 16. inter duces ex Eliphaso Adae filio, descendentes, quem non dubium est ab eo, qui hic memoratur, diversum fuisse. אֲשֶׁר — בְּנָעַן *Qui nati ei sunt in terra Canaan*, antequam se conferret in montana Seir, de quo mox Vs. 6. Innuitur ab auctore, Idumaicae quidem gentis incunabula in Cananaca quaerenda esse, maximo autem illam in Seiritide esse amplificatam. Cf. C. B. Michaelis in Diss. *qua c.* 36. *Genes. Mos. de antiquissima Idumaeor. histo-*

ria etc., *auctori suo non minus, quam genuino et historico sensui restituitur* §. 6. in *Sylloge.* P. VI. p. 211.

6. וַיֵּלֶךְ אֶל־אֶרֶץ *Et abiit ad terram* s. regionem, scil. אֲחֵרִי *aliam*, a Cananaea diversam. Hanc esse *montanam Seiritidem*, a Seiro Choraeo ejusque filiis, ceu priscis incolis sic appellatam, quae postea et *Idumaeae* nomen, ab Idumaeis, Esavi posteris, indepta est, id clarum fit coll. Vss. 8. 9. 20. 31. Unde et Syrus pro *terra* definite posuit *terram Seir.* In cod. Samar. pro אֶל־אֶרֶץ ex emendatione legitur מארץ כנען; LXX. quoque: *καὶ ἐπορεύθη Ἡσαῦ ἐκ τῆς γῆς Χαναάν.* Additur vero, Esavum alio migrasse מִפְּנֵי יַעֲקֹב אָחִיו *a conspectu Jacobi, fratris sui*, s. *propter fratrem suum*, ut ei ecderet, ut Vs. 7. dicitur. Ceterum Esavum Canaane migrasse prius quam frater e Mesopotamia in Palaestinam revertisset, ac adeo dudum ante mortem Isaaei patris, inde colligitur, quod Jacobus 32, 4. e Mahanaimis, ultra Jordanem in Peraca sitis, ad fratrem nuncios praemisisse dicitur, et 33, 14. Jacobus promittit fratri, se ad eum Seiritidem venturum esse, atque ibid. Vs. 16. Esavus eadem via, qua fratri obviam iverat, narratur *in Seiritidem reversus esse.*

7. וְלֹא יָכְלָה וגו׳ *Nec poterat terra peregrinationum eorum*, regio, in qua peregrinabantur, *eos ferre*, capere, *propter eorum pecora*, se. multa. Idem igitur his fratribus evenit, quod olim Abrahamo et Loto, 13, 5—12. Voc. אֶרֶץ hic non est terra sensu latiori, i. e. Palaestina; hanc enim Patriarchae nondum proprietario tenebant jure, sed nonnisi hospites et advenae in ea erant. Quare cum emphasi dici videtur: אֶרֶץ מְגוּרֵיהֶם *terra*, i. e. regio, *in qua peregrinabantur.* Scrupulus autem oboritur, quomodo dici potuerit Esavus Cananaea cessisse *propter fratrem suum*; qui tamen eo tempore in Mesopotamiis egit, et capitale odium Esavi incurrerat, coll. 27, 41. sqq. Haud improbabiliter R. Mosc Ben Nachman nodum illum solvi putat, si sumamus, esse ante Jacobi reditum Esavum in terram Seir profectum explorandae illius causa, dum eam adhuc tenerent duces Choraei, relictis interim rebus magna ex parte suis in Cananaea, donec certas alicubi sedes delegisset, et tunc, eum nondum se parem illis esse videret, in campestribus Seiritidis, non in montanis, egisse, quae munitiora essent, quam ut tunc eo posset accedere; idco 32, 4. אֶרֶץ שֵׂעִיר שְׂדֵה אֱדוֹם *terram Seir, campum Edom*, et 33, 14. 16. שֵׂעִיר simpliciter dici, hoc vero Cap. Vs. 8. 9. הַר שֵׂעִיר *montem Seir.* Postea, cum Jacobus ad patrem rediisset, redisse et ipsum, et tunc sane, cum terra amborum gregibus suffiecre non posset, sponte sua cessisse fratri, cui a patre assignata fuisset Cananaea, et in Seiritidem rediisse, ubi pugna cum Choraeis commissa, et ejus regionis montana occupaverit, expulsis Choraeis cf. Deut. 2, 12.

8. 9. וַיֵּשֶׁב עֵשָׂו בְּהַר שֵׂעִיר *Conseditque*, habitavit *Esavus in monte Seir*, dicto a Seire, de quo Vs. 20., aut, ut alii cen-

sent, ab ipso Esavo, qui erat שָׂעִיר, i. e. *villosus*. Cf. ad 14, 6. In versione Samar. atque in paraphrasi Chaldaica Jonathanis et Hierosolymitana pro שְׂעִירָה ponitur גַּבְלָה, i. e. *montosa* regio, unde Graecis *Γεβαληνή*, de qua vid. RELANDI *Palaest.* p. 82. sqq. — 9. *Hae autem sunt generationes Esavi patris Edomi*, i. e. Idumaeorum. Similis inscriptio supra Vs. 1. habetur; sed illa speciatim ad Esavi filios, haec vero ad nepotes referenda est, qui protinus recensentur usque ad Vs. 14.

10. 11. אֵלֶּה שְׁמוֹת בְּנֵי־עֵשָׂו *Haec sunt nomina filiorum Esavi*. Singulos filios Esavi repetit, ut singulis suos liberos, Esavi nepotes, subjungat. *Eliphas* fuit Esavi primogenitus; quem sequitur *Reguel*, alter Esavi filius. Singulis filiis matres iterum addere voluit, commodioris distinctionis gratia. — 11. תֵּימָן regioni nomen dedit, cujus mentio fit Jer. 49, 17. 20. Obad. 9. Ez. 25, 13. Pro צְפוֹ tertii filii nomine, 1 Chron. 1, 36. legitur צְפִי, quemadmodum qui infra Vs. 23. שְׁפוֹ idem 1 Chron. 1, 40. שְׁפִי appellatur. Similiter urbis nomen infra V. 39. פָּעוּ, 1 Chron. 1, 50. פָּעִי scribitur.

12. *Thimnae*, תִּמְנַע, concubinae Esavi, matris Amaleki, mentio ideo fieri videtur, ut origo Amalekitarum ostendatur, quibuscum Israelitis perpetuae erant inimicitiae. Itaque h. l. demonstrat, eos non e legitima Esavi uxore, sed ancilla, seu concubina oriundos esse. De concubinis cf. ad 22, 24. In hujus genealogiae compendio, quod 1 Chron. 1. exhibetur, תִּמְנַע inter Eliphasi filios numeratur. C. B. MICHAELIS in Diss. *de nominibus propr. sexui suo restitutis*, §. 16. in *Syll. Comentt.* P. VII. p. 113. existimat in loco 1 Chr. 1, 36. eum Eliphasi *filium* notari, qui hoc Genes. Cap. Vs. 40. et illic Vs. 51. in phylarchis Idumaeorum connumeratur. Pellicem autem Eliphasi תִּמְנַע eam demum esse, quae 1 Chr. 1, 39. memoratur. Aliis tamen et 1 Chr. 1, 36. תִּמְנַע est concubinae Esavi nomen, quod filio ex ea suscepto, Amaleko, praeponatur, ut indicetur, priores filios e domina et libera, vel, si plures fuerint, ex liberis uxoribus, susceptos (nam incertum est, ex unane, an ex pluribus quinque Eliphasi filii Vs. 11. commemorati sint editi), Amalekum autem e concubina, ut igitur matris nomen distinctionis causa filio praeponatur. Arabes Amalekum tradunt filium Laudsi, filii Semi fuisse. Cf. ad 14, 7. Additur tanquam epilogus: *hi sunt filii Adae, uxoris Esavi*, primae videlicet. *Filiis* intelliguntur hic nepotes et liberi ex ea descendentes per Eliphasum filium. Atqui Amalek non Adae, sed Thimnae filius est; verum tribuitur Adae, ut dominae, filius ancillae seu concubinae, cf. ad 30, 8. Vel respicitur in his verbis major filiorum, s. nepotum Adae pars, ut excipiendus sit Amalek. Cf. ad 35, 26.

14. Trium Esavi filiorum ex Oholibama susceptorum nulla hic soboles memoratur. „Fuisse tamen his quoque filios, Moses ipse non obscure innuit, dum *principes* s. *familias* eis adscribit

infra Vs. 18. Si quid conjectando assequimur, familiae trium istorum filiorum Esavi primis temporibus non tam numerosae fuisse videntur, quam Eliphasi et Rehuelis; tandem vero et ipsae in plures excrevcrunt ac subdivisae sunt ramos, infra demum Vs. 40. sqq. exponendos. Quae familiarum Jehuschi, Jahelami et Corachi subdivisio, quia probabiliter non prius facta est, quam regnante sequentium illorum octo regum Idumaicorum ultimo, eoque Mosi coaevo, Hadaro, Vs. 39., igitur narrationi huic de octo Idumaeorum regibus demum subjecta est. Firmare hanc conjecturam videtur, quod auctor Chronicorum (1, 1, 15.) hanc ipsam subdivisionem familiarum Esavi ex tribus hisce filiis ejus cum historia octo illorum regum, ac nominatim ultimi, ita connexuit: *Cumque moreretur Hadadus* (idem qui apud Mosen *Hadarus* appellatur), *erant principes* Idumaeorum, *princeps Thimna*, cetera.“ C. B. Michaelis in Diss. *de antiquiss. Idumaeor. histor.* §. 14. in *Syll.* P. VI. p. 224.

15. Enumeratis filiis et nepotibus Esavi recensentur phylarchi illis orti. אַלּוּפִים *capita familiarum*, qui *principes* quoque familiarum erant. Videntur Idumaei hac voce usi esse hoc sensu magis quam Hebraei, apud quos tamen אֶלֶף *mille*, unde אַלּוּף, et *familiam* significat Jud. 6, 15. 1 Sam. 23, 23. Mich. 5, 1. Hinc אַלּוּף et *chiliarchum* notare potest, qui alias שַׂר אֶלֶף appellatur, ut Ex. 18, 21., vel *phylarchum*, h. e. tribus majorisve familiae caput. „Observandum est porro, אַלּוּף, aliquando non solum *phylarchum*, sed metonymice ipsam significare *tribum* seu *familiam*, ut Zach. 9, 7. de Philistaeorum populo, ad Deum convertendo: *erit* כְּאַלּוּף *sicut phylarchus*, i. e. sicut familia major *in Juda* [cf. not. nostr. ad h. l.], item 12, 5. 6. Et sic vocem istam nostro loco capi, eo minus dubium esse potest, quo magis reputaveris de singulis Esavi nepotibus, nullo eorum excepto, eam dici. Atqui Esavi nepotes non omnes ac singuli duces aut phylarchi exstiterunt. Ut adeo sensus verborum אֵלֶּה אַלּוּפֵי בְנֵי־עֵשָׂו hic sit: *hae sunt familiae, in quas posteri Esavi distributae sunt*, quae, ubi numero hominum crevernnt, suos singulae habuerunt *phylarchos*. Plane ut Ismaëlis genealogia post enumeratos 12 ejus filios hac clauditur formula 25, 16.: *Hi sunt filii Ismaëlis, et haec nomina eorum, in vicis et castellis ipsorum, duodecim* נְשִׂיאִים לְאֻמֹּתָם *principes*, i. e. familiae majores, suos singulae habentes principes, *secundum gentes suas*. Quae verba respiciunt ad antegressam illam de Ismaele promissionem divinam, 17, 20. Hinc vero porro liquet, *principes* illos, de quibus in genealogiis tum Ismaelis, tum Esavi sermo est, non *successivos* intelligi, quorum alii alios in regenda utraque gente excepissent, sed *simultaneos*, h. e. qui eodem tempore suis singuli familiis praefuerint.“ C. B. Michaelis in Diss. ad Vs. 14. laud. §. 11. p. 218. sqq. Phylarchi cum suis tribubus, qui hoc Vs. recensentur, *Theman*, *Omar*, *Zepho* et *Kenas*, respondent filiis Eliphasi Vs. 11. enumeratis.

16. Quum phylarchi Vs. 15. 16. recensiti conveniant cum sex Eliphasi filiis, Vs. 11. 12. memoratis, hic vero accedat Corachus, cujus supra nulla mentio facta; quaeritur, unde ille super numerum filiorum Eliphasi allatus princeps? Probabilem conjecturam affert C. B. Michaelis in Diss. laud. §. 13. p. 223. „1 Par. 1, 36. filiis Eliphasi, ex Genesi recensitis, pariter ultra numerum a Mose descriptum, adjicitur *Thimna*, non confundendus cum Thimna, pellice Eliphasi. Potuit ergo fieri, ut iste Thimna, licet conjugatus, tamen decesserit sine liberis, omissus ideireo in Mosaica filiorum Eliphasi tabula; potuit item fieri, ut aliquis fratrum Thimnachi, lege leviratus (quae apud patriarchas jam obtinuit, vid. 38, 8.) viduam ejus duxerit, et ex ea in defuncti Thimnachi memoriam filium genuerit, *Corachum* nomine, a quo ortum duxit princeps et familia *Corach*. Alius vero, et ab hoc diversus *Corachus* est, de quo Vs. 18.“

17 — 19. Filiis Reguelis quatuor, Vs. 13. memoratis, respondent quatuor ex iis tribus oriundae, quae hoc Vs. recensentur. Generatio Esavi non nisi ad nepotes usque deducitur, quod hi generis eorum primi auctores fuerunt, familiarumque ac tribuum capita ac proceres. — 18. Esavi ex Oholibama filii ipsi ut tribuum capita referuntur, quum Vs. 14. iis nulli filii assignentur, ubi vid. not. — 19. אֵלֶּה בְּנֵי־עֵשָׂו *Hi sunt filii Esavi*, i. e. ex Esavo prognati tam filii, quam nepotes.

20. Sequitur genealogia Seiri Choraei, qui ante Esavum eam regionem, quae postea Idumaea est vocata, tenuit. חֹרִי a quo חֹרִים *Choritae*, i. e. *troglodytae*, ab ingrediendis חֹרִים, i. e. τρώγλοις, *cavernis*, quas gens ista in petris excavavit. Quam sententiam, adoptatam quoque a C. B. Michaelis in Diss. *de antiquiss. Idumaeor. histor.* §. 15. et a filio Jo. Davide, in Commentat. *de Troglodytis* §. 2., illud confirmat, quod Hieronymus dicit ad Obad. Vs. 4.: *Omnis australis regio Idumaeorum de Eleutheropoli usque Petram et Ailam, in specubus habitatiunculas habet.* Cf. et libr. nostr. *d. bibl. Alterthumsk.* II. I. p. 126. 247. „Et Choraei quidem, quum Schiritidem jam olim tempore Abrahami tenuissent, a Cedorlaomero et foederatis regibus caesi erant, 14, 6., *Sehirus* vero quispiam, qui stragem illam evaserat, Choraeorum gentem, quae ab excidio haud procul abfuerat, ἀνεζωπύρησεν, et velut ex cineribus suscitatam refovit, propagavitque, ita ut Esavi tempore in montanis Schiritidis amplissimis sedibus gaudens floreret. Hujus igitur Schiris familiam, in qua gens Choraeorum propagata est, describit Moses Vs. 20 — 30. propter Esavum. Hunc enim Choraei aliquamdiu cum familia inquilinum socium que habuerunt, donec simultatibus ortis, Idumaei, Esavi posteri, Choraeos debellarunt, ac regionem eorum sibi solis vindicarunt; Deut. 2, 5. 12. 22.“ C. B. Michaelis in Diss. laud. יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Habitatores terrae illius*, i. e. qui illam regionem ante adventum Esavi

incoluerunt et possederunt. *Seir* septem filios genuit, qui Vs. 20. 21. recensentur, quibus Vs. 22 — 28. illorum filii subjunguntur.

22. חֹרִי hic nom. est viri propr., filii Lotanis, sine ה articuli, ut ab avo, Seire, Vs. 20. distinguatur, qui הַחֹרִי *Chorita*, de nomine cognationis appellatur. וַאֲחוֹת לוֹטָן תִּמְנָע *Soror autem Lotanis erat Thimna.* Lotanis tantum soror uterina, non ceterorum filiorum Seiri, alioquin post septem filios Seiri statim subjunxisset וְתִמְנַע אֲחוֹתָם. Quum vero alias feminarum non haberi solet ratio in Hebraeorum genealogiis, hic tamen Thimna commemoratur, quod ea concubina est usus Eliphasus, Esavi filius, Vs. 12., et ex illa natus est Amalek.

24. וְאַיָּה וַעֲנָה *Et Aja et Ana.* ו ante prius nomen redundat, et omittitur 1 Chr. 1, 40., ubi eadem, quae hic, repetuntur. Similiter Latini dicunt: *et* hoc *et* illud. Ut autem hunc Anam ab Ana, quarto Seiri filio, Zibeonis fratre (Vs. 20.), distinguat; subjungit: הוּא — בַּמִּדְבָּר *is est Ana ille, qui invenit aquas calidas* s. thermas *in deserto.* Hebraei quidem plerique, quos alii multi sunt sequuti, per יְמִים *mulos* volunt indicari, quia Moses addit: בְּרָעֹתוֹ וגו׳ *Cum pasceret asinos*, qui erant *Zibeoni patri suo.* Tunc enim commodam putant illum per occasionem asinorum, quos pascebat, invenisse et docuisse admissuram equorum ad asinos, vel asinorum ad equas, unde muli sunt procreati. At vero nulla orientalium linguarum mulos hoc nomine vocat, ac ne etymon quidem ostendit, unde dici potuerint; nec illo tempore illis in regionibus equi erant. Cf. J. D. Michaelis in epimetro T. III. Jur. Mos. *(Etwas von der Geschichte der Pferdezucht in Palaestina)*, p. 272. sq. Ana vero solos asinos pascuisse dicitur, unde ne casu quidem muli in grege ejus gigni potuerunt. Taecemus hic alias minoris ponderis sententias, quas in Opere nostro maj. recensuimus. Maxime vero placet, cum Hieronymo *aquas calidas*, sive *thermas* intelligere. Sic enim ille: *nonnulli putant aquas calidas juxta Punicae linguae viciniam, quae Hebraeae contermina est, hoc vocabulo signari.* Nisi Hieronymus, soni similitudine deceptus, *Jemim* confuderit cum *Chemim*, חֲמִים, Arab. حَمِيم *aqua calida et fervens, thermae.* Firmatur autem Hieronymi sententia Verbo arab. حَمَّ, quod in Conjug. V. significat *sese abluere*, et in II. *aegrotum lavacro utentem juvare.* Facile Ana thermas invenire potuit, quum pastor esset. Saepe enim et thermas et alias aquas medicas, ab animalibus repertas esse constat, comburentibus pedes, et clamantibus, sive potum refugientibus. Deinde multae illo in tractu thermae reperiuntur, ex quibus celeberrimae Callirrhoënses, ab ortu maris mortui. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* T. II. P. I. p. 217. sqq. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 173. sqq. P. VI. p. 250.

25. 26. וְאֵלֶּה בְּנֵי־עֲנָה דִּשֹׁן *Hi vero sunt filii Anae: Dischon.* Praemisso plurali בְּנֵי unicus tantum filius subjungitur,

quod frequens in genealogiis, ut 46, 23. Nec dissensus antiquiorum interpretum probat, unum alterumve nomen scribarum errore excidisse. Vulgatus vertit: *habuitque filium Dison.* Syrus vero ex filia Oholibama facit filium. De אָהֳלִיבָמָה, quae hic memoratur, eadem nec fuerit, quae supra Vs. 2. inter Esavi uxores recensetur, vid. not. ad eum Vs. — 26. Recensentur filii דִּישָׁן *Dischanis*, quinti Seiri filii, qui Vs. 21. דִּישׁוֹן dicebatur, ut distingueretur a septimo Seiri filio ibidem memorato.

29. 30. Nunc subjungit phylarchos Choraeorum cum suis tribubus e septem Seiri filiis propagatis. — 30. אֵלֶּה — לְאַלֻּפֵיהֶם *Hi sunt duces Choraei*, i. e. Choraeorum *per duces suos*, i. e. singuli. Nisi לְאַלֻּפֵיהֶם potius vertendum sit: *secundum tribus eorum*, cf. ad Vs. 15.

31. Sequuntur jam הַמְּלָכִים — אֱדוֹם *reges, qui regnarunt in terra Edom*, octo numero (usque ad Vs. 39.), quorum alii aliis successerunt, לִפְנֵי — יִשְׂרָאֵל *antequam regnaret rex Israelitis.* Hic vero gemina oritur difficultas. Una est, quomodo, si Moses hujus pericopae auctor sit, scribere is potuerit: *antequam imperaret rex Israelitis?* Quippe quae verba aevi posterioris auctori magis, quam Mosi, convenire videntur. Altera, quomodo Moses sua aetate in texenda historia Idumaica primo integram 14 *phylarchorum Idumaeorum* consecutionem, deinde 8 *Regum*, sibi invicem succedentium, ordinem, tum vero rursus (Vs. 40—43.) 11 *phylarchorum*, qui rebus Idumaeorum post reges praefuerunt, concatenatam scribere potuerit seriem? Vix enim fieri potuisse credibile est, ut ab Esavi excessu usque ad id tempus, quo Moses scripsit, quod inter et illum non multo plus quam duorum seculorum intervallum fuerit, Idumaea tot Duces, post Duces vero Reges, iterumque post Reges Duces habuerit. Quae quidem plures et antiquiores et recentiores Interprr. moverunt, ut hanc περιοχὴν ab aliquo, qui postquam regnari coeperant Israelitae vixit, insertam esse statuerent. Qui vero Mosi illam vindicare statuerunt, varii varias istas difficultates tollendi rationes excogitarunt, quas diligenter recensuit examinavitque C. B. Michaelis *de antiquiss. Idumaeor. histor.* §. 12. sqq. in *Syll.* P. VI. p. 242. sqq. Atque is quidem, rejectis iis, quae minus solide ad illos nodos solvendos allata sunt, primum, verba illa: *antequam imperaret rex Israelitis*, nihil obstare observat, quo minus a Mose sint scripta, quum non ipse solum, verum etiam Israelitae omnes, qui promissa divina, Abrahamo, Isaaco atque Jacobo facta, fando acceperunt, persuasissimum habuisse credibile sit, fore ut Israelitis aliquando reges sint imperaturi; vid. 17, 5. 26, 3. 35, 11. Qua persuasione motum et legem regiam Deut. 28, 36. deportationem regis futuri praenunciasse. Praeterea quum verba לִפְנֵי — יִשְׂרָאֵל et de futuro et de praesenti tempore recte capi possint h. s.: *priusquam regnaturus est*, s. *antequam regnat rex Israelitis* (ehe noch zur Zeit

ein König über die Israeliten herrschet), quemadmodum eadem loquendi formula usus Christus Luc. 22, 15. *Admodum*, inquit, *concupivi hocce pascha comedere vobiscum* πρὸ τοῦ με πάθεῖν, *priusquam patiar* (vid. et Joa. 13, 19. Act. 23, 15.); nihil habere haec verba, quod Mosen ab eorum scriptione exeludat. Alterum quod attinet, quo minus hanc περιοχὴν a Mose consignatam posse judicant, quod series ducum regumque Idumaeorum hic descripta, multo sit amplior, quam quod intra angustum 238 annorum spatium tot duces et reges, atque post eos iterum duces sibi invicem succedere potuerint; Michaelis respondet primum, sine ratione idonea sumi, apud gentem Idumaeorum tres mutati regiminis formas sese invicem excepisse, atque duces illos, tam qui reges Idumaeos antecesserunt, quam qui sequuti sunt illos, eo ordine, quo enumeratur a Mose, alios aliis successisse. De אַלּוּפִים dictum est ad Vs. 15. Illos autem Phylarchos una cum regibus Idumaeorum eodem tempore Mosis aetate exstitisse, patet e locis Num. 20, 14. Ex. 15, 15. invicem collatis. Priori enim dicitur, misisse Mosen e Cadesch nuntios ad *regem* Idumaeorum, hoc vero, consternatum iri *duces* Idumaeorum, nempe cum suis tribubus, quibus illi phylarchi praeerant. Praeterea ad recte formandum de hoc regum Idumaeorum catalogo judicium haud parum juvabit observare, illos non sibi successisse per ordinem successionis filiorum in patrum locum, ut fere apud Judaeos et Israelitas, sed vel electione, vel vi, ut quisque occupare et invadere regnum potuit. Nullus enim inter octo, qui hic recensentur, reges deprehenditur, qui filium habuerit in regno successorem, sed omnes ac singuli, ut natali solo, sic familia erant diversi. Neque peregrinos a consequendo in gentem suam imperio Idumaeos exclusisse, colligitur ex urbibus ac regionibus in tabula illorum regum commemoratis; etenim non regias eas, sed natales ac patrias fuisse, eo est certius, quo incredibilius est, octo reges sibi invicem continuo succedentes omnes ac singulos voluisse novas regni sedes eligere. Erant autem patriae horum regum urbes partim incerti situs, partim vero certi. Nam de Dinhaba (Vs. 32.), Avitha (Vs. 35.), Masreca (Vs. 36.), Pahu (Vs. 39.), ignoramus, num intra, an extra Idumaeam quaereudae sint; Themanitarum contra regio (Vs. 34.) fuit tractus Idumaeae, cujus metropolis erat Bozra, coll. Jer. 49, 7. 20. Jes. 63, 1; ac Rechobotha, Idumaeorum regum penultimi urbs natalis, ad Euphratem (Vs. 37.) extra Idumaeam procul dubio sita fuit. Inde autem, quod regnum Idumaeorum hic descriptum et alienigenas admisit, et tale fuit, in quo reges non haereditario jure sibi invicem succedebant, porro sequitur, oportere id fuisse priscum illud et ad Mosis usque tempora deductum, non vero recentius illud, Davidi ac Salomoni coaevum, utpote quod haereditarium certaeque inter Edomitas familiae adstrictum fuit, uti clarissime patet e 1 Reg. 11, 14. 2 Reg. 3, 27. Simul facilior hinc evadit conciliatio tot regum Idumaeorum cum illo temporis spatio, quod ab

Esavi excessu ad mortem usque Mosis effluxit, nam intra duorum seculorum spatium potuisse octo reges imperium tenere, nemini incredibile videbitur. Ad probandam *γνησιότητα* hujus de Idumaeorum regibus pericopae Michaelis denique et illud facere ait, quod, uti antea est observatum, tum cum Moses scripsit, Edomitis fuerunt et *reges* et *duces*. Hanc patris sui interpretationem etiam sequutus est J. D. Michaelis in *Einleit. in d. Schrr. des alt. Bund.* P. I. p. 161.

32—34. דִּנְהָבָה LXX. *Δενναβά*. Hieronymus ad h. l.: *Et est usque hodie villa Dennaba in octavo milliario Areopoleos, pergentibus Arnonem, et altera Dennaba super montem Phogor, in septimo lapide Esbus.* — 33. Fuerunt non pauci e veteribus, qui יוֹבָב *Jobabum* et Jobum eundem esse putarent; id quod non solum historicus, sed etiam grammaticus error est, ut ostendit Deyling in *Observatt. SS.* P. I. p. 59. sqq. Cf. J. D. Michaelis *Einleit.* P. I. p. 20. בָּצְרָה tanquam Idumaeae urbs memoratur et Jes. 36, 6. 63, 1. Amos 1, 12. Alia, Moabitica, est cujus mentio fit Jer. 48, 26. Plura de hac urbe vid. in *der bibl. Alterthumsk.* II. II. p. 23. sqq. — 34. אֶרֶץ הַתֵּימָנִי *Terra Themanitae*, s. *Themanitarum*, a Themane Esavi nepote, Vs. 11. (nisi forsan *australem terram* significat, ut Zach. 6, 6., a תֵּימָן *ad dextram*, i. e. meridiem sita regio), urbs et regio Idumaeae erat, vid. Jer. 49, 7. 20. Ez. 25, 13. Obad. Vs. 9.

35. 37. Hadadum insignit victoria, tum celebri, quam de Midianitis retulit in agro Moabitico, forsan quod Moabitis latum suppetias, venerant. Midianitae erant Arabiae populus, a Midiane, filio Abrahami e Ketura, originem repetens, Ex. 3, 1. 18, 5. Vicini erant Moabitis, Amoritis et Amalekitis, Jud. 6, 7. sqq. — 37. רְחֹבֹת הַנָּהָר *Rechoboth fluminis*, i. e. ad Euphratem, quem Hebraei *κατ' ἐξοχήν fluvium* vocant; unde et Onkelos posuit: *quae ad Euphratem.* Ita haec urbs vocabatur, ut *Rechoboth Ir*, 10, 11., distingueretur. Sita autem erat, quae hic nominatur Rechoboth, ad Euphratis brachium, Said dictum, tribus a Circesio parasangis. Vicus erat tempore Abulfedae. Arabes hanc urbem *Rahabah* vocant. Cf. *Alterthumsk.* T. I. P. II. p. 270.

39. הֲדַד *Hadar*, qui 1 Chron. 1, 50. *Hadad* vocatur, uti et hic in cod. Sam., Mosis adhuc temporibus regnasse videtur; hinc ejus mortis nulla mentio fit. Fuerit igitur idem ad quem Moses legatos misit, Num. 15, 14. Additur et nomen uxoris ejus: וְשֵׁם — מְהֵיטַבְאֵל, in quibus verbis מַטְרֵד sitne virile nomen, an vero muliebre, interpretes dissentiunt. LXX. *Θυγάτηρ Ματραΐδ, υἱοῦ Μαιζοώβ.* Syrus: *filia Matredi, filii Mezahab;* quomodo *Matred* pater fuisset Mehetabelis et filius Mezahabi. Pro nomine patris Mehetabelis voc. מַטְרֵד acceperunt etiam paraphrastae Chaldaei, Pseudo-Jonathan et Hierosolymitanus, sed ita, ut appositionem בַּת מֵי זָהָב non in Genit. verterint *filiae Mezahabi*, ut

ad propinquius nomen Matred pertineret, sed in Nominat. *filia Mezahabi*, quasi ad remotius Mehetabel referretur. Quibus tamen interpretationibus adversatur receepta omnium, Codd. Hebrr. lectio, secundum quam *Matred* non בֶּן *filius*, sed בַּת מֵי זָהָב *filia Mezahabi* appellatur. Probabiliter igitur *Matred* pro nom. muliebri est accipiendum. Eadem ejusdem nominis ratio 1 Paral. 1, 50., ubi recte Vulgatus: *Et appellata est uxor ejus Meetabel, filia Matred, filiae Mezaab;* pariterque Lutherus et hic et in Genesi: *und sein Weib hiess Mehetabeel, eine Tochter Matred, die Mesahab Tochter war.* Plura vid. in C. B. Michaelis Diss. *de nominibus propriis sexui suo restitutis* §. 18., in *Sylloge* P. VII. p. 116. sqq. Quod autem hic praeter morem uxoris Hadari fit mentio, Hebraei conjectant ideo factum, quod per eam cveetus sit ad regnum, vel quod claris orta esset natalibus; vel certe quia ipsius genus omittitur, loco ejus uxor memoratur, quae ex opulentis parentibus orta esset.

40. Quod Vs. 40—42. iterum אַלּוּפִים *phylarchi* Idumaeorum recensentur, ut Vs. 15—19., alii alias afferunt rationes. Quas recensuit et refutavit C. B. Michaelis *antiquiss. Idumaeor. histor.* §. 27. et 14., in *Sylloge Commentt.* P. 253. et 224. Ipse vero satis probabiliter conjecit, „exponi Vs. 40—42. posteros trium istorum Esavi ex Oholibama filiorum, *Jehuschi*, *Jahelami*, et *Corachi* (Vs. 5. 14.), quibus quidem nulla, disertis saltem verbis ac nominatim, tribuitur soboles; fuisse tamen his quoque filios, Moses ipse non obscure innuit, dum *principes* s. *familias* (אַלּוּפִים) iis adscribit. Quod vero eorum soboles Vs. 14. non commemoratur nominatim, causa videtur fuisse haec, quod familiae trium istorum filiorum Esavi primis temporibus non tam numerosae fuerint, quam Eliphasi et Rehuelis; tandem vero et ipsae in plures exereverunt ac subdivisae sunt ramos, qui Vs. 40—42. recensentur. Quae familiarum Jehuschi, Jahelami et Coraehi subdivisio, quia probabiliter non prius facta est, quam regnante sequentium illorum octo regum Idumaeorum ultimo, coque Mosi coaevo, Hadaro, Vs. 39., igitur narrationi huic de octo Idumaeorum regibus demum subjecta est. Firmare hanc conjecturam videtur, quod auctor Chronicorum hanc ipsam subdivisionem familiarum Esavi ex tribus hisce filiis ejus, cum historia octo illorum regum, ac nominatim ultimi, ita 1 Paral. 1, 51. connexuit: „*Cumque moreretur Hadadus, erant principes Idumaeorum, princeps Thimna*, cetera.“ Clericus haec putat ex alio catalogo petita, in quo ex qua Esavi uxorum hi essent oriundi, non habebatur. Ceterum תִּמְנָע hoc Vs. et אָהֳלִיבָמָה Vs. 41. vix dubium est esse virorum nomina, non mulierum, uti Vs. 2. 5. 22., quum eadem nomina passim et viris et feminis tribui videmus.

43. Pro לְמוֹשְׁבֹתָם *juxta habitationes suas* in cod. Samar. לְמִשְׁפְּחוֹתָם *pro familiis eorum.* בְּאֶרֶץ אֲחֻזָּתָם *In terra possessio-*

nis eorum, i. e. quam propriam et perpetuam habebant, non instar peregrinorum incolebant, ut Cananaeam Israelis posteri per aliquot aetates.

IX.

Reliqua Jacobi vita, una cum iis, quae filiis, Josepho potissimum, evenerunt, usque ad Jacobi et Josephi mortem. Cap. 37 — 50.

1. *Josephus, a patre fratribus praelatus, somniis invidiam fratrum sibi creat, et ab iis venundatur in Aegyptum abducendus. Cap. 37.*

Cap. 37, 1. Epigraphe hujus, quae ad finem usque libri decurrit, pericopae Vs. demum proximo legitur. Iam vero commodum ad persequendam Jacobi et filiorum historiam transitum facturus, filumque 35, 27. abruptum resumturus, post *παρένθεσιν* c. 36. insertam pergit: וַיֵּשֶׁב וגו׳ *Habitavit igitur Jacobus*, uti supra dictum est, *in terra commorationis patris ejus, in terra*, inquam, *Canaan.*

2. אֵלֶּה תֹּלְדוֹת יַעֲקֹב. Mirum videri potest, hanc epigraphen *Jacobi* historiam promittere, quum tamen postrema haec libri pars in *Josephi* potissimum fatis enarrandis versetur. Sed observamus hunc nostri scriptoris morem, ut nonnisi commemorata patris morte, narrationi continuandae novam epigraphen praemittat, quae filii nomen gerat, etiamsi de eo antea jam plura retulisset; cf. 25, 12. 19. (et not. ad h. Vs.) coll. Vs. 10. 11. et 36, 1. coll. 35, 29. הָיָה — בַּצֹּאן *Erat pascens cum fratribus suis oves.* רָעָה hic (ut 1 Sam. 16, 11. 17, 34.) insolentius per ב construitur. Postquam Josephum 17 annos natum dixit, addit: וְהוּא נַעַר *eratque puer*, i. e. adolescens, juvenis, ut Jerem. 1, 6., ut intelligat lector, eum in iis, quae sequuntur plane innocuum puerum se gessisse, quia non studuit callide sibi fratres infensos conciliare, aut dissimulare quidquam apud illos eorum, quae illi nocuere postea. אֶת־בְּנֵי — זִלְפָּה *cum filiis Bilhae filiisque Zilpae*, ancillarum Rachelae et Leae, quibus, ut filiis ancillarum, gregis custodia a patre commissa erat. Bilha praeterea, jam tanquam mater erat Josepho, mortua ejus matre Rachela. וַיָּבֵא וגו׳ *Detulit autem Josephus patri malos de illis rumores.* LXX. *Κατήνεγκαν δὲ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν*, quasi fratres Josephum apud patrem detulerint, ut ipsum in invidiam inducerent. Sed notat Diodorus in Catenis a Montefalconio in Hexaplis ad h. l. excitatus: *Ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος ἀντὶ τοῦ κατήνεγκαν, κατήνεγκεν ἔχουσι· τουτέστιν, ὁ Ἰωσὴφ διέβαλε τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ, ὡς οὐκ εὐτάκτους ὄντας· ὅθεν καὶ ἐμισήθη παρ᾽ αὐτῶν.* Ita et veteres reliqui omnes. Quam autem ob causam male audiverint fratres Josephi, non dicitur. Sed דִּבָּה *rumor* est, s. *fama*, et semper in malam partem sumitur.

3. 4. כִּי־בֶן־זְקֻנִים הוּא לוֹ *Quod filius senectutis esset ei;* quod ipsi in senectute natus esset. Aliam, nec improbabilem rationem addit *Joseph. Antiqq.* 2, 2. 1. Ἰώσηπον ἐκ Ῥαχήλας πεπαιδοποιημένος Ἰάκωβος, διά τε τὴν τοῦ σώματος εὐγένειαν, καὶ διὰ ψυχῆς ἀρετήν. וְעָשָׂה לוֹ *Et fecit ei*, i. e. fieri ei curavit factamque dedit כְּתֹנֶת פַּסִּים *tunicam versicolorem*, uti plerique, LXX. secuuti, qui χιτῶνα ποικίλον reddidere, interpretantur. Ratio interpretationis videtur, quod פַּס Chaldaice *particulam* notat, unde כְּתֹנֶת פַּסִּים, s., uti habet Onkelos, כְּתוֹנָא דְּפַסֵּי propric esset *tunica particularum*, i. e. ex variis particulis versicoloribus consuta. Cui sententiae tamen N. G. Schroederus *de vestitu mulier. Hebraear.* p. 245. ideo se subscribere posse negat, quod quum 2 Sam. 13, 18. Thamar, Davidis filia, כְּתֹנֶת פַּסִּים induta dicatur, nullo modo probabile sit, filiam regis tunicam e consarcinatis panniculis constantem gestasse, et ea quidem aetate, qua ars plumandi, variosque colores et figuras intexendi, aut aeu pingendi, jam diu fuerat notissima. Putat igitur, tunicam vocari פַּסִּים ideo, quod *limbos*, vel *segmenta* quaedam, inferiori orae, forte et aperturae circa collum, et extremitati manicarum, haberet adsuta. Quam sententiam jam antea commendarat Jo. Braunius *de Vestitu Sacerdot. Hebraeor.* p. 314. edit. sec. Uterque pro ea facere observat interpretes Chaldaeos, Jonathanem et Hierosolymitanum, qui כְּתֹנֶת פַּסִּים per פַּרְגּוֹד מְצוּיָר *paragaudam figuris pictam* exposuere. Nomen *paragauda*, apud scriptores historiae Augustae saepius obvium, designabat, pronunciante Salmasio ad Vopisci Aurelianum Cap. 15., *vestem pannis et institis versicoloribus praetextam;* quibus mox haec addit: *Lora igitur illa, vel paragaudae sunt segmenta, vel fasciae, vel vittae vestibus adsuta.* Graeci dicunt χιτῶνα παραγώδαν. Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l.: „Pro *varia tunica* Aquila interpretatus est ἀστραγάλειον, i. e. tunicam talarem, Symmachus χειριδωτὸν, tunicam manicatam, sive quod ad talos usque descenderet, et manibus artificis mira esset varietate distincta, sive quod haberet manicas; antiqui enim magis colobiis [tunicis sive manicis] utebantur." Sic et 2 Sam. 13, 18. כְּתֹנֶת פַּסִּים LXX. et Aquila χιτῶνα καρπωτὸν *tunicam manicatam* reddunt. Alias veterum interpretationes vid. in Commentar. nostro majori. De nom. כְּתֹנֶת (unde Graec. χιτὼν) *tunicam interiorem* indicante, docte disputavit Hartmann *die Hebräerin am Putztische* P. III. p. 192. sqq. et de כְּתֹנֶת פַּסִּים p. 280. sqq. — 4. וְלֹא יָכְלוּ דַּבְּרוֹ לְשָׁלֹם *Et non poterant eum alloqui pacifice.* Verbis durioribus eum alloquebantur, quibus odii sui adversus eum indicia ederent.

10. 11. 14. הֲבוֹא — אֶרְצָה *Num ego et mater et fratres te humi supplices veneremur?* Sub nomine matris Bilha intelligitur, quae Rachelae loco Josephum nutrivit et eduxit, cf. ad Vs. 2. — 11. שָׁמַר אֶת־הַדָּבָר *Verbum observabat*, i. e. rem memoria custodiebat, animo mandabat, διατηρεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ, Luc. 2, 51. —

14. רְאֵה — הַצֹּאן *Vide pacem fratrum tuorum et pacem gregis*, i. e. vide an satis recte omnia apud eos se habeant. Bene LXX. *ἴδε εἰ ὑγιαίνουσι;* Volunt nonnulli, anxium fuisse Jacobum de filiis in Siehemensi agro pascentibus, propter caedem, quam in ea regione commiserant. Vid. c. 34. De חֶבְרוֹן cf. ad 23, 2. *Alterthumsk.* T. II. P. II. p. 157.

17. 19. דֹּתָן *Dothan* locus fuit haud procul a Siehemo. Hieronymus: *Usque hodie in duodecimo a Sebaste (Samaria) milliario, contra Aquilonis plagam ostenditur.* Tria igitur circiter milliaria germ. procul a Samaria sita erat, ea in regione, ubi magna planities a Jordane usque ad mare mediterraneum, vallis Jesreelis dicta, Palaestinam dividit. — 19. בַּעַל הַחֲלֹמוֹת הַזֶּה *Dominus somniorum iste*, i. e. insomniator, *ἐνυπνιαστής.* בַּעַל *possessor*, in genere notat eum, qui re aliqua praeditus est et valet. Unde בַּעַל הַחֲלֹמוֹת, cui somnia obveniunt, qui crebra habet somnia. הַזֶּה *iste;* per contemtum.

20 — 22. וְנַשְׁלִכֵהוּ בְּאַחַד הַבֹּרוֹת *Projiciamus eum in unam ex cisternis.* De cisternis cf. ad 21, 19. Pluvia diu deficiente ejusmodi cisterna aquis vacua fit, Vs. 24. Homo autem in ejusmodi cisternam vacuam dejectus et auxilio humano carens, misere interire debet. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 176. — 21. וַיַּצִּלֵהוּ מִיָּדָם *Liberavit eum a manu illorum*, consilia dedit ad liberationem fratris spectantia. לֹא נַכֶּנּוּ נָפֶשׁ *Ne percutiamus cum anima*, ita ut exeat ejus anima. — 22. בַּמִּדְבָּר *In deserto.* Ita fortasse vocabatur sterilis regio in parte vallis Jesreelis meridionali, quae, quum agriculturae apta non esset, a Nomadibus peragrabatur.

25. אֹרַחַת יִשְׁמְעֵאלִים *Catervam Ismaelitarum* simul *iter facientium*, ab אָרַח *iter fecit.* Arabibus a קָרָא pro קרו *peragravit regionem* קָרְוָאן est *cohors hominum simul iter facientium*, unde Persae كروان *carvan (caravana)* fecerunt. *Συροδίαν* vocavit Lucas 2, 44. בָּאָה מִגִּלְעָד *e Gileaditide venientem*, i. e. ea via, quae Gileaditide venientibus caleari solebat. De גִּלְעָד cf. ad 31, 21. Illa mercatorum caterva ex Arabia veniens haud procul a lacu Tiberiados Jordanem transierat, et per vallem Jesreelis pergebat occidentem versus ad mare mediterraneum. Hae via attingebat Dothanam, et deinde juxta littus maris mediterranei in Aegyptum proficiscebatur ita, ut Hebron ad sinistram esset. Quid per נְכֹאת significetur dissentiunt interpretes. LXX. *θυμιάματα*, Aquila *στύρακα*, Onkelos aliique *ceram*, Syrus *resinam* verterunt; Jarchi *omnes collectiones plurium aromatum;* Vulgatus, *aromata.* Bochartus (*Hieroz.* T. III. p. 399. edit. Lips.) aliique *storacem* esse putant. Ludov. de Dieu in *Critica Sacra*, p. 20. נְכֹאת putat esse i. q. Arabum نَكِيت, quo nomine omnia dentifricia designantur, quae in quotidiano usu sunt apud Arabes, et inter ea maxime aestimantur aromata quaedam, quibus non tantum dentes mundantur, sed praecipue fragrantia halitui oris conciliatur. Ge-

senio in Lex. נְכֹאת est i. q. Arabibus نكأة i. q. نكعة *gummi tragacanthi.* Incertum, sitne נְכֹאת i. q. נְכֹת, 2 Reg. 20, 13. Jes. 39, 2. (ubi cf. not.) Similis dissensus est circa vocem צְרִי. LXX. ῥητίνη, *resina*, quos plerique antiquiorum et recentiorum interpretum sequuntur. Arabs uterque *theriacam* reddit. Sed videtur potius צְרִי esse *opobalsamum.* Apud Arabes enim צرى est *fluxit, manavit*, inde צֹרִי est *lacryma arboris, succus ex arboribus manans*, item *opobalsamum*, ex balsami planta manans. Notum est hodie sub nomine *balsami Meccani.* Arabia enim balsami solum est nativum, et inprimis prope Meccam et Medinam et in regione Jemen in montibus, in planis, cultis et incultis locis, innumerae balsami plantae sponte nascuntur, teste Niebuhrio, *Beschreib. v. Arab.* p. 145. Conferri quoque possunt Strabo, L. 16. sub finem, p. 778. ed. Casaub. p. 1124. ed. Almel., Diodorus Siculus Lib. 2. p. 132. ed. Rhodom. et Warnekros *Comment. de fertilit. Palaest.* in *Repertor. f. bibl. u. morgenl. Literat.* P. XV. p. 227. sqq. לט *stacten*, i. e. myrrham, reddunt LXX. et Vulgatus. Arabs uterque *castaneam*, et Syrus *terebinthum* vertit. Sed potior videtur eorum sententia, qui *ladanum* intelligunt, dictum a frutice ex cysti generibus, nomine *Ledum* (Onkelos: לָטוּם), quae verno tempore pinguc quiddam et roscidum contrahunt, quod, quum hujus fruticis frontibus pascantur caprae hircique, eorum barbis adhaereseit, indeque depexum colatur, cogiturque in offas. Herodotus 3, 112. *At ledanum (quod Arabes ladanum vocant) etiam cinnamomo mirabilius comparatur: quippe quod in graveolentissimo loco nascens, tamen fragrantissime olet. In barbis hircorum invenitur innatum, veluti mucor ligni, cum ad conficienda multifaria unguenta utile, tum praecipue ad suffitionem, qua Arabes utuntur.* Cf. et Plinium *Hist. Nat.* 12, 37. Plura vid. in Celsii *Hierobot.* P. I. p. 280. sqq. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 202. sq.

28—30. Ismaelitas nunc מִדְיָנִים *Midianitas* nominat. Distinguuntur Ismaelitae et Midianitae ut genus et species ejusdem nationis, veluti si Gallos et Lugdunenses diceres. Aliis quoque in locis Ismaelitae et Midianitae promiscue dicuntur, e. c. Jud. 8, 22. 24. 26. Eraut enim Ismaelitae numerosissimi ac potentissimi Abrahami in Arabia posteri; hinc eorum nomen omnibus Arabiae gentibus, quae ab Abrahamo originem ducunt, haesit, atque etiamnum omnes Arabes se Ismaelis posteros esse profitentur. —וַיִּמְכְּרוּ כֶּסֶף *Et vendiderunt Josephum Ismaelitis viginti* siclis *argenti.* Ante כֶּסֶף subaud. שֶׁקֶל, quod haud raro omittitur, ut 20, 16.; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 700. LXX. pro *argenteis* ponunt *aureos*, ideo forsan, quod argentei sicli nimis vile pretium iis videretur. Nam si a bove cornupeta occisus esset servus, bovis dominus pro occiso servo triginta siclos, sive argenteos, solvere lege jubebatur, Ex. 21, 32. — 29. וַיָּשָׁב רְאוּבֵן אֶל־הַבּוֹר *Rediitque Ruben ad cisternam;* unde intelligimus, eum venditioni non interfuisse. Noctu,

insciis fratribus, ad puteum rediisse videtur, Josephum servare secum statuens. — 30. הַיֶּלֶד אֵינֶנּוּ *Puer non est*, mortuus est. Phrasis profanis scriptoribus etiam usitata, *mortem* denotans. Sic Sophocles mortuos *οὐκ ἔτ' ὄντας* appellat. וַאֲנִי אָנָה אֲנִי־בָא *Ego vero quo ego vado?* quo me vertam? Nam pater eum a me requiret, quod sim primogenitus, et mihi praecipue ejus custodiendi cura incumberet.

34. וַיָּשֶׂם שַׂק בְּמָתְנָיו *Saccumque imposuit lumbis*, i. e. vestitum lugubrem, sacco similem, induit. Quod luctus indicium fuit; cf. 2 Sam. 3, 31. 1 Reg. 21, 27. al. Luxit Jacobus Josephum יָמִים רַבִּים *dies multos*, i. e. diutius quam solebant lugeri mortui, donec eum vivere intellexit et coram vidit, id vero est 22 aut 23 annis, ut observant Hebraei: nam 17 annos natus venditus est Josephus (Vs. 2.), anno aetatis 30. est evectus ad regni praefecturam (41, 46.); a 17. usque ad 30. sunt 12 aut 13, si annum 18. numeres; sequuntur 7 anni abundantiae et duo famis, nam secundo anno famis descendit Jacobus in Aegyptum; 9 cum 12 aut 13 faciunt 22 aut 23.

35. לְנַחֲמוֹ — וַיָּקֻמוּ *Surrexerunt autem omnes ejus filii et omnes filiae ejus ad consolandum eum.* At in superioribus filiae Jacobi nonnisi unius, Dinae, facta est mentio. Verum potuit Jacobus et alias filias genuisse, etsi non commemorentur, quum feminarum in genealogiis raro mentio fieri soleat (cf. et ad 36, 39.). Aut *filiarum* nomine Jacobi neptes et nurus comprehenduntur, uti Ruth. 1, 11 — 13., et nostro loquendi more. וַיֹּאמֶר — שְׁאֹלָה *Dixitque: descendam ad filium meum lugens in sepulchrum.* Particula כִּי hic mere est inchoativa, uti haud raro praemitti solet, cum verba alicujus inducuntur, plane ut Graecorum ὅτι, vid. Jos. 2, 24. Ruth. 1, 10. 1 Sam. 10, 19. שְׁאוֹל non tantum *sepulchrum*, verum et ᾅδην, *orcum*, locum, ubi mortui, umbrarum instar, degunt, designare constat. Vid. C. F. Ammon, V. S. V., in Commentat. *über das Todtenreich der Hebräer*, quae exstat in *den Memorabilien* ab H. C. G. Paulo editis P. IV. Pro אֶל־בְּנִי in cod. Sam. est על בני *propter filium meum* lugens descendam in orcum. Quomodo etiam veterum nonnulli verterunt. Sane quidem אֶל interdum pro עַל ponitur (1 Reg. 14, 5.); h. l. tamen non est opus propriam et frequentiorem significationem illius Particulae rejicere. Apte enim potuit Jacobus optare, *ad filium* descendere, aut expetere cum ipso commune sepulchrum; et phrasis *descendere ad aliquem in orcum* nil aliud vult, nisi hoc: mortuis adsociari, idemque valet, quod *congregatus est* אֶל־עַמָּיו *ad populos suos*, 25, 8. 17. Recte LXX. *Καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ᾅδου.*

36. מִדְיָנִים *Medianitae* hic appellantur, qui Vs. 28. Ismaelitae et Midianitae vocabantur, haud dubie a *Medano*, filio Abrahami ex Ketura, fratre Midianis, 25, 2. Hinc orti populi ergo

licet vicini esse potuerint, tamen diversi omnino fuerunt. Sed hic simul convenisse et societatem iniisse videntur in negotiatione. Intempestivae emendationi tribuendum, quod in Sam. cod. et hic הַמִּדְיָנִים legitur, ad quem accedunt LXX. aliique. מָכְרוּ אֹתוֹ אֶל־מִצְרָיִם *Vendiderunt eum ad Aegyptum*, sc. delatum. Vulgatus: *in Aegypto*, uti אֶל pro ב passim legitur, veluti 6, 6. Thren. 2, 12. Nomen פּוֹטִיפַר in veteri sermone Aegyptio, cujus reliquiae in libris Copticis servatae, significare *patrem regis*, a *ΠΙΩΤ pater*, et *ΦΟΥΡΟ*, vel, dialecto Sahidica, *ΦαΡΡΟ*, *rex*, observavit A. Pfeiffer in *Dubiis vexatt.* ad h. l., in *Opp. philologg.* T. I. p. 90. Qualem dignitatem tenuerit Potiphar, indicant verba, quae sequuntur. סָרִיס פַּרְעֹה *eunuchus Pharaonis.* At 39, 7. sqq. uxorem habuisse legitur. Sed scito, סָרִיסִים quidem initio *spadones* dictos fuisse, qui custodiendis gynaeceis regiis adhiberentur, tandem autem factum esse, ut illo nomine in universum quicunque ministri et cubicularii regii sint designati. Et temporibus multo serioribus apud Byzantinos imperatores in eunuchorum manibus omnia fere regni negotia posita erant, unde Patricii, sive patres principum audiebant; vid. Suidam s. v. *Πατρίκιος*. Recte Onkelos vertit: *principi* s. *magnati Pharaonis*, et Saadias: *ministro Pharaonis.* שַׂר הַטַּבָּחִים a rad. (Aethiop.) טָבַח, verbo et Hebraeis usitato, cum זָבַח *mactare* cognato. Quum vero טָבַח Hebraeis speciatim usurpetur de pecudibus, quae ut coquantur vel assentur, mactantur, unde Arabibus طبخ *coquere* et *assare*, et hinc طباخ *coquus*; fuerunt, qui שַׂר הַטַּבָּחִים *principem*, praefectum *coquorum* interpretarentur. LXX. *ἀρχιμαγείρους*, quam vocem Phavorinus *ἔφορον τῆς βασιλικῆς τραπέζης* notare ait. Verum recte Hieronymus: *In plerisque locis archimagiros, i. e. coquorum principes, pro magistro exercitus scriptura commemorat;* et Augustinus: *praepositus militiae, cui potestas occidendi* (coll. Jer. 52, 15. 30.). Onkelos: *princeps interfectorum*, et Jonathan: *princeps spiculatorum*, *ξυστοφόρων*, quod ipsum nomen est custodum corporis regii, quibus etiam sontes tradebantur occidendi. Syrus: *princeps satellitum.* Arabs uterque: *praefectus ξυστοφόροις.* - Apud Persas hodienum ad *magistrum equitum regiorum* et puniendorum custodia et supplicium exsequendum pertinet. Plura vid. in J. D. Michaelis *Jur. Mos.* P. V. p. 232. et cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. III. p. 181. P. IV. p. 351.

2 *Connubia Judae et ejus filiorum. Horum mors, et Judae inscii cum nuru concubitus, ex quo gemellos parit. Cap.* 38.

Cap. 38, 1. וַיְהִי בָּעֵת הַהִוא *Factum autem est illo tempore.* Initia hujus historiae referenda videntur ad primos annos reditus Jacobi ex Mesopotamia (33, 17.). Nam ex quo venditus fuit Josephus, usque ad Jacobi descensum in Aegyptum, tantum 22 aut 23 anni intercesserunt. Quod temporis intervallum brevius

est, quam ut Juda tres filios gignere, eos in matrimonium dare, atque ex nuru sua iterum duos filios tollere potuisset, quorum alter, Pherezus, cum Aegyptum ingrederentur, etiam duos filios habebat, 46, 8. 12. Nec est infrequens, ut voces *tunc*, *in illis diebus*, *illo tempore*, ad tempus aliquo ante intervallo praeterlapsum, aut post futurum designandum adhibeantur. Verum circa tempus illud, quo venditus est Josephus, contigit incestum Judae cum nuru; quod quum Moses narrare instituisset, oportuit altius repeti. Quamobrem et totum Judae conjugium, et proles ex eo suscepta, fuit exponenda. וַיֵּרֶד יְהוּדָה מֵאֵת אֶחָיו *Descendit Juda a fratribus suis*, i. e. austrum versus profectus est. Antiquissimis seculis, veluti consensu quodam gentium, regiones boreales australibus editiores sunt habitae. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* T. I. P. I. p. 140. H. l. Juda *descendisse* et eam ob causam dici potest, quod *Adullam* (nom. gentile ab urbe עֲדֻלָּם) in regione declivi et campestri sita fuit, cf. Jos. 15, 33. 35. et *die bibl. Alterthumsk.* T. II. P. II. p. 358. — וַיֵּט *et declinavit*, divertit; עַד *usque ad*, pro simplici אֶל *ad*.

2. 3. כְּנַעֲנִי Hebraei hic *mercatorem* esse volunt. Verum etsi כְּנַעֲנִי passim (Prov. 31, 24. Job. 40, 25.) sit *mercator*, h. l. tamen vix dubium est, esse nomen gentile, quomodo et ceteri interpretes ceperunt. שׁוּעַ non esse *filiae* nomen, ut putarunt LXX. et Syrus, sed *patris*, ostendit Suffix. masculi. in שָׁמּוֹ, coll. Vs. 12. וַיָּבֹא אֵלֶיהָ *Venitque ad eam*, cum ea congressus est, uti 29, 21. 23. — 3. וַיִּקְרָא *Vocavitque*, se. pater, Juda, uti Verbum masculini generis postulat. Ajunt quidam Hebraeorum, moris fuisse, ut patres primogenitis nomina imponerent, post vero natis matres, ut hic vides matrem duobus posterioribus nomina indere. Sed promiscue, et patrem et matrem, apud Hebraeos liberis nomina imposuisse, liquet e Capp. 29. 30. 35., ubi de nominibus filiorum Jacobi. In textu Sam. et in nonnullis codd. Hebrr. ex intempestiva emendatione legitur feminin. ותקרא.

5. 7. וְהָיָה בְּכְזִיב בְּלֶדְתָּהּ אֹתוֹ *Et fuit*, Juda, in loco cui nom. *Chazbi*, *quum eum pareret.* Quod dupliei modo intelligi potest. Aut enim Juda, mutata sede, nunc Chazibae una cum uxore versatus est, aut, quum Selam pareret uxor, absens erat in loco כְּזִיב dicto. Eum vero non fuisse illum in borealibus Cananaeae finibus situm ad mare mediterraneum, Jos. 29, 29. Jud. 1, 31. memoratum, postea *Ecdippa* appellatum (אַכְּזִיב more Aramaico), sed illum, qui in finibus tribus Judae situs esset, cujus fit mentio Jos. 15, 44. Mich. 1, 14., illud suadet, quod Jacobus cum filiis tunc in australibus Cananaeae tractibus commorabatur. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* T. II. P. II. p. 354. Poterat utrique illi loco nomen אַכְזִיב a defieientibus, qui olim manassent, fontibus inditum esse; de talibus enim Vb. כָּזַב *mentiri*,

legitur Jer. 15, 19. Jes. 58, 11. — 7. וַיְמִתֵהוּ יְהוָה *Interemit eum Jova*, i. e. florente adhuc aetate, quocunque tandem mortis genere, *Er* exstinctus est. Uti longaevitas praemium pietatis Hebraeis habebatur, ita mors immatura acerba poena a Deo immissa.

8. 9. וְיַבֵּם אֹתָהּ *Et jure cognationis eam duc uxorem;* id enim significat Vb. יִבֵּם, quasi *cognatare* dicas, a יָבָם, quo nomine dicitur ab uxore frater mariti. וְהָקֵם זֶרַע לְאָחִיךָ *Et suscita semen fratri tuo*, prolem ei procrea. Diu ergo ante Mosen in familia Jacobi mos ille obtinuit, ut frater superstes, qui ipse nondum uxorem habuit, fratris sine prole defuncti viduam uxorem ducere deberet; primogenitus autem, ex leviro et fratria natus, prioris viri filius habebatur atque in jura ejus, ut in nomen succedebat. Ortus videtur hic mos ex prolis cupiditate, et alicujus, qui in demortui nomen succederet. Mitigabat vero Moses hujus juris rigorem et paene id enervabat Deut. 25, 5. Cf. J. D. Michaelis in *Jure Mos.* P. II. p. 186. sqq. — 9. וְשִׁחֵת אַרְצָה *Corrupit ad terram*, sc. זַרְעוֹ *semen suum.* LXX. ἐξέχεεν ἐπὶ τὴν γῆν. Onkelos: *et corrupit viam suam*, i. e. seminis effusionem, *super terram.* לְבַלְתִּי וגו׳ *Ne daret semen fratri suo*, ne ei prolem susciteret; quod fuit maligni animi, aut avari, ut ipse, non filius, in fraternorum bonorum partem succederet.

11. 12. שְׁבִי אַלְמָנָה בֵּית־אָבִיךְ *Sede*, mane *vidua in domo patris tui.* Ante בֵּית omissum est ב, ut saepe alias, veluti 2 Reg. 18, 15. — עַד־יִגְדַּל שֵׁלָה בְנִי *Donec adoleverit filius meus Sela*, ut tum te illi dem. Is enim restabat ex filiis Judae. כִּי — פֶּן־יָמוּת כְּ *Et dixit*, sc. apud se, *ne hic etiam, ut fratres, moriatur.* Nonnulli Sclam vere minorem, neque satis matrimonio idoneum fuisse putant. Verum quum Vs. 26. Juda ipse agnoscat, factam Thamari esse injuriam; colligi potest, eum tempus ultra aetatem necessariam produxisse, et Thamarem vana spe lactare voluisse, quia eam suspectam habuit, quod occasionem immaturae morti Eris et Onanis dedisset. וַתֵּלֶךְ וגו׳ *Et ivit Thamar et sedit in domo patris sui*, continuavit ibi manere. Verbum הָלַךְ alii verbo praemissum haud raro continuationem actionis ejus, quae verbo posteriore significatur, indicare constat. Cf. Jud. 1, 16. 3, 13. Jer. 5, 23. Hoc quoque postea in usu frequenti apud Judaeos fuit, ut vidua, quae liberis careret, domum paternam rediret, nisi quis esset, qui eam jure adfinitatis duceret. — 12. וַיִּרְבּוּ — יְהוּדָה *Et multi fuerunt dies et* (i. e. post aliquod tempus) *mortua est filia Schua, uxor Judae.* Hos *multos dies* hic non plures annos intelligas, sed tempus brevius, forsan non plus annuo. Ita Homerus *Odyss.* 10, 469. postquam annuum spatium descripsisset, addit: περὶ δ' ἤματα μακρὰ τελέσθη, quod de multis annis dici etiam posset. Mors uxoris Judae non sine causa memoratur. Vir enim, qui uxorem jam haberet, non coactus fuit viduam fratris ducere. Viduum igitur Judam Thamar sollicitabat fraude ad conjugium cum ipsa ineun-

dum. וַיִּנָּחֶם יְהוּדָה *Et consolatus est se Juda*, i. e. soluto luctu. וַיַּעַל — רֵעֵהוּ *Et ascendit ad tonsores gregis sui, ipse et Hhira, amicus ejus.* LXX. ὁ ποιμὴν αὐτοῦ· legerunt רֹעֵהוּ; Vulgatus: *opilio gregis.* Sed verteudum est *amicus ejus.* Nam e Vs. 1. liquet, Hhiram hospitem Judae fuisse, nunc invitatum ad tonsuram ovium, tum enim convivari amici et consanguinei solebant. Conf. 2 Sam. 13, 23. — תִּמְנָתָה *Thimnatam. Thimna* urbs fuit tribus Judae, Jos. 15, 57., nec procul a mari, quum Philistaeorum esset, coll. Jud. 14, 1. Hieron.: *ostenditur hodie praegrandis vicus* (Thamna) *in finibus Diospoleos euntibus Aeoliam in tribu Dan* s. *Judae.* Et *Thamniticam Judaeae toparchiam* memorat Plin. *H. N.* 5, 14. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* T. II. P. II. p. 350.

14. וַתָּסַר — מֵעָלֶיהָ *Removitque vestes viduitatis a se*, vestes, quas viduae gerere solebant, deposuit. Addit, Thamarem peplo velatam consedisse בְּפֶתַח עֵינַיִם, quae phrasis vario modo exponitur. LXX. *πρὸς ταῖς πύλαις Αἰνάν.* Quos alii secuti intelligunt *portam* oppiduli, cui nom. עֵינַיִם forsan propter geminos fontes, qui prope illud essent. Putant nonnulli, esse eandem urbem, quae Jos. 15, 34. עֵינָם vocatur. Hieronymus: *Enaim, in tribu Juda, hodieque villa est Bethenim* [בֵּית עֵינַיִם] *circa terebinthum*, de qua 35, 4. Eadem est Gesenii (*Lehrgeb.* p. 536.) sententia, qui עֵינַיִם veteri Dualis forma ם___ expressum putat. Sed quod Vs. 21. בָּעֵינַיִם עַל־הַדָּרֶךְ legitur pro eo, quod hic disertius dicitur בְּפֶתַח עֵינַיִם אֲשֶׁר עַל־דֶּרֶךְ, minus commode de oppido dici, sed potius locum aliquem alium in campo ad viam illa phrasi indicari, nemo non sentiet. Quare, ut alias minus probabiles explicationes hic taceamus, aptior prodibit sensus, si עֵינַיִם *fontium* significatione capiamus, ut פֶּתַח עֵינַיִם sit *apertio duorum fontium*, i. e. locus ubi gemini prorumpebant fontes, vel, uti habet Aben-Esra: *quod in via ista duo aquarum fontes essent, qui portarum similitudinem haberent, quos in reditu in suum locum praeteriri Juda debuit.* Vel פֶּתַח עֵינַיִם esse potest *aditus ad duos fontes.*

15. 17. *Cum autem conspexisset eam Juda, eam habuit pro meretrice, quia texerat faciem suam*, quod moris fuisse videtur meretricibus. *Mulier autem erat operto capite*, ut ait Petronius, de seortatrice quadam proseda loquens. — 17. אִם־תִּתֵּן עֵרָבוֹן עַד שָׁלְחֵךְ *Si dederis pignus*, s. *arrhabonem* (quae vox videtur ex hac lingua in Graec. et Lat. translata) *donec miseris*, subaudi: mei copiam tibi faciam.

18. 21. חֹתָמְךָ *Sigillum tuum*, annulum signatorium, *δακτυλίον*, sine quo fere veteres non erant. Herodot. 1, 195. de Babyloniis: *σφραγῖδα δ' ἔκαστος ἔχει, καὶ σκῆπτρον.* וּפְתִילֶךָ *Et funiculum tuum*, de quo annulus signatorius pendebat, ut etiamnum illa in regione moris est. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 183. — 21. קְדֵשָׁה proprie significat eam, quae in numinis cujusdam ho-

norem corpore suo quaestum faciebat. Ex pecunia, quam tales acquisiverant, numini sacra fiebant. Talis erat Deae Mylittae apud Babylonios cultus, vid. Herod. 1, 199. et Astartae apud Cananaeos, cf. Hos. 4, 14. Deinde vero קְדֵשָׁה dicebatur quaecunque *meretrix publica.*

23. 24. תִּקַּח־לָהּ *Accipiat sibi*, habeat pignora; nam facile est colligere, velle eam sibi retinere et longe praeferre hoedo, quem promisi. פֶּן נִהְיֶה לָבוּז *Ne simus contemtui*, s. ludibrio. Si diligentius eam quaesieris, potcrit res tota vulgo innotescere, et ita traducar, quod ob rem tam levem tot pignora ei reliquerim. Ego sanc fidem meam liberavi. — 24. כְּמִשְׁלֹשׁ חֳדָשִׁים *Juxta ternarium mensium*, circiter tertium mensem a scortatione admissa. כ hic est conjecturale, ut saepe alias. הוֹצִיאוּהָ וְתִשָּׂרֵף *Educite eam, et* s. *ut comburatur.* Videtur id tum moris fuisse, ut adulterae comburerentur; neque enim eam nunc primum poenam in nurum statuerit Juda. Non vivam comburendam fuisse Thamarem, sed postquam lapidata fuerit, J. D. Michaelis in *Jure Mos.* §. 235. colligit e loco Jos. 7, 15. 25. (coll. Dan. 7, 11.). Ceterum rea adulterii habebatur Thamar, quod Selae ut marito destinata esset. E lege Mosaica puella desponsata, quae ab alio sibi virginitatem rapi patiebatur, lapidibus obruebatur, Deut. 12, 21. Ceterum ante constitutam Hebraeorum rempublicam judicia in libcros fuerunt penes patres familias, ut olim apud Romanos; ut igitur Juda ultimum supplicium in Thamarem nurum ipse decernere potuerit. Videtur autem Judas avide adripuisse occasionem perdendae honeste Thamarae, morte duorum filiorum ei collocatorum immerito invisae.

25. 26. הָרָה—לָאִישׁ *Viro*, i. e. ex viro, *cujus haec sunt ego sum gravida.* אֵלֶּה *Haec*, sc. pignora, quae in hunc usum diligenter custodiebat, ut suo tempore proferret ad innocentiam suam comprobandam. — 26. צָדְקָה מִמֶּנִּי *Justior est me*, justiorem causam habet. כִּי־עַל־כֵּן לֹא־נְתַתִּיהָ *Propterea quod non dedi eam.* וְלֹא וגו׳ *Nec adjecit ultra cognoscere eam.* Quemadmodum, etiam ante Legem, patrem cum filia concumbere nefas habebatur; interdicta quoque socero fuit nurus, quae matrimonio cum ejus filio instar ejus filia evasit. Neque ulli alii Judae liberi Aegyptum ingressi referuntur, praeter Selam, et duos Thamaris filios, 46, 12. Num. 26, 19. 22.

27. 28. *Factum est tempore partus ejus (ecce* autem, *erant gemelli in ejus utero).* In parenthesi haec legenda. Tum repetitur Vs. 28.: וַיְהִי בְלִדְתָּהּ *Et factum est dum pareret.* — וַיִּתֵּן *Deditque*, exseruit *manum*, sc. unus gemellorum, *cepitque obstetrix* sc. *manum.* Alii utrumque verbum ad שָׁנִי referunt hoc modo: *cepitque obstetrix coccineum* filum *idque alligavit manui ejus.* שָׁנִי *Coccus* hic pro חוּט הַשָּׁנִי *filo cocci*, coccineo, ponitur. De שָׁנִי cf. not. nostra ad Bochartı *Hieroz.* T. III. pag

527. sqq. ed. Lips. Obstetrix autem ita egisse videtur, ut cognoscret uter esset primogenitus, eum videlicet, qui prius manum protulisset.

29. 30. אָחִיו — וַיְהִי *Et factum est cum retraheret* prior ille *manum suam*, *et ecce exiit*, interim prodiit *frater ejus*. Praefixum כְּ ante מְשִׁיב tempus denotat, licet hoc fere fiat, quando Infinitivo praeponitur, non quando Participio. Et hic quidem כְּמֵשִׁיב idem erit, quod בְּהָשִׁיב. Similes phrases vid. in Gesenii *Lehrgeb.* p. 893. מַה פָּרַצְתָּ עָלֶיךָ פָּרֶץ *Quid rupisti? super te est haec ruptura.* Accentus distinctivus Tiphcha, voci מַה־פָּרַצְתָּ appositus, monet, divisim legenda esse haec verba; quasi dicat obstetrix: ejus eruptionis causa ego non habear, sed tu, qui sponte egredieris. Quod dixit forsan, quia adultus Zerachus negotium ei facessere potuisset, quod ejus culpâ, quem primogenitum oportebat esse, is posterior natus esset. Quanti momenti essent apud illius aevi homines πρωτοτόκια, exemplo Jacobi et Esavi aliorumque satis notum est; cf. ad 25, 31. Praepos. עַל cum adfixo pronomine culpam incumbentem designat, cf. ad 16, 5. — 30. זֶרַח nomen inde accepit, quod primus ortus esset, seu apparuisset exserta manu; Hebr. Vb. est *oriri*, et de sole potissimum exoriente usurpatur.

3. *Josephus apud herum Aegyptium fit procurator. Ab hera frustra tentatus et falso accusatus in carcerem conjicitur, ubi inspectoris gratiam sibi conciliat. Cap.* 30.

Cap. 39, 1. 2. וְיוֹסֵף הוּרַד מִצְרַיְמָה *Deductus igitur erat*, uti 37, 36. dictum est, *Josephus Aegyptum.* E Cananaea Aegyptum migrantes dicuntur *descendere*, quod a borea ad austrum proficiscuntur, cf. ad 38, 1. מִיַּד הַיִּשְׁמְעֵאלִים *e manu Ismaelitarum*, qui in eadem societate fuerunt cum Midianitis, cf. ad 37, 28. 36. — 2. וַיְהִי יְהוָה אֶת־יוֹסֵף *Eratque Jova cum Josepho*, i. e. ei auxiliatus est, ut 21, 20. וַיְהִי אִישׁ מַצְלִיחַ *Fuitque vir prosperans*, sc. דַּרְכּוֹ *viam suam*, quae vox aliquando additur, ut 24, 40. 56., unde fit, ut Vb., quamquam inflexione activum, neutro sensu intelligatur de eo, cui prospere omnia cedunt. — וַיְהִי בְּבֵית אֲדֹנָיו הַמִּצְרִי *Fuitque in domo heri sui Aegyptii.* Quibus verbis indicatur, Josephum non fuisse rusticis operis adhibitum, sed domestica tractasse negotia. אֲדֹנָיו proprie *dominorum suorum*; non est dubium, Pluralem honoris causa adhiberi; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 663.

3. 4. אֲשֶׁר — וַיַּרְא *Et vidit dominus suus, Jovam ei adesse.* Suis verbis alienam cogitationem descripsit Moses. Eodem res redit, ac si dixisset, Potipharem animadvertisse, Numen, quodcunque tandem esset, et quocunque nomine appellaretur, quod colebat Josephus, ei adesse. Cf. ad 26, 28. Hic vero semel observasse sufficiat, in tota hac, quae de Josepho agit pericopa, scripto-

rem, ubi ipse de Deo loquitur, nomine יְהוָה uti (Vs. 5. 21. 23.), nomen אֱלֹהִים vero ponere, ubi aut Josephum (Vs. 9. 40, 8. 41, 16. 25. 28. 32. 43, 23. al.), aut Josephi fratres (42, 28.), aut denique Pharaonem (41, 38. 39.), loquentes inducit. וְכֹל אֲשֶׁר וגו׳ *Et omne, quod ipse faceret, Jovam prosperare in manu ejus*, prosperum ei successum dare omnium, quae ageret. Hic מַצְלִיחַ active sumitur (cf. ad Vs. 2.), ut Ps. 1, 3. — 4. בְּעֵינָיו *In oculis ejus*, sc. domini sui. LXX. *ἐναντίον τοῦ κυρίου αὐτοῦ*. וַיְשָׁרֶת אֹתוֹ *Et ministravit ei.* Significat Josephum adhibitum fuisse, ut ipse heri sui personae ministraret, quod magis honorificum fuit. וַיַּפְקִידֵהוּ עַל־בֵּיתוֹ *Praeposuitque eum domui suae*, quod eum aedificia, tum domesticos, s. servos, significat. Talis servus Romanis dicebatur *Atriensis*, qui rebus omnibus heri sui erat praefectus, et solis heri imperiis erat attentus. In verbis וְכָל־יֶשׁ־לוֹ omissum est אֲשֶׁר ante יֶשׁ, ut alias saepissime.

6. 8. וְלֹא־יָדַע — אוֹכֵל *Nec scivit cum eo quidquam nisi panem, quo vescebatur.* Aben-Esra putat, intelligi, omnia Josepho concredita fuisse, excepto pane et cibo heri, quem ne attingeret quidem, quia abhorrebant Aegyptii convesci cum Hebraeis, 43, 32. Sed servum verisimile est, excepta religione, Aegyptiaco more vixisse, neque cibos ab eo porrectos aversatum; nam ad unam mensam Josephum cum hero sedisse non est credibile. Simplex sensus est, ignorasse herum, quid rerum domi suae ageret Josephus, omnibus ei concreditis; non aliud curabat, quam ut cibum sumeret. וַיְהִי — מַרְאֶה *Fuit autem Josephus pulcher forma et pulcher adspectu.* Est *παρασκευή* ad ea, quae sequuntur. — 8. הֵן — בַּבַּיִת *En herus meus non novit mecum, quid sit in domo*, i. e. mihi omnium cura relicta, rationem nullius rei a me postulat. Pro מֶה־בַּבַּיִת Codice Sam.: מאומה בביתו, LXX. quoque: *οὐδὲν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ*.

9. 11. אֵינֶנּוּ — אֶשְׁתּוֹ *Non est ipse major in domo hac quam ego*, eadem, quae ipsi est, me ornavit potestate; *nec prohibuit a me quicquam nisi te, in eo quod es ejus uxor*, q. d. ne te quidem mihi prohibuit in negotiis domesticis; sed in hoc te mihi prohibuit, quatenus es ipsius uxor, ne te attingam. — 11. וַיְהִי כַּהַיּוֹם הַזֶּה *Factum est juxta diem hunc.* Non praesens tempus significatur (ut Deut. 6, 21.), sed ellipsis est, pro כְּהַיּוֹם כָּזֶה וְכָזֶה *die hac vel illa* (Jud. 18, 4.), i. e. aliquando; accidit quadam die.

14. וַתִּקְרָא לְאַנְשֵׁי בֵיתָהּ *Vocavit viros domus ejus*, i. e. domesticos. Ut ne ab Josepho accusaretur, eum antevertit; tum etiam sui contemtum ea ratione ulcisci voluit. Eodem modo, quo Hippolytum a Phaedra accusatum narrant poetae. Vide Senecae *Hippolytum* Vs. 717. sqq. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* ad h. l. Pro לְאַנְשֵׁי in cod. Sam. Genovefensi Parisino legitur לנשו *(mulieres* gynaecci), librarii vitio; statim enim sequitur לָהֶם, Pron. mascu-

linum. רְאוּ — עִבְרִי *Videte, adduxit*, sc. maritus, *nobis virum Hebraeum.* Invidiose hoc dicit, quod Hebraei Aegyptiis essent abominationi. Nec exprimit quis adduxerit, invidiae et irae causa, quasi et marituu incuset, qui tantam Hebraeo domi suae potestatem dederit, qua nune abutatur. לְצַחֵק בָּנוּ *Ad illudendum nobis*, quod hic obscoenitatis notam habet, quod additur, בָּא אֵלַי לִשְׁכַּב עִמִּי *venit ad me, ut cubaret mecum.* Praepos. לְ ante צַחֵק *ἐκβατικῶς* posita est. Neque enim credere, aut simulare se credere potuit haec mulier, virum eo animo, ut uxoris pudicitia tentaretur, servum emisse. Itaque sensus est: servum adduxit, qui mihi et ipsi contumeliam facere adgressus est. Ita לְ sumitur Ex. 17, 3. Lev. 20, 3. Num. 32, 14. Utitur Potipharis uxor pronomine 1. pers. plur. בָּנוּ, quo se cum tota familia conjungit, commune faciens hoc factum, quamquam ipsa potissimum contumelia afficeretur.

15. 17. Pro אֵצְלִי cod. Sam.: בִּידִי *in manu mea*, ut Vs. 12. 13. — 17. לְצַחֵק בִּי *Ut mihi illuderet.* Quae verba hic etiam conjungi possent cum his vocibus: אֲשֶׁר הֵבֵאתָ לָנוּ, eo modo quo Vs. 14.; attamen commodius nectuntur cum praecedentibus: בָּא אֵלַי *venit ad me.*

20. Nomen סֹהַר, cui ipse Moses statim interpretationem adjecit, non occurrit nisi h. l., Vs. 20 — 22. et 40, 3. 5. Nonnulli pro voce Aegyptiaca habuerunt, *custodiam vinctorum* significante, quum et alias voec. exotica Hebraeis exponi soleant, uti Esth. 3, 7. 8, 10. Haud repudianda videtur Hebraeorum sententia, בֵּית הַסֹּהַר esse *domum rotunditatis*, rotundam, i. e. vel fornicatam, testudinatam, vel *turrem*, coll. אַגַּן הַסַּהַר *calix rotunditatis*, i. e. rotundus, Cant. 7, 3. Vel, uti censet Gesenius in Lex., est non diversum a סָהַר (nam gutturales literas ה et ח in dialectis haud raro inter se permutari constat), a סָהַר *circumivit*, *munivit*, unde Syris סְהַרְתָּא *munimentum*, *arx*, *palatium.* LXX. *ὀχύρωμα.* סחר exhibent quoque plura cod. Sam. exempla. — מְקוֹם אֲסוּרִים *Locum*, in *quo* sunt *regis vincti*, i. e. qui regem offenderunt, ex ejus maxime aulicis et domesticis, unde quia herus Josephi erat ex domesticis regis, eum huc conjecit. Pro אֲסוּרֵי Masorethae jubent אֲסִירֵי legere, nullo tamen in cod. Sam. hic discrimine, in quo utrobique per ו scribitur. Potiphar non dedit neci Josephum (uti exspectasse uxorem illius credibile fuerit), sed quia rem forsan in dubio adhuc putaret, servi vitae pepercit. In carcere tamen eum detinebat, ut uxoris honori et suo consuleret.

21 — 23. וַיִּתֵּן וגו׳ *Et dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris*, gratiosum eum reddidit praefecto carceris. חֶסֶד valet i. q. usitatius חֵן לוֹ, *gratiam ei.* — 22. וְאֵת כָּל־אֲשֶׁר וגו׳ *Et omne quod facientes* erant illic, quidquid fiebat (ex noto Hebraismo, quo activum plurale pro Passivo, seu Impersonali ponitur), *ipse faciebat*, per illum, jussu ejus, fiebat. — 23. — אֵין בְּיָדוֹ *Non videbat praefectus carceris omne quidquam in manu*

ejus, non curabat, quid per illum ageretur, ejus arbitrio et prudentiae omnia committens. Similes phrases vid. Vs. 6. 8. בַּאֲשֶׁר יְהוָה אִתּוֹ pro בַּעֲבוּר אֲשֶׁר יְהוָה אִתּוֹ *propterea quod Jova ei adesset.*

4. *Josephus duobus regis Aegypti aulicis in carcerem conjectis somnia interpretatur. Cap.* 40.

Cap. 40, 1. וַיְהִי — חָטְאוּ *Factum est post res hasce peccarunt*, i. c. ut peccarint, quasi וְחָטְאוּ positum esset. Sed aliquando post וַיְהִי reperitur Verbo sequenti praemissum ו, aliquando omissum, ut hic. מַשְׁקֵה — וְהָאֹפֶה *Pocillator regis Aegypti et pistor*, nimirum praefecti iis, qui pincernarum et pistorum ministeria in regia obibant, coll. Vs. 2. 7. 9. 16. Hi vero Pharaonis purpurati cum servis non sunt miscendi; ejusmodi enim ministeria apud reges ab ingenuis solebant obiri. Apud Persas Cambysi Proxaspis, quem praecipuo honore colebat rex, filius fuit *οἰνοχόος· τιμὴ δὲ*, ait Herodotus 3, 34., *αὕτη οὐ σμικρή*. Qua in re, quove peccati genere aulici illi regem offenderint, nescitur. Verisimile autem est, grave aliquod illos in suo munere commisisse, et in suspicionem venisse criminis, quo vita regis peteretur.

3. 4. וַיִּתֵּן — הַטַּבָּחִים *Et dedit eos in custodia domus principis spiculatorum*, i. c. in carcere, quod in domo praefecti satellitum regiorum erat; nec enim aedificia publica detinendis captivis destinata hodienum ubique in Orientis regionibus reperiuntur; sed habet Praefectus urbi suarum aedium partem captivis custodiendis aptatam; cf. Jer. 37, 15. et vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 288. בְּמִשְׁמָר in regimine positum est, licet notatum sit Accentu distinguente (Rbia). Nam ubi quatuor voces arctius invicem cohaerentes ponuntur, duae posteriores Accentum conjunctivum appositum habent, eas autem quae proxime praecedit vox Accentu distinctivo minori, et omnium prima distinctivo eo majori notatur. Ceterum שַׂר הַטַּבָּחִים qui hic et Vs. 4. memoratur, vix credibile est fuisse Potipharem (cf. ad 37, 36.). Quare munus *praefecti spiculatorum* ad duos aut plures viros pertinuisse, vel etiam, qui hic memoratur שַׂר הַטַּבָּחִים, Potiphari in isto munere successisse videtur. — 4. וַיִּפְקֹד — אִתָּם *Praefecit autem princeps spiculatorum Josephum cum illis*, i. c. ut esset cum iis; neque enim eum illis praefecit, ut iis superior esset, sed hoc ei munus demandavit, ut assiduus apud illos esset, וַיְשָׁרְתֵם *et ministraret iis*, omnia iis necessaria suppeditaret, et eorum curam ageret. וַיְהִי יָמִים בְּמִשְׁמָר *Erantque dies* sc. complures *in custodia*, carcere. יָמִים Hebraei fere *annum integrum* intelligunt, ut 1 Sam. 1, 3. 7. 2, 19. 2 Chr. 21, 19. Hic tamen indefinite *tempus aliquod* esse videtur, ut Num. 9, 22. 1 Sam. 29, 3.

5—7. Verba וַיַּחַלְמוּ חֲלוֹם שְׁנֵיהֶם inversim sunt intelligenda, i. e. וַיַּחַלְמוּ שְׁנֵיהֶם חֲלוֹם *somniarunt ambo somnium* (ut

חֲלוֹם sit status absolutus), statim enim additur: אִישׁ חֲלֹמוֹ *vir*, i. e. quisque *somnium suum*, quasi dicat: habuere ambo insomnia, quisque suum, eadem nocte, אִישׁ כְּפִתְרוֹן חֲלֹמוֹ *quisque juxta interpretationem sui somnii*, i. e. juxta id quod per illud indicabatur. פִּתֶּר cum derivatis non nisi de somniorum interpretatione in V. T. reperitur, unde hoc tantum Capite, et proximo, ubi somniorum fit mentio, legitur — 6. וַיַּרְא אוֹתָם וְהִנָּם זֹעֲפִים *Et vidit eos, et ecce ipsi*, i. e. erant *irati*, tristes, commoti, turbati. — 7. רָעִים idem quod זֹעֲפִים. Vulgatus bene: *cur tristior solito est hodie facies vestra?*

8. 10. הֲלֹא לֵאלֹהִים פִּתְרֹנִים *Nonne Deo interpretationes?* i. e. nonne Dei est, somnia interpretari? Loqui videtur Josephus ex Aegyptiorum sententia, qui, teste Herodoto 2, 83., existimarunt, *ad hominem nullum pertinere artem divinandi, sed ad certos Deos.* Videntur hujusmodi interpretationes Dei alicujus spiritui tribuisse, qui sacerdotes, aut alios subiret. Ne Chaldaei quidem ab hac sententia abhorrebant. Vid. Dan. 12, 17. 30. 4, 6. — 10. וְהִוא כְּפֹרַחַת וגו׳ *Et ea quasi gemmans, adscendit flos ejus, et maturaverunt racemi uvae*, i. e. ea germinans eliciebat florem, unde uvarum racemi maturescebant. כְּפֹרַחַת *Quasi efflorescens*, visa est mihi florere; alii ad veritatem rei magis, quam ad similitudinem *Caph*, ut saepe, pertinere, vel ad tempus (ut 38, 29. in כְּמֵשִׁיב יָדוֹ), hoc sensu: et ipsa cum effloresceret, s. mox ut efflorüisset, ascendit, et abiit flos in gemmam. פֶּרַח est *flos*, נֵץ autem id quod flore discusso subnascitur; h. l. *gemma*, quae proprie בֹּסֶר aut סְמָדַר appellatur; Jes. 18, 5. Num. 17, 23. הִבְשִׁילוּ אַשְׁכְּלֹתֶיהָ עֲנָבִים *Coxerant*, ad maturitatem produxerant, *ejus botri uvas*, ut quum haec simul visa sint accidere, aut certe non longo post se invicem intervallo; quod non diu differendam rem significatam ostendebat.

11. 12. וָאֶקַּח — אֶל־כּוֹס פַּרְעֹה *Et accepi uvas et expressi eas in calicem Pharaonis.* שָׂחַט h. l. tantum obvium non differt a Chald. סְחַט *expressit.* Aegyptii ante Psammetichi regis aetatem neque ipsi biberunt vinum, neque Diis libarunt, a sacerdotibus docti, vino inesse pestiferi aliquid, neque a Deo, sed a genio malo (Typhone), Diis et hominibus inimico, illud inventum esse, Plutarcho testo, *de Iside et Osiride*, §. 6. Ὡς οὐ φίλιον θεοῖς, inquit, ἀλλ' ὡς αἷμα τῶν πολεμησάντων πότε τοῖς θεοῖς, ἐξ ὧν οἴονται πεσόντων καὶ τῇ γῇ συμμιγέντων ἀμπέλους γενέσθαι. Divites tamen succum ex uvis recentibus expressum, uti hodie Mohammedani, bibere solebant. Vid. Michaelis *Jus Mos.* P. IV. §. 190. — 12. שְׁלֹשֶׁת וגו׳ *Tres palmites sunt tres dies.* Pronomen הֵם, ut alias passim, verbi substantivi vice fungitur. Perinde est, ac si diceret, tribus palmitibus (et Vs. 18. tribus canistris) tres dies significari.

13. 14. בְּעוֹד — רֹאשְׁךָ *In adhuc tribus diebus*, intra tres dies, *tollet Pharao caput tuum*, quod non denotat attollet,

evehet te, licet eo sensus recidat, sed, ex usu loquendi Hebr. *ferre*, vel *tollere caput* est censum agere, lustrare ac numerum inire (Vs. 20. Ex. 30, 12. Num. 1, 49.); censebit et numerabit te inter servos ac ministros suos; subibit tui apud illum memoria inter recensendum alios. Ita LXX. Hieronymus et Onkelos. וְהֵשִׁיבְךָ עַל־כַּנֶּךָ *Et reducet te super basin tuam*, pristino tuo statui et dignitati te restituet. — 14. Hunc Vs. plerique deprecatorie intelligunt, ut Particula composita כִּי אִם capiatur pro *tantum*, *modo*, vel pro *sed;* ut hic sit sensus: *tantum*, s. *sed mei apud te recorderis*, *cum tibi bene fuerit*, *et me hinc educito.* Sed potest כִּי אִם et propia sua potestate, *quia si* capi, ut Vs. 13. et 14. ita cohaereant: tibi sane ita certo praedico fore, ut tuo loco restituaris, ac tanta gratia et auctoritate polleas apud Pharaonem, ut, si vel exiguam, mei recordatus, mentionem nominis mei apud illum suggesseris, non dubitem te protinus effecturum, ut ex hoc carcere liberer. Ita ו ante חוֹצְאתֻנִי Latine abundabit, et tantum convertet, non copulabit.

15. כִּי — הָעִבְרִים *Nam furto sublatus sum e terra Hebraeorum.* Non Cananaea tota h. l. intelligi potest, sed regio tantum circa Hebronem et Mamren, seu tractus Palaestinae australis, in quo Abrahamus, Isaacus et Jacobus sunt commorati. Quamquam autem erant peregrini, eorum tamen censeri potuerunt ii agri, in quibus tentoria ut plurimum fixa habebant; praesertim quum a multis annis ea loca, consentientibus veteribus colonis, tenerent. Noluit autem Josephus se e terra Cananaea sublatum dicere, ne Cananaeum se videretur profiteri, a qua gente abhorrebat. וְגַם־פֹּה וגו׳ *Neque quicquam hic feci, quod me posuerint in fossam*, s. *puteum*, hunc. בּוֹר proprie videtur appellatus esse locus cisternae similis in carcere, in quem demittebantur captivi aut rei, quos male habere animus erat; cf. Jer. 37, 16. 38, 6. Hic vero Josephus per synecdochen totum carcer videtur בּוֹר appellare, quum (coll. 39, 20.) non sit credibile, illum in tam dura custodia detentum fuisse.

16. וַיַּרְא — פִּתָּר *Quum autem vidisset princeps pistorum, quod bene interpretatus esset*, jucunda videlicet et laeta; id enim טוֹב hic denotat. LXX. ὀρθῶς. Minus recte; neque enim scire poterat pistor, verane esset an falsa interpretatio, ante eventum. סַלֵּי חֹרִי plures exponunt: *canistra candoris* (חוּר est *candidum* Esth. 1, 6. 8, 15. coll. Chald. חִוָּרָה Dan. 7, 9.); quod alii ad colorem canistrorum referunt, ut significentur ex virgis decorticatis contexta, alii vero ad opificia pistoria, quae illis canistris continebantur, ut albi e candidissima farina panes sint intelligendi. Ita LXX. *καλὰ χονδρίτου*, i. e. *canistra, in quibus panes ex chondro*, i. e. *alica vel zea facti, erant.* Sed quum Vs. 17. dicatur, in summo tantum canistro ex tribus, quae capiti imposita gestaret pistor, omne opus pistoris fuisse; tria

canistra ab eduliis, quae continebant, non potuerunt סַלֵּי חֹרִי dici. Rectius igitur חֹרִי derivatur a חוֹר *foramen*, ut סַלֵּי חֹרִי sint *canistra perforata*, quae inter virgas, e quibus sunt plexa, sparsa interjacent; sive *canistra foraminosi operis (Körbe von durchbrochener Arbeit).* עַל־רֹאשִׁי *super capite meo.* Apud Aegyptios moris erat, ut onera viri capitibus, feminae humeris gestarent, Herodoto referente, 2, 35.

19—21. יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת־רֹאשְׁךָ מֵעָלֶיךָ *Tollet Pharao caput tuum desuper te.* In quibus verbis ἀμφιβολία est et detorsio phraseos Vs. 13. usurpatae ad sensum infaustum. Dicit ergo: *recensebit caput tuum;* sed inexspectato addit מֵעָלֶיךָ *desuper te*, quo ostenditur, *levare caput* esse id auferre. Caput ab aliquo auferri dicitur, etsi non praecidatur, cum supplicio extremo afficitur. Latini quoque *capite plecti* aliquem dicunt, cum mortis ei poena infertur. וְתָלָה אֹתְךָ עַל־עֵץ *suspendet te super ligno*, cruci te affiget. *Crux* seu *patibulum* Latinis quoque in ritualibus libris *arbor* et *arbor infelix* dicitur. — 20. יוֹם הֻלֶּדֶת אֶת־פַּרְעֹה *Dies*, quo contigerat *nasci Pharaonem*, dies ejus natalis, natalitia, ut Ezech. 16, 4. וַיַּעַשׂ מִשְׁתֶּה לְכָל־עֲבָדָיו *Ut convivium fecerit omnibus servis*, ministris *suis*. Hinc liquet, antiquissimum esse morem, diem natalem quotannis solenni lactitia et epulis celebrandi, quem apud Persas suo aevo obtinuisse prodit Herodot. 1, 133. De phrasi נָשָׂא רֹאשׁ cf. ad Vs. 13. — 21. וַיָּשֶׁב — מַשְׁקֶהוּ *Ac restituit praefectum pocillatorum super poculum suum*, s. *propinationem suam*, i. e. suo muneri ministrandi in poculis. מַשְׁקֶה hic est Nom. Subst., quum Vs. 1. esset Adjectivum.

5. *Josephus Pharaonis somnia bene interpretatus, e carcere liberatur totique regno praeficitur.* *Cap.* 41.

Cap. 41, 1. 2. וַיְהִי מִקֵּץ שְׁנָתַיִם יָמִים *Factum autem est a fine*, s. *post finem biennii dierum*, i. e. evoluto biennio. יָמִים additur, ut biennium plenum et absolutum intelligatur. Cf. ad 29, 14. Intervalli hujus initium inchoandum videtur ab eo tempore, quo pocillator regis e carcere est liberatus; sunt enim haec cum ultimis Cap. 40. verbis connexa. וּפַרְעֹה חֹלֵם וגו׳ *Et Pharao somniabat, et ecce stabat ad fluvium.* יְאוֹר est Nom. (Aegyptium) *Nilo* proprium et peculiare. Significat sc. in lingua Aegypt. *IAPO fluvium.* Ipsi Aegyptii videntur maximum illum et unicum regionis suae fluvium in communi sermonis usu tantum vace *IAPO* designasse. — 2. פָּרוֹת — וְהִנֵּה *Et ascendebant e Nilo septem vaccae.* Ex Nilo ascendere vidit vaccas, ubertatis et famis symbola; quia prout Nilus inundat agros, aut lactae aut rarae Aegyptiis surgunt segetes. Vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. p. 188. Neque sine ratione est, quod *vaccas* vidit. Nam in arcana Aegyptiorum per imagines expressa scriptura agriculturae et alimenti signum est bos, uti refert Clemens Alexandr. *Strom.* V. p. 413.

ed. Sylb. וַתִּרְעֶינָה בָּאָחוּ *Et pascebant in ulva.* אָחוּ est voc. Aegypt., *omne quod in palude virens nascitur*, significans. Quod confirmant in hodierna lingua Coptica servatae veteris sermonis Aegyptiaei reliquiae; vid. P. E. Jablonskii *Opuscc.* P. I. p. 46. LXX. *ἐν τῷ Ἄχει*, pro quo in aliis exemplaribus male *ἐν τῇ ὄχθῃ*, *in ripa.*

3. 6. דַּקּוֹת בָּשָׂר *Tenues carne.* In textu Sam. et in paucis quibusdam Codd. Hebrr. legitur רַקּוֹת, ut in Hebraeo Vs. 19., quod in hac tantum narratione legitur, et ex Arab. lingua explicandum est, in qua רַק *tenuem esse*, et רקאק, atque רקיק *tenuem* significat. — 6. וּשְׁדוּפֹת קָדִים *Et Euro adustae.* LXX. *ἀνεμόφθοροι.* Hieronymus h. l. et aliis in locis vertit *ventum urentem.* Bene. Nam hic ventus adurens, in Aegypto praecipue et Arabia flans, segetes corrumpit. Cf. Niebuhr *Beschr. v. Arab.* p. 8. צָמְחוֹת אַחֲרֵיהֶן *Germinabant post illas*; non dixit עָלוֹת, ut Vs. 6., quod non vidit hasce spicas paulatim erescere, aut ad justam magnitudinem pervenire, ut solent plantae, quae sanae et succulentae sunt.

8. 9. וַתִּפָּעֶם רוּחוֹ *Et consternatus*, in omnem veluti partem agitatus *fuit animus ejus.* LXX. *ἐταράχθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ.* De Verbo פָּעַם cf. Ps. 77, 5. וַיִּקְרָא — מִצְרַיִם *Et vocavit omnes obscurorum interpretes Aegypti.* Voc. חַרְטֻמִּים quidam derivant a Syr. et Aram. verbo חוּר *vidit*, inde *explanavit*, *interpretatus est*, et a טוּם, Hebraice טָמַן *clausit*, *obstruxit*, *abscondidit*; ut designentur *rerum latentium et obscurarum interpretes.* Alii חַרְטוּם haud diversum putant a Persico *Chiredmand*, quod *intelligentem*, *sapientem* significat. Alias etymologias vide in Bochartı *Hieroz.* T. III. p. 468. et quae nos ibi annotavimus; cf. Jablonskii Opusce. P. I. p. 401. Fuere sacerdotes Aegyptiorum in tres divisi ordines; primi erant *προφῆται*, post hos *ἱερογραμματεῖς*, *sacrarum scripturarum periti*, tertii *νεωκόροι*, *templorum custodes.* *Ἱερογραμματέων* erat peritia scripturae hieroglyphicae, et quum in ea omnis doctrina, theologia et philosophia Aegyptiorum contenta esset, Pharaonem illos arcanae scripturae peritos credibile est consuluisse, persuasum, numen, quod ei somnium immisisset, iis imaginibus usum fuisse, quae in hieroglyphica disciplina essent usitatae. LXX. *ἐξηγητάς*, quo voc. apud Graecos designatur *ὁ περὶ ἱερῶν καὶ διοσημείων ἐξηγούμενος.* — 9. חֲטָאַי אֲנִי מַזְכִּיר הַיּוֹם *Memor hodie sum peccatorum meorum.* Intelligit oblivionem beneficii a Josepho in carcere accepti.

13. 14. אֹתִי הֵשִׁיב עַל־כַּנִּי *Me restituit in statum meum*, sc. Pharao. Alii: *Josephus me restituit in statum meum et illum suspendit*, h. e. utrumque praedixit. Verum sermo non est de praedictione, sed de rei eventu. — 14. וַיָּרִיצֻהוּ מִן־הַבּוֹר *Et fecerunt eum currere e puteo*, i. e. festinanter e carcere eductus est. De בּוֹר cf. ad 40, 15. — וַיְגַלַּח וַיְחַלֵּף שִׂמְלֹתָיו *Et totondit se*

et mutavit vestes suas. Aegyptii enim non, uti Hebraei, barbam promittere solebant, sed eam tondebant; nisi in luctu et captivitate. Cf. Herod. 2, 36.

16. 19. בִּלְעָדָי וגו׳ LXX. ἄνευ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ, quasi לֹא יַעֲנֶה legissent, et negandi particula inserta legitur et in cod. Sam., consentientibus interprete Samaritano et Syro. Sed monet Hieronymus, in Hebraeo sic haberi: *sine me Deus respondebit pacem Pharaoni*, additque Symmachum apertius transtulisse: *non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaonis.* Recte enim connectendum est בִּלְעָדָי cum verbis, quae sequuntur, unde et Masorethae illi Accentum distinctivum majorem Athnach apposuerunt. Seorsim igitur est capiendum: *praeter me*, s. *sine me*, subaudi: hoc fieri poterit; sed *Deus respondebit pacem Pharaonis.* Soli Deo gloriam exponendi somnii tribuit (quomodo et Daniel 2, 27. 30. fecit), q. d.: absque me poterit Deus Pharaoni felicia annunciare, per alios, quibus quid illo somnio significetur, patefaciat. Ceterum quod Josephus dicit, Deum fausta annunciaturum esse regi, quum tamen somnium nondum audisset, bene illi ominatur, et regem fausta salutatione compellat. — 19. De רַקּוֹת cf. ad Vs. 3.

21. 23. וּמַרְאֵיהֶן nonnulli capiunt in Sing., quasi tertia radicalis ה ante Suffixum in Jod transiisset. Sed Aben-Esra in Plur. capit et exponit distributive *adspectus cujusque earum.* — 23. צְנֻמוֹת est ἅπαξ λεγ. LXX. non expresserunt; nam quod in codice Coisliniano et duobus aliis legitur: χατεφθαρμένοι *vitiatae*, vix dubium est alius esse Graeci interpretis, quum nec ab Hieronymo nec a Coptico interprete exprimatur. Voc. צְנֻמוֹת Jarchius hanc explicat ex Aramaea voce צוּנְמָא s. צִנְמָא *rupes*, ut denotentur *aridae* spicae instar rupis. אַחֲרֵיהֶם *post eas*, sc. spicas plenas, cum Suffixo *masculino*; at Vs. 6., ubi eadem habentur, sed cum Suffixo feminino, אַחֲרֵיהֶן, ut hic quoque legitur in cod. Sam. Esse שִׁבֳּלִים feminei generis nomen, ostendunt adjectiva feminina ei juncta; hic vero terminationis masculinae videtur ratio haberi.

24 — 26. וְאֵין מַגִּיד לִי *Nec est, qui mihi indicet*, sc. הַפִּתָּרוֹן *interpretationem.* — 25. חֲלוֹם פַּרְעֹה אֶחָד הוּא *Somnium Pharaonis est unum*, i. e. ejusdem significationis. Id quod magos fefellit, quia duo somnia diversae significationis esse conjectabant. — 26. שֶׁבַע שָׁנִים הֵנָּה *Septem anni sunt*, i. e. designant septem annos, videlicet ubertatis, שְׁנֵי שָׂבָע. Forsan, quod solita esset in Aegypto feracitas, ejus non meminit diserte. חֲלוֹם אֶחָד הוּא *Somnium unum est.* Hoc de prima utriusque somnii parte est intelligendum, quod eodem spectet.

27 — 29. יִהְיוּ שֶׁבַע שְׁנֵי רָעָב *Erunt septem anni famis.* Dicit in Futuro יִהְיוּ, non הֵנָּה, quod non ita prope essent anni famis, sed successuri annis ubertatis, qui jamjam instent. — 28. *Id est*

verbum, quod, ea res, quam *sum loquutus* initio statim *ad Pharaonem, quod*, sc. *id quod Deus facit ostenderit Pharaoni*, quod facturus est deinceps. — 29. Verba הִנֵּה — גָּדוֹל plene ita erant exprimenda: הִנֵּה שֶׁבַע שָׁנִים בָּאוֹת אֲשֶׁר יִהְיֶה בָהֶם שָׂבָע גָּדוֹל *ecce! septem anni veniunt, in quibus futura est magna abundantia annonae.*

30. 31. וְקָמוּ *Et surgent*, i. e. postea succedent his. וְנִשְׁכַּח וגו׳ *Et oblivioni tradetur omnis abundantia in Aegypto, et consumet fames terram*, i. e. homines terrae; multi peribunt fame, quae non solum per Aegyptum, verum et per vicinas regiones saeviet. Erat enim Aegyptus horreum vicinarum circumquaque regionum, ut olim Sicilia Italiae. — 31. וְלֹא־יִוָּדַע — הָהוּא *Nec scietur ubertas in terra propter famen illam*, s. *prae fame illa*; non videbitur antea septem annis ubertas tanta fuisse.

32. 33. פַּעֲמָיִם — וְעַל *Et super iterari somnium*, quod autem iteratum est somnium *Pharaoni* (pro לְפַרְעֹה) *bis*. Post פַּעֲמָיִם subaud. זֶה הוּא *hoc est*, ideo factum est, כִּי — הָאֱלֹהִים *quia firma est res a Deo*, i. e. id pertinet ad certitudinem divini decreti. וּמְמַהֵר וגו׳ *Et accelerat Deus facere illud*, illam rem mox eventuram somnii iteratione ostendit. — 33. וְעַתָּה — וְחָכָם *Nunc ergo videbit*, providebit *Pharao virum intelligentem et sapientem.*

34. 35. יַעֲשֶׂה פַרְעֹה *Faciat Pharao*, sequatur hoc consilium. Alii jungunt sequentibus hoc modo: paret *et praeficiat praefectos*, curatores rei frumentariae *super terram.* Saadias: *et permittat* rex *ei* (de quo Vs. 33.), *ut constituat curatores super regionem.* וְחִמֵּשׁ אֶת־אֶרֶץ מִצְרַיִם *Et quintet terram Aegypti.* Quintae partis frugum exactionem indicari Verbo חִמֵּשׁ, aperte illud ostendit, quod 47, 24. *quinta* frugum *pars* (חֲמִישִׁית) Pharaoni danda praecipitur. Recte LXX. *Καὶ ἀποπεμπτωσάτωσαν πάντα τὰ γενήματα τῆς γῆς Αἰγύπτου.* Hieron.: *et quintam partem fructuum congreget in horrea.* Neque vero credibile est, agrorum possessores gratis et sine pretiis quintam annonae partem per septem fertiles annos regis procuratoribus tradidisse. Emit eam sine dubio rex pretio vilissimo futuris usibus prospiciens. Non male tamen alii conjecerunt, Pharaonem decimas duntaxat frugum exegisse, ubi ordinaria esset agrorum fertilitas nec quidquam timeretur; sed hoc tempore duas decimas Aegyptiis, uberrimis tempestatibus, imperasse. — 35. וְיִצְבְּרוּ־בָר *Et colligant frumentum.* בָּר Hebraei observant denotare omne frumentum, ubi purgatum, ventilatum et diligentius emundatum in horrea reponitur. תַּחַת יַד־פַּרְעֹה *Sub manu Pharaonis*, auctoritate regia, sive, quod in potestate regia maneat, in horreis regiis. Patet, priorem Vs. partem, cum Verbo יִקְבְּצוּ, pertinere ad agrorum dominos, qui singuli illorum proventus colligere debebant, posteriorem Vs. partem vero, et וְיִצְבְּרוּ, ad praefectos horreis regiis. Verba אֹכֶל בֶּעָרִים connexa sunt cum וְיִצְבְּרוּ־בָר, hoc sensu: coacervent frumentum in *cibum* (לִהְיוֹת אוֹכֶל)

in *urbibus*, ex agris undequaque advectum, in urbes quas oportebat esse veluti horrea rusticis. וְשָׁמְרוּ *Et custodiant*, asserveut illud frumentum.

36—38. Verba וְהָיָה הָאֹכֶל לְפִקָּדוֹן לָאָרֶץ Onkelos recte sic reddidit: *et sit frumentum repositum populo terrae*, in usum futurum incolarum terrae. וְלֹא־תִכָּרֵת הָאָרֶץ בָּרָעָב *Neque succidatur*, i. e. exstinguatur *terra*, populus terrae, *fame*. — 37. *Et fuit bonum in oculis Pharaonis et in oculis ministrorum ejus*, i. e. hoc consilium omnibus probabatur. — 38. הֲנִמְצָא וגו׳ *An inveniemus virum huic similem, in quo Dei sit spiritus?* i. e. virum ingenii divinitus edoeti. LXX. adfirmative: *μὴ εὑρήσομεν ἄνθρωπον τοιοῦτον*, alii pro Niphal capiunt: *num invenietur?*

40. 41. אַתָּה תִּהְיֶה עַל־בֵּיתִי *Tu eris super domum meam*, praeeris domui meae. Maxima haec videtur, post regiam, in Aegypto dignitas fuisse, qualis fuit apud Imperatores Romanos *Praefecti Praetorio*, et apud Gallorum reges *Majores domus*. Simile munus fuit apud Hebr. reges, vid. 1 Reg. 18, 3. 2 Reg. 18, 18. וְעַל־פִּיךָ יִשַּׁק כָּל־עַמִּי *Secundum os tuum disponat omnis populus meus*, se. sua omnia. Ita vertimus collato Arab. نشق *ordinavit disposuitque recte* rem aliquam. Quum נֹשְׁקֵי קָשֶׁת 1 Chr. 12, 2. 8, 40. 2 Chr. 17, 17. al. sint *instructi*, armati *arcu*, sunt, qui hunc locum ita exponant: tuo jussu *arma sumet* totus populus meus. Verum nihil est, unde jure colligi possit, Josephum rei militari praefectum fuisse. Veterum interpretationes expendimus in Commentat. *de versione Pentateuchi Persica* p. 23. sqq. רַק הַכִּסֵּא אֶגְדַּל מִמֶּךָּ *Tantum solium* quod attinet *major ero te*, tantum regiam dignitatem mihi servo. — 41. *Dedi te super totam Aegyptum*, i. e. constitui te summum post me regni administratorem, qualis olim apud Chalifas et hodienum apud Osmanorum Imperatorem *Vesirus major*.

42. וַיָּסַר — יוֹסֵף *Detraxitque Pharao annulum suum a manu sua et indidit Josephi manui.* Annulus regius omnibus temporibus apud Orientales signum regiae potestatis fuit. Ita Alexander moriens *detractum annulum digito Perdiccae tradidit*, Curtius 10, 5. Eodem ritu etiamnum Osmanorum Imperator *Vesirum magnum* constituit. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 192. וַיַּלְבֵּשׁ אֹתוֹ בִּגְדֵי־שֵׁשׁ *Et induit eum bissinis vestibus.* LXX. voc. שֵׁשׁ semper vertunt: (*στολὴν*) *βυσσίνην*. Veterum pluribus שֵׁשׁ est i. q. in serioribus V. T. בּוּץ vocatur. שֵׁשׁ enim ortum est e voce Aegypt. *Schensch*, quae *byssum* significat, ex gossypio arbore vel frutice decerptam. Cf. J. R. Forsterum in *Libro Singulari de Bysso Antiquorum* etc. Lond. 1776. §. 10. Plinius *H. N.* 19, 1. *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem alioquin gossypion vocant, plures Xylon, et ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur: nec ulla sunt*

eis candore mollitiave praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae. Plura habet HARTMANNUS *die Hebräerin am Putztische*, P. III. p. 34. sqq. Ceterum constat, novae vestis donationem apud Orientis principes et olim fuisse et etiamnum esse singularis benevolentiae signum, quo etiam haud raro ii ornantur, quibus novum idemque grave munus demandatur. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* l. c. p. 194. וַיָּשֶׂם וגו *Posuitque torquem auri super collum ejus.* De רָבִיד cf. ad 10, 11.

43. 44. וַיַּרְכֵּב — אֲשֶׁר־לוֹ *Et vehi eum jussit curru secundo, qui sibi erat;* qua re Pharao Josephum dignitate a se proximum esse declaravit. וַיִּקְרְאוּ לְפָנָיו אַבְרֵךְ *Et clamarunt ante eum* (sc. praecones): *Abrech.* Hanc vocem Aegyptiacam esse, plerique interpretes statuunt; sed dissentiunt circa ejus significationem. Nonnulli interpretati sunt: *OYBE — PEX*, i. e. *inclinate contra;* vid. JABLONSKII *Opuscc.* P. I. p. 4. sqq. Ita etiam Aquila, teste Hieronymo, reddidit: *clamavit in conspectu ejus ad geniculationem.* Adstipulatur Origenes, qui in Aegypto vixit. Hinc Vulgatus, quem plerique recentiorum secuti sunt, *clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent.* Alii, quum annulus regius, torques, byssina vestis essent regius ornatus, quicunque iis indutus et cinctus esset, is summo honore summaque a rege auctoritate afficeretur, verba proclamata esse putant: *A — ΠΡΕ — XEK, a rege cinctus*, vel *vestitus!* i. e. en hominem regiis vestibus cinctum! Plura vide in Commentat. nostra *de Persica Pentat. vers.* p. 38. et apud Jablonskium l. l., et quae Te-Water ibi notavit. וַיִּתֵּן וגו *Et constituit eum super totam terram Aegypti.* Pro Infin. נָתוֹן cod. Sam. habet Praeter. ונתן. LXX. *καὶ κατέστησεν αὐτὸν*, quibus adstipulatur Chaldaeus et Arabs uterque. Eandem lectionem exhibent octo codices Kennicottiani et septem de Rossiani. Sed receptum נָתוֹן explicandum est ex idiotismo ellipseos verbi finiti cum Infinitivo construeti, cujusmodi est construetio Num. 21, 2. נָתוֹן־תִּתֵּן. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 783. — 44. אֲנִי פַרְעֹה *Ego Pharao*, i. e. ego sum rex; cf. ad 37, 36. וּבִלְעָדֶיךָ וגו *Et sine te nemo manum aut pedem tollet in tota Aegypto*, i. e. nemini licebit rem ullam majoris momenti suscipere, te inscio et invito. Loquutio proverbialis.

45. וַיִּקְרָא — פַּעְנֵחַ *Et appellavit Pharao Josephum nomine Zophnath-Paneach.* Josephum extollere et populo commendare voluit, illustre ei nomen dans, quod summam ejus dignitatem ac sapientiam testaretur. Voces צָפְנַת פַּעְנֵחַ Aegyptiae videntur, licet Hebraei ad fontem Hebraeum revocent, quod etsi de priori, צָפְנַת fieri possit, a צָפַן *abscondidit*, posterior tamen, פַּעְנֵחַ, nullo modo Hebraea est. Illi tamen exponunt *detectorem*, interpretem *abstrusorum*, virum cui abscondita, arcana manifestantur. Quem sensum expresserunt Onkelos, Jonathan, Arabs uterque et Syrus. Verum hoc nomen, quia ab Aegyptio ponitur, ipsius linguae debet habere rationem. Bene igitur Hieron. sermone Aegyptio interpre-

tatur *Saphaneth Phanee*, s., ut LXX. transferre voluerunt, *Psomthom-Phaneeh*, i. e. *salvator mundi*, eo quod orbem terrae ab imminente famis excidio liberavit. P. E. Jablonsky in *Explicat. vocc. Aegyptt.* in *Opuscc.* P. I. p. 212.: „vox illa, uti a LXX. effertur, sonat. Nam Ψοθομψανὴχ, vel Coptieis literis expressum, ΠCΩTεMΦENEh, significat *salutem seculi*, salvatorem mundi. CΩT enim, σώζειν, vox est Coptis frequentissima. ΠCΩT notat et σωτηρίαν et σωτῆρα. ΦENEh vox pariter oppido trita αἰῶνα designat.“ Coptieae voei Hebraea aeeuratius responderet, si uniea litera transposita scriptum esset פצנח פענח, vel, uniea litera inserta, פצתנח פענח. Et forsan uno alterove modo LXX. in suo Hebr. cod. legerunt, quod postea in צפנת פענח est mutatum, ut prior saltem nominis pars Hebraice quid notaret. Si quod nunc in eodd. Hebrr. exstat, צָפְנַת פַּעְנֵחַ, e Coptiea lingua explieandum sit, Jablonsky proponit *Dschoph-ente-Phaneh*, quod *caput seculi*, s. *mundi* designat. Sed merito priorem illam interpretationem praeferendam eenset. וַיִּתֶּן — לְאִשָּׁה *Deditque ei Asnath*, *filiam Potipherae*, *sacerdotis On*, *uxorem*. Nom. אָסְנַת, quod LXX. Ἀσενὲθ efferunt, Jablonsky in *Opuscc.* P. II. p. 209., mulieri a Numine quodam Aegyptio, more Aegyptiis perquam familiari, impositum suspicatur, eonjieitque postremas literas נת continere nomen Divinitatis in Aegypto religiosissime eultae, quam Aegyptii *Nit*, vel *Neith* nuncupabant, teste Platone in *Timaeo* p. 474. edit. Basil., quamque Graeci *Minervam* interpretantur. Et in *Panth. Aegypt.* p. 56. Asenethae nomen Coptice scriptum CΣXE-NEIT' esse putat, quod Graece commode reddatur Ἀθενοσεβὴς, *Minervae cultrix*. Nom. פּוֹטִי פֶרַע diversum est a nomine heri Josephi, פּוֹטִיפַר (37, 36. 39, 1.), ut diversa sunt munera Praefecti satellitum et sacerdotis. Utrumque tamen LXX. Πετεφρὴς exprimunt, quod erroris nonnullis eausa fuit. Sed in quibusdam Vers. Graecae eodd. Πεντεφρὴ reperitur, quomodo et scribit Alexander Polyhistor apud Eusebium *Praep. Evang.* 9, 21. Contraetum illud aut corruptum ex Aegyptiaeo Π — hONT — ΦPH *sacerdos solis*, eonjieit Jablonsky. כֹּהֵן אֹן non significat *Praesidem*, *Gubernatorem* (uti quidam volunt), sed *sacerdotem Onis*, eoll. 47, 22. Nom. אֹן LXX. interpretantur Ἡλιουπόλιν, pro quo Copticus interpres, qui Graecam Alex. interpretationem vertit, nomen vere Aegyptium illius urbis, suo tempore, uti par est credere, adhuc usitatum, ΩN, substituit. Fuit Heliopolis Nomi cujusdam inter Nilum et mare rubrum siti metropolis, in qua quotannis πανήγυρις erat ad Solis festum eelebrandum, Herodoto referente, 2, 59. Voc. Aegypt. ON, *sol*, videtur eontractum esse ex OYΩINI *lumen*, *lux*, ut designetur *urbs lucis*, s. *luci*, i. e. *soli*, eonsecrata. וַיֵּצֵא יוֹסֵף *Et exiit Josephus super*, s. *per terram Aegypti*, exsequturus injunetam sibi a rege provineiam. Paranda primum et disponenda per singulas urbes horrea erant, constituendi praefeeti, et hujusmodi alia ordinanda.

46. 47. וְיוֹסֵף — לִפְנֵי פַרְעֹה *Erat autem Josephus triginta annos natus cum staret coram Pharaone*, cum ante illum consisteret ejus somnia exponens. Significat, Josephum *juvenem* adhuc omnia moderatum in Aegypto. Hoc veluti per parenthesin interjecto, per epanalepsin subjungit: וַיֵּצֵא וגו׳ *exiit igitur*, uti dictum (Vs. 45.), *Josephus a conspectu Pharaonis, et transiit* etc., obiit Aegyptum, singula ubique ordinaturus. — 47. — וַתַּעַשׂ לְקֳמָצִים *Fecit ergo*, i. e. produxit *terra septem annis ubertatis ad pugillos*, i. e. cumulate, manipulatim, magnam frumenti vim, ita ut per manipulos in magna copia colligeretur. Minus commode Onkelos *terram* pro *terrae* incolis sumens vertit: *et collegerunt incolae terrae per septem annos abundantiae frumentum in thesauros*, s. *horrea*. קְמָצִים non differre putavit a קוּמָצִים, Chaldaeis pro כּוּמָצִים et גּוּמָצִים usitatum, quod *foveas* denotat; intellexit vero tales foveas aut cellas subterraneas (qualem Arabes vulgo *Mattamore* vocant), in quibus in Orientis regionibus frumenta recondi solent. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 373. Sed de congregatione frumentorum Vs. sq. demum loquitur, hoc Vs., uti fert naturalis ordo, prius de fructuum proventu. Recte LXX. *Καὶ ἐποίησεν ἡ γῆ ἐν τοῖς ἑπτὰ ἔτεσι τῆς εὐθηνίας δράγματα.* Liberius, sed tamen bene Hieronymus: *Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactae segetes.*

48. 50. וַיִּקְבֹּץ אֶת־כָּל־אֹכֶל *collegit* Josephus *omnem cibum*, annonam, commeatum; quicquid scilicet potuit, non omne omnino frumentum. Per כָּל־אֹכֶל sunt, qui hic non tantum frumentum, sed et alia edulia intelligant, ut speciatim Vs. sq. בָּר *frumentum* dicat. Sed vix dubium est, אֹכֶל et בָּר idem esse, quod praecipua sustentatio sit frumenti et panis. וַיִּתֵּן־אֹכֶל וגו׳ *Posuitque commeatum in urbibus*, *commeatum*, inquam, *agri urbis, qui erat circa eam, posuit intra eam*, i. e. cujusque urbis annonam ex ejus agris in urbem inferendam curavit. — 50. הָרֵעַב — וּלְיוֹסֵף *Josepho natum est duo filii*, i. e. nata ei est soboles, duo videlicet filii (vid. 10, 21. 35, 26.), *antequam ingrueret annus famis.*

51. 52. Post מְנַשֶּׁה, subaud. לֵאמֹר, *dicendo*, vel כִּי אָמַר *dixit enim: כִּי־נַשַּׁנִי וגו׳ quia oblivisci fecit me Deus omnis laboris mei*, aerumnae et miseriae meae, *et totius domus patris mei.* Non quasi rebus prosperis ita esset inflatus, ut etiam patris memoria ex animo exciderit, sed hoc voluit, se jam ad tantum honorum fastigium esse evectum, ut patriae domus oblivisci facile posset. — 52. אֶפְרַיִם forma Dualis, q. d. geminam foecunditatem: כִּי־הִפְרַנִי וגו׳ *quia fructificare me fecit*, i. e. foecundavit gemina prole *Deus in terra miseriae meae*, ubi antea miserrima mea fuit conditio.

54. 55. וַיְהִי רָעָב בְּכָל־הָאֲרָצוֹת *Fuitque fames in omnibus terris*, sc. vicinis, e. c. Phoenice, Palaestina et Arabia, non ita feracibus, quam Aegyptus, quae earum est velut horreum. —

55. וְתִרְעַב כָּל־אֶרֶץ מִצְרַיִם *Et esuriit tota terra Aegypti.* Quum Vs. 54. dictum esset, fuisse panem in tota Aegypto, quod hic dicitur intelligendum est de secundo famis anno, quo Josephus horrea regia aperuit, privatis exhaustis. Sub adventum Jacobi in Aegyptum duos tantum famis annos elapsos esse, dicitur 45, 6. 11.

56. 57. וְהָרָעָב — הָאָרֶץ *Eratque fames super tota facie terrae*, pro quibus in cod. Sam. est על פני כל הארץ, LXX. ἐπὶ πρσσώπου πάσης γῆς. Quae plerique interpretes de vicinis regionibus, ut Vs. 54., intelligunt; nos speciatim de tota Aegypto intelligenda putámus. Verba וַיִּפְתַּח — בָּהֶם per compendium sunt dicta pro: וַיִּפְתַּח כָּל־בָּתִּים אֲשֶׁר בָּהֶם שֶׁבֶר, quomodo et Onkelos interpretatus est: *aperuitque Josephus omnia horrea, in quibus frumentum esset.* Nom. שֶׁבֶר e Verbo denominativo וַיְשַׁבֵּר, quod statim sequitur, facile suppleri potest, neque opus est, e cod. Sam. post בָּהֶם textui בֶּר inserere. Alii: omnia quae erant apud se, s. Aegyptios. וַיְשַׁבֵּר לְמִצְרַיִם *Et frumentatus est Aegypto*, i. e. Aegyptiis frumentum vendidit. שָׁבַר, alias *frangere*, hic est denominativum a שֶׁבֶר *fractio*, quod metaphorice de *frumento* dicitur. In qua frumenti appellatione ad id respici videtur, quod molendo grana ejus frangantur. Hinc שָׁבַר in Cal, et in Hiphil dicitur de frumento tam emendo, ut Vs. 57. et 47, 17., quam vendendo, ut hic, et 42, 6. Am. 8, 5. 6. — 57. וְכָל־הָאָרֶץ — אֶל־יוֹסֵף *Et tota terra*, i. e. vicinarum regionum undequaque homines *venerunt Aegyptum frumentum emendi causa ad Josephum.* Verba potius sic ordinanda erant: בָּאוּ מִצְרַיְמָה אֶל־יוֹסֵף לִשְׁבֹּר. Additur ratio: *quia invaluit fames per totam terram*, vid. Vs. 54. Est vero hic Vs. veluti παρασκεύη quaedam ad ea, quae sequuntur de itinere filiorum Jacobi in Aegyptum.

6. *Jacobi filii in Aegypto fruges emturi, a Joseplio quasi exploratores habentur. Simeon, donec Benjamin adveniat, obses detinetur. Impletis eorum saccis pecunia injicitur, quam sibi redditam mirantur. Jacobus Benjaminem in Aegyptum deduci, sese pussurum negat. Cap.* 42.

Cap. 42, 1. 2. 4. לָמָּה תִתְרָאוּ *Quid vos invicem adspicitis?* i. e. quid cessatis, et moram trahitis? Verba non increpantis, sed excitantis. Describuntur homines consilii inopes, qui solent se invicem adspicere. LXX. Ἱνατί ῥᾳθυμεῖτε; *quare segnes estis?* Cum inopia consilii solet et ignavia conjuncta esse. — 2. De שֶׁבֶר et שָׁבַר cf. ad 41, 56. — 4. פֶּן־יִקְרָאֶנּוּ אָסוֹן *Ne quid mali illi accideret.* LXX. μαλακία. Onkelos, quem Hebraei fere sequuntur, מוֹתָא *mors*, ut Ex. 21, 22. 23. Videtur esse quod Gallice dicitur *malheur*, quod etsi quodvis infortunium significet, tamen pro morte etiam usurpatur, praesertim eum mollius rem volumus exprimere, et veluti male ominato verbo *mortis* abstinere.

5 — 7. בְּתוֹךְ הַבָּאִים *In medio euntium* se. aliorum; sive quod multi quotidie in Aegyptum undequaque annonam emendi

caussa irent, s. quod *ἐν συνοδίᾳ*, ut solebat fieri, proficiscerentur. Cf. ad 37, 25. — 6. וְיוֹסֵף הוּא הַשַּׁלִּיט עַל־הָאָרֶץ *Et Josephus erat dominator super terram*, praefectus terrae. Radix שָׁלַט summo jure *dominari*, Chaldaea magis est, quam Hebr. vid. Cohel. 2, 19. 9, 4. 3. 9. Esth. 9, 2. הוּא הָאָרֶץ — *Ipse erat, qui frumentum distrahebat toti populo terrae.* Vix monitu opus, Josephum ipsum, Aegypti proregem, non singula frumenta singulis vendidisse; sed quum *συνοδία* Cananaea magnam annonae copiam emtura adveniret, id antea ad Josephum deferri debebat, cujus erat definire pretium, et inquirere an tanta frumenti copia peregrinis vendi possit, et utrum advenae suspecti essent nec ne? Aegyptii enim prae aliis gentibus diffidere solebant peregrinis. — 7. וַיִּתְנַכֵּר אֲלֵיהֶם *Instar alieni se erga eos gessit.* LXX. *καὶ ἠλλοτριοῦτο ἀπ' αὐτῶν.* וַיְדַבֵּר אִתָּם קָשׁוֹת *Et loquutus est cum eis dura*, sc. verba; aspere eos alloquutus est.

9. 11. וַיִּזְכֹּר — לָהֶם *Recordatus est autem Josephus somniorum, quae somniarat illis*, i. e. de illis. מְרַגְּלִים *Exploratores*, proprie pedibus huc illuc circumcursantes explorandi causa; LXX. *κατάσκοποι.* לִרְאוֹת וגו׳ *Venistis nuditatem terrae videre*, explorare. עֶרְוָה (propr. *nuditas*), significat loca, per quae adiri facilius regio aliqua potest, quod sit munimentis aut naturae aut artis destituta. Latini dicunt: *nuda urbs praesidio, nudata castra, nudi defensoribus muri.* Ceterum et recentibus temporibus haud paucis eorum, qui per Orientis regiones itinera fecerunt, hoc praetextu negotium facessi solebat, quod terras explorandi causa advenissent. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 198. sqq. — 11. כֵּנִים אֲנָחְנוּ *Recti*, i. e. viri bonae fidei *sumus.*

13. 14. הַקָּטֹן אֶת־אָבִינוּ הַיּוֹם *Natu minimus cum patre nostro est hodie*, i. e. domi adhuc est. וְהָאֶחָד אֵינֶנּוּ *Et unus nullus est*, i. e. mortuus est. LXX. *ὁ δὲ ἕτερος οὐκ ὑπάρχει.* — 14. הוּא אֲשֶׁר דִּבַּרְתִּי אֲלֵיכֶם *Id ipsum est quod sum loquutus ad vos*, hoc plane arguit verum esse quod ab initio dixeram, vos esse exploratores. Egregie principem agit, quorum est, ut a semel suscepta sententia haud facile dimoveantur.

15. 16. בְּזֹאת תִּבָּחֲנוּ *In hoc*, hac ratione, quam vobis praescribam, *probabimini.* חֵי פַּרְעֹה *Vita Pharaonis!* per vitam Pharaonis juro. LXX. *νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραώ.* Fuit jusjurandum aliis quoque gentibus, ex recepto tunc temporum adulandi more, usitatum, et gravissimum adhuc est apud Persas. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 200. אִם־תֵּצְאוּ מִזֶּה *Si exibitis ex hoc* sc. loco, i. e. non exibitis. Videtur elliptica jurandi formula h. s.: vivat Pharao, et a me poenas reposcat, si permisero vos hinc abire. Cf. ad Ps. 89, 36. 132, 3. 4. et Gesenii *Lehrg.* p. 844. — 16. וַאֲתֶּם הֵאָסְרוּ *Vos autem ligamini*, interim in vinculis detinebimini. Omnes promiscue alloquitur, quia nondum, quis iturus esset, constabat. וְאִם־לֹא וגו׳ *Sin minus*, si aliter res se habet, quam quo-

modo dictitatis, *vivit Pharao, quod exploratores estis*, tam certum est vos exploratores esse quam Pharaonem vivere, si quod vobis offero non feceritis. Ad calcem huj. Vs. in cod. Sam. additur e cap. 44, 22.: *Dixerunt: non poterit adolescens a patre discedere; si discesserit a patre suo, morietur* pater. Samaritae solebant audacius emendare Codd. Cf. ad 30, 36.

17—19. יָמִים — וַיֶּאֱסֹף *Et recepit eos ad carcerem tribus diebus*, i. e. ut ubi essent per triduum. אָסַף, proprie *collegit*, haud raro est *recipere*, ut Deut. 22, 2. In carcerem illos conjecit, ut deliberarent, quem essent missuri. — 18. זֹאת עֲשׂוּ וִחְיוּ. Imperat. pro Fut. Indic. (cf. ad 20, 7. et Gesenii *Lehrg.* p. 776.): *Hoc facite et vivite*, i. e. et vivetis; si vita vestra vobis curae est, hoc facite, sc. quod vobis dicam (non *dixi*, uti Hieron. perperam reddidit); jam enim aliam init rationem et consilium, quam prius, Vs. 16. Quia illud patri molestissimum fore judicavit, et, si diutius eos detinuisset, periclitaretur interim fame pater cum tota sua familia; ideo aliud illis offert, Vs. 19. 20. אֶת־הָאֱלֹהִים אֲנִי יָרֵא *Deum ego veneror;* nolo me erga vos crudeliter gerere, qui Deum fandi et nefandi memorem colo. — 19. אֲחִיכֶם — מְשֻׁמָּרְכֶם *Frater vester unus*, i. e. unus ex vobis *vinciatur domi custodiae vestrae*, passive, ubi vincti fuistis hoc triduo. שֶׁבֶר רַעֲבוֹן *Annona famis*, i. e. ad pellendam famem comparata.

21. 23. 24. אֲחִינוּ — אָבֵל *Vere in culpa sumus*, i. e. luimus *propter fratrem nostrum.* אֲשֶׁר — אֲנַחְנוּ *Cujus animae angustiam vidimus cum supplicaret ad nos*, nos deprecaretur. חָנַן in Hithp. *gratiam alicujus supplex imploravit.* LXX. ὅτε κατεδέετο ἡμῶν. — 23. וְהֵם — יוֹסֵף *Illi vero nesciebant quod intelligens Josephus*, sc. הָיָה *esset*, quod intelligeret; Particip. pro Praeter., ut Ex. 10, 11. מְבַקְּשִׁים *requirentes*, sc. הֱיִיתֶם *fuistis*, h. e. requisivistis. Cf. Ex. 13, 21. Deut. 4, 3. et Gesenii *Lehrg.* p. 792. כִּי הַמֵּלִיץ בֵּינָתָם *Nam interpres inter eos erat*, quem adhibuit sibi Josephus, ut eorum verba sibi et sua illis exponeret. — 24. וַיִּקַּח מֵאִתָּם אֶת־שִׁמְעוֹן *Et deprehendit ex iis Simeonem.* Simeonem omnium maxime ira flagrasse, et totius fortasse sceleris in Josephum commissi fratribus auctorem fuisse, verisimile est.

28. 30. וַיֵּצֵא לִבָּם *Atque exiit cor eorum*, i. e. valde perturbati sunt. LXX. ἐξέστε ἡ καρδία αὐτῶν, quam phrasin isti interpretes de animi deliquio usurpare solent. — 30. וַיִּתֵּן וגו׳ *Et dedit*, habuit *nos tanquam exploratores terrae.* LXX. supplerunt בְּמִשְׁמָר, verteruntque: καὶ ἔθετο ἡμᾶς ἐν φυλακῇ, ὡς κατασκοπεύοντας τὴν γῆν. Quo supplemento non opus est, quum verba, quae *esse* vel *facere* significant, quandoque pro rei opinione ponantur, et intelligenda sint φαινομένως, reputative, cf. 1 Reg. 1, 21. Prov. 3, 7.

32—34. בְּנֵי אָבִינוּ *Filii patris nostri*, i. e. ex eodem patre. — 33. וְאֶת־רַעֲבוֹן בָּתֵּיכֶם קְחוּ וָלֵכוּ *Et famem domuum vestrarum*,

i. e. annonam ad levandam familiae vestrae famem, *accipite et abite.* רַעֲבוֹן pro שֶׁבֶר רַעֲבוֹן; vide Vs. 19. — 34. וְאֶת־הָאָרֶץ תִּסְחָרוּ *Et terram circumibitis*, sc. negotiandi causa. Recte Hieron.: *emendi habeatis licentiam.* LXX. *καὶ τῆ γῆ ἐμπορεύσεσθε.*

35—38. בְּשַׂקּוֹ — וַיְהִי *Factum est autem, ipsi evacuantes* erant (cf. ad Vs. 23.) *saccos suos, et ecce vir loculus argenti sui in sacco suo* erat, i. e. contigit, ut quum exhaurirent saccos suos, cujusque loculus cum pecunia inveniretur. Verum Vs. 27. fratrum unus tantum in sacco suo pecuniam reperisse dicitur; at 43, 21. rem ita narrat Juda, quasi omnes eodem in loco, quo primo die redeuntes in Cananaeam pernoctarant, pecuniam saccis suis inesse deprehendissent. Hic vero, quasi primum omnes praesente Jacobo in saccis pecuniam suam vidissent, res narratur. Haec ita erunt conciliauda, quod *aliquot* idem facere potuerint, verum non *omnes*, nisi tandem domi. Quod autem 43, 21. id omnibus in diversorio accidisse memoratur, dicendum erit, conjungi utrumque, quod in diversorio et quod domi accidit, ut quia uni aut aliquot in diversorio id accidit, dicat Judas omnibus accidisse. — 36. וְשִׁמְעוֹן אֵינֶנּוּ *Et Simeon nullus est;* actum enim de illo putabat, quasi eorum culpa sublatus aut amissus esset sibi. עָלַי הָיוּ כֻלָּנָה *Super me haec omnia* sunt, in me recidunt omnes hae calamitates, nec ad vos has jacturas pertinere putatis. — 37. תְּנָה אֹתוֹ עַל־יָדִי *Da eum in manum meam*, committe eum curae meae. — 38. וּקְרָאָהוּ וגו׳ *Mali quidpiam ei in via, quam ingrediemini, accidet, et canitiem meam prae moerore in sepulchrum demittetis*, i. e. si vel huic in itinere aliquid adversi acciderit, ego jam senex prae dolore morerer vestra culpa.

7. *Jacobi filii a patre Benjaminem in Aegyptum secum abducendum impetrant. Josephus eos benigne alloquitur, et convivio excipit.* *Cap.* 43.

Cap. 43, 2. 3. 7. 9. שִׁבְרוּ־לָנוּ מְעַט־אֹכֶל *Emite nobis aliquantulum cibi*, i. e. annonae. Non est credibile, frumentum a novem viris asportatum tam numerosae Jacobi familiae, quae tot aluit servos, potuisse vel ad paucos dies sufficere. Videntur igitur servi Jacobi aliis fructibus victitasse, ita ut non plus emptum fuerit annonae quam quod Jacobo, liberis et nepotibus ejus ad tempus aliquod sufficeret. — 3. הָעֵד הֵעִד בָּנוּ הָאִישׁ *Testando testatus est in nos vir ille*, i. e. testibus velut adhibitis et jurejurando nobis denunciavit. — 7. עַל־פִּי הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *Ad os verborum illorum*, i. e. omnino ut ferebant ejus quaesita, sic ei respondere nos oportuit. — 9. וְחָטָאתִי לְךָ כָּל־הַיָּמִים *Peccavi tibi omnibus diebus*, i. e. peccati in te commissi reus sim per omnem vitam. Similis locutio est 1 Reg. 1, 21.

11. 12. בִּכְלֵיכֶם — קְחוּ *Sumite de cantico terrae in vasis vestris*, i. e. de nobilissimis terrae fructibus, quae alias sunt rariora, ac omnium ore decantantur et celebrantur. LXX. *λάβετε*

ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς. וְהוֹרִידוּ וגו׳ *Et deferte ad virum munus, aliquantum balsami et mellis ex uvis passis, aromata, ladanum, pistacea, et amygdala.* De vocibus צְרִי, נְכֹאת, et לט cf. ad 37, 25. Nomine דְּבַשׁ veteres omnes *mel*, recentiores autem nonnulli *succum ex dactylis palmarum* indicari putant. Sed utrumque parum verisimile videtur, quum Aegyptus ipsa melle apiario abundet praestantissimo, divesque sit palmarum. Verisimilior igitur videtur sententia Shawii in Itinerario p. 293. vers. germ., דְּבַשׁ esse *succum ex uvis passis ad mellis propemodum spissitatem decoctum*, Arabibus eodem nomine *Dibs* vocatum, cujus nostro etiam aevo ex tractu solo Hebronitico quotannis in Aegyptum tantum mittitur, quantum trecenti cameli ferre possunt. Idem videtur esse succus, de quo Kaempferus, *Amoenitat. Exot.* Fasc. II. p. 380. *Magna uvarum pars coctione redigitur in syrupum, qui butyri locum in mensis pauperum, et pro abstemiis, admixta aqua, vini vices suppleat.* Aegyptus autem vitium vinique inops fuit; oportebat igitur ejusmodi donum Aegyptio valde acceptum esse. בָּטְנִים *pistacia*, fuerunt inter Palaestinae dotes. *Plin. H. N.* 13, 10. *Syria praeter hanc peculiares habet arbores. In nucum genere pistacia nota. Prodesse adversus serpentium traduntur morsus, et potu et cibo.* LXX. τερέβινθον reddunt. Samaritanus interpres benc פיצטקין *pistacia.* Cf. et Winer *bibl. Realwörterb.* p. 540. שְׁקֵדִים *amygdali fructus*, LXX. κάρυα, *nuces*, a radice שָׁקַד *vigilavit*, quia ista arbor prima omnium proferat flores, quod et testatur *Plin. H. N.* 16, 25. — 12. כֶּסֶף מִשְׁנֶה קְחוּ בְיֶדְכֶם *Pecuniam iterationis*, i. e. aliam pecuniam (coll. Vs. 22.) *sumite in manu vestra*, i. e. vobiscum; sic enim Hebraei loquuntur de eo, quod in promptu et paratum est.

14. 15. De שַׁדַּי cf. ad 17, 1. וַאֲנִי כַּאֲשֶׁר שָׁכֹלְתִּי שָׁכָלְתִּי *Ego vero quando orbatus fuero orbatus ero*, i. e. perinde mihi erit, ac si omnibus filiis orbatus essem; uti sum jam orbatus Josepho et Simeone, sic et nunc Benjamine orbatus ero. Alii ad omnes referunt, quod jam omnes a se filios dimitteret, q. d.: ut jam ante orbatus eram uno et altero, omnibus orbabor deinceps. — 15. Pro כֶּסֶף מִשְׁנֶה, uti legitur Vs. 12., hic est מִשְׁנֶה־כֶּסֶף *iteratum* s. alterum *argentum*, praemisso Adjectivo, quod rarius, ut 17, 14. Jer. 2, 20.; neque enim מִשְׁנֶה est Nom. Subst. in statu regiminis, tunc enim מִשְׁנֵה scriptum foret.

16. 18. וַיֹּאמֶר לַאֲשֶׁר עַל־בֵּיתוֹ *Dixitque ei qui super domum ejus*, i. e. dispensatori. וּטְבֹחַ טֶבַח וְהָכֵן *Et mactare mactationem, et parare.* Infinitivi pro Imperativis positi, ut alias saepissime; cf. Gesenii *Lehrg.* p. 783. טֶבַח LXX. male θύματα, et Hieron. *victimas* reddidere, quum tamen nulla hic sit sacrificii mentio. Significantur pecudes mactandae et convivio parandae, de quibus eadem formula legitur Prov. 9, 2.; coll. 1 Sam. 25, 11. כִּי אִתִּי וגו׳ *quia mecum comedent viri illi in meridie*, mecum prau-

debunt. — 18. וַיִּירְאוּ—יוֹסֵף *Timuerunt autem viri, quod adducerentur in domum Josephi.* Metuunt sibi, ubi se vident inusitato more in domum proregis introduci, quod insidias sibi strui putarent. עַל־דְּבַר הַכֶּסֶף הַשָּׁב בְּאַמְתְּחֹתֵינוּ *Propter negotium argenti redeuntis*, ob pecuniam repositam *in saccis nostris* בַּתְּחִלָּה *initio* (13, 3.), i. e. prima nostra in Aegyptum profectione. לְהִתְגֹּלֵל עָלֵינוּ וּלְהִתְנַפֵּל עָלֵינוּ *Ad devolvendum se super nos et ad irruendum super nos*, i. e. *ut sese* Josephus et ejus ministri *devolvant*, et velut dejiciant, *irruant in nos*, per fas et nefas, quacunque arrepta occasione insiliant in nos, ut cum quis in alium se conjicit, simulans quasi ab alio sit impulsus; id enim לְהִתְנַפֵּל indicat. לְהִתְגֹּלֵל *ad volutandum* supra nos, Clericus metaphoram esse putat e lucta deductam, ubi qui alterum in terram dejicit supra prostratum pro arbitrio volutatur. Sensum LXX. ita expressserunt: *τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς καὶ ἐπιθέσθαι ἡμῖν*, Hieron.: *ut devolvat in nos calumniam et violenter subjiciat servituti.* Onkelos: *ut dominetur nobis et quaerat occasionem contra nos.*

20. 21. בִּי R. Mose Ben-Nachman interpretatur *in me* sc. dominare; q. d. tuum in me dominium recipio et agnosco, unde semper haec vox eum אֲדֹנִי jungitur, veluti Ex. 4, 10. 13. Alii, *per me*, sc. quaeso. Onkelos hic habet obsecrantis Particulam, בְּבָעוּ *cum petitione*, i. e. quaeso, qua solet et Hebraeum נָא reddere. Gesenius in Lex. contracte positum putat pro בְּעִי *precatio*, Job. 30, 24., ut בֶּל pro בְּעֶל. — 21. הַמָּלוֹן—וַיְהִי *Et factum est cum venissemus ad diversorium.* כִּי hic temporis est pro כַּאֲשֶׁר. Ceterum cf. ad 42, 35. כַּסְפֵּנוּ בְּמִשְׁקָלוֹ *Argentum nostrum* invenimus *in pondere suo.* Utebantur enim tum pecunia in certa pondera divisa, cf. ad 23, 16.

23. 25. 27. שָׁלוֹם לָכֶם *Pax vobiscum;* verba h. l. non salutantis, sed bene sperare jubentis: *estote bono animo.* — 25. כִּי שָׁמְעוּ וגו׳ *Audiverant enim se ibi panem comesturos*, i. e. pransuros. *Panem comedere* saepius convivari significat; Ex. 2, 20. — 27. וַיִּשְׁאַל לָהֶם לְשָׁלוֹם *Et interrogabat eos de pace*, i. e. quomodo valerent. LXX. bene: *Ἠρώτησε δὲ αὐτούς, πῶς ἔχετε.* Post responsum filiorum Jacobi sequuntur in Sam. cod. haec verba: ויאמר ברוך האיש ההוא לאלהים *dixitque* (Josephus): *benedictus vir ille Deo*, *εὐλογεμένος ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος τοῦ Θεοῦ*, ut habent LXX., qui ea in codice suo legerunt.

29. 30. בֶּן־אִמּוֹ *Filius matris suae*, frater uterinus, quem ideo prae ceteris diligebat. אֱלֹהִים יָחְנְךָ בְּנִי *Deus tibi faveat, mi fili.* Benignior appellatio, non aetatis multo minoris significatio, quum Josephus Benjamine nisi 7 aut 8 annis major natu esset, et Benjamin jam 10 liberos genuisset, 46, 21. Sed cf. ad Ex. 12, 40. coll. Gen. 46, 12. — 30. כִּי־נִכְמְרוּ רַחֲמָיו אֶל־אָחִיו *Incaluerunt enim viscera ejus erga fratrem suum.* רַחֲמִים *viscera*, *σπλάγχνα*, prisci homines pro sede affectuum, praesertim misericordiae et amoris

habebant, unde illo nomine ipsi illi affectus designabantur, et רָחַם est i. q. *εὐσπλαγχνίζειν*, quasi *intimis visceribus commoveri.* Cf. ad Amos. 1, 11.

31. 32. וַיִּרְחַץ פָּנָיו *Et lavit faciem*, ne lacrimatum esse eum fratres animadverterent. — 32. כִּי לֹא יוּכְלוּן וגו׳ *Quia non possunt Aegyptii comedere cum Hebraeis, abhorrentque ab hoc Aegyptii.* Rationem addit Onkelos: *quia pecus, quod Aegyptii colunt, Hebraei comedunt.* Sane obstitere specialia quaedam Aegyptiorum in cibis parandis instituta, ob quae Aegyptii cum peregrinis coenare non poterant. Erant autem illa instituta ita Aegyptiis propria, ut eadem extraneis apud se habitantibus, qualis erat Josephus, non imponerent. Id quod etiam apparet e Vs. 34., ubi narratur, Josephum plane contra Aegyptiorum morem cum fratribus cibos sumsisse eosdem. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 206.

33. 34. וַיֵּשְׁבוּ — כִּבְכֹרָתוֹ *Et sederunt coram eo primogenitus secundum primogenituram suam, et parvus secundum parvitatem suam*, i. e. primo aetate major, ultimo loco minor collocabatur. וַיִּתְמְהוּ וגו׳ *Et mirati sunt viri quisque ad vicinum suum*, i. e. mutuo, quod juxta aetatis seriem dispositi essent. — 34. וַיִּשָּׂא — יְדוֹת *Et tulit portiones a conspectu suo ad illos, et auxit portionem Benjaminis supra partes omnium quinque partibus.* Sensus est, Josephum fercula de mensa sua ad fratres adferri jussisse, Benjaminis vero portionem quintuplo quam reliquorum fratrum majorem fuisse. Sic apud Homerum quoque unicuique convivarum sua carnis pars aequa divisione distribuitur, nisi quis honoris causa majore portione donatur. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 207. וַיִּשְׁתּוּ וגו׳ *Et biberunt et inebriati sunt apud eum;* i. e. largius potarunt. *Inebriandi* Vb. Hebraeis interdum in bonam partem sumitur. עִם non semper denotat *cum*, sed nonnunquam *apud*, ut Ps. 130, 4.

8. *Josephus fratres dimissos ex itinere revocat ficto furti crimine; sed territis sese agnoscendum praebet, atque in Cananaeam, ut Jacobum accersant, amandat. Cap.* 44. 45.

Cap. 44, 4. 5. הֵם יְצֵאוּ אֶת־הָעִיר *Ipsi exierunt urbem.* יצא hic cum Accus. construitur, ut Amos 4, 3. — 5. — הֲלוֹא יִנַּחֵשׁ בּוֹ *Nonne id ex quo dominus meus bibit? et ipse augurando auguratur eo*, i. e. per eum, calicem, vel et: per quod auguratur, indefinite. De variis modis divinandi per cyathos cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 211. *Κυαθομαντεία* recentioribus adhuc temporibus in Aegypto nota fuit, quod patet ex Nordenii testimonio illic allato. Neque igitur erat, cur nonnulli negarent significari hic illum divinandi s. augurandi modum, et per verba וְהוּא נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ בּוֹ nil aliud diei putarent, nisi hoc: *hic*, Josephus, facile *de eo*, s. ea de re *potuit divinare.* Sed recte LXX. *αὐτὸς δὲ οἰωνισμῷ οἰνίζεται ἐν αὐτῷ*, Vulgat. *et in quo augurari solet.*

7. 10. חָלִילָה לַעֲבָדֶיךָ *Profanum* sit *servis tuis*, i. e. absit, ut servi tui tale facinus committant. Onkelos reddidit חָס, proprie: *propitius sit*, se. nobis Deus, depreeandi et aversandi vox, pro qua seriores Hebraei et חס ושלום usurpare solent. — 10. גַּם־עַתָּה כְּדִבְרֵיכֶם *Etiam nunc juxta verba vestra* כֵּן הוּא *ita est*, i. e. fiat ut vultis; perquiratur, apud quemnam vestrum inveniatur, sed quia nimium severa in vos admittitis, age satis mihi erit, quod vobis proponam.

15. 16. הֲלוֹא יְדַעְתֶּם וגו׳ *An nesciebatis, virum similem mei*, parem, principem, qualis sum in Aegypto, *omnino auguraturum?* Hoc vult: illos non ita perfide et temere secum agere debuisse, quem scire potuerint in tanto rerum fastigio facile divinatione et auguriis cogniturum, ut alioqui Aegyptii solent, quis suum seyphum surripuisset. — 16. וּמַה־נִּצְטַדָּק *Et quomodo justificabimus nos?* h. e. quomodo nos defendemus? Hieronymus: *quid juste poterimus obtendere?* Minus accurate. Nam צָדַק in Hithpael est *ostendere se esse innocentem* (vid. Job. 33, 32. Jer. 3, 11. Ez. 16, 52.). הָאֱלֹהִים מָצָא אֶת־עֲוֹן עֲבָדֶיךָ *Deus invenit*, i. e. quum Deus ipse invenerit, in lucem produxerit *scelus servorum tuorum*. Sunt, qui ad crimen venditionis Josephi hoc referant, ob quod se nunc puniri dicant. Sed nihil obstat, quo minus verba illa ad crimen Benjamino impactum referamus, cujus tanta fuit species, ut ne fratres quidem sitne ille insons certo scire possent. Nec Judas de scelere commisso dubitasse videtur, qui mox enixis precibus id tantum exigere studet, ut sibi poenas pro Benjamine luere concedatur. Dicit autem scelus *servorum tuorum*, quasi omnes essent rei, quum antea (Vs. 7. 8.) nullum ipsorum tale scelus quodpiam se admisisse perseverassent. Ceterum quia eum ignoratur scelus quodpiam, aut sceleris auctor, hic impune abit; ideo *invenire iniquitatem* perinde est, ac ejus poenas exigere. Cf. ad Hos. 12, 9.

17. 18. הָאִישׁ אֲשֶׁר וגו׳ *Apud quem inventum est poculum, is sit servus meus, vos vero incolumes ad patrem vestrum redire potestis.* Josephi consilium videtur fuisse, ut videret, quomodo fratres erga patrem, et praecipue erga Benjaminem affecti essent, et an Benjamini similiter ut sibi olim in domo paterna infesti essent. Nisi enim patrem sincere amant, si Benjamini invident, non recusabunt, eum in Aegypto relinquere. — 18. Orat Judas Josephum, ne sibi succenseat, si eum in diversum rogarit, quam statuerit, כִּי כָמוֹךָ כְּפַרְעֹה *quia sicut tu sicut Pharao*, i. e. tu auctoritate et potestate Pharaonem aequas, ideo te aeque irritare metuo ac Pharaonem. כ ita ut hic geminatum similitudinem omni ex parte absolutam indicat, vid. Levit 7, 7. 24, 16.

21. 30. 31. וְאָשִׂימָה עֵינִי עָלָיו *Et ponam oculum meum super eum*, i. e. ejus curam habebo, ei prospiciam; LXX. ἐπιμελοῦμαι αὐτοῦ. Cf. Jer. 24, 6. 39, 12. — 30. וְנַפְשׁוֹ קְשׁוּרָה בְּנַפְשׁוֹ

Et anima ejus alligata est ejus animae, h. e. pendet vita patris ab hujus filii vita. Occurrit et 1 Sam. 18, 1. — 31. Pro הַנַּעַר Samaritanus addit אתנו *nobiscum*, consentientibus LXX. Syro et Chaldaeo.

Cap. 45, 5. 7. אַל־יִחַר בְּעֵינֵיכֶם *Neque ira sit in oculis vestris*, h. e. neque nimium animos angat commissi in me peccati memoria. LXX. *μὴ δὲ σκληρὸν ὑμῖν φανήτω.* כִּי לְמִחְיָה וגו׳ *Nam ad victum me Deus misit ante vos*, i. e. me vobis praemisit, ut victui necessaria vobis suppeditarem. Quasi eos hisce verbis compellaret: tantum abest, ut doleam nunc, me olim a vobis venditum esse, ut contra hac de re mihi gratuler; quia Deus opera mea ad vos servandos utitur. Quando enim dolorem commissi peccati minuere volumus, quid boni inde fluxerit, memoramus. — 7. וַיִּשְׁלָחֵנִי אֱלֹהִים לִפְנֵיכֶם *Misit me Deus ante vos.* Quod saepius repetit, ut fratres intelligant, ipsum ab omni vindictae cupiditate vacuum esse. לָשׂוּם וגו׳ *Ad ponendum vobis residuum in terra* (ut superstites maneatis), *et ad vivificandum vobis in liberationem magnam*, i. e. ut mirum in modum servemini.

8. 9. וַיְשִׂימֵנִי לְאָב לְפַרְעֹה *Et posuit me in patrem Pharaoni.* Loquutio gentibus ad Orientem positis valde frequens, sive ea designetur dignitas quaedam ex eminentioribus, sive, honoris tantum causa, viri de republica bene meriti titulo hoc compellentur. Vid. Esth. 13, 6. coll. 16, 11. 1 Macc. 11, 32. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 213. — 9. אַל־תַּעֲמֹד *Ne stes*, i. e. ne cunctaris.

10. Quum Jacobo molestum esse potuerit, inter Aegyptios vivere, peculiarem illi assignat tractum Aegyti incolendum. וְיָשַׁבְתָּ בְּאֶרֶץ־גֹּשֶׁן *Et incoles terram Gosenitidem.* De ejus situ sententiam ceteris probabiliorem proposuit MICHAELIS in *Supplemm.* p. 374. sqq., latus illius septentrionale a Philistaea usque ad ostium Tanitieum, ubi nunc est Damiata, exporrectum fuisse. Philistaeam enim ab oriente Gosenitidi vicinam fuisse, apparet ex Ex. 13, 17. et 1 Paralip. 7, 21. Ad occidentem vero haec terra desertum Gofar complexa esse videtur, arenosum quidem et sterile, paucos tamen fontes habens, ac loca, in quibus oves pasci possent; nec minus illa, quae Heliodorus in Aethiopicis descripsit circa Nili ostia, bucolia, armentorum gregibus pascendis inprimis apta. Limes fuisse videtur ad occidentem non Nilus ipse, sed agri ad Nilum siti; hi arabantur, quod vero ultra eos ad Orientem porrigebatur, Gosen, pascuum desertum erat. Porro a mari mediterraneo, in confiniis Palaestinae et Aegypti, i. e. Raphia, lineam ducendam existimat Michaelis ad Heroopolin; huc enim usque Gosenitidem pertinuisse putat versione LXX. Interpretum permotus, qui Genes. 46, 28. ubi bis גֹּשֶׁן occurrit, verterunt *κατ᾽ Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμασσή*, quibus cur non fides habenda sit in rebus Aegyptiacis nulla causa est. Praeterea dubium vix est,

quin et magna pars Arabiae, Aegyptiae, Heroopoli et Heliopoli, ad austrum sita (nunc Matarea), Cosenitidi accensa fuerit, quamquam definiri non potest; quousque patuerit. LXX. enim h. l. גֹּשֶׁן vertunt *Γεσὲμ Ἀραβίας*, Arabiae autem nomine in geographia Aegypti eam intelligendam esse partem, quae ab Oriente Nili est, Michaelis monet. Cf. *d. a. u. n. M.* I. p. 215. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 246. וְהָיִיתָ קָרוֹב אֵלַי *Erisque mihi vicinus.* Metropolis Aegypti eo tempore, quo Israelitae in Aegypto fuerunt, erat vel Memphis vel Tanis; utraque urbs in vicinia ejus, quam descripsimus, Gosenitidis sita erat. Hinc Josephus, quem perpetuo in aula versari oportebat, dicere potuit, patrem suum non nimis ab ipso remotum fore.

11. 12. פֶּן־תִּוָּרֵשׁ אַתָּה וּבֵיתְךָ *Ne forte ad inopiam adigaris tu et domus*, familia, *tua* sc. omnibus divenditis emendi frumenti causa. יָרַשׁ passim i. q. רוּשׁ *pauperem esse* vel *fieri*, significatione *haereditandi* in contrarium quasi exhaereditandi et spoliandi rebus omnibus mutata. — 12. *Et ecce oculi vestri et oculi fratris vestri Benjaminis vident, quod os meum loquitur ad vos*, i. e. me ipsum vidistis et audivistis loquentem.

18 — 20. מִצְרַיִם — וְאֶתְּנָה *Dabo vobis bonitatem Aegypti*, i. e. opimum Aegypti tractum. טוּב est Subst., sed טוֹב Adject. וְאִכְלוּ אֶת־חֵלֶב הָאָרֶץ *Et comedite*, i. e. comedetis *adipem terrae*, fovemini optimis quibusque hujus regionis. Sic חֵלֶב et alias (Deut. 32, 14. Ps. 81, 17.) pro מֵיטָב, i. e. opima parte et optima quaque sumitur. — 19. וְאַתָּה *Et tu*, apostrophe ad Josephum. צֻוִּיתָה *Jussus es*, sc. a me, ut hoc iis injungas. קְחוּ — עֲגָלוֹת *Sumite vobis e terra Aegypti plaustra.* Plaustra tum in Palaestina nondum in usu fuisse videntur. In Aegypto autem, quae plana est regio, et prima prae reliquis terris utebatur equis, eorum usus jam invaluerat. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 216. — 20. וְעֵינְכֶם — כֵּלֵיכֶם *Oculus vester non parcat vasis vestris.* Hebraei *oculum* parcere dicunt iis, quae servantur, *non parcere* iis, quae perduntur. Hoc autem vult: nolite ita pretiosa et chara vestra suppellectilia s. utensilia ducere, ut nonnulla relinquenda vobis non censeatis, quae commode vobiscum auferre non possitis.

22. 23. לְכֻלָּם נָתַן לְאִישׁ חֲלִפוֹת שְׂמָלֹת *Omnibus dedit, unicuique mutationes vestium*, i. e. vestes splendidas, quibus priores permutarent. Cf. ad 41, 42. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 217. Alii *geminas vestes* intelligunt, quia vestes, ut mutari queant, geminas saltem esse oportet. Ita LXX. *δισσὰς στολὰς*, Hieron. *binas stolas*, et Syrus: *par vestimentorum.* — 23. וּלְאָבִיו שָׁלַח כְּזֹאת *Patri autem suo misit sicut hoc*, i. e. tale munus quod sequitur, ut commodissime e Cananaea adduceretur. Alii ad praecedentia referunt: talia quae fratribus, et insuper insequentia. Ita LXX. *κατὰ τὰ αὐτὰ*, et Hieron. *tantumdem pecuniae et vestium mittens patri suo.* Sed tum oporteret sequi praemissa copula: וַיִּשְׁלַח.

24. 26. Verba אַל־תִּרְגְּזוּ בַדָּרֶךְ verti possunt vel, *nolite timere in via* s. *in itinere*, vel, *nolite rixari in itinere*. רָגַז enim significat et *pavore commoveri* (Ex. 15, 14. Deut. 2, 25. Ps. 4, 8.) et *ira commoveri*, i. e. *rixari* (Prov. 29, 9. Jes. 28, 21. Ps. 4, 5.). Sensus igitur est vel, *nihil timeatis*, se. tale, quod vobis in priore itinere accidit; vel, *ne rixemini*, venditionem meam vobis invicem exprobrantes. — 26. Verba וַיָּפָג לִבּוֹ plures reddunt: *animi deliquium passus est*, sc. prae nimia laetitia. Sed quia sequitur כִּי לֹא הֶאֱמִין לָהֶם *nam fidem eis non habuit*, voc. פוג melius ex significatione verbi Syr. et Arab., *frigere*, vertitur h. s.: *verum ille hoc parum commovebatur; sein Herz blieb aber kalt.*

9. *Jacobus in Aegyptum proficiscitur cum universa familia, quae recensetur. Obviam ei procedit Josephus, fratresque ad Pharaonem intromissurus quid dicendum sit docet. Cap.* 46.

Cap. 46, 1. 4. Jacobus, licet a filio vocatus, tamen in dubio erat, num id Deo placeret, a quo promissionem acceperat de possessione terrae Canaan; et vereri poterat, ne eo itinere irrita fieret tam insignis promissio. Priusquam igitur e finibus terrae Canaan prorsus exederet, Deum ea de re consulere sacum statuit. וַיָּבֹא וגו׳ *Venitque Beersabam* (cf. ad 21, 14. 33.) *et immolavit* illic *victimas Deo patris sui Isaaci.* Quum hic locus esset ad meridiem Hebronis, ubi Jacobus habitabat, per eum transeundum fuit, si quis in Aegyptum profici voluit. Hoc in loco Abrahamus sacra olim Deo fecerat et quercetum plantaverat, Gen. 21, 33. Erat igitur locus ille precibus et sacrificiis ac oraculis accipiendis accommodatissimus. — 4. אָנֹכִי — גַּם־עָלֹה *Ego descendam tecum in Aegyptum*, tibi illic deseensuro tanquam comes adero, *et ego faciam adscendere te etiam ascendendo*, i. e. certo effiam, ut inde rursus adscendas, illinc te reducam, i. e. posteros tuos. Progenitor pro posteris nominatur, uti saepius. וְיוֹסֵף וגו׳ *Et Josephus manum oculis tuis imponet*, i. e. claudet tibi oculos, moriturò tibi ultimum officium praestabit. Antiquissimus mos erat, ut morituro carissimus quisque clauderet oculos. Ita apud Homerum Laertes dolet, quod Ulyssi ab uxore oculi non clausi essent. *Odyss.* 24, 294. coll. 11, 424. Iliad. 11, 452. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 218.

7. 8. בְּנֹתָיו *Filiae suae.* Enallage numeri, frequens in genealogiis; cf. ad 37, 35. Similia exempla vid. infra Vs. 23. Num. 4, 27. 26, 8. 36, 25. — 8. מִצְרַיְמָה — אֵלֶּה *Haec sunt nomina filiorum Israelis venientium in Aegyptum*, i. e. qui venerunt, quasi in aetu ipso positorum, ut venirent simul cum Jacobo in Aegyptum, ideo Participio usus est, non Praeterito. Quia Jacobus dux et caput erat illorum, qui in Aegyptum migrarunt, ideo eum cum filiis commemorat, et primo loco ponit (יַעֲקֹב וּבָנָיו). In catalogo ipso non observat ordinem, quo nati sunt singuli, ut 29, 32. sqq. 30, 5. sqq., sed uti 35, 23. sqq. cujusque uxorum et an-

cillarum filios simul ponit, nunc prius nunc posterius natos afferens. Itaque primo loco (Vs. 9—18.) Leae ejusque ancillae, Silpae, filios omnes ponit, et ex his procreatos nepotes et pronepotes; quibus enumeratis ad Rachelae ejusque ancillae, Bilhae, filios transit (Vs. 19—25.).

10. 12. Rubenis filiis (Vs. 9.) seorsim praemittitur patris nomen (Vs. 8.), quod Ruben Jacobi fuit primogenitus. Verum in recensendis reliquorum patriarcharum filiis patrum nomina implicite tantum indicantur formulis: *filii Simeonis*, *filii Levi* etc., nec additur, Simeonem, Levi ect. fuisse Jacobi filios. Quot enim fuerint filii Israelis, et quaenam eorum nomina, illud jam abunde constabat, et Vs. 15. 18. 25. memorantur matres, e quibus Jacobus istos habuit filios. Quod autem Vs. 19. nomina filiorum Rachelis seorsim sunt adjecta, id factum esse videtur, ut a reliquis per hoc etiam distinguatur, quae primaria et dilectissima Jacobi conjux erat Rachel, quia etiam hic prae aliis אֵשֶׁת יַעֲקֹב appellatur, et deinde quoque, ut nexus, qui ob variatum Vs. 20. recensendi modum haud ita planus fuisset, conservetur. Ceterum quinque Simeonis filii h. Vs. recensiti, Jemuel, Jamin, Ohad, Jachin et Zohar, videntur ex una matre fuisse, sextus vero, Saul, fuit ex alia matre, dicitur enim בֶּן־הַכְּנַעֲנִית *filius Cananaeae*. Verisimile est, voluisse Mosen damnare factum Simeonis, qui praeter majorum morem Cananaeam uxorem duxerit. — 12. וַיָּמָת — כְּנָעַן *Mortuus est autem Er et Onan in terra Canaan*, ideo non sunt connumerandi eum iis, qui in Aegyptum descenderunt. Noluit tamen Moses hos praetermittere. Namque in hac genealogia exhibenda non hoc solum spectavit, ut nonnisi eos Jacobi posteros, qui eum eo in Aegyptum migrarunt, recenseret (Vs. 26.), verum consilium ejus simul et hoc fuit, ut eum integram posterorum Jacobi genealogiam, hoc uno loco, tum praeterea numerum eorum omnium, qui e Jacobi prosapia in Aegyptum venerunt, exhiberet, sive una cum Jacobo, sive ante eum, ut Josephus, illuc venerint, sive denique post Jacobi demum adventum illic nati fuerint. Quae quum ita sint, nihil jam difficultatis habebit, quod in hoc catalogo Vs. 20. Josephi filii in Aegypto nati, et h. l. Pherezi filii, Chezron et Chamul, recensentur, qui Jacobo in Aegyptum sese conferente vix jam nati esse potuerunt. Bene de h. l. disputavit J. A. Kanne in *bibl. Untersuch. u. Auslegg.* P. II. p. 58. sqq.

13. 15. Qui hic יוֹב vocatur, is Num. 26, 24. et 1 Paral. 7, 1. יָשׁוּב appellatur. Illud nomen magis Arab., hoc Hebr. est; cf. ad 26, 34. — 15. אֵלֶּה — אֲרָם *Hi sunt filii Leae*, *quos peperit Jacobo in Mesopotamia*. Hoc ad capita et parentes primos sex est referendum; ut sensus sit: hi sunt sex Leae filii, una cum nepotibus et pronepotibus inde ortis, quos ea Jacobo genuit in Mesopotamia, licet ceteri deinceps in terra Canaan nati sint. כָּל־נֶפֶשׁ וגו׳ *Omnis anima*, i. e. animae *filiorum filiarumque ejus erat triginta tres*; exclusis se. *Er* et *Onan*, et numerato Jacobo.

20. 23. Post Manassem et Ephraimum LXX. haec addunt: *Ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Μανασσῆ, οὓς ἔτεκεν αὐτῷ ἡ παλλακὴ ἡ Σύρα Μαχίρ. Μαχὶρ δὲ ἐγέννησε τὸν Γαλαάδ. Υἱοὶ δὲ Ἐφραΐμ ἀδελφοῦ Μανασσῆ, Σουταλαὰμ καὶ Ταὰμ· υἱοὶ δὲ Σουταλαὰμ Ἐδώμ.* quae translata sunt ex 1 Paral. 7, 14. et fortasse olim ad marginem ab aliquo fuerunt adscripta, deinde textui illata. Certe non exstant in textu Samaritano. — 23. וּבְנֵי דָן חֻשִׁים *Et filii Dan: Cuschim;* cf. ad Vs. 7.

26. 27. מְצֵרֵימָה — כָּל *Omnis anima veniens*, i. e. omnes venientes *Jacobo*, cum eo *in Aegyptum*, יֹצְאֵי יְרֵכוֹ *egressi e femore ejus*, i. e. ex eo descendentes; sunt שִׁשִּׁים וָשֵׁשׁ *sexaginta sex.* In quo numero jam noli superiorem numerum (Vs. 15.) 33 statuere, quum in eo esset Jacobus, nec ipse potuerit e suo femore egredi, sed tantum 32. Jam recte omnia procedent: 32 et 16 sunt 48, adde 14 e Rachela, fient 62; jam e 7 e Bilha ortis tolle tres, qui in Aegypto jam erant, Josephus eum duobus filiis, habebis 66. — 27. כָּל־הַנֶּפֶשׁ וגו׳ *Summa igitur totius familiae Jacobi*, quae venit *in Aegyptum*, *fuit capitum septuaginta.* Nam ad 66 (Vs. 26.) adde Josephum et duos ejus filios, qui jam erant illic, fiunt 69., adde Jacobum, caput omnium, erunt 70. LXX. (quos sequitur Stephanus Act. 7, 14., quia cum Judaeis Hellenistis disputat, Act. 6, 9.) *ἑβδομήκοντα πέντε* ob quinque illos Manassis et Ephraimi filios Vs. 20. ab illis ex 1 Paral. 7, 14. additos.

28. 30. לְהוֹרוֹת לְפָנָיו גֹּשְׁנָה *Ad monstrandum ante eum Goschenam*, i. e. dirigendum et praeparandum omnia. Pro לְהוֹרוֹת cod. Sam. habet לקראות, quod et LXX. legisse videntur, qui habent *συναντῆσαι αὐτῷ*, *ut obviam ei veniret.* Ita קָרָא esset pro קָרָה, ut 42, 4. 38. 49, 1. et Infinitivus קראות plene occurrit Jud. 8, 1. Nulla tamen mutatione est opus. — 30. אֶמּוּתָה — פָּנֶיךָ *Moriar hac vice*, jam libens moriar, *postquam vidi faciem tuam;* si nunc morerer jam solatium accepissem, postquam tuo adspectu rursum frui datum est.

34. כִּי־תוֹעֲבַת וגו׳ *Quia abominatio Aegypti est omnis pastor ovium.* Quae verba Mosis esse possunt rationem reddentis, cur Josephus id, quod Pharaoni dicere debeant fratres, ipsis suaderet, vel etiam ipsius Josephi, morem Aegyptiorum fratribus exponentis, quod ita effecturi essent, ut ipsis terra Gosen ad habitandum assignaretur; peculiari enim terrae Aegypti loco iis opus esse, ubi commode artem suam et vitae institutum exercerent, quod ab omnibus ovium pastoribus abhorreant Aegypti. Id vero, uti monet Jablonsky in *Panth. Aegypt.* Prolegg. p. XXI., nonnisi de pastoribus peregrinis, quales tum erant Israelitae, dici potuit. Nam eetcroquin ipse Aegyptiorum rex ex Israelitis *quosdam gregibus suis pastores praeficere* cogitabat, 47, 7., et apud veteres pastorum Aegyptiorum mentio sane plurima occurrit. Inter pastores Aegyptios solos tantum subulcos et societate hominum, et

communione Saerorum indignos reputatos fuisse, refert Herodot. 2, 47. Vera autem ratio, cur Aegytii pastores Israelitas, et in universum peregrinos, detestarentur, haec est, quod animalia cujuscumque generis sic paseerent et nutrirent, ut ea promiscue etiam jugularent, eorumque carne veseerentur. Id vero Aegyptii, animalium cultores superstitiosissimi, nullo modo ferendum esse censebant.

10. *Josephi fratres et pater coram Pharaone sistuntur; Gosenitidem incolendam accipiunt; a Joseplio frumento sublevantur. Cap.* 47, 1 — 13.

Cap. 47, 1. 2. וְהִנָּם בְּאֶרֶץ גֹּשֶׁן *Et ecce illi* sunt *in terra Gosen* (cf. ad 45, 10.). Nondum erat illis expresse assignata, sed Josephus non dubius de regis voluntate eos illic subsistere jusserat. Vult autem eos traetum illum a rege petere, ut magis in ejus possessione regis auctoritate confirmentur. — 2. וּמִקְצֵה אֶחָיו *Et de extremitate fratrum suorum*, i. e. e summa et numero eorum, cf. ad 19, 4. Ez. 33, 2.

4. 6. כִּי־אֵין מִרְעֶה לַצֹּאן *Nulla enim erant amplius pascua ovibus.* Causa sterilitatis et famis in Cananaea vix alia eogitari potest, nisi pluviae penuria. — 6. אֶרֶץ מִצְרַיִם לְפָנֶיךָ הִוא *Terra Aegypti in conspectu tuo est*, i. e. Aegyptus tibi patet, ut quocunque velis patris familiam mittas. Cf. 13, 9. 20, 15. אַנְשֵׁי־חַיִל *viros fortitudinis.* חַיִל generale nomen est, quameunque praestantiam, strenuitatem et industriam signifieans, unde Prov. 31, 10. אֵשֶׁת־חַיִל *mulier praestans.* וְשַׂמְתָּם וגו׳ *Et constituas eos principes*, eustodes, *super pecus*, *quod mihi est.* Quamquam enim ovium pastores apud Aegyptios contemti erant (cf. ad 46, 34.), tamen oves oviumque pastores Pharao habere poterat; sieut subuleos quoque in Aegypto fuisse novimus. De bubuleis vero nusquam apud veteres legitur, eos apud Aegyptios eontemtos fuisse.

7. 9. וַיְבָרֶךְ וגו׳ *Et Jacobus Pharaoni bene precatus est*, vota pro regis salute concepit, ut solebat fieri ab iis, qui reges adibant. בָּרַךְ hic est *salutare.* Talis salutatio est Esth. 2, 2. Cf. Dan. 2, 4. 6, 6. — 9. שְׁנֵי — יָמַי *Dies annorum peregrinationum mearum centum triginta sunt.* Hebraei et Aegyptii vitam eum peregrinatione, et sepulehrum cum divertieulo eomparare solebant. Utraque gens igitur sepulehrum *domum aeternam* voeabat. Hae imagine etiam Jaeobus hie utitur, et eomparat se cum aliquo, qui patriae desiderio tenetur, et in eam redire eupit.

11. וַיִּתֵּן — רַעְמְסֵס *Deditque eis possessionem in terra Aegypti*, *in optima terrae* parte, *in terra Rahmses.* Quum loeis innumeris Gosen ut Israelitarum sedes memoretur; oportet Rahmses aut synonymum τοῦ גֹּשֶׁן, aut, quod potius reor, nomen parti Gosenitidis, in qua Jaeobus domicilium fixit, proprium esse. LXX. quidem Rahmses et Gosen unam eandemque eensuerunt. Nam 46,

28. גֹּשֶׁן vertunt *καθ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμασσῆ*. Exporrectam igitur eam existimabant Heroopolin usque, ita ut haec, caput provinciae, ipsa quoque Gosen, i. e. metropolis Gosenitidis dici potuerit. Josephus *Ant.* 2, 7. 6. Rahmsen Heliopolin esse censet. Ceterum רַעַמְסֵס regio diversa est ab urbe רַעַמְסֵס Ex. 1, 11., ad quam aedificandam adhibiti sunt Israelitae. P. E. Jablonsky *Opuscc.* T. II. p. 136., nomen רַעַמְסֵס terrae Gosen ex re ipsa adhaesisse arbitratur; *PIAMΣXΩC* enim (compositum e *PEM*, a *PΩMI*, *homo* et *ΣXΩC*, *pastor*) Aegyptiace dici *homines vitam pastoritiam agentes*. Ignat. Rossi *Etymologiae Aegypt.* p. 280. Nom. *ΣXΩC pastores* traxisse putat a *ΣXΩΣX probrum*, *dedecus*, quod etymon belle concordare existimat cum Gen. 46, 34.

12. 13. *Et sustentavit Josephus patrem suum et fratres suos et totam domum patris sui pane* (pro בְּלֶחֶם) *ad os infantis*, i. e. parvulorum. Quod bifariam intelligunt; vel: pro numero parvulorum; vel: omnibus providit de cibo, tam parvulis, quam adultis. Alii exponunt: usque ad parvulos. Sed פִּי haud raro est syllabica adjectio; modum et aestimationem significans, ut כְּפִי *secundum modum*, Lev. 25, 52. Num. 6, 21., et לְפִי Ex. 12, 4. Hinc malim: singulis ut parvulis demensum suum dedit. LXX. *σῖτον κατὰ σῶμα*. Hieron. *praebens cibaria singulis.* — 13. וַתֵּלַהּ וגו' *Et elanguit*, extabuit, *terra Aegypti et terra Canaan prae fame.* „Pro וַתֵּלַהּ Textus Sam. exhibet ותלא (וַתֵּלָא), glossam egregiam. Viderunt enim antiquissimi quique interpretes, לָהָה (unde Futur. Cal apocop. וַתֵּלַהּ) esse i. q. לָאָה, quod de terra prae siccitate deficiente occurrit Ps. 68, 10. (Similiter Job. 17, 7. וַתִּכְהֶה derivatur a כָּהָה.)" Gesenius *de Pentat. Sam.* p. 32.

11. *Fame confecti Aegyptii omnia sua vendunt ad comparandam annonam. Imponuntur illis a Joseplio vectigalia perpetua ex agrorum reditibus regi quotannis solvenda. Cap.* 47, 14—26.

Cap. 47, 14. 15. 18. וַיָּבֵא יוֹסֵף וגו' *Et duxit Josephus pecuniam in domum Pharaonis*, i. e. in fiscum regium intulit. — 15. הָבָה — נָגֶד *Da nobis panem, quare moriemur in conspectu tuo?* quare nos fame perire sinas, quum tu frumentum habeas, nosque pecunia simus destituti? Videntur gratis frumentum a Josepho petere, quod ille non tenebatur gratis dare, quum non sua, sed regis ageret negotia. — 18. הַשֵּׁנִית — וַתֹּם *Finito autem anno illo, venerunt ad eum anno secundo*, se. a consumta pecunia. Anno ab initio famis quinto tota pecunia exhausta fuisse videtur, ut sexto dederint pecora pro frumento, septimo tandem haec dixerint.

19. 20. לָמָּה — גַּם־אַדְמָתֵנוּ *Cur moriemur coram te*, cur committeres, ut inedia periremus, *tam nos, quam terra nostra?*

Terra dicitur *mori*, cum squallida jacet et neglecta. קְנֵה — לְפַרְעֹה *Eme*, para, acquire, *nos et terram nostram pro pane, et erimus*, simus, *nos et terra nostra servi Pharaoni;* servituti perpetuae nos tibi et Pharaoni addicimus et terram nostram, ut tantum simus coloni sub eo agrorum, qui deinceps sint in ejus dominio et proprietate. וְתֶן־זֶרַע *Da* nobis *semen*, sementem, quam spargamus in terram hactenus pro fame neglectam. LXX. *δὸς σπέρμα ἵνα σπείρωμεν.* Hoc petunt, quia sperabant instare finem famis ex praedictione Josephi post septem annos. וְהָאֲדָמָה לֹא תֵשָׁם *Et terra non desoletur*, vasta remaneat, a יָשַׁם, i. q. שָׁמַם. — 20. *Itaque omnem Aegyptum Pharaoni emit Josephus, Aegyptii enim suum quisque agrum, quia inter eos invaluerat fames, vendiderunt, et ita omnis Aegyptus Pharaonis facta est.* Quum antea jurisdictionis et regni jure tantum esset ipsius tota terra, nunc jure proprietatis ipsius facta est. Quod nobis durissimum videtur, non item Aegyptiis, coll. Vs. 25. Neque totus regni Aegyptiaci illis temporibus status nobis ita est cognitus, ut de iis, quae a Josepho instituta esse hic legimus, judicium omni ex parte aequum facere possimus. Legenda tamen sunt, quae pro Josepho dicunt, quamvis non satis firmata veterum scriptorum testimoniis, tamen ingeniose, Michaelis in notis ad h. l., Jerusalem *Betrachtt. üb. d. vornehmst. Wahrhh. d. Relig.* P. II. p. 280. sqq. Hess *Gesch. d. Patriarchen*, P. II. p. 324. sqq. Hensler *Bemerkungen etc.* p. 406. sqq.

21. 22. *Populum etiam transire fecit*, i. e. transtulit *in urbes* se. alias, *ab extremis Aegypti finibus ad extremos fines*, i. e. quam longe lateque patebat Aegyptus, populum totius Aegypti. לָעָרִים positum pro מֵעָרִים לָעָרִים *ex urbibus in urbes.* Quod fecisse videtur, tum ut manifesto signo demonstraret, regem omnis terrae dominum factum esse, tum ut in ipsis civibus veteris dominii memoria, et ex memoria dolor aboleretur. Text. Sam. pro הֶעביר אתו לערים legit הֶעביד אתו לעבדים *fecit eum servos*, consentientibus LXX: *καὶ τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ εἰς παῖδας*, quod sequutus Hieronymus: *subjecit eam Pharaoni et cunctos populos ejus.* Verum phrasin העביד לעבדים Moses nusquam usurpat, sed nude verbum הֶעֱבִיד accusandi casui jungit, vid. Ex. 1, 13. Construitur quidem apud scriptores Mosen sequutos הֶעֱבִיד cum עֲבוֹדָה, tanquam conjugato, sed abstracto, nec non cum Infinitivo, neque incommode Hebraeis dicitur: *servire servitutem*, et: *in servitutem redegit ad serviendum*, 2 Chr. 34, 33. At quis feret dicentem: *servire fecit in servos?* — 22. רַק — לְכֹהֲנֵי פַרְעֹה *Agros tantum sacerdotum non emit, quia statutum*, certum demensum *sacerdotibus* assignatum fuit *a Pharaone, et comederunt demensum suum*, vectitabant eo *quod dederat iis Pharao.* Hinc factum, ut sacerdotum agri multis etiam post Mosen seculis immunes fuere, uti testantur Herodotus (2, 268.) et Diodorus Siculus (Lib. 1.). Ex tribus autem partibus, in quas olim divisa erat Aegyptus, pri-

mam sibi sacerdotes vindicarunt atque ex agrorum reditu sumtus in res sacras fecerunt et dignitatem suam tuiti sunt. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 222.

23. 24. הֵא־לָכֶם זֶרַע *Ecce vobis semen*, i. e. accipite semen. הֵא particula est demonstrantis et porrigentis, Hebraeis rarissima, occurrit adhuc Ez. 16, 43. Dan. 2, 43.; at reliquis dialectis Orientalibus perquam usitata. — 24. *Fiet autem* sc. frugum percipiendarum tempore, *dabitis*, ut detis, *quintam* proventuum *partem* Pharaoni, *quatuor vero partes erunt vobis* (quod Hebraice est, וְאַרְבַּע הַיְדוֹת יִהְיֶה, ad nostrarum linguarum genium ita est solvendum: דְּבַר אַרְבַּע יָדוֹת יִהְיֶה *res quatuor partium erit*), *in semen*, sementem agri, *ac in cibum vestrum atque iis, qui sunt in domibus vestris, et ad vescendum parvulis vestris.* Quartam igitur partem sementi destinat, tres esui Aegyptiorum, quintam Pharaoni. Quae exactio tolerabilis fuit, ut in regione illa praesertim ita fertili paucis annis etiam hac conditione sibi imposita potuerint Aegyptii pristino statui et divitiis restitui, quasi numquam praecessisset fames.

25. 26. הֶחֱיִתָנוּ *Vivificasti nos*, vitam servasti nobis. LXX. σέσωκας ἡμᾶς. Et sane sine Josephi consilio de maxima Aegypti parte actum erat. נִמְצָא וגו׳ *Gratiam inveniamus in oculis domini mei, et servi simus Pharaoni*, hanc a te gratiam ineamus, ut illi serviamus hac conditione terram sub eo colentes, quam nobis praescripsisti. — 26. וַיָּשֶׂם אֹתָהּ יוֹסֵף לְחֹק *Itaque posuit Josephus illud*, eam rem, *in statutum*, irrevocabilem sanctionem. — עַד־הַיּוֹם הַזֶּה לַחֲמֵשׁ *Usque ad hodiernum diem*, sc. ad tempora Mosis, *super terram Aegypti Pharaoni ad quintam*, mirum compendium, q. d. (subaudito לָתֵת *ad dandum*): ut daretur Pharaoni proventus agrorum ad quintam usque partem. Nec videtur haec res magnam post Mosis tempora mutationem subiisse. Saltem Diodorus narrat, sat magnos reditus fuisse Aegyptiorum regibus ex agris, ut necesse non haberent, nimia populo imponere tributa.

12. *Jacobus in terra Gosen habitat. Postulat a Josepho, jurejurando interposito, ut ipsum euret in terra Cananaea sepeliendum, atque aegrotans filiis Josephi bene precatur.* Cap. 47, 26. — 48, 22.

Cap. 47, 27. 29. וַיֵּאָחֲזוּ בָהּ *Et apprehensi sunt*, s. detenti *in ea*, ejus possessionem adierunt. Idem Verb. ab אֲחֻזָּה *possessione*, occurrit 34, 10. — 29. אִם־נָא מָצָאתִי חֵן בְּעֵינֶיךָ *Si quaeso inveni gratiam in oculis tuis*, si apud te gratiam inii; rogat eum per benevolentiam, qua se complectitur. וְרְכִי שִׂים — *Pone manum tuam sub femore meo*, i. e. jurejurando mihi promitte. Cf. ad 24, 2. וְעָשִׂיתָ וגו׳ *Et facias mecum beneficentiam et veritatem*, hanc mihi gratiam concede, et fideliter ubi promiseris serva, *ne me in Aegypto sepelias.* Amore erga majores causa ei fuit optandi, ut in illorum sepulchro sepeliretur. Quantopere veteres Graeci opta-

rint, ut, si extra patriam diem obierint, in patriam reducerentur et in majorum sepulchris condercntur, patet e *Hom. Iliad.* 16, 458. sqq. 23, 82. sqq. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 225. 239.

31. וַיִּשְׁתַּחוּ וגו׳ *Et adoravit Israel super caput lecti*, i. e. ad ejus verticem s. spondam anteriorem. Sensus est, Jacobum, quum promissionem a filio accepisset, prae senectutis imbecillitate super lectum eubantem, cervicali suo se incubuisse, ut Deo de ea re gratias ageret. Cui interpretationi plerique veterum favent; Aquila: *προσεκύνεσεν ἐπὶ κεφαλὴν τῆς κλινῆς*. Symmachus: *προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον κλινῆς*. Vulgatus: *adoravit Deum conversus ad lectuli caput*. Ita etiam Davides senex Deum in lecto suo veneratus esse legitur 1 Reg. 1, 47. LXX. hic verterunt: *προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ ῥάβδου αὐτοῦ*, pro מִטָּה legentes מַטֶּה. Hanc lectionem sequutus est Apostolus Hebr. 11, 21. Cf. J. E. Faber nott. ad libr. *Beobachtungen ü. d. Orient*, P. II. p. 50. sqq.

Cap. 48, 1. 3. 4. וַיֹּאמֶר se. הָאוֹמֵר *dicens*, i. e. dictum, nunciatum est. LXX. *ἀπεγγέλη*. Participium istud ad אָמַר et ad קָרָא saepe subaudiendum; cf. 11, 9. 38, 3. 1 Sam. 3, 9. — 3. וַיְבָרֶךְ אֹתִי *Et benedixit mihi*, h. e. haec bona mihi pollicitus est. Sermo est de Dei apparitione 35, 9., non de illa 28, 12. — 4. וְנָתַתִּיךָ לִקְהַל עַמִּים *Dabo te in coetum populorum*, i. e. faciam, ut posteri tui in magnam gentem evadant.

5. 6. *Nunc ergo duo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti donec*, i. e. priusquam *ad te in Aegyptum veni, mihi erunt*, i. e. eos adoptabo; *Ephraim et Manasse instar Rubenis et Simeonis mihi erunt*, i. e. Ephraim et Manasse censebuntur non quasi nepotes mei, sed quasi eos ipse genuissem. Dicit autem se illos habiturum ut Rubenem et Simeonem, quod hi duo primi essent, ut significet, Ephraimum successurum Rubeni in primogenituram, et deinceps Manassen (Josephi primogenitum, quem tamen Jacobus Ephraimo postponit, vid. Vs. 13. 14. 19.) Simeoni, secundo. Primogenitura ablata est Rubeni (vid. 35, 22. 49, 3. 4. 1 Chr. 5, 1.), et data filiis Josephi, quod ad fructum attinet, et duplicem portionem, quae primogenito debebat (Deut. 21, 16. 17.). Itaque Josephus dupliccm portioncm nactus est in duobus filiis suis, ita ut Ephraim et Manasses quisque portionem unam in terra Canaan consequutus sit, perinde ac si essent filii Jacobi. — 6. וּמוֹלַדְתְּךָ אֲשֶׁר־הוֹלַדְתָּ אַחֲרֵיהֶם *Generatio autem* s. *proles tua, quam*, filii quos *genuisti post eos*, *δυνητικῶς*, q. d. אִם־הוֹלַדְתָּ pro אִם תּוֹלִיד, *si quos deinceps genueris*. Inclusa est conditio, igitur Praeter. הוֹלַדְתָּ sumitur pro Fut. לְךָ יִהְיוּ וגו׳ *Tibi erunt*, non mei filii, ut hi, *super nomen*, i. e. de nomine *fratrum suorum vocabuntur in haereditate sua*, i. e. in haereditate dividenda non peculiare novarum tribuum nomen gerent, sed fratribus suis

annumerabuntur inter Ephraimi et Manassis tribus dividendi. Affixum in נַחֲלָתָם referendum ad Ephr. et Manassen.

7. 8. וַאֲנִי בְּבֹאִי מִפַּדָּן *Ac ego*, ad me vero quod attinet, *cum venirem ex Paddane*, i. e. Mesopotamia; cf. ad 25, 20. מֵתָה עָלַי רָחֵל *Mortua est Rachela super me*, i. e. magno meo damno, ut dolor Jacobi indicetur. Ceterum Jacobus hic mortem et sepulturam Rahelae afferre videtur, ut causam indicet, cur Ephraimum et Manassen adoptarit. Quod Rahelae nepotes filiorum instar habebat, voluit ea re illam post mortem honorare. Bene sensum expressit Hessius (*Gesch. d. Patriarchen*, P. II. p. 138.): *Diess thu' ich auch noch um der Rahel willen, die mir so frühe — dort — eine Meile von Ephrata — im Lande der Kananiter hinweg starb.* De כִּבְרַת cf. ad 35, 16. — 8. *Et vidit Israel Josephi filios et dixit, quinam illi sunt?* neque enim vultus eorum agnoscere poterat, coll. Vs. 10.

9. 10. בָּזֶה *In hoc*, sc. הַמָּקוֹם *loco*, (38, 21.), i. e. in Aegypto. קָחֵם־נָא אֵלַי *Cape eos ad me*, i. e. adduc eos mihi. — 10. וְעֵינֵי יִשְׂרָאֵל כָּבְדוּ מִזֹּקֶן *Et oculi Israelis graves erant prae senio.* Latini oculos *graves* dicunt moribundorum aut somno oppressorum; sed hic agitur de infirmitate visus ex senectute orta.

12. 13. וַיּוֹצֵא — בִּרְכָּיו *Tunc eduxit*, s. *amovit eos Josephus a genibus ejus*, sc. patris. Quum in gremio Jacobi essent adducti ad lectum decumbentis aut sedentis, inde Josephus eos eduxit, ut collocaret eos co ritu et ordine, quo a patre benedicerentur. וַיִּשְׁתַּחוּ לְאַפָּיו אַרְצָה *Adoravitque ad faciem suam*, sc. procidens, pronus *ad terram*, patri gratias agens et honorem deferens, quod filios suos adoptasset. In textu Sam. est Pluralis, וישתחוו *adorarunt*, sc. Ephraim et Manasse, probante J. D. Michaelc. Quum enim jam solemnis benedictio a Jacobo deberet peragi; genua flectentes denuo accedunt Josephi filii. Ita et LXX. quos sequitur Syrus: καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς Ἰωσὴφ ἀπὸ τῶν γονάτων αὐτοῦ, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τῆς γῆς. Tum לְאַפָּיו erit: *uterque in faciem suam.* — 13. *Deinde Josephus Ephraimum ad suam dextram et Israelis sinistram, Manassen autem ad sinistram suam et dextram Israelis constituit.* Josephus eos ita collocabat, ut primogenito imponenda esset Jacobi dextra, minori natu sinistra; dextra enim sinistrae praeferebatur, 1 Reg. 2, 19. Ps. 45, 10. 110, 1. 5.

14 — 16. שִׂכֵּל אֶת־יָדָיו *Intelligere fecit manus suas*, i. e. sciens ac volens dextram Ephraimo, minori natu, sinistram primogenito imposuit, quod nonnisi transversis manibus, uti respectu illorum situs erat, facere potuit. Manibus tribuit scientiam, quasi ipsae scirent quid agerent. Eadem prosopocia Ps. 71, 72., ubi cf. not. LXX. ἐναλλάξας τὰς χεῖρας, Vulgatus: *commutans manus*, sensum tantum exprimentes. כִּי *quamvis*, ut saepius, 8,

21. Ex. 13, 17. 2 Sam. 24, 10. — 15. לִפָנָיו — הָאֱלֹהִים *Deus ille in cujus conspectu patres mei ambularunt*, ad cujus voluntatem sese composuerunt (cf. ad 5, 22.). הָאֱלֹהִים הָרֹעֶה אֹתִי *Deus qui me pascit.* Haec imago, qua Deum tanquam tutorem suum describit, e vita pastoritia desumta est (Ps. 23, 1.). מֵעוֹדִי *Ex quo sum*, a pueritia mea. LXX. ἐκ νεότητός μου. — 16. הַמַּלְאָךְ הַגֹּאֵל אֹתִי מִכָּל־רָע *Angelus, qui me redemit*, liberavit, *ab omni malo.* Intelligitur idem ille *Angelus*, qui luctatus cum Israele narratur 32, 24., et quem Jacobus tutelarem suum putabat. Quum autem angelo hic tribuatur quod Dei solius proprium sit; nostri *angelum increatum*, s. Messiam hic indicari fere putant; cf. ad 32, 25. Cod. Sam. male legit הַמֶּלֶךְ *rex.* וְיִקָּרֵא — אֲבֹתָי *Et vocetur in eis nomen meum, et nomen patrum meorum*, i. e. dicantur filii mei, et patrum meorum, licet ex te nati sint; cf. ad Vs. 5.

19. 20. וְהָיֶה מְלֹא־הַגּוֹיִם *Erit plenitudo gentium;* i. e. ingens hominum multitudo, ut Jes. 31, 4. *plenitudo pastorum* sunt multi pastores. — 20. בְּךָ יְבָרֵךְ יִשְׂרָאֵל לֵאמֹר *Per te bene precabitur Israel dicendo*, i. e. bene precabitur populus ex me proditurus; a te sumet bene precandi formulam, ubi sibi aut suis liberis, aut aliis quis fausta ominari volet.

22. וַאֲנִי — אָחִיךָ *Et ego dedi tibi partem unam super*, s. supra, ultra *fratres tuos.* In nomine שְׁכֶם est ἀμφιβολία. Nam quum שְׁכֶם proprie *humerum*, s. partem, quae est ab humero uno et latere corporis notet, et hinc in universum *partem, portionem*, est et nom. propr. urbis, 33, 18., nec diversa videtur ab ea, quam Simeon et Levi diripuerunt (cf. c. 34.); nomen enim nacta est a Sichemo, Chamoris filio. Hoc itaque loco, quod alius sermo assequi nequeat, sub nomine שְׁכֶם, *partis* unius, significat Jacobus simul, se Josepho dare ultra portionem fratrum urbem Sichem, ut postea Ephraim eam in sorte sua nactus est (Jos. 21, 21.), et eo sunt relata Josephi ossa, Jos. 24, 32. Ideo et LXX. simpliciter Σίκιμα verterunt, et pro אֶחָד posuerunt ἐξαίρετον, quasi *eximiam* partem. Ikenius in *Dissertatt. Philologico-Theol.* P. I. Diss. IV. p. 38. שְׁכֶם ex Arab. שָׁכַם *remuneratus fuit, donum pro dono, praemium vel mercedem largiens*, unde שֶׁכֶם *donum pro dono*, hic significare putat *donum, praemium*, ut Jacobus dicat, se dare Josepho portionem unam prae fratribus, eamque in *praemium omnis illius amoris atque benevolentiae*, quam Josephus patri ejusque familiae tot annis in Aegypto exhibuerat. אֲשֶׁר לָקַחְתִּי וגו׳ *Quam cepi e manu Amoraei*, Amoraeorum, *gladio meo et arcu meo.* Non intelligit tantum agrum, quem prope Siehem emerat (33, 18.), nam *emere* non est armis acquirere; sed totum agrum Sichemitarum, quem Simeon et Levi armis suis acquisiverunt. Quod factum quamvis Jacobus summopere improbaret, nil tamen obstat, quo minus tractus ille, quum vacuus relictus esset,

nullis vicinorum eum occupantibus, Jacobo cesserit. Dicit autem *se* illum sibi suis armis acquisivisse, quamvis *filii* illo vi injusta potiti fuerint, quum pater et posteri quasi homo unus habeantur; vid. e. c. ad 46, 4. Minime opus est, cum nonnullis Hebraeorum לָקַחְתִּי pro Futuro capere, q. d.: *quam accipiam*, i. e. quam mei posteri suis armis, cum Cananaeam occupabunt, Amoraeis eripient. Ad quam sententiam ideo delapsi videntur, quia si haec Jacobi verba referuntur ad ea, quae c. 34. narrantur, non apparet, quomodo Jacobus Amoraeis tractum Sichemiticum eripuisse dicere possit, quum Siehemus 34, 2. *Chivaeus* dicatur. Verum simplicissimum est, Amoraeos pro Cananaeis generatim dici existimare, ut Amos 2, 9. (ubi cf. not.), quod illi Cananaeorum, quibus et Chivaei accensebantur, potentissimi essent, quippe quorum dominatio et ultra et citra Jordanem longe lateque patebat.

13. *Jacobus futuram posterorum sortem praedicit, et moritur, postquam se in majorum suorum monumento sepeliri jussisset. Cap.* 49.

Cap. 49, 1. Convocatis filiis suis omnibus Jacobus significat sese velle annunciare quae eis, i. e. eorum posteris sint eventura, אֵת אֲשֶׁר־יִקְרָא אֶתְכֶם, ubi observa, יִקְרָא hic esse pro יִקֶּרֶה *obveniet*, accidet, quomodo verbum 3. rad. א, קָרָא, significatu convenit cum קָרָה, verbo tertiae ה; ut 42, 38. 44, 29. Jes. 51, 19. Voces בְּאַחֲרִית הַיָּמִים LXX. ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν ἡμέρων, et post eos Hieron. *in diebus novissimis*, eundemque in modum Onkelos, בסוֹף יוֹמַיָּא *in fine dierum* reddidit. Qui quidem interpretes finem exitumque stati cujusdam temporis videntur intellexisse, et quum in prophetis phrasis illa passim ad Messiae tempora indicanda adhibeatur, Vs. 10. autem e Judae prosapia Messiam oriundum innuat; fuere et inter Hebraeos, et inter Christianos, qui Jacobum spectasse tempus naseituri Messiae, putarent. Verum Jacobi vaticinatio potius referenda est ad divisionem terrae Canaanis inter filios, postquam eam ex Aegypto redituri fuerint occupaturi; nam Vs. 13. Sebuloni assignat tractum Canaanis aquilonarem, qui illius posteris et in distributione terrae vere obtigit, Jos. 10. sqq., quum contra in divisione terrae Messiae temporibus futura, quae apud Ezech. 48, (27.) habetur, Sebuloni in meridionali terrae parte sors sua assignetur. Est igitur formula בְּאַחֲרִית הַיָּמִים de tempore futuro in universum capienda, sive propius fuerit, sive remotius. Quod et propria nominis אַחֲרִית vis suadet. Id enim a rad. אָחַר *post fuit*, designat *quidquid sit posterius*, dicturque tum de *posteritate*, ut Ps. 37, 37. 38. Prov. 24, 20. Jer. 29, 11.; tum de *statu* alicujus *posteriore*, respectu prioris, רִאשִׁית, Deut. 11, 12. Job. 42, 12. Coh. 7, 8. Ubicumque autem praemissa Particula ב de *tempore* adhibetur, nomen הַיָּמִים illi junctum fere reperitur; vid. Num. 24, 14. Deut. 4, 30. Jes. 2, 2., cf. Dan. 2, 28. Ceterum quae dehine sequuntur ultima Jacobi vota alio stilo, poetico magis et grandiore, quam reliqua hujus libri conscripta esse,

cuique legenti patet. Ea autem verborum sententiarumque sublimitas et imaginum splendor, quum vix exspectanda sit a sene decrepito mortique vicino, fuere jam superioris aevi interpretes, uti Clericus, qui an haec αὐτολεξεὶ a Jacobo dicta, an vero a Mose, aut Israelita quopiam alio, Jacobo vel aequali vel recentiore, novissima Jacobi verba in eam, quae nunc comparent carminis formam redacta fuerint, dubitarent. Nostra vero aetate longius progressi Jo. Godofr. Hasse in prooemio ad eam quam ipse dedit hujus carminis interpretationem in *d. Magaz. für d. bibl. oriental. Literat.* Fasc. I. p. 6. sqq., Jo. Henr. Heinrichs in Commentat. *de autore atque aetate Cap.* 49. *Genes.* Goetting. 1790., cujus epitomen dedit Eichhorn in *d. allg. Biblioth. der bibl. Lit.* P. III. p. 166. sqq., J. S. Vater in *Commentar. in Pentat.* P. I. p. 314., Jo. Christoph. Friedrich in Commentat. infra laudanda, et alii recentiores, fidentius pronunciarunt, quod hoc Capite continetur carmen neque a Jacobo proficisci, neque ad ejus aetatem satis apposite referri posse. Etenim non tam hoc in iis quae hic legimus agere Jacobum, ut anguretur atque ominetur filiis, ut nonnumquam ingenii praestantia ac judicio singulari praediti solent homines, licet in incertum saepe; quam ita potius illum hic induci, ut satis aperte respiciat mox ad situm eorum tractuum, qui aliquot secula post ipsum filiorum suorum posteris sorte obtigere in terra Cananaea ab ipsis expugnata, mox ad ea, quae a singulis tribubus gesta et facta sunt tam in terrae Cananaeae, Josua duce, expugnatione, quam postea. Quae omnia quum Jacobus nullo modo praenosse potuerit, nisi spiritu illum divino afflatum putemus, quod sine ratione idonea sumitur, effici dicunt, esse totum hoc carmen non compositum ante expugnatam atque inter singulas tribus divisam Cananaeam terram. Atque Davidis quidem temporibus esse confectum, verisimile est Heinrichsio cum ob memoratam Vs. 20. regiam dignitatem, tum ob equorum Vs. 17. factam mentionem. Quod argumentum tamen quid valeat nos quidem non satis perspicere fatemur, quum quid obstet, quo minus Jacobus utriusque illius rei mentionem injicere potuerit, haud facile apparcat. Neque reliqua argumenta, quae arguere volunt, posse hoc Capite allata a Jacobo non pronunciata esse, validiora videntur. Primum enim, quod dicunt, tale dictionis ὕψος, quale in hoc Jacobi testamento deprehendamus, a sene decrepito et morti vicino exspectandum non esse; videant, annon majori sublimitatis et elegantiae laude efferant novissima haec Jacobi effata, quam quae merito iis sit tribuenda. Insunt quidem illis audaciores imagines et insolentiores loquendi formulae, quales poësi sunt propriae; sed priscorum minusque excultorum nec subtili diecndi generi assuetorum hominum sermonem sponte sua ad poësin proxime accedere, quis nescit? Praeterea venerandi senis, filios ultimum congregatos coram conspicientis, animum ita concitatum fuisse, ut ipsius sermo sese altius solito efferret, et animi commoti affectum ultimis suis verbis

pondus et gravitatem addidisse, ipsa fert animi humani natura. Alterum vero quod attinet, quod obstare putant, quo minus hac pericopa Jacobi effata contineri credamus, esse in illa quae singulis tribubus post expugnatam et distributam terram Cananaeam acciderint, clarius definita et descripta, quam illa praenosse Jacobus potuerit, id ipsum recte contendi negamus. Legenti enim sine praejudicata opinione carmen apparebit, spectasse Jacobum in novissimis suis votis et in assignandis filiorum singulis terrae Canaan portionibus illorum ingenia et mores. Hinc factum, quod tribus prioribus, eo quod atrociora commisissent, adversa praedicit; reliquis fere nonnisi laeta aut certe indifferentia praenuneiat; quibusdam etiam e nominibus omina ducit (Vs. 8. 16. 19.). Seriorem Mose scriptorem quae de Rubene et Levi Vs. 3. 5. 6. leguntur consignasse, aut tribus illis oriundas talia ab alio quopiam confieta aequo animo tulisse, parum est verisimile. Omnino autem totum hoc carmen remotissimam redolet antiquitatem, quam et arguunt quorundam e filiis cum animalibus factae comparationes, quales et apud Homerum deprehendimus (vid. Vs. 9. 14. 17. 21. 27.). Neque quomodo Moses Jacobi effata accipere potuerit, intellectu est difficile. Illa enim morituri progenitoris ultima vota a filiis summa fide et religione conservata, et a singulis ad posteros propagata et tanquam oracula habita fuisse, vix est quod dubitemus. Alia quae credibile faciant, contineri hoc Capite Jacobi effata, observarunt inter alios Hensler in *den Bemerkungen etc.* p. 417. sqq. et p. 432., Jo. Ernest. Christ. Schmid: *Eine der ältest. und schönst. Idyllen des Morgenl. 1 B. Mos. 49. neu übersetzt mit Anmerkk.* Giessae, 1793., et Jo. Jac. Staehelin in *Animadverss. in Jacobi vaticinium Genes.* XLIX. Basil. 1827. 4. Praeterea de hujus vaticinii interpretatione bene meriti sunt Joh. Gotth. Herder in *Briefen das Studium der Theologie betreffend*, P. I. Weimar 1780. p. 66—93. et *Vom Geist der hebr. Poesie*, P. II. Dessau 1783. p. 187—211. Jo. theoph. Plueschke in Diss. ברכת יעקב *Oratio Jacobi morientis ad filios duodecim*, Lips. 1805. 4. Jo. Christoph Friedrich *der Seegen Jacobs, eine Weissagung des Propheten Nathan*, Vratislav. 1811. Elegantер vernacule haec Jacobi ultima vota transtulit, praemissa introductione additaque docta interpretatione, C. Guil. Justi in *den Nationalgesängen der Hebräer*, P. II. p. 1. sqq.

3. אוֹנִי — רְאוּבֵן *Ruben! primogenitus meus tu, vis mea et principium roboris mei.* Periphrasis est ornatior primogeniti. כֹּחַ hic est *robur virile, quod in flore aetatis corpori inest* (ἀκμή), q. d. quem viribus integris, cum primum uxorem duxeram, genui. Ita 4, 12. כֹּחַ *vis* telluris dicitur fructus, quem nondum effoeta tellus edere solebat. Contra יֶלֶד זְקֻנִים est filius patre jam sene susceptus, 44, 20. Ad primogeniturae descriptionem pertinent etiam voce. רֵאשִׁית אוֹנִי *principium roboris mei*, quod referendum est ad primam vim generandi, quae in primogenito exeritur.

Aquila vero reddidit *κεφάλαιον λύπης μου*, Symmachus, *ἀρχὴ ὀδύνης*, quod sequutus Hieron.: *principium doloris.* Sane 35, 18. adcrat אוֹן *doloris* significatu. Illi igitur interpretes Rubenem a patre vocatum volunt *principium doloris sui*, quod is primus inter filios ei dolorem acerbum attulerit stuprata concubina Bilha, 35, 22. quod nefarium facinus illi pater exprobrat Vs. sq. At si initium doloris ex filiorum facinore spectes, prius occurret Simeonis et Levi crudelitas, cap. 34. Nostro autem loco Jacobus in eo versatur, ut declaret, in quo sita sit Rubenis *dignitas.* Accedit locus huic plane similis Deut. 21, 17. ubi qui primo membro בְּכוֹר *primogenitus* idem extremo Vs. רֵאשִׁית אֹנוֹ *initium roboris ejus*, i. e. patris sui appellatur. LXX. utroque loco verterunt: *ἀρχὴν τέκνων.* Vid. et Ps. 78, 51. 105, 36. Pergit in praedicanda Rubenis dignitate: יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עֹז *praecellentia dignitatis et praecellentia fortitudinis* s. *potentiae*, subaudi: erat tibi, vel, eras tu, abstractis positis pro concretis, i. e. competebat tibi primogenitura nascendi ordine; praestabas dignitate et robore. Sed tantam hanc praerogativam tuapte culpa amisisti, uti Vs. 4. sequitur. Onkelos haec ita exponit: *Tibi conveniebat accipere tres partes, primogenituram, sacerdotium et regnum.* In eundem modum Hebraeorum alii et Hieronymus, cujus haec sunt verba in *Quaestt.* ad h. l.: *Debebas juxta ordinem nativitatis tuae, et haereditatem, quae primogenitis jure debebatur, sacerdotium scilicet et regnum, accipere; hoc quippe in portando onere, et praevalido robore demonstratur.* Non meminit duplicis portionis, quae primogenitis debebatur, et in terrae divisione cessit Josepho ejusque duobus filiis, at dignitas regni data est Judae, quod is inter fratres potentissimus esset (1 Chr. 5, 1. 2.), quamquam Ruben alioquin semper in genealogiis pro primogenito recensetur, unde et primus portionem accepit ultra Jordanem in terra Gilead, verum ut unus tantum ceterorum. Voce שְׂאֵת Hebraeorum quidam sacerdotii dignitatem indicari putant, ab *offerendis* sc. *sacrificiis*, et *elevatione* s. *expansione manuum*, Hebraeis נְשִׂיאַת כַּפַּיִם dicta, qua populo sacerdotes benedicebant. Hinc Lutherus: *der oberste im Opfer und der oberste im Reich.* Verum simplicissimum videtur, ut שְׂאֵת (Infinit. verbi נָשָׂא *extollere, elatum esse*) *dignitatem*, s. *excellentiam* significet, qua quis supra alios elevatur, nec ex vocis proprietate ad sacerdotium magis, quam ad ullam aliam dignitatem referatur. Bene Saadias: *praecellens in nobilitate.* LXX. reddiderc: *σκληρὸς φέρεσθαι καὶ σκληρὸς αὐθάδης, durus ferri et durus pervicax.* Pro יתר in suo codice יחר habuisse, ideo est verisimile, quod interpretes illi et 45, 5. verba אַל־יֵחַר בְּעֵינֵיכֶם *μηδὲ σκληρὸν ὑμῖν φανήτω*, et 1 Sam. 20, 7. חָרָה *σκληρῶς* reddiderunt.

4. פַּחַז כַּמַּיִם *Lascivia instar aquarum* exundantium, sc. erat tibi. Quum verbi פָּחַז derivata Jud. 9, 4. Jer. 33, 32. et Zephan. 3, 4. cum vocibus *vanitatem* et *mendacium* indicantibus conjun-

gantur, nomini פַּחַז *levitatis* notionem fere tribuunt. Sed aeque bene convenit *temeritatis*, *petulantiae* et *lasciviae* notio. H. l. libidinis incontinentia confertur aquis ruptis aggeribus exundantibus. Haud male Hieronymus: *effusus es sicut aqua. LXX.* ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ, *insolentius gessisti sicut aquae*, fluminis sc. alveo suo egressi et vicina exundantis. Pro nomine פַּחַז veteres secundam Verbi personam expresserunt, perspicuitatis et facilioris constructionis causa, non quod פַּחַזְתָּ legerunt. אַל־תּוֹתַר *Ne excellas*, se. dignitate et honore; sive, *ne plus habeto*, ne excellito posthac eo jure, quod tibi ordo nascendi dederat. Sequitur ratio: כִּי עָלִיתָ מִשְׁכְּבֵי אָבִיךָ *quia ascendisti cubilia patris tui*, i. e. ejus torum, 35, 22. (Simile illud Virg. *Aeneid.* 6, 623.). Cum patris pellicibus concubuisse, et apud Arabes magnum crimen habetur, vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 230., aliud exemplum affert Staehelin ex ABULFARADSCHII *Histor. dynastiar.* p. 210. אָז חִלַּלְתָּ *Tunc profanasti*, contaminasti, ea sc., patris tui cubilia. Nam cum sequenti יְצוּעִי conjungere vetat accentus distinctivus Tiphcha voci חִלַּלְתָּ appositus. Verba יְצוּעִי עָלָה, plures sic vertunt: *ascendit*, i. e. abiit in auras, *stratum meum*, evanuit, abiit ejus dignitas, utpote a te inquinati. Verbum עָלָה enim, ubi dicitur de aqua aut de rore, idem est ac in vaporem resolvi, evanescere, ut Ex. 16, 14.; Ps. 102, 25. interitum hominis significat, et Ez. 11, 24. de visione, quae evanuerat, usurpatur. Durior tamen ista hujus loci interpretatio videtur. Nil obstat, quo minus simpliciter vertamus: *stratum*, s. *thalamum meum ascendit*, incestum illi intulit. Nam qui ira commoti sunt, saepe ita solent breviter quae ante dixerant repetere, atque ille ipse a persona secunda ad tertiam transitus animo concitato apprime convenit. LXX. οὐ ἀνέβης. 2. pers., ut oratio membrō priori conveniat.

5. שִׁמְעוֹן וְלֵוִי אַחִים *Simeon et Levi*, vos qui *fratres* estis, quod socii fuerunt in clade et direptione Sichemitarum, 34, 25. sqq. *Fratres* eos ambos vocat notanter, quod socii essent et conjunctissimi in obeundis cruentis facinoribus. In verbis כְּלֵי חָמָס מְכֵרֹתֵיהֶם difficultatem creat vox postrema, hoc tantum loco obvia, incertae significationis. Sunt, qui non differre putent a מְכוּרָה, Ez. 16, 3. (ubi cf. not.) et מְכוּרָה ibid. 21, 35. 29, 14., quam ipsam tamen non uno modo exponunt, aliis *commorandi locum*, *habitationem*, ut מְגוּרָה, aliis *originem*, *ortum*, *cognationem* interpretantibus. Qui prius eligunt, verba ita exponunt: *vasa*, i. e. σκεύη, instrumenta *violentiae habitationes eorum*, vel, subaudito ב, *in habitationibus eorum*, ut hoc dicat: eorum domicilia et consortia nihil aliud sunt, quam organa violentiae; in eorum contubernio nihil aliud agitur quam de injuriae inferendae ratione. Onkelos: *viri fortes in terra habitationis eorum fecerunt fortitudinem*, ubi tamen *fortitudo* pro *violentia* est capienda. Sed qui posteriorem significationem praeferunt, interpretantur vel sic: *instrumenta violentiae* sunt *origines*, i. e. indoles *eorum* (Syrus:

instrumenta furoris e natura eorum), vel hoc modo: *instrumenta violentiae* sunt *cognationes*, consortia *eorum*. Ita Mendelssohn: *Werkzeuge der Gewaltthätigkeit sind ihre Verwandtschaft.* Verum sensus prodibit simplicior, si מְכֵרָה sumamus i. esse q. Graec. *μάχαιρα*, quod, ut alia haud pauca, ad Graecos pervenerit ex Oriente, quomodo erit: *gladii eorum sunt violentiae instrumenta;* utuntur illis ad violentiam aliis inferendam. Hieronymus: *vasa iniquitatis arma eorum.* LXX. nom. מְכֵרוֹת *consilii* significatu ceperunt; ita enim reddunt: *συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν*, *perfecerunt iniquitatem ex proposito suo*, pro Inbitu suo. Pro כלי legerunt כלו, quod et textus Sam. exhibet. Alias interpretationes vid. in Commentar. nostro majore.

6. בְּסֹדָם — בִּקְהָלָם *In arcanum*, consilium *eorum ne veniat anima mea*, *in coetu eorum ne uniatur gloria*, i. e. anima *mea*. סוֹד propr. *secretum colloquium*, *familiarem* cum aliquo *consuetudinem* denotat (cf. ad Ps. 25, 14.), hic speciatim occultum Simeonis et Levi conventum et secretum eorum consilium indicat, quo improbum illud facinus deereverunt. Phrasi: *se non intrare eorum consilia*, testatur Jacobus, eum vehementer detestari ejusmodi consilia. כְּבוֹדִי ex parallelismo membrorum hic est i. q. נַפְשִׁי, *anima mea*, quae in aliis etiam locis ita vocatur, tanquam praestantior et nobilior pars hominis, vid. Ps. 7, 6. 16, 9. 30, 13. Quod vero nomini huic masculino jungitur verbum femininum תֵּחַד, causa videtur haec esse, quod respicitur significatio, qua convenit cum praecedente feminino נֶפֶשׁ. — בְּאַפָּם הָרְגוּ אִישׁ *In ira sua interfecerunt virum*, i. e. viros, collective, Hemorem sc. omnesque Sichemae mares. וּבְרְצֹנָם עִקְּרוּ־שׁוֹר *Et in voluntate*, i. e. lasciva, petulantia *sua enervarunt taurum*, i. e. tauros, collective ut antea אִישׁ; succiderunt poplites, aut suffragines taurorum, quo maleficio operi rustico prorsus inutiles fiebant. Ita subnervati equi a Josua 11, 9. (ubi עָקַר in Piel, ut hic), jussu Dei, ne Israelitae equestres ullas copias haberent. Convenit Arab. عَقَرَ, *vulneravit*, peculiariter *in pedibus* equum, camelum, pedes incidit iis, suffragines succidit. Recte LXX.: *ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν ἐνευροκόπησαν ταῦρον.* Sunt, qui nomine שׁוֹר collective sumto per metaphoram designari existiment potentiores urbis Sichem, quum et alias, e. c. Deut. 33, 17. Ps. 22, 13. 38, 31. homines viribus et potentia pollentes comparentur tauris. Sed eoncinna prodit sententia, Simeonem et Levin eo progressos esse immanitatis, ut interfectis hominibus ne quidem jumentis pepercerint, sed quae non secum abducere potuerint (34, 28. 29.), mutilarint operique rustico inutilia reddiderint.

7. אָרוּר — קָשְׁתָה *Maledicta sit eorum ira*, *quoniam violenta*, *et furor*, *quoniam durus est*, i. e. detestabilis est ira eorum immodica, et furor eorum effrenatus. אַחַלְּקֵם — בְּיִשְׂרָאֵל *Dispertiam eos in Jacobo et dispergam eos in Israel*, h. e. eorum

sedes in Cananaea Jacobi s. Israelis posteris occupanda non sint contiguae, nec uno perpetuo tractu sitae. Simeonitis ex progenitoris voluntate sedes in mediis tribus Judae agris obtigere (Jos. 19, 1. 9.), et quum priscae sedes non sufficerent tantae capiendae multitudini, aliquantum agri tum Idumaeis tum Cananaeis vi ademerunt, licet serius, 1 Paral. 4, 33. sqq. Etsi enim terra Cananaea sortitione facta inter tribus distribuenda dicatur Jos. 13, 6. 14, 2., tamen non plane casui fortuito permissum fuisse, quas singulae tribus portiones acciperent, colligi potest e Jos. 13, 8 sqq. 14, 6. sqq. Levitica vero tribus urbes ex unaquaque tribu sibi adtributas habuit. Quare cum Simeonitarum tum Levitarum agri sparsi per Israelitarum reliquorum sedes fuere. Ceterum Jacobus dicitur facturus, quod fecerunt ejus posteri; qui sorte Simeonitis sedes adtribuerunt et Levitas per totum Israelem diviserunt. Licet postea Levitica tribus sacerdotium consequuta sit, et praemia sat magna in victimis, decimis, aliisque ad sacerdotium jura pertinentibus habuerit, haec tamen non tanti fuere, ac si continuum aliquem terrarum tractum accepisset, quem perpetuo tenuisset; quia dubium non est, quin decem tribus, in idololatriam delapsae et aliis sacerdotibus usae, sacerdotalia jura Levitis negaverint. Cf. quae ad h. Vs. observavit Staehelin p. 7. Comment. laud.

8. יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ *Juda, te celebrabunt fratres tui.* Paronomasia est in verbis יְהוּדָה et יוֹדוּךָ, nam a יָדָה derivatum est nom. Judae, cf. ad 29, 35. Nunc Jacobus: ut tu, inquit, Judas vocaris a *laude*, sic futurum est, ut te praecipue fratres collaudent summumque tibi tribuant honorem. Ceterum verba יְהוּדָה אַתָּה non verte: *Juda tu es*, sed simpliciter *Juda!* Solent enim Hebraei eleganter aut pronomen aut sequens affixum redundanter ponere, ut idem sit, ac si dixisset simpliciter יוֹדוּךָ; cf. ad Ps. 9, 7. יָדְךָ בְּעֹרֶף אוֹיְבֶיךָ *Manus tua in cervice hostium tuorum*, sc. erit, eos virtute manus tuae fugabis. Praedicatur Judae virtus bellica et animi praestantia ac fortitudo. עֹרֶף *cervix, collum*, hic pro *tergo, dorso* capiendum (LXX. νώτος), ut in phrasi saepius obvia, *dare alicui* עֹרֶף אוֹיְבָיו *tergum hostium*, i. e. eos fugandos permittere, vid. Ex. 23, 27. Jos. 7, 8. 12. Ps. 18, 41. יִשְׁתַּחֲווּ לְךָ בְּנֵי אָבִיךָ *Procumbent coram te filii patris tui*, i. e. ob virtutem, robur et imperium, quod tibi parabis, sese tibi summittent, dominationem tuam agnoscent. Ubique tribus Judae princeps quasi ceterarum tribuum fuit. Primam aciem in exercitu duodecim tribuum habuit Num. 10, 14. Jud. 20, 18. Prima veteres colones ex agris sibi a Josua divisis migrare coegit Jud. 1, 2. et sqq.

9. גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה *Catulus leonis est Juda.* Virorum fortium cum leonibus comparatio neque Hebraeis neque aliis insolita. Vid. Deut. 33, 20. Jes. 31, 4. Hom. *Iliad.* 12, 299. Est in leone aliquid, quod magni animi speciem habeat, quum nec aper-

tam vim timeat, nec insidias ullas, sed hostem aggrediatur impavidus. Ceterum in hac comparatione est gradatio quaedam: *catulus leonis — leo adultus — leaena*, quae utroque terribilius furit; qua imagine res fortiter gerendae a tribu Judae describuntur. מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ *Ex praeda, mi fili, ascendisti*, i. e. ascendes, Praeteritum pro Futuro positum, ut solet in praedictionibus. Comparatio inde desumta, quod leones post praedam e locis montibus subjectis raptam in montes, ubi lustra habent, ascendunt. Sensus itaque hic erit: redibis invictus, et te in locum tuum relata de hostibus praeda recipies. Alii עָלָה hic *crescendi, invalescendi* significatu capiunt, quae sane conjuncta est cum *ascendendi* notione; et usurpatur hoc verbum Arabibus quoque de incremento, e. c. plantarum, uti Hebraeis, ut 40, 10. Ez. 19, 3. Jes. 53, 12. Qua adscita significatione sensus hic erit, fore, ut Judae posteri bellis feliciter gestis et victoriis saepius reportatis magisque invalescant. כָּרַע רָבַץ כְּאַרְיֵה וּכְלָבִיא *Incurvat se, accumbit instar leonis et leaenae.* אַרְיֵה est nom. generale speciei totius, לָבִיא *leaenam* significat. כָּרַע, *crura flectit.* Graphice describitur leaena satura in antrum redux, quae primum crura flectit, dein toto corpore in terram procumbit. מִי יְקִימֶנּוּ *Quis exiget*, exeitabit *eum?* Quis irritare eum audeat? Quamvis sumta esca Leo mitior sit, attamen, si quis in antro recubantem excitare adgrediatur, collecta ira, totam ferocitatem prodit. Sensus: Judae tribum spoliis gravem, et domi depositis armis quiescentem, nec de bello cogitantem, nemo lacessere sine malo suo poterit, propter strenuos viros et rei bellicae peritos, quibus abundabit. Horum aliquot nomine adpellantur 1 Paral. 11. et 12. Ceterum cf. Num. 23, 24. 24, 9., ubi plane similia de toto Israële pronuneiat Bileamus.

10. לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה *Non recedet a Juda sceptrum*, i. e. imperium. שֵׁבֶט talem *scipionem* qualem duces potestatis insigne gerere solent, s. sceptrum, et per metonym. ipsum designat *imperatoriam dignitatem*, ut Num. 24, 17. Jes. 14, 5. Zach. 10, 11. Nomini שֵׁבֶט respondet in membro sq. מְחֹקֵק, quod proprie eum *qui aliquid statuit, decernit*, *νομοθέτην*, denotat (Num. 21, 18. de Mose), et in universum de *primoribus* populi exercitusve usurpatur, ut Jud. 5, 14., et Ps. 60, 19. tribus Juda vocatur מְחֹקֵק *princeps*, *antesignanus.* Phrasin quae sequitur, מִבֵּין רַגְלָיו, ante quam repetendum est לֹא־יָסוּר, *non recedet e medio pedum ejus*, interpretum plures haud differre a simplici מִמֶּנּוּ *ab eo* existimant, auctore potissimum J. A. Ernestio (*Opuscc. philolog. critt.* Lugd. Batav. 1776. p. 173. sqq.), qui, Hebraeorum, inquit, mos est, homines exprimere per partes corporis, quarum qualiscunque sit conjunctio cum re ea, quae iis tribuitur; idque cum faciunt, nihil de istis partibus cogitant, sed totam personam animo contuentur. Provocat inter alia ad locum Hos. 2, 4., ubi simili construendi ratione dicitur: - - - תָּסֵר זְנוּנֶיהָ מִבֵּין שָׁדֶיהָ *removebit adulteria sua e medio mammarum suarum*, i. e. ab ipsa.

Veruntamen non plane eadem est ratio phraseos Hebraicae מִבֵּין רַגְלָיו, qua potius *genitalia κατ' εὐφημίαν* designantur, ut Deut. 28, 57.: שִׁלְיָתָהּ אֲשֶׁר תֵּצֵא מִבֵּין רַגְלֶיהָ *secundinae quae exeunt ex eo quod inter pedes ejus.* Simili phrasi soboles alicujus *ex ejus femore exire* dicitur, vid. 46, 26. Ex. 1, 5. Jud. 8, 30. Quare non sunt vituperandi LXX., reddiderc: *καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ.* Hieronymus: *et dux de femore ejus.* Onkelos quoque et Hierosolymitanus pro מִבֵּין רַגְלָיו posuere מִבְּנֵי בְנוֹהִי *e filiis filiorum*, et Jonathan מִזַּרְעֵיהּ *e semine ejus.* Sensus igitur horum verborum iis, quae praecesserunt, consonus hic erit, numquam defuturos inter Judae posteros viros prineipes, dignitate et auctoritate insignes, qui rebus administrandis in bello et pace idonei sint. Qua quidem in sententia quum nihil sit, quod jure desidcres, minime opus est, ut adoptemus quod in textu Sam. exstat, מבין דגלוי, *e mediis vexillis ejus.* Sed major sententiarum discrepantia est in verborum quae sequuntur, עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה, interpretatione, maxime ob nomen שִׁילֹה. Id quidem quum alias urbis sit nomen in sorte tribus Ephraim sitae, quod et defective scribitur, שִׁלֹה, Jos. 16, 6. 18, 1. 8. Jud. 18, 31., nec non שִׁילוֹ, Jud. 21, 21. Jer. 7, 12., atque שִׁלוֹ, Jud. 21, 19. 1 Sam. 3, 21. Jer. 7, 14., quae omnes scripturae varietates hoc ipso loco in Codd. passim reperiuntur; simplicissimum fuerit, verba illa sic reddere: *usque dum venerit Schiluntem*, praesertim quum phrasis וַיָּבֹא שִׁלֹה hoc sensu 1 Sam. 4, 12. legatur. Commendavit hanc interpretationem argumentis grammaticis, historicis et dogmaticis, G. A. Teller in *Nott. critt. et exegett.* in hoc Cap. p. 130. sqq. Existimat vero his verbis illud respici, quod quum in itinere populi Israelitici per Arabiae deserta tribus Juda in castris semper primum locum occupasset (Num. 2, 3—9.), atque in movendo castra reliquis tanquam antesignanus praeivisset (Num. 10, 14.), simul atque Siluntem perventum esset, ceterae tribus a Juda discesserunt, ut quaeque terram suam sorte acceptam, ut Rubenitae et Gaditae, aut mox accipiendam, ut reliquae tribus, occuparent; tunc igitur desiisse principatum tribus Judae. In similem cogitationem, ignorata tamen, uti videtur, Telleri interpretatione, incidit Gregor. Zirkel in Diss. *super benedictione Judae Genes.* 49, 8—12., Wirceburg. 1786., qui p. 55. Jacobum hisce verbis hoc voluisse existimat: dux sit Judas usque ad plenam Palaestinae possessionem, usque dum devietis hostibus *Siluntem*, i. e. *ad quietem* venire licet; est enim שִׁילֹה a verbo שָׁלָה *cessavit*, *quievit.* Habebit tamen tale votum, quod Judae principatum et ducis dignitatem ad illud tantum temporis spatium restringit, quod Palaestinae occupationem praecedit, languidi quid et paene frigidi. Nos quidem non dubitamus, esse שִׁילֹה h. l. nom. appell. a שָׁלָה *tranquillus*, *quietus fuit* deductum, formae קִיטוֹר *fumus* (a קָטַר), קִימוֹשׁ *carduus*, צִינוֹק *nervus*, *vinculum*, et quae sunt alia hujus generis. Erit igitur שִׁילֹה s. שִׁלֹה *tranquillitas* (i. q. שַׁלְוָה, Ps.

122, 7. Prov. 11, 21. Dan. 8, 25.), id est, eâdem, qua in priori Vs. membro שֵׁבֶט *sceptrum* dicitur pro eo qui sceptrum tenet, i. e. principe, metonymia, *tranquillitatis* auctor, pacificator, qui turbata omnia et confusa ad pacem et tranquillitatem desideratissimam feliciter revocabit, nec igitur sensu diversum a שַׂר שָׁלוֹם *princeps pacis*, quod est inter Messiae nomina Jes. 9, 5. (ubi cf. not.), et a שְׁלֹמֹה, quod a שָׁלוֹם εἰρηναῖον notare expresse dicitur 1 Chron. 22, 9. Hinc factum, ut Samaritani nomine שִׁילֹה *Salomonem* indicari ajunt. Ad Messiam, quem orbi conciliaturum tranquillitatem omnemque felicitatem semper sperarunt Hebraei, nomen שִׁילֹה retulerunt veteres interpretes raro consensu, quamvis de propria illius significatione inter se dissenserint. LXX. reddunt: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *donec veniant quae ipsi reposita sunt*, vel, ut alii legunt, ᾧ ἀπόκειται, *cui repositum est*, quae tamen potius Aquilae Symmachique est interpretatio. Eos interpretes vix dubium est hoc voluisse: *donec veniat regnum quod repositum est ei*, sc. Messiae. Quem sensum clarius expressit Onkelos: *donec veniat Messias, cujus est regnum;* et eodem modo, exigua tantum varietate, Targum Hierosolymitanum. Illi etsi pro שִׁילֹה legisse שֶׁלּוֹ videantur, id est, אֲשֶׁר לוֹ *cujus est*, ad quem pertinet sc. sceptrum illud, de quo loquitur Jacobus, quod et inde verisimile fuerit, quod Syrus *is cujus illud est*, et Saadias *is cui est*, reddidit; id tamen non sine causa negat Buxtorfius in *Anticrit.* p. 714., qui inter alia haec observat, „Onkelosum primo reddere voluisse in sua versione vocem שִׁילֹה, deinde adjunxisse ulteriorem declarationem. Vocem שִׁילֹה reddidit מְשִׁיחָא *Messias*, dum ait: *donec veniat Messias.* Veteres Hebraei enim hoc nomen שִׁילֹה inter nomina Messiae retulerunt, ut in Talmud in Perek Chelek, in Bereschith rabba, et in aliis videre est. Itaque מְשִׁיחָא est explicatio nominis שִׁילֹה, quia שִׁילֹה זֶה הַמָּשִׁיחַ *Schilo est Messias.* Quae sequuntur, vel honoris causa erga Messiam sunt addita, sicuti vulgo eum מַלְכָּא מְשִׁיחָא *Messiam regem* vocant, vel aliam et arcanam vocis ejusdem mysticae explicationem continent.“ Nititur vero haec interpretatio loco Ez. 21, 32. (al. 27.), ubi Jova minatur, se velle abolere regnum Judaicum, עַד־בֹּא אֲשֶׁר־לוֹ הַמִּשְׁפָּט *donec veniat is, cui judicium*, i. e. summa gubernandi et judicandi potestas; vid. not. ad eum loc. Hieronymus verba nostra sic vertit: *donec veniat qui mittendus est*, quo non est dubium intelligi Messiam, qui summa cum auctoritate et potestate a patre est missus, ἀποσταλμένος, Matth. 10, 40. Marc. 9, 37. Luc. 10, 16. Joa. 3, 17. 34. Apparet, Hieronymum שִׁילֹה cepisse pro שִׁילַח a שָׁלַח *misit*, permutatis gutturalibus ה et ח. Taceo alias nominis vexatissimi interpretationes, quarum nonnullas recensui in Commentar. maj.; plurimas recensuit et examinavit Jac. Alting in *Schilo, seu de vaticinio patriarchae Jacobi, quod exstat Genes.* 49, 10. *libris quinque*, Franequ. 1660. in quat. Plures praeterea Diss. super hoc loco leguntur in *Thesauro* utroque, vetere et novo,

theolog. philolog. T. I. Promittit itaque Jacobus tribui Judae, non recessurum ab eo imperium; donec veniat magnus ille princeps, qui extremo mundi aevo turbata omnia ad pacem et tranquillitatem sit revocaturus, et totius orbis terrarum imperium sit susceptorus, quod his verbis exprimitur: וְלוֹ יִקְהַת עַמִּים *et ei obedientia populorum* erit, s. *et ei obtemperabunt gentes.* יִקְהַת est a verbo יַקְהִ eum He mappikato, quod convenit cum Arab. وقه *paruit, dicto audiens fuit*, legiturque Prov. 30, 17. וְתָבֵז לִיקְהַת־אֵם *spernit obedientiam matris;* hic vero ק habet Dageseh euphonicum, quale in מִקְדָּשׁ Ex. 15, 17., et in עִקְּבִי infra Vs. 17. Jarchi יִקְהַת עַמִּים exponit *congregationem populorum*, ad eum multi populi confluent (ut Jes. 2, 2. dicitur), comparatis nominibus קְהִיתָא et אַקְוָתָא in Talmude *congregationis* significatu obviis. Ita Arabs uterque: *et ad eum congregabunt se gentes.* LXX. *αὐτὸς προσδοκία τῶν ἐθνῶν* reddidere, quod Hieron. sequutus *et ipse erit expectatio gentium* vertit, eodemque modo Syrus: *et eum expectabunt populi.* Retulerunt hi interpretes nomen יִקְהַת ad rad. קָוָה, cui in Piel *expectandi* est notio, aut saltem יָקַהּ ejusdem significatus putarunt.

11. אֹסְרִי לַגֶּפֶן עִירֹה *Alligans ad vitem pullum suum.* Jod ad אֹסְרִי est paragog., ut Ps. 94, 8. יֹשְׁבִי בַּשָּׁמַיִם *habitans in coelis*, eujusmodi plura vid. in Gesenii *Lehrg.* p. 547. Eadem paragoge est in voc. בְּנִי, in phrasi quae sequitur, qua eadem res aliis verbis repetitur pro more styli poetici: וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ *et viti nobili* alligat pullum *asinae suae.* שֹׂרֵקָה i. q. שֹׂרֵק, Jes. 5, 2. Jer. 2, 21., Jarchi h. l. *palmitem longum* (Galliee *couriere*) exponit, consentientibus LXX., qui ἕλιξ vertunt, et Syro, qui *ramus, malleolus vitis* reddidit. Sed Hebraeorum alii observant, voc. שֹׂרֵקָה denotare *laudatissimam vitium speciem.* De talibus uvis, quae vinaceis carent, admodum duleibus, vid. Niebuhrii *Beschr. v. Arab.* p. 147. et *Reisebeschr.* P. II. p. 169. Conveniet igitur שֹׂרֵקָה eum Arab. شريك, quod, teste Golio *in Lex. Arab.* p. 1275. *vitem generosam* denotat. Sunt qui haec ad felicissima Messiae tempora referant, quibus futurum sit, ut asinis etiam liceat vitibus vesci, ut vitium et vini ubertas ostendatur, sicut et in Joele 2, 22. sqq. de Messiae temporibus dicitur, colles musto et laete stillaturos. Sed magis placet, deseribi fertilitatem sortis tribus Judae et terrae; sicut in aliis deineeps. Tanta vitium vilitas deseribitur, ut nihil curent homines asinos ad vites alligare, quum alias ad sepes alligari soleant. כִּבֵּס בַּיַּיִן וגו׳ *Lavabit in vino vestem suam, et in sanguine uvarum amictum suum.* Insignis vini copia signifieatur, ut eo ad lavandas vestes et alia abluenda non seeus uti possint si velint homines ac aqua. *Sanguis uvarum* vinum voeatur et Deut. 32, 14. Similiter Plin. *H. N.* 14, 5. vinum *sanguinem terrae* appellat. *Rubor* praeterea vini ea similitudine speetatur; rubrum enim vinum veteres, uti hodienum Orientales, pluris aestimant quam album; cf. *d. a. u. n. M.* P. I. p. 235.

12. 13. חַכְלִילִי עֵינַיִם מִיָּיִן Hebraei fere interpretantur *rubicundus oculis ex vino*, ut Prov. 23, 29. חַכְלִילוּת עֵינַיִם *rubor oculorum* ebrietati tribuitur, coll. Arab. חَكْلَة i. q. شَكْلَة *rubor in oculi parte alba*. Sed quum Arab. حكل propr. *obscurum, intricatum esse* denotet, mallet Gesenius (in Praefat. ad Lexic. Hebr. teuton. manuale ed. 2. p. XXXVIII.) חַכְלִילוּת עֵינַיִם potius *obscuritatem oculorum* ex ebrietate designari, quae quidem est vitium, sed ut contrahatur, vini copiam esse oportet, quae sola hic spectatur. Stacheliin *hilaris oculis* interpretatur, coll. Arab. كحل, quod in Camuso explicatur *vino recreatus, non ebrius*. LXX. χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὑπὲρ οἶνον, quod sequutus Hieronymus: *pulchriores sunt oculi ejus vino*. Legerunt Graeci הכלילו, uti est in textu Sam., Hiphil verbi כָּלַל *perfecit*, quod in specie de *perfecta pulchritudine* usurpatur, cf. Ez. 27, 4. 11., ejusque derivata, כְּלִיל יֹפִי Ez. 28, 12. et מִכְלַל יֹפִי Ps. 50, 2. Verbis וּלְבֶן־שִׁנַּיִם מֵחָלָב *et albus dentibus e lacte*, ejus abundantiam, adeoque magnam pecoris copiam indicari patet. — 13. זְבוּלֻן לַחוֹף יַמִּים יִשְׁכֹּן *Sebulon ad littus maris habitabit*. חוֹף non est *portus*, uti plures recentiorum, Hebraeos sequuti, vertunt; *sed littus maris*. Ita etiam verterunt veteres omnes. Porrigebantur tribus Sebulonis agri a lacu Tiberiadis usque ad mare mediterraneum, vid. Jos. 19, 10. sqq. וְהוּא לְחוֹף אֳנִיֹּת *Et erit ipse ad littus navium*, i. e. habitabit ad littus semper navibus frequens. LXX. καὶ αὐτὸς παρ' ὅρμον πλοιῶν. וְיַרְכָתוֹ עַל־צִידֹן *Et latus ejus ad Sidonem*, Sidonem usque urbem inclytam pertinget. Tyri non meminit, quae ei vicina fuit, forsan quod nondum esset condita. *Latera* regionum dicuntur earum *fines*, cf. Jud. 19, 19. Jer. 6, 22. Situm terrae hujus tribus tantum describit, quod commodissimus sit futurus maris vicinia ad importandum et exportandum merces, unde et negotiationi maxime addictam fuisse hanc tribum tradunt Hebraei. Transit ad duos reliquos filios Leae (cf. ad 46, 8.), ita tamen ut Issacharem Sebuloni postponat. Aben-Esra censet situs terrae illius rationem habitam, quia tribus Issachar medium locum tenuit inter Sebulonem et Danem.

14. יִשָּׂשכָר חֲמֹר גָּרֶם *Issachar est asinus ossis*, i. e. robustus, ad onera portanda idoneus. גָּרֶם convenit cum Arab. גرم *corpus*, unde גרים *corpore validus et robustus*, et גרם, quod in laude jumenti Arabes dicere solent, uti פרש גרם, *equum eximium*, חמאר גרם, *asinum eximium*, s. *validum* vocant. LXX. καλὸν ἐπεθύμησεν, *bonum concupivit*, legerunt fortasse חמוד, *desiderabile*, et גרם intellexerunt ex significatione verbi Arab. غرم (per Ghain), in Conjug. 4. *addictum esse rei, concupiscere aliquid*. Haec hominis cum asino comparatio minus habet offensionis in Orientis regionibus, in quibus quum pulcriores et praestantiores asini nascantur, non tam vilia animalia habentur quam apud nos. Cf. Hom. Iliad. 11, 557. sqq. Arabes in adagio dicunt: *ille est tolerantior asino in proelio*. Et: *asinus proelii non aufugit*.

Unde Marvan II., Chalifa, nactus est nomen *asini*, quod cum rebellibus bellare non cessavit. Vid. G. W. Freytagii Annott. ad *Selecta ex historia Halebi* a se edita Lutet. Paris. 1819. p. 59. Cum vero asino Jacobus Issascharem comparat, cum non tantum laboriosum et in opere constantem, sed rustico in primis labori fore intentum videtur significare, simul vero immit servile ejus ingenium a periculosis negotiis, in bellis et navigationibus, alienum, et glebae suae addictum, quod verba indicant, quae adduntur: רֹבֵץ בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם *Recubans inter terminos* sc. terrae suae. Aptum est huic comparationi cum jumento verbum רָבַץ, quod propric de animali complicatis pedibus cubante et requiescente dici constat. מִשְׁפְּתַיִם signif. *terminos*, a שָׁפַת *posuit*, unde nomen duale *binos terminos* designat, quibus una agri portio a confinibus utrinque disterminatur. Cf. ad Ps. 68, 14. Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l.: „Quia supra de Zabulon dixerat, quod maris magni littora esset possessurus, Sidonem quoque et reliquas Phoenicis urbes contingeret; nunc ad mediterraneam provinciam redit, et Issachar, quia juxta Nephtalim pulcherrimam in Galilaea regionem possessurus est, benedictione sua habitatorem facit. *Asinum* autem *osseum* vocat, et *humerum ad portandum deditum* (Vs. sq.), quia in labore terrae et vehendis ad mare oneribus quae in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret.“

15. 16. נָעֳמָה — וַיַּרְא *Et vidit requiem quod bonum* quid, s. res bona esset, *et terram* sc. sibi assignatam, *quod jucunda* esset, q. d. quum videret bonam esse requiem et amoenam terrae portionem sibi concessam, וַיֵּט שִׁכְמוֹ וגו׳ *inclinavit humerum suum ad ferendum* onus, asini more, *fuitque* s. *factus est tributo serviens.* Maluit tributum pendere, quam ad bellum aut alio egredi. — 16. דָּן יָדִין עַמּוֹ *Dan judicabit*, i. e. reget *populum suum.* Paronomasia est in דָּן et יָדִין, quod verbum hic *imperium exercere* denotat, ut Ps. 72, 2. כְּאַחַד שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל *Sicut una tribuum Israel*, i. e. aeque ac ceterae tribus, nec erit aliis tribubus Israeliticis inferior. Ita enim verba simpliciter sonant, h. s.: Danis posteritas rerum suarum moderatores non aliunde arcesset, sed suis tribulibus ipsa dabit. Ceterum post filios Leae debuerat statim filios Zilpae, ancillae ejus, Gadum et Ascherem, ut 46, 16. 17., subjungere; at praeponit unum ex filiis Bilhae, Danem, cui quum mox Naphtali alter esset subjungendus, interponit Gadum et Ascherem, cujus ordinis ratio certa vix reddi poterit, nisi forsan ita inter se vicinae et dispositae fuerint hae tribus.

17. 18. אֹרַח — וְהִי *Erit Dan serpens juxta viam, cerastes propter semitam.* שְׁפִיפוֹן Hieronymus recte *cerasten* vertit. LXX. ἐγκαθήμενον *insidiantem* reddiderunt, illud voc. ad שָׁפַת referentes, quod significatu cum שׁוּף convenire putarunt, cui verbo et recentiorum plures *insidiandi* notionem tribuerunt. Est autem κεράστης e genere viperarum, in arena rotarumque orbitis

latens, ejusque coloris, ut aegre possit ab arena distingui; tentaculis est instructus (Plin. *H. N.* 11, 37.), quibus sentit si quid propius accedit, venenatoque ictu pedes calcantium laedit. Ex quo postrema Vs. pars, *qui mordet calcaneos equi, et decidit, qui eo vehitur, retrorsum*, illustrari optime potest. Ubi accedente equo tentacula cerastis terra aut lapidibus dispersis pulsantur, prosilit ille, morsuque adhaeret pedi; equus, repentino dolore perterritus, ita calcitrat, ut eques excutiatur, et vulnerari ipse a ceraste possit. Pertinent haec ad totam tribum, ut ejus astutia in bello et hostibus superandis notetur. Nec dicitur, an hoc laudi vertatur, an vitio. Ingenium tantum hujus tribus futurum describitur. — 18. *Tuum auxilium exspecto, Jova!* Quod quorsum hoc loco pertineat, dissentiunt. Plures interpretum existimant, recordari Jacobum grato in Deum animo, ex quot quantisque periculis ipse liberatus sit, et sperare, eum Danitas, de quorum periculis tum cogitatio subiit, similiter ex hostium insidiis esse liberaturum. Nos potius votum generale putamus, quo velut anhelans Dei auxilium posteris implorat, uti solent moribundi testamentum condentes, aut de rebus suis loquentes.

19. 20. *Gadum* quod attinet *turma adorietur eum, sed ipse adorietur in calce*, i. e. in fine; tandem eos impetet, a quibus impetitus est. In Hebraeis multiplicata est paronomasia, in qua radices גּוּד et גָּדַד eodem significatu capiuntur. Est vero גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ talis dictio qualem Latini frequentant, ubi *pugnam pugnare* dicunt. Praedicit autem Jacobus, fore, ut turma, s. exercitus in Gadum irruat, ipse autem tandem victoriam consequatur. Hunc sensum expressit Arabs Erpenii: *Gadum* quod attinet, *exercitus praevalebit ei, sed ipse tandem illi praevalebit.* Saadias: *Et Gadhus, cujuscunque exercitus, qui congregabitur contra eum, confringet calcanea ejus.* Videtur עֲקֵב *novissimum* exercitus *agmen* intellexisse, quasi sensus sit: fugientes persequetur hostes. Sed malumus cum Aben-Esra באחרונה *in fine, ad extremum, tandem*, exponere. Vulgatus, Chaldaeos paraphrastas et Jarchium secutus, reddidit: *Gad accinctus praeliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum.* Tradunt videlicet Hebraei, cum primum Israelitae in terram Gilead venissent, eam sibi Gaditas ob commoditatem pascuorum elegisse, ac impetrasse, sed ea lege, ut accincti et expediti cum fratribus in acie procederent in terra Canaan ad eam subigendam; id quod quum fecissent, per eandem postea viam reversos esse in sortem suam, qua venerant. Sic יְגוּדֶנּוּ intelligetur יְגוּד מִמֶּנּוּ *sese accinget ex eo.* LXX. *Γὰδ πειρατήριον πειράσουσι αὐτὸν, αὐτὸς δὲ πειράσει αὐτὸν κατὰ πόδας*, quae Latinus interpres sic vertit: *Gad, tentatio tentabit eum, et ipse tentabit secus pedes.* Verum *πειρατήριον* est hic *coetus* et *cohors piratarum*, et *πειρατεύειν piraticam exercere.* Sane גְּדוּד videtur *agmen militum* non justum, aut exercitum non plenum et ordine incedentem significare, sed tantum excursionibus utentem. —

20. מֵאָשֵׁר שְׁמַנָּה לַחְמוֹ *Ex Aschere pinguis panis ejus*, i. e. ex tribu Ascher erit panis optimus; erit ejus terra pinguis et opima. Nom. לֶחֶם, quod alias est masculi., hic femininc capitur, ut et alia nomina (מָקוֹם, אֵשׁ, רוּחַ) sunt utriusque generis. Alludit ad nomen אָשֵׁר *beatitudo, felicitas.* וְהוּא יִתֵּן מַעֲדַנֵּי־מֶלֶךְ *et ipse dabit delicias regis*, ita eximium panem proferet ejus sors, ut etiam in deliciis regum esse queat. Moses quoque Deut. 33, 24. Ascherem *pedes oleo intincturum* promittit.

21. נַפְתָּלִי וגו *Naphtali cerva emissa*, dimissa, laxata, *qui*, sc. Naphtali *dat*, profert *verba pulchritudinis.* Sensus perquam obscurus, de quo jam veteres vehementer inter se dissenserunt. Hebraeorum nonnulli terram indicari opinantur, quae celeriter proferat fructus suos maturos, similitudine desumta acervae celeritate. *Verba pulchra* vero intelligunt illi de laude, qua Nephtalitae suae sortis praestantiam sint praedicaturi. Quae quam sint coacta, quisque sentiet ipse. Rectius alii simpliciter ad totam tribum hoc enunciatum pertinere statuunt, notarique putant incredibilem ejus celeritatem simulque gratiam in rebus agendis et negotiis conficiendis. Capreis seu cervis ob velocitatem comparantur heroes 2 Sam. 2, 18. 1 Paral. 12, 8., ob gratiam vero mulier venusta cervae, אַיֶּלֶת, confertur Prov. 5, 19. *Verba pulchra* vero referunt ad facundiam et leporem tribus illius. Interpretationem loci hujus non plane rejiciendam dedit Clericus: *Naphtali erit cerva dimissa, et quae sibi placebit dicta dabit;* q. d. Naphtalis nepotes summa libertate utentur, eamque factis et dictis usurpabunt. *Cervam emissam*, i. e. libere curreutem quaqua versum libeat, signare *libertatem* putat, nam de libertate voc. שָׁלַח usurpari et Jes. 58, 6. Zach. 9, 11. Job. 39, 5. Verba נֹתֵן אִמְרֵי שָׁפֶר vertit: *dans dicta placiti*, id dicens quod sibi videtur, voc. שָׁפֶר enim posse de *arbitrio* et *voluntate* accipi, quum apud Chaldaeos haud raro *placendi* notione occurrat, veluti Dan. 3, 32. שְׁפַר קֳדָמַי לְהַחֲוָיָה *placet mihi indicare*, nec non Cap. 4, 24. 6, 1., ubi de regis arbitrio sermo est. Bochartus in *Hieroz.* T. II. p. 258. edit. Lips. punctis vocalibus vocabulorum, quae hic habentur, hic illic immutatis, et ה in fine nominis אילה in ת converso, ut sic legatur: נַפְתָּלִי אֵילַת שְׁלַחַת נֹתֵן אִמְרֵי שָׁפֶר, locum ita exponit: „*Naphtali est ut arbor surculi*, i. e. sureulosa, *edens ramos pulchritudinis*, i. e. egregios et speciosos. *Arbor* dicitur אַלָּה, vel אַיָּלָה *Jod* inserto (ut in Plur. אֵילִים Jes. 1, 29., et אֵילֵי Jes. 61, 3.), et in regimine אֵילַת. Et שִׁלְחוֹת Jes. 16, 8. sunt *surculi*, vel *propagines*, a Singulari שִׁלְחָה. Et אִמְרֵי שָׁפֶר erunt *rami pulchritudinis*, si אִמְרֵי sit pro אֲמִירֵי, suppresso Jod quiescente, ut in נְזִרֵיהָ, pro נְזִירֵיהָ *separationes ejus*, Lev. 25, 11. Naphtali vero ramosae et sureulosae arbori similis fuit propter foecunditatem; cujus ratione licet cesserit fratrum nonnullis, tamen prodigiosum id fuit, quod quum nonnisi quatuor liberos in Aegyptum deduxisset, Gen. 46, 24., in exitu, post annos duntaxa

215, censita sunt in illa tribu virorum, qui viginti annos excessérant, plus quinquaginta millia Num. 1, 41. 42." Quae speciosa Bocharti conjectura recentiorum interpretum pluribus sese probavit, ut e. c. Herdero (*Geist d. hebr. Poesie* P. II. p. 205.), qui priorem hujus Vs. partem sic vertit: *Naphtali ist eine schiessende Terebinthe, die schöne Wipfel wirft.* Attamen vocis אילה pronunciationem eam, quam puncta vocalia indicant, esse antiquissimam, inde colligitur, quod et Samaritani eam sequuntur, quod patet e Commentario Samaritano-Arabico in hoc Caput edito a C. F. Schurrero in *Repertor. bibl. et orient.* P. XVI., ubi interpres p. 185., postquam observasset, Ascheri patriarcham subjungere Naphtalin, ut compleat numerum filiorum ex ancillis natorum, scribit, אַיָּלָה *esse capreas*, „et quemadmodum," pergit, „haec animalia pulchre incedunt, et placent omnibus, qui ea vident, ita et ille securus incedet in terra sua." Quae quidem interpretatio haud spernenda fuerit. Minus placuerit hemistichii posterioris explicatio, verbis הנותן אמרי שופר indicari cantica, celebrationes et laudationes, quales adhibiturus sit Naphtali in reditu peregrinatorum sacrorum cum modulationibus suavibus, voce convenienti et sono tenero in celebrando et jubilando. Pro שָׁפֶר videtur שׁוֹפָר *buccina* legisse. Jac. Robetson in *Clavi Pentat.* p. 273. Not. (*d*) existimat tribum Naphtalicam cum *cerva* comparari quoad sedes, montanos sc., nec non, quamvis imbellis sit, quoad agilitatem gratiosamque indolis rationem atque foecunditatem. Verba הַנֹּתֵן אִמְרֵי שָׁפֶר *dans dicta pulchritudinis*, explicat: praebens materiam laetorum dictorum et carminum; ut totius loci sensus sit: Naphtali instar cervae emissae sese hostium manibus, multum licet luctando, extricabit, super celsis firma figet, sicut cerva, vestigia, et laetorum carminum materiam in laudes suas uberrimam, tum sibi, tum reliquis contribulibus, praebebit. — Lepidas fabulas de Naphtali, fratribus velociore, quo propterea nuncio sint usi, narrant Hebraei. Illis tamen nititur, quod Jonathan exponit: *Naphtali est ὀσγάνδης*, i. e. nuncius *levis*, *similis cervo*, *qui currit per scopulos montium*, *nuncians bona nuncia*, etc. Quod ipsum sequutus Syrus: *Naphtali* est *nuntius velox*.

22. בֵּן פֹּרָת יוֹסֵף בֵּן פֹּרָת עֲלֵי־עָיִן *Filius fructifer Josephus, filius fructifer ad fontem.* בֵּן hic *ramum* denotat, ideo cum femineo adjectivo פֹּרָת jungitur, quod habetur ratio nominis synonymi פֹּארָה s. פֹּארָת *ramus*; nam quo minus בן in regimine positum censeamus, ut dicatur *filius fructiferae*, illud impedit, quod in omnibus codd. בֶּן, non בֵּן scribitur, quod esset status regiminis. Est igitur constructio sensu congrua, non voce, ut Jud. 18, 7. masculino הָעָם subjungitur femin. יוֹשֶׁבֶת, quia illud notionem חֶבְרָה *societatis* habet. פֹּרָת pro פֹּרִיָּה *fructificans*, seu *fructifera*, utrobique hic per Camez sub ר, ne putetur esse in regimine, ut solet fieri in dictionibus, in quibus ת femineum absolutum est, et pro ה ponitur, vid. Gesenii *Lehrg.* p. 467. Comparat Jacobus

Josephum arbori assidue ad fontem accrescenti (cf. Ps. 1, 3.), ad nomen ejus alludens, quod *augmentum* et *accessionem* sonat, cf. ad 30, 24. Alterum hemistichium in coepta a plantis desumta metaphora perstat: בָּנוֹת צָעֲדָה עָלַי־שׁוּר *filiae*, i. e. propagines, *ascendunt super murum*. Plurale בָּנוֹת jungitur singulari צָעֲדָה, ut illud distributive sit capiendum: *unaquaeque filiarum ascendit*. Similitudo sumitur a vite, cujus palmites et malleoli murum transcendunt. Solent enim vites juxta muros plantari. Eadem imago Ps. 128, 3.

23. וַיְמָרְרֻהוּ וגו׳ *At exacerbarunt eum*, s. *exacerbarunt quidem eum et jaculati sunt* sc. in eum, *eique adversati sunt domini sagittarum*, sagittarii. Sunt, qui de tota tribu in posterum intelligant, quod multos adversarios sit habitura. Verum de praeterito potius hacc capienda videntur, ut sint in laudem ipsius Josephi, quod invicto robore tot adversarios superarit. Dictio וימררהו alludit ad id quod fecerant illi fratres. Verba autem quae sequuntur describunt eorum in animis suis erga illum odium, et constantem malevolentiam atque indignationem; simul vero etiam ipsius constantiam, cum peterent eum sagittae noxiae. רבו veterum plures retulerunt ad רוב, unde ריב *lis*, *jurgium*, quasi רבו scriptum esset, aut existimarunt, רָבַב habere h. l. *litigandi* significatum, quum verba rad. 2. geminantia, et verba rad. 2. quiescentia, quae duas reliquas radicales communes habent, significatione quoque haud raro conveniant. Hinc in textu Sam. ויריבהו scribitur. Ita Jonathan: *et contendebant cum eo*, quem sequitur Persa. Ita et Hieronymus: *et jurgati sunt.* LXX. ἐλοιδόρουν. Sed recte alii רבו ad רָבַב, i. q. רָבָה, *jaculari*, referunt, unde רַבִּים *jaculatores*, Jer. 50, 29. Job. 16, 13. Quod et nos haud dubitamus praeferendum ob mentionem sagittariorum, בַּעֲלֵי חִצִּים, quae subjicitur. בַּעַל nomini alii in statu regiminis praemissum indicare eum, qui rem, cujus nomen subjicitur, tractat versatve, notum est. Vid. 14, 13. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 647.

24. וַתֵּשֶׁב בְּאֵיתָן קַשְׁתּוֹ *Sed sedit*, i. e. permansit *in forti*, in robore, *arcus ejus*, valide se illis et robuste arcu suo opposuit. וַיָּפֹזוּ זְרֹעֵי יָדָיו *Et levia*, agilia, expedita *fuerunt brachia manuum ejus*. זְרֹעֵי יָדָיו pro simplici זְרֹעָיו *brachia ejus*, יָד plane redundante; ut in iis quae statim subjiciuntur: מִידֵי אֲבִיר יַעֲקֹב *a manibus fortis Jacobi*, Deum suum intelligit, quem Jacobus pro forti et potente habet, cujus robore et virtute ita robustum fuisse Josephum filium agnoscit. מִשָּׁם רֹעֶה אֶבֶן יִשְׂרָאֵל *Inde pascens* erat et *lapis Israelis*, i. e. ab illo inde tempore (de מִשָּׁם cf. ad Hos. 2, 14.), quo rebus tam duris est cluctatus, sustinuit fulsitque Israelem, i. e. me cum tota familia. רֹעֶה אֶבֶן ἀσυνδέτως poni nemo facile miretur in carmine, in ea maxime oratione, quae, quia a morientc est habita, hiatibus non modo verborum, sed etiam sententiarum abundat. *Pastorem Israelis* Jacobus vocat

Josephum, quod ipsum una cum tota familia in Aegypto omnium rerum affluentia *pavit*. Nam qui beneficia in aliquem confert, is Hebraeis, qui pascuis inprimis delectati sunt, *pascere* dicitur; Ps. 23, 1. Nec minus apte Josephum vocat *lapidem Israelis*, quod erat ipsi et suis fulcimento et sustentaculo. Sunt, qui מִשָּׁם ad Deum referant, et utramque dictionem in Nominativo vertant, ut sit: inde, a Deo inquam, est pastor, lapis Israelis; Deo gratiae debentur, quod Josephus me et meos aluit sustinuitque. LXX. *ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας σε Ἰακώβ, παρὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ πατρός σου, inde qui confortavit te, Jacob, a Deo patris tui.* Sed verba *παρὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ πατρός σου*, quae in libris editis huic Versui accensentur, exprimunt prima Vs. sq. verba, מֵאֵל אָבִיךָ, ita ut duo nomina רֹעֶה אֶבֶן, tanquam *ἰσοδύναμα*, unico *κατισχύσας σε* expressa sint. Syrus reddidit: *et a nomine pastoris lapidis Israel*, omne illud proficiscitur. Apparet, pro מִשָּׁם interpretem legisse מִשֵּׁם, probante Tellero, qui in Nott. critt. p. 47. locum sic vertit: *propter nomen pastoris lapidis Israelis*, i. e. propter majestatem, honorem ejus, qui custodivit illum lapidem, in quo Jacobus cubuit (28, 12. 13.). Sed duriuscula est haec dicendi ratio: *Deus pastor*, i. e. defensor *lapidis est.*

25. מֵאֵל אָבִיךָ *A Deo patris tui*, non patre tuo, haec, inquam, omnia tibi sunt et fuerunt, nam et eum *fortem Jacobi* nominarat, וְיַעְזְרֶךָּ, pro אֲשֶׁר יַעְזְרֶךָּ *qui tibi auxilio erit*, וְאֵת שַׁדַּי *et ab Omnipotente*; מ ante אֵל est quoque ante אֵת subaudiendum; וִיבָרְכֶךָּ *et* qui *benedicet* deinceps, ut coepit, *tibi*, te fortunabit et augebit, idque omnis generis prosperitate, uti subjungit, בִּרְכֹת *benedictionibus coeli desuper*, i. e. pluviis suo tempore demissis et copiosis roribus, quibus foecundatur humus, ut uberes segetes emittat. Illud מִמַּעַל posset salvo sensu abesse, sed antiquissimae simplicitatis est, talia pleonastice adjungere, quemadmodum in his, quae sequuntur, בִּרְכֹת תְּהוֹם רֹבֶצֶת תָּחַת *benedictionibus abyssi*, i. e. voraginis subterraneae *cubantis infra*, quibus significatur terra fontibus, lacubus et rivis irrigua, et hinc fertilis et amoena. Verbis, בִּרְכֹת שָׁדַיִם וָרָחַם *benedictionibus uberum et uteri*, promittit numerosam et laete florentem sobolem, nam *benedictione uberum* significatur, haud fore ubera arida, nec futurum esse, ut infantes defectu lactis moriantur, *benedictione uteri* vero, non perituros foetus in matrum utero. Contrarium est in malorum imprecatione, Hos. 9, 14. Neque tamen repudianda plane aliorum sententia, significari h. l. *lactis copiam et pecudum multitudinem*, quae utraque apte subjungatur terrae fertilitati modo promissae, *ubera* enim in stilo Orientis haud raro significant pecudes lacte distentas.

26. בִּרְכֹת — הוֹרַי *Benedictiones patris tui*, quibus tibi benedicit pater tuus, *roboratae sunt*, invaluerunt, *super benedictiones genitorum meorum*, passive, quibus videlicet sunt benedicti

a suis patribus, q. d. longe eas superant. Exigui quippiam nacti sunt progenitores mei prae te, in quem recumbunt omnes patrum benedictiones. הָרָה *concipere*, *gravidam esse*, ut יָלַד, promiscue de patre et matre usurpatur pro *gignere*, ut הוֹרָה proprie sit, *qui conceptum dat*, genitor. עַד־תַּאֲוַת גִּבְעֹת עוֹלָם *Usque ad terminum collium seculi*, i. e. collium antiquissimorum, qui ab orbis initio sunt conditi, hoc sensu: praevalebunt in te et tribu tua hae omnes benedictiones, quamdiu duraturi sunt colles a multis seculis conditi, i. e. in perpetuum, donec haec solidissima corpora sunt duratura. תַּאֲוָה quod alias *desiderium*, a verbo אָוָה, denotat, quod tamen hic tolerabilem sensum vix efficiat, est a תָּאָה, i. q. תָּוָה *definire*, *determinare* (Num. 34, 10. coll. Vs. 7. 8.). עוֹלָם de remotissima antiquitate dicitur, cf. ad Ps. 139, 24. Ez. 24, 20. Jes. 44, 7. Sed LXX., qui reddidere *ὑπερίσχυσεν ἐπ' εὐλογίαις ὀρέων μονίμων*, pro הוֹרֵי patet הָרֵי *montes* legisse, atque, aliter quam in textu Masorethico, ubi הוֹרֵי accentu distinctivo *Sakephkaton* notatur, vocibus distinctis, הָרֵי עַד *montes aeternitatis* intellexisse. Quod probavit J. D. Michaelis, et tam in *Biblioth. Orient.* T. IX. p. 233., quam in *Supplemm.* p. 572., hunc locum ita vertit: *benedictiones patris super benedictiones! montes* tibi adprecor *ab antiquo jam tempore celebres*. Pro עַל־בְּרָכֹת legit עַל־בָּרְכֹת. Neque ita tamen concinna satis erit sententia: *benedictiones patris tui praevalent super benedictiones*. Quod quum animadvertisset Ilgenius, junctis verbis עַל־בְּרָכֹת הָרֵי עַד locum ita interpretatus est: *benedictiones patris tui praevalent*, majores sunt, *benedictionibus montium aeternorum, delectatione collium vetustissimorum (Der Segen deines Vaters übersteigt den Segen ew'ger Berge, und der bejahrten Hügel Reiz.)*. Idem sequuti sunt Vaterus et Gesenius (*de Pentat. Sam.* p. 33., et *Gesch. der hebr. Spr.*, p. 219.), nisi quod ii הוֹרֵי עַד legi volunt, ab הוֹר obsoleto pro הַר *mons*. Favere huic suae interpretationi observant et parallelismum dictionum הוֹרֵי עַד et גִּבְעֹת עוֹלָם, et loca parallela Deut. 33, 15., ubi in ipsa Josephi benedictione הָרְרֵי־קֶדֶם et גִּבְעוֹת עוֹלָם, atque Habac. 3, 6., ubi הָרְרֵי־עַד et גִּבְעוֹת עוֹלָם sibi respondent. Quae utut speciosa sint, est tamen in hac sententia, *vota patris praestantiora esse fertilitate montium aeternorum et jucunditate collium antiquissimorum*, inconcinni aliquid, meo quidem sensu, et alieni, nec facile est intellectu, quo spectet, adscita illa sententia, repetita *aeternitatis* mentio in montibus et collibus. תְּהִיֶינָה לְרֹאשׁ וגו׳ *erunt*, inquam, hae omnes benedictiones, *ad caput*, redundabunt in caput *Josephi et in verticem eximii fratrum suorum*, segregati quasi (נָזַר *separavit*) a fratribus suis virtute e praestantia. Aliis נָזִיר denominativum est a נֵזֶר *corona*, *diadema*, ut sit *diademate insignitus*, dignitate praestans inter fratres. Sane Deut. 33, 16., ubi eadem phrasis, LXX. ponunt *δοξασθεὶς ἐν ἀδελφοῖς*. Eundem sensum hic expressit Jonathan: *et in verticem viri, qui fuit princeps et dominator in*

Aegypto, *et splendens honore fratrum ejus*, i. e. honore, quo eum fratres sui sunt prosequuti. Singularis est R. Juda Ben Karisch, qui in libro inedito Arabice conscripto de studii Targumici utilitate, cujus specimen dedit C. F. SCHNURRER in *der allgem. Biblioth. der bibl. Litterat.* P. III. p. 954. sqq., nomen נָזִיר *caesariem* putat significare, coll. Jer. 7, 29. Lev. 25, 5., atque hinc dictum fuisse Naziraeum, quod promissam caesariem haberet, Num. 6, 7. Vocari autem hic Josephum נְזִיר אֶחָיו, quod fratrum nobilissimus esset, *sicut nobilior est caesaries plantis*, *quae ex humo pullulant.*

27. בִּנְיָמִין זְאֵב יִטְרָף *Benjamin lupus* est, qui *rapit*, quo ingenium ejus proclive ad bellum et rapacitatem in hostes significatur, sicut supra Juda leoni est comparatus, quod fortiter et animose sit pugnaturus. בַּבֹּקֶר וגו׳ *Mane comedet praedam*, *et ad vesperam dividit spolium*, i. e. tantam praedae copiam coacervatam habebit, ut sibi per totum diem, et ad vesperam usque, aliis quoque, quibus lubens impertiet, sufficiat. Alii: praedam habebit usque ad matutinum tempus comedendam, *postquam* vesperi eam divisit. Referunt id ad morem luporum, qui, ut veteres docuerunt, gregatim, quamvis non semper, praedatum eunt, et vero etiam eum reliquis praedam communicant, atque inter se quasi dispertiunt. Solent autem praedae sub vesperam in primis inhiare, unde Jer. 5, 6. *lupi vespertini* commemorantur; vid. et Virg. *Georg.* 4, 434. Sed quod *matutini* et *vespertini* temporis meminit, significat, eum assidue praedatum exiturum. עַד hic (et Jes. 33, 23. Zeph. 3, 8.) rariori *praedae* significatu usurpatur, ex usu verbi Chaldaeis et Arabibus recepto.

28. 29. כָּל־אֵלֶּה — עָשָׂר *Omnes hae* sunt *tribus Israel*, Israeliticae, *duodecim*. Hoc subjungit, ut ostendat, vota illa non tam in ipsas personas, quam tribus singulis oriundas competere. אִישׁ אֲשֶׁר כִּבְרָכָתוֹ בֵּרַךְ אֹתָם *unicuique*, *quod secundum benedictionem suam benedixit illis*, i. e. cuique propria et privata ac conveniente benedictione benedixit, juxta id quod cuique eventurum esset. — 29. וַיְצַו אֹתָם *Ac*, i. e. postea *praecepit iis*, mandavit illis sc. de sepultura sua. אֲנִי נֶאֱסָף אֶל־עַמִּי *Ego congregor ad populum meum*, futurum est, ut brevi hinc excedam; cf. ad 15, 15. קִבְרוּ אֹתִי אֶל־אֲבֹתָי *Sepelite me ad*, apud patres meos. Quod nunc omnibus filiis mandat; sed Josephum solum (47, 29.) jurejurando obstrinxerat, quod hoc in ejus potestate esset, qui gratia apud Pharaonem valeret, non fratrum, quibus id haud facile concessum fuisset. אֶל־הַמְּעָרָה וגו׳ *Ad speluncam*, in spelunca (אֶל pro בְּ, ut saepe, veluti 8, 9. 6, 6.), *quae* est *in agro Ephronis Chittaei*, vid. 23, 9. Hanc vero speluncam copiose designat, quia quum jam per 17 annos a terra Canaan abfuissent, et Josephus longe amplius, poterant esse illius obliti.

32. 33. מִקְנֵה וגו׳ *Acquisitio*, emtio *agri et speluncae quae in eo est*, est *a filiis Cheth*, tam ager, quam spelunca, emta sunt

a Chitthaeis; pleno jure nostra sunt, et possessio jam nobis acquisita est, tot nostrorum illic sepultis. — 33. הַמִּטָּה — וַיְכַל *Quumque absolvisset Jacobus mandare filiis suis*, quae post mortem suam fieri vellet, *collegit pedes suos ad* s. *in lectum.* Dum superiora loqueretur erexerat sese in lecto et sederat; nunc, appropinquante jam morte, prae imbecillitate sese in lectum demisit, ac interius in lectum pedes, uti moris est animam agentibus, contraxit. וַיִּגְוַע *Et exspiravit*, cf. ad 25, 7.

14. *Jacobus a filiis sepelitur. Josephus fratres suos timidos solatur. Ejus posteri et mors. Cap.* 50.

Cap. 50, 2. וַיְצַו — אֲבִיו *Deinde jussit Josephus servos suos medicos patrem suum condire.* רֹפְאִים *medici* hic vocantur, qui curandis et medicandis funeribus praecerant, neque erat haec provincia medicis incongrua, ut qui aromatum nossent vires et naturam, et corpus secandi et condiendi modum cognitum haberent. LXX. reddiderunt ἐνταφιαστάς, et mox verbum לַחֲנֹט ἐνταφιάσαι, ad quam interpretationem Augustinus in *Quaestt.* ad h. l. recte haec notat: *Non invenit lingua Latina quemadmodum appellaret ἐνταφιαστάς, non enim ipsi sepeliunt, id est, terrae mandant corpora mortuorum, quod Graece non ἐνταφίασαν, sed ἔθαψαν. Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel secando, vel involvendo, vel alligando, in quo opere maxime Aegyptiorum cura praecellit.* Non incommode tamen ἐνταφιαστάς Latine *pollinctores* reddideris, horum enim erat mortuos curare, et ungere. Medicos illos Moses hic appellat עֲבָדָיו *servos*, i. c. domesticos *ejus*, Josephi. Josephum vero, Aegypti proregem, uti aulam omni pompa instructam habebat, ita inter alios suos aulicos et medicis stipatum fuisse, quorum ministerio pro arbitrio uteretur, mirum esse non potest. Verbum חָנַט quod attinet, ea radix sensu suo nativo apud utrumque interpretem, Syrum et Arabem, usurpatur Joh. 19, 39., ubi Graece *μίγμα* dicitur. Sonat autem *μίγμα misturam*, et accommodatur proprie ad medicamentorum misturas; item ad colorum compositiones, quae a pictoribus confiunt, nec non ad unguentorum, quae a myropolis. Et quidem persimilis est inter se ratio. Significatur igitur h. l. *μίγμα ἀρωμάτων*, h. e. unctionis quoddam genus, ex variorum aromatum speciebus confectum, quo delibuta fuerunt olim, apud Aegyptios maxime, defunctorum, praesertim illustrium virorum cadavera, ut quam diutissime integra servari possent. Erant apud Aegyptios tres cadavera condiendi modi, quos descripsit Herodotus 2, 86. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 213. sqq.

3. 4. וַיִּמָּלְאוּ־לוֹ אַרְבָּעִים יוֹם *Impleti autem sunt ei*, se. Jacobo, s. ei negotio, *quadraginta dies;* tot dies condiendo corpori vacarunt, abluendo primum, postea variis aromatibus condiendo. כִּי כֵן יִמָּלְאוּ יְמֵי הַחֲנֻטִים *Sic enim implentur*, implere solent,

tanto sc. tempore, *dies conditurarum*, i. e. conditurae mortuorum. Aliis חֲנֻטִים est Particip. Pahul, ut sit, eorum qui condiuntur. Sed illud praeferimus. וַיִּבְכּוּ וגו׳ *Fleveruntque eum Aegyptii septuaginta diebus*, nempe, ut Hebraei volunt, conditurae et luctus diebus simul computatis, 40 conditurae, et 30 luctus. Nam et alias 30 dies luctui destinatos legimus, ut Num. 20, 19. Deut. 34, 8. Quo temporis spatio non continuo ejulatu, sed habitu et ritibus certis luctum testati sunt. Quod vero hic *Aegyptii* Jacobum luxisse narrantur, id in gratiam Josephi illos fecisse, credibile est. — 4. Expleto planetus tempore alioquutus domesticos, aulicos Pharaonis (בֵּית פַּרְעֹה, LXX. *τοὺς δυνάστας Φαραώ*), ut pro se impetrarent discedendi et commeandi veniam a rege. Aegyptiis utitur intercessoribus, quod ipse cum suis in luctu versabatur; non enim solebant pullati apparere coram rege, vid. Esth. 4, 2.

5. 7. בְּקִבְרִי — תִּקְבְּרֵנִי *In sepulchro meo, quod mihi fodi in terra Canaan, illic sepelias me.* כָּרִיתִי Hebraeorum nonnulli exponunt קָנִיתִי *acquisivi*, coëmi. Sane כָּרָה *emendi* significatu legitur Deut. 2, 6. Hos. 3, 2. (ubi cf. not.). Quo minus tamen hoc loco ita sumamus, hoc obstat, quod non Jacobus, sed Abrahamus sepulchrum illud in agro Machpelae sibi comparavit. Cf. infra Vs. 43. Igitur vertendum: *quod fodi mihi*, i. e. quam fodi mihi curavi. Ita et LXX. ὤρυξα. — 7. כָּל־עַבְדֵי פַרְעֹה זִקְנֵי בֵיתוֹ *Omnes ministri Pharaonis, senes domus ejus*, praecipui aulicorum. Est enim זָקֵן hic non aetatis, sed dignitatis nomen, ut Arab. *Scheikh*, propr. *senex*, Hispan. *Señor*, et Ital. *Signore*. וְכֹל זִקְנֵי אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et omnes seniores terrae Aegypti*, i. e magistratus civitatum Aegypti.

9. 10. וַיַּעַל עִמּוֹ גַּם־רֶכֶב גַּם־פָּרָשִׁים *Ascenditque cum eo etiam currus, etiam equites*, i. e. tam currus, s. quadrigae (רֶכֶב collective), quam equites. Superior comitatus honoris magis causa fuit, hic vero etiam ut tutiores essent. Nam equi et currus ad bellum comparabantur, si forte in itinere occurrerent praedones, aut hostes, qui illos turbare vellent. — 10. וַיָּבֹאוּ עַד־גֹּרֶן הָאָטָד *Et venerunt usque ad aream Atad*, quod nomen *rhamni* speciem significat. Videtur locus ille rhamnis abundasse. אֲשֶׁר בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן *Quae est in trajectu Jordanis.* Interpretes fere vertunt: *trans Jordanem*, atque ita Hieronymus in *Locis Hebrr.* notat, esse *locum trans Jordanem, tertio ab Hiericho lapide, duobus milliaribus ab Jordane, qui nunc vocatur Bethagla, quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circumierint.* Si, quod scribit Hieronymus, *trans* Jordanem locus ille situs fuerit, referendum erit ad Moabitidem, aut Ammonitidem, aut vicinam Arabiam, in qua versatus fuisse Moses videtur, cum haec scriberet. Nam Jericho, a qua urbe, eodem notante Hieronymo, haud procul distabat, fuit ad occidentalem fluvii ripam. Verum quum *trans* potius per מֵעֵבֶר exprimi soleat (Num. 21, 13. 22, 1.); malim

בְּעֵבֶר *in trajectu* reddere. Verum sic quoque oportebit Josephum per viam deserti, longissimo circuitu, in Cananaeam ivisse, nec procul a Jerichuntino agro Jordanem trajecisse, ut Chebronem, Aegypto propiorem, perveniret. Timuit forsan, nec vicini Philisthaeorum reges sibi, per breviorem viam, transitum negarent; aut ne Idumaei etiam, per quorum agros transire poterat, negotium sibi facesserent. Forte Aegyptiorum hostes erant. וַיַּעַשׂ וגו׳ *Fecitque* Josephus *patri suo luctum septem diebus*, ultra 70 illos Vs. 3. Cf. Sirac. 22, 13. Nunc hi septem in terra Canaan specialiter a Josepho luctui agendo sunt destinati ante sepulturam, uti videtur, quum luctus post sepulturam fere certo dierum numero agatur. Alii post sepulturam septem hos dies intelligunt, ut sit h. l. *ὕστερον πρότερον*, quia mox de corporis delatione loquuturus est. Parvi refert, s. ante, s. post sepulturam hos septem dies luctus esse dixeris.

11. 13. אָבֵל מִצְרַיִם LXX. *πένθος Αἰγύπτου.* Legerunt אֵבֶל, quod praecessit. Sed אָבֵל, quod proprie *planitiem*, s. *locum pascuum* denotat, passim locorum nominibus praepositum reperitur, ut 2 Sam. 20, 14. 15. Jud. 7, 22. Num. 33, 49. Erit igitur אָבֵל מִצְרַיִם proprie *planities Aegyptiorum.* — 13. Non sine causa haec repetit Moses (vid. 49, 30.), verum ut ostenderet, plane ita factum esse a Jacobi filiis, uti pater injunxerat.

14. 15. אַחֲרֵי קָבְרוֹ אֶת־אָבִיו *Postquam sepelisset patrem suum.* Non dicit: *postquam ipse cum fratribus patrem sepelisset*, quod Josepho praecipua provincia ejus sepeliendi demandata esset. Cf. 47, 29. et ad 49, 29. — 15. לוּ יִשְׂטְמֵנוּ יוֹסֵף *Forsan odio nos habuerit Josephus.* Particulam לוּ, quae alias *o si! utinam* valet, Hebraei hic exponunt אוּלַי שָׂטְמָא *fortassis, ne forte.* Verebantur fratres Josephi, ne in gratiam patris, quamdiu superstes is erat, injuriam ille ab ipsis acceptam dissimulans, ultionem differret, dum moreretur, sicut Esavus olim comminabatur Jacobo. Cf. ad 27, 41. Bene LXX. *μή ποτε μνησικακήσῃ ἡμῖν, ne forte injuriae acceptae memor fuerit*, vindictae occasionem captarit animo odium gerens. וְהָשֵׁב וגו׳ *Et plane rependerit nobis malum quo eum affecimus*, s. provocavimus. Nam גָּמַל non solum est *retribuere*, sed et *priorem conferre* et *provocare*, seu inferre in bonum vel in malum, et cum duplici Accus. construitur; vid. 1 Sam. 24, 18. Prov. 3, 30.

16—18. וַיְצַוּוּ אֶל־יוֹסֵף *Mandaverunt ergo*, mandata dederunt *ad Josephum*, cuidam, vel quibusdam internunciis ad eum missis. לֵאמֹר *Dicendo*, i. e. in hunc modum: אָבִיךָ צִוָּה לִפְנֵי מוֹתוֹ *pater tuus mandavit ante mortem suam.* Hebraei putant, eos haec confinxisse. Existimant, id nunquam ad patris notitiam pervenisse, quod fratres Josephum vendidissent; venditum quidem intellexisse, sed ita forte fortuna factum, ut in itinere pergens ad fratres captus ab exteris fuerit. Sane verisimile non est, Josephum

id patri detexisse, multo minus ipsos, quos sceleris conscientia semper exagitaret. Atque vix dubium, Jacobum ipsummet id quod sequitur, filio jussurum fuisse, non jussurum, ut ei diceretur. Sed haec comminiscuntur, quo facilius a Josepho veniam impetrent. — 17. שָׂא נָא לְפֶשַׁע עַבְדֵי אֱלֹהֵי אָבִיךָ *Condona, quaeso, delictum servorum Dei patris tui*, qui eundem cum patre tuo Deum et tecum colunt. Major quum sit conjunctio inter eorundem sacrorum participes, major inter se iis veniae spes est, quam alienis. — 18. וַיֵּלְכוּ גַם־אֶחָיו *Iverunt autem etiam fratres ejus.* Postquam viderunt, Josephi animum injuriae memorem esse, [illegible] dubitarunt, ipsos eum adire, ut prorsus flecterent, si quid forte irae in eo reliquum esset.

19. אַל־תִּירָאוּ וגו׳ *Ne timeatis; nam numquid pro Deo sum ego?* Quae verba varie accipiuntur. Quidam eo referunt, quod Vs. 18. dicitur fratres sese Josepho submisisse, et coram eo procidisse in faciem, quasi Josephus non sibi, sed Deo hoc praestandum dicat, quum tamen istam reverentiam passim antea ab iis admiserit; 42, 6. 43, 26. 28. Nec se pro Deo adorari ab illis agnoscebat, ut amoliri a se deberet. Alii ad vindictam referunt, Dei esse, non suum, culpam ab illis in se commissam ulcisci. Sed Josephum fratribus culpam omnino remisisse, nec Deo vindictam reliquisse, patet ex iis, quae 45, 5. sqq. iis dixit, et quae hic deinceps sequuntur. Quidam Hebraeorum הַ interrogativum ante תַּחַת capiunt pro הֲלֹא, ut asseverantis, ut 1 Sam. 2, 27. Job. 20, 4. Jer. 31, 20., hoc sensu, *annon sub Deo sum ego?* q. d. Deo sane me subjici oportet, qui id ita voluerit, ei non possum resistere. Ita LXX. *τοῦ γὰρ Θεοῦ εἰμὶ ἐγώ.* Nec aliter videtur Onkelos verba cepisse, qui reddidit: *nam timens Dei sum ego.* Sed videtur phrasis illa adagialis fuisse, nec aliter hic capienda ac 30, 2., ubi Jacobus ad Rachelam postulantem prolem dixisse narratur: *num pro Deo sum ego, ut tibi dem prolem?* Sic h. l. Josephus hoc volet: quum ita Deus statuerit, et malum hoc, uti sequitur, sua providentia admiranda in bonum converterit, sumne Dei loco, ut impediam ejus providentiam, et in perniciem vestram convertam, quod ille aperte convertit in bonum vestrum et multorum? Deus vos servatos hac ratione voluit, sicut et me, num ego nitar adversus ejus providentiam, et vos perdam? absit! Convenit ita hoc iis quae 45, 8. dixerat: *Jam vero non vos me huc misistis, sed Deus.* Eundem sensum videtur spectasse Hieronymus, qui hunc locum sic est interpretatus: *num Dei possumus resistere voluntati?* Similiter Clericus: „Sumne is, qui Deo aequalem me putem, ut voluntati ejus adversari adgrediar? Qui est *Dei loco*, seu, ut Homerica voce utar, *ἀντίθεος*, is se Deo aequat, et posse se divinae voluntati obsistere censet.“

21—23. וַיְדַבֵּר עַל־לִבָּם *Et loquutus est ad cor eorum*, i. e. quae eorum animo demulcerent verba ad illos fecit, amica et placida.

Cf. ad 34, 3. et Jes. 40, 2. — 22. Jam ad finem hujus historiae properans Moses, pauca de Josephi habitatione, vitae tempore, morte et sepultura ac testamento perstringit. — 23. וַיַּרְא יוֹסֵף לְאֶפְרַיִם בְּנֵי שִׁלֵּשִׁים *Vidit autem Josephus Ephraimo*, ex Ephraimo, quem ei primogenitum Jacobus 48, 13 sqq. voluerat, *filios tertiorum*, i. e. tertiae generationis. Alii minus recte *filios tertiorum*, quarto loco prognatos, i. e. quartam generationem, intelligunt. גַּם בְּנֵי וגו׳ *Etiam*, quin et *filii Machiris* (qui fuit pater Gileadis, Num. 26, 29., a quo regio Gilead ultra Jordanem est nominata, Num. 32, 39.), *filii Manassis*, *nati sunt super genua Josephi*. Quod non ita intelligendum, quasi mariti genibus suis exceperint nascentes ex uxoribus parientibus filios, sed quod recens natos in genibus suis et gremio susceperint, et deliciarum causa in sinu et gremio gestarint. Cf. 30, 3. Onkelos h. l.: *nati sunt et educavit eos Josephus*. Phrasis videtur *παροιμιώδης*, inde ducta, quod obstetrices infantes excipere genibus solebant, vid. Job. 3, 12. Apud antiquissimos Graecos deponebantur nepotes in avi genibus, si adesset, uti liquet ex *Odyss.* 16, 401. E Manasse igitur Josephus nepotes tantum vidit, at ex Ephraimo unam amplius generationem, pronepotes.

24. 25. וֵאלֹהִים פָּקֹד יִפְקֹד אֶתְכֶם *Et Deus visitando visitabit vos*, cf. ad 21, 1. — 25. וַיַּשְׁבַּע יוֹסֵף אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Adjuravitque Josephus filios Israelis;* jurejurando eos obstrinxit, ad exemplum patris, 47, 31. Dubium est, an omnes ei fratres supervixerint; certe aliquos superstites saltem reliquisse videtur, etsi *fratrum* nomine cognati, et consanguinei Hebraice censentur; vid. 13, 8. 14, 14. 27, 29. Quod vero hic ait *filios Israelis*, non: *fratres suos*, Hebraei volunt factum, quod id jusjurandum non ad fratres ejus tantum pertineret, sed in universum ad omnes posteros ex Israelis genere; unde Moses et alii ejus tempore intellexerint, ad se jusjurandum hoc pertinere, quia secum vexerunt ossa Josephi exeuntes ex Aegypto, vid. Ex. 13, 19.

26. וַיְחַנְטוּ אֹתוֹ *Et condiverunt eum*, cf. ad Vs. 2. וַיִּישֶׂם בְּאָרוֹן בְּמִצְרָיִם *Et posuit*, sc. ponens, i. e. positus est, impersonali loquendi formula, qualis 48, 1. aderat, *in loculo in Aegypto*, ut illic asservaretur, donec ex Aegypto exirent Israelitae. Noluit statim post mortem, ut pater, in terram Canaan deferri, forsan quod eos diffideret id ab Aegyptiis impetraturos. Ad וַיִּישֶׂם notat Masora: כ׳ וכתיב וקרי *non reperitur amplius, atque uti scribitur ita et legendum est.* Vocem anomalam esse docet, non tamen corrigendam. Kimchi voluit esse pro וַיִּוָּשֵׂם positum, a verbo שׂוּם, ad formam *τοῦ* יִסָּךְ pro יוּסָךְ Ex. 30, 32. Sed recte Aben-Esra notavit, esse ad rad. יָשַׂם, ejusdem eum שׂוּם, significationis, referendum, ut 1 Reg. 22, 35. וַיִּצָּק a יָצַק, et subaud. ejusdem Verbi Participium, ut antea diximus. אָרוֹן est *arca*, *loculus*, in quibus condita corpora recondebantur. Herod. 2, 86.

de Aegyptiis: *Faciunt ligneam hominis effigiem, et postquam fecerunt, includunt mortuum; inclusumque in conclavi thecarum rectum statuunt ad parietem.* Ejusmodi arcae etiamnum in subterraneis Aegypti cryptis inveniuntur. Videntur vero hujusmodi arcae non apud omnes Aegyptios usitatae fuisse, sed apud nobiliores tantummodo. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 251. Ceterum de hac area ipsum sibi Josephum ante mortem prospexisse, Aben-Esra per ה articuli in voce בָּאָרוֹן praefixo ב Vocali Camez notato, innui putat, quasi *δεικτικῶς* Moses dixerit: positus est in aream illam, quam videlicet sibi ipse praeparari curavit. Josephus igitur ex more Aegyptiorum, qui mortuos saepe plures annos interiore domus parte asservabant, non sepultus, sed in loculo asservatus est usque ad exitum Israelitarum ex Aegypto. Postquam hi exiissent, sepelierunt eum haud procul a Sichemo Jos. 24, 32.

SCHOLIA

IN

EXODUM.

Secundus Pentateuchi liber, quem Graeca voce Ἔξοδον, *egressum*, appellamus, ex historia exitus Israelitarum ab Aegypto, quae in illo traditur, nomen obtinuit. Apud Hebraeos וְאֵלֶּה שְׁמוֹת inscribitur, quod voces illae primae in Hebraeo libri textu leguntur, et simpliciter quoque שְׁמוֹת. Argumentum libri in mirabilis ac divinae Israelitarum ex Aegyptiaca servitute liberationis, itinerisque per deserta ad montem Sinai, datae porro legis, delineatique et exstructi tabernaculi enarratione versatur, annales populi Hebraei inde a Josephi morte ad secundum usque egressus annum complectens. Potest liber commode in *tres* partes dividi, *historicam*, quae et ea, quae exitum Hebraeorum ex Aegypto praecesserunt (c. 1—12, 36.), ipsumque exitum (12, 37.—14, 31.), et quae eum sunt consecuta (c. 15—18.) enarrat; *dogmaticam*, quae leges populo Hebraeo datas, et quonam ei promulgatae sint modo, tradit, addita narratione de insigni quadam legis primariae violatione (c. 19—34.); *mechanicam* denique, quae tabernaculi sacri fabricationem et dispositionem exponit (c. 35—40.).

Uti ceteros Pentateuchi libros, ita et hunc secundum Mosi auctori vindicavimus in Prolegg. in Pentateuchum, p. 1. sqq. Et nonnullas saltem hujus libri secundi partes esse a Mose scriptas, agnoscunt et ii, qui totum Pentateuchum Mosi abjudicant (supra p. 11. sq.). Integrum tamen librum quo minus a Mose scriptum statuant impedire et totam illius conformationem, quae

ipsum e pluribus segmentis singularibus compositum prodat, et singula quaedam illius loca, quae seriorem Mose aetatem arguant. Sed quod objiciunt primum, singula illa nullo arctiore vinculo inter se nexa fragmenta prodere plures, a quibus illa profecta sint, auctores, ad hoc respondimus loco commemorato, ostendimusque, tantum abesse, ut illa e singulis particulis enata compages diversos auctores arguat, ut potius haec libri conformatio plane sit talis, qualis a Mose exspestari jure possit. Plura in hanc rem observavit JAHN *üb. das Fragmentarische d. Pentat.* in Bengelii *Archiv f. d. Theologie*, T. III. P. 3. p. 553. sqq. Conf. EICHHORNII *Einl. in d. A. T.* P. II. p. 410. sqq. edit. 3., et J. G. HERBST in *Observatt. de Pentateuchi quatuor libror. posterior. auctore et editore*, Tubing. 1817., repet. in *Commentatt. Theologg.* editt. a Rosenmüllero, Fuldnero et Maurero (Lips. 1825.) T. I. P. 1. p. 1. sqq. Neque plus valent ad librum hunc Mosi abjudicandum certa quaedam illius loca, quae ab ipso posse scripta esse negant (veluti 6, 26. 16, 35. 36.), quum pleraque illa, recte accepta, nihil habeant a manu Mosis alieni, uti ad loca illa explicanda cum devenerimus, ostendemus; nec ob pauca quaedam, quae tam vetusto libro longi temporis decursu hic illic forte accesserint, totum opus seriori aetati assignandum erit. Conf. supra p. 16.

PARS PRIMA.

Historia populi Hebraei a mortuo inde Josepho usque ad tertium post exitum ex Aegypto mensem. Cap. 1 — 18.

I.

Exponuntur res Hebraeorum antequam Aegypto exirent. Cap. 1 — 13.

1. *Jacobi filii et nepotes, qui in Aegyptum venerunt. Horum posterorum in eo regno incrementa et vexationes. Cap.* 1.

Cap. 1, 1 — 4. Quae post Josephi mortem Hebraeis in Aegypto acciderint exposituro necesse visum est, summatim repetere, quae Gen. 46, 8 — 27. plenius dixerat. הַבָּאִים *ingredientium* pro אֲשֶׁר בָּאוּ *qui ingressi sunt.* אֵת יַעֲקֹב pro עִם יַעֲקֹב *cum Jacobo*, quomodo Particula אֵת Gen. 15, 18. et saepius capitur. אִישׁ וּבֵיתוֹ *Vir et domus ejus*, i. e. singuli cum suis familiis. — 2 — 4. In recensendis nominibus filiorum Jacobi hunc ordinem servat, ut primo loco ponat filios herarum, Leae et Rachelae, ancillarum, Bilhae et Zilpae, eo quo nati essent, ordine. Josephi autem, qui tum in Aegypto erat, post meminit seorsim, Vs. 5.

5. 6. Pro וַיְהִי cod. Sam. exhibet ויהיו. Male. Nam verba וַיְהִי כָּל־נֶפֶשׁ proprie sunt vertenda: *erat universitas animae*, i. e. animarum, rel.; ut taceamus, praemitti haud raro Verbum singulare Nomini plurali; cf. Gesen. *Lehrgeb.* p. 713. יֹצְאֵי יֶרֶךְ־יַעֲקֹב *Egredientes femoris Jacobi*, qui egressi sunt e femore Jacobi, i. e. ex eo geniti, ut Gen. 46, 26. שִׁבְעִים נָפֶשׁ *Septuaginta animae*, vid. Gen. 46, 8—27. LXX. addunt πέντε, cf. ad Gen. 46, 27. וְיוֹסֵף הָיָה בְמִצְרַיִם *Et Josephus in Aegypto erat*, scilicet antequam Jacobus in Aegyptum venit. Josephus cum filiis suis numero isto septuaginta personarum est comprehensus. — 6. וְכֹל הַדּוֹר הַהוּא *Et tota illa generatio.* דּוֹר *aetas*, *seculum*, hic significat universitatem hominum, qui eodem seculo vixerunt, ut Gen. 7, 1. Intelligitur itaque spatium sat longum; nam vixit Levi annos 137, vid. 6, 16., h. e. viginti tribus aut quatuor annis post Josephi mortem.

7. 8. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל hic sunt Jacobi posteri, *Israelitae*, qui Vs. 9. עַם בְּנֵי יִשְׂרָאֵל vocantur. Repetitio synonymorum, פָּרוּ וַיִּשְׁרְצוּ וַיִּרְבּוּ *sobole aucti, et multiplicati sunt, et creverunt*

maximum incrementum significat. De שָׂרַץ cf. ad Gen. 1, 20. Aben-Esra plures feminas Hebraeas binos, ternos vel etiam quaternos uno partu edidisse putat. Nec sane apud Aegyptias mulieres id rarum fuit. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 252. וַיֵּעָצְמוּ *Invaluerunt*, sc. numero. LXX. *κατίσχυον*. וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ אוֹתָם *Ut terra*, in qua consederant, *iis esset plena*. Cf. ad 12, 37. — 8. וַיָּקָם מֶלֶךְ וגו׳ *Et surrexit*, extitit *rex novus super Aegyptum*, *qui Josephum non noverat*, quae verba posteriora non hoc volunt: non stabat pacto et foedere, quod antea fuit inter Josephum et regem Aegypti; neque hoc: immemor erat summi illius beneficii, quo tota Aegyptus affecta a Josepho tempore famis; sed proprie intelligenda sunt. Auctor enim est Manetho apud Josephum *contra Apion.* 1, 14., potitos esse circa illa tempora homines genere ignobiles ex regionibus ad orientem sitis, quos nonnulli dicerent fuisse Arabes, Aegypto, principibus ejus in potestatem redactis. Vocatam fuisse gentem illam Aegyptiis Ὑκσώς, i. e. *βασιλεῖς ποιμένες*, *pastores regios*. Postquam autem per totam Aegyptum crudeliter desaeviissent, regem sibi e suis elegisse, cui nomen esset Σάλατις. Hic Salatis verisimile est fuisse illum *regem novum*. Is enim quum esset alienus, utpote Arabs, de Josepho nihil antea audierat, neque grato animo ejus in Aegyptum beneficia recolebat. Propterea Act. 7, 18. dici videtur *βασιλεὺς ἕτερος*, *rex alienus*, ut Jud. 5, 8. *dii novi* sunt *alieni*. Idem forsan voluit Josephus, qui in *Antiqq.* 2, 9. 1. dicit, oppressos fuisse post Josephi mortem Israelitas ab Aegyptiis, *τῆς βασιλείας εἰς ἄλλον οἶκον μετεληλυθυίας*, *regno in aliam familiam translato*. De regibus illis pastoribus, Hyesos dictis, quos Josephus male Israelitas fuisse putavit (vid. Marsham. l. c. p. 102.), cf. quae disseruere Heeren *Ideen über die Politik* etc. *der vornehmst. Völker d. alt. Welt.* Vol. II. P. 2. p. 116. sqq. edit. quart., et Rühle v. Lilienstern *Graphische Darstellungen der ältest. Gesch. u. Geogr. von Aegypt. u. Aethiop.* p. 230. sqq.

9. 10. עַם בְּנֵי יִשְׂרָאֵל plures vertunt *populus filiorum Israelis*. Verum עַם non est in statu regiminis positum, sed est hic Appositio, ut vertendum sit: *populus*, sc. *filii Israelis*, s. Israelitae. Eadem mens fuit eorum, qui textum accentibus distinxerunt. Nam voci עַם appositus est accentus distinctivus *Jethib.* — 10. הָבָה *Agite!* cf. ad Gen. 11, 3. נִתְחַכְּמָה־לוֹ *Dolo ei*, contra eum, populum, *utamur*. Rex enim non ausus est, in Hebraeos vi aperta desaevire, ob ingentem eorum multitudinem. חָכַם *sapiens*, *callidus fuit* in Hithp. *arte uti* significat. Coh. 7, 16. וְאַל־תִּתְחַכַּם יוֹתֵר *ne sapientiorem aequo te ostentes*. H. l. vero, ubi de opprimendo populo Hebraeo agitur (פֶּן־יִרְבֶּה *ne* amplius *crescat*), הִתְחַכֵּם cum לוֹ constructum *arte contra aliquem uti* notare patet. Cf. Ps. 105, 25. LXX. haud infeliciter reddidere: *δεῦτε κατασοφισώμεθα αὐτούς*. Vulgatus: *sapienter opprimamus eum*. In verbis כִּי־תִקְרֶאנָה מִלְחָמָה *cum evenerit bellum*, singulari

מִלְחָמָה jungitur Vb. plur. תִּקְרָאנָה. Atque alii quidem Hebraeorum simpliciter dicunt esse numeri enallagen, qualis Jud. 5, 26. יָדָהּ לַיָּתֵד תִּשְׁלַחְנָה *manum suam extendit ad palum.* Alii ellipsin nominis קוֹרוֹת e Verbo תִּקְרָאינָה facile supplendam statuunt, quasi plene sit: *si evenerint eventa belli.* Qualis ellipsis Num. 23, 20. וּבֵרַךְ וְלֹא אֲשִׁיבֶנָּה *et benedixi nec revocabo eum* sc. בְּרָכָה *benedictionem*, et Prov. 15, 22. וּבְרֹב יוֹעֲצִים תָּקוּם *et in multitudine consiliariorum consistet* sc. עֵצָה *consilium.* Alii נָה habent pro affixo Chald. 1. pers. plur., pro Hebraeo נוּ, ut sic vertendum sit: *quum evenerit nobis bellum.* Ita jam LXX. ἡνίκα ἂν συμβῇ ἡμῖν πόλεμος, quos sequitur Vulgatus, concinitque Syrus. Et in cod. Sam. est תקראנו. Aliis נָה mera est pâragoge, ut in תֵּרְדָנָּה pro תֵּרֵד Job. 17, 16.; cf. Gesenii *Lehrg.* p. 800. וְנוֹסַף גַּם־הוּא עַל־שֹׂנְאֵינוּ *Et adjungat se ipse etiam osoribus*, s. hostibus *nostris.* Hostes regum-pastorum, Arabicae originis (cf. ad Vs. 8.), erant Aegyptii veteres, quibuscum Hebraei diu amice vixerant, et Thebani, quos subigere non potuere. Timebant igitur pastores, ne Aegyptii indigenae quandoque jugum peregrinum excuterent, atque ab Israelitis adjuvarentur. וְנִלְחַם־בָּנוּ וְעָלָה מִן־הָאָרֶץ *Et bellum gerat in nos et ascendat e terra*, i. e. redeat in terram majorum suorum, et nos ita non exiguo commodo, quo ex ipsorum opera frui possumus, privemur. Ut *descendere in Aegyptum* idem est ac *in eam advenire*, ita *ex ea adscendere* est *eâ exire;* conf. Gen. 12, 10. 26, 2. al.

11. וַיָּשִׂימוּ עָלָיו שָׂרֵי מִסִּים *Et posuerunt*, Aegyptii, *super eum*, populum Hebraeum, *praefectos operarum.* מִסִּים, a מַס, uti פְּתִים *frusta* (Lev. 6, 2.) a פַּת, hic non tam *tributa*, aut *vectigalia*, quae penduntur pecunia, sed tributa, quae quasi corpore penduntur, denotat; opera, quae a tyrannis coguntur homines facere aut nulla mercede, aut exigua admodum. At 1 Reg. 5, 27. (al. 13.) מַס vocantur ipsi homines, qui ejusmodi opus facere coguntur, eorumque praefectus dicitur Vs. sq. עַל־הַמַּס. Itaque recte hic LXX. ἔργων ἐπιστάτας, et Vulgatus *magistros operum.* לְמַעַן עַנֹּתוֹ בְּסִבְלֹתָם *Ut afflingerent*, attererent *eum oneribus suis*, quae ipsi imposuerunt, i. e. operibus, quae regis nomine ab Hebraeis exegerunt. Existimabant Aegyptii, sc hac arte populum otiantem a rerum novarum consiliis aversuros. Aristoteles *Polit.* 5, 11.: *Est et hoc tyrannorum, subditos pauperes reddere, ne necesse sit praesidium alere, et ut illi in victum quotidianum intenti ad insidias struendas tempus non habeant vacuum.* Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 253. וַיִּבֶן עָרֵי מִסְכְּנוֹת לְפַרְעֹה *Aedificavitque* populus Hebraeus *urbes horreorum Pharaoni.* Onkelos: *urbes domus thesauri*, i. e. urbes, in quibus thesauri reconderentur. Inter thesauros autem et frumenta connumerantur. Suntque haec repositoria Hebraice a *colligendo* dictae; nam מִסְכְּנוֹת per literarum transpositionem videtur pro מִכְנְסוֹת, a כָּנַס *collegit, congregavit*, dictum. Certe locus 2 Chr. 32, 28. (coll. 2 Chr. 8, 4. 6.

17, 12.) aperte indicat, מִסְכְּנוֹת pro istiusmodi repositoriis seu granariis usurpari. LXX. *πόλεις ὀχυρὰς*, *urbes munitas*, non quod haec sit propria vocis significatio, sed quia in urbes moenibus clausas solebant conferri, quae tuto servanda erant, ne seditione coorta, aut hostili irruptione diriperentur. Urbes istas Moses vocat אֶת־פִּתֹם וְאֶת־רַעַמְסֵס. *Πιθὼμ* eadem est, quam Herodotus 2, 168. *Πάτουμον τῆς Ἀραβίας πόλιν*, i. e. Aegyptiacae Arabiae urbem vocat, haud procul ab Arabico sinu sitam, juxta quam ducta postea fuit fossa e Nilo in id mare. Urbem alteram, רַעַמְסֵס, bene distinguendam a terra רַעַמְסֵס (cf. ad Gen. 47, 11.), Clericus conjicit nomen habuisse a rege Ramesse, cujus nominis reges plures Aegyptus habuit; illamque a Ramesse conditam urbem instaurasse et muniisse Salatim, opera Israelitarum usus. Nec obstat verbum בָּנָה, quod Hebraeis pariter et Syris et de urbibus instaurandis et muniendis dicitur. P. E. Jablonskius in Diss. 4. *de terra Gosen* §. 8. in *Opuscc.* P. II. p. 138., Raamses non dubitat esse Heliopolin, cujus urbis antiquissimum nomen fuit אֹן, vid. Gen. 41, 45. 50. Putat nomen רַעַמְסֵס, pro quo LXX. Ῥαμεσσῆ ponunt, ortam ex Aegyptiaco *PHRE Sol*, et *MESSH ager*, ut itaque *agrum solis*, s. *soli dicatum* denotet. At LXX., quorum verba fideliter reddidit Coptus interpres, post Ῥαμεσσῆ h. l. addunt: καὶ Ὼν, ἥ ἐστιν Ἡλιοῦπολις. Vicum, nomine *Ramsis*, in cujus vicinia urbis antiquae rudera visuntur, in itinere, quod Cahira Alexandriam instituit Forskål, se offendisse ipse retulit Niebuhrio, vid. ejus *Reisebeschr.* P. I. p. 97.

12. 13. וְכַאֲשֶׁר יְעַנּוּ אֹתוֹ כֵּן יִרְבֶּה *Et quemadmodum affligebant eum*, populum Hebr., *sic crevit*, quod plures ita capiunt: quo magis eum afflixerunt, eo magis multiplicatus est. Sed quum כַּאֲשֶׁר sequente כֵּן constanter *prout* significet, accuratius vertitur: *prout eum opprimebant*, *ita augebatur*. וְכֵן יִפְרֹץ *Et sic rumpebat*, copiosam sobolem procreabat. Translatum ab aqua, quae aggeres perrumpit; cf. ad Gen. 30, 30. וַיָּקֻצוּ מִפְּנֵי בְנֵי יִשְׂרָאֵל *Et angebantur propter filios Israelis*, timebant, ne ingens ille populus novas res moliretur. Vb. קוּץ cum ב vel מִפְּנֵי constructum significat *fastidire aliquem* vel *aliquid*, abhorrere a re aliqua, quam vel infectam vel perditam vellemus, et cum libidini vel desiderio nostro circa rem talem non satisfit, angustiis affici. Cf. Gen. 27, 46. — 13. וַיַּעֲבִדוּ וגו׳ *Et servire faciebant Aegyptii filios Israelis cum saevitia*, servilia opera crudeliter ab iis exigebant.

14. וַיְמָרְרוּ — וּבִלְבֵנִים *Et amaram*, tristem, *fecerunt vitam eorum in opere duro in luto et lateribus*, i. e. imperata illis certa luti copia, quo latera fierent. Aut est ἓν διὰ δυοῖν, et significantur *lateres e luto*. לְבֵנִים a לָבַן *albus fuit* proprie sunt *lateres albi*, e terra albida et cretosa facti, uti dicunt Plin. *H. N.* 35, 14. et Vitruv. 2, 3., ita ut muri ex iis exstructi tanquam e la-

pidibus albis aedificati videantur. Eodem modo etiamnum pleraque aedificia in Aegypto, Palaestina et Persia exstruuntur. וּבְכָל־עֲבֹדָה בַּשָּׂדֶה *Et in omni opere in agro*, i. e. omni opere rustico, vario in agris colendis servitio. אֲשֶׁר־עָבְדוּ בָהֶם בְּפָרֶךְ *In quo* se. opere, עֲבֹדָתָם, *eorum servitio usi sunt cum duritie.* עָבַד in Cal dicitur tam de eo, qui servit, quam de eo, cui servitur; sed discrimen est in syntaxi. Nam priore illa significatione regit quartum Casum cum Praepos. אֵת, nomine vel praecedente, ut Deut. 10, 20. אֹתוֹ תַעֲבֹד *ei servies*, et Gen. 27, 40. וְאֶת־אָחִיךָ תַּעֲבֹד *et fratri tuo servies*, vel sequente, ut Gen. 14, 4. עָבְדוּ אֶת־כְּדָרְלָעֹמֶר *servierunt Cedorlaomero.* In altera autem significatione requirit sextum Casum cum Praepos. ב, *in*, אֲדוֹן עוֹבֵד בַּעֲבֹדוֹ *dominus utitur servitio servi sui*, itidem nomine tam praecedente, ut Levit. 25, 46. לְעוֹלָם בָּהֶם תַּעֲבֹדוּ *in perpetuum iis utemini servis*, quam sequente, ut ibid. Vs. 39. לֹא תַעֲבֹד בּוֹ עֲבֹדַת עָבֶד *non uteris eo servo ad opus servile.* Quae syntaxis est h. l.

15. וַיֹּאמֶר — הָעִבְרִיֹּת *Dixitque rex Aegypti obstetricibus Hebraeis.* Sunt qui vertant: *obstetricibus Hebraearum*, post LXX. (*ταῖς μαίαις τῶν Ἑβραίων*) et Vulgatum, existimentque, fuisse illas mulieres ortu Aegyptias. Quae et Josephi sententia est, *Antiqq.* 2, 9. 9. Sed quae sequuntur indicare videntur, hasce mulieres fuisse Hebraeas; nam et nomina earum sunt Hebraica, et dicuntur Vs. 17. Deum timuisse. Praeterea, si Moses id quod illi interpretes volunt, exprimere voluisset, vix dubium, scripsisse illum לַמְיַלֶּדֶת אֶת־הָעִבְרִיֹּת. Accedit, quod nec viri, nec mulieres gentis Aegyptiae ita familiariter versabantur cum alienis, ut se eorum causa polluerent. Ceterum duae tantum obstetrices Hebraeorum שִׁפְרָה et פּוּעָה nominantur. Sed quum tam paucae obstetrices numeroso populo Hebraico nulla ratione sufficere possent, recte Aben-Esra videtur conjecisse, hasce obstetricum Israelitidum principes fuisse, et reliquarum veluti praefectas.

16. וַיֹּאמֶר *Dixit* videlicet rex Aegypti obstetricibus; ἐπαράλληψις ex initio Vs. 15., ob interruptam ibi orationem. בְּיַלֶּדְכֶן הָאָבְנָיִם — *Cum opem feretis parientibus Hebraeis, et videbitis super sellam parturientium.* Ita vertimus vocem אָבְנַיִם, non quod plane certam putemus istam ejus significationem, sed quia e variis, quae illi voci e conjectura tribuuntur, significationibus, ea reliquis aptior visa esset. LXX. pro illa ponunt: ὅταν ὦσι πρὸς τῷ τίκτειν, quod sequutus Vulgatus, *et partus tempus advenerit*, et Syrus: *cum procumbunt* ad pariendum. Apparet, eos interpretes sensum expressisse, sed non vocis potestatem. Collato altero loco, quo אָבְנַיִם legitur, Jer. 18, 3., ubi figulus *opus suum super* הָאָבְנָיִם *facere* narratur, FULLERUS in *Miscell. SS.* L. V. Cap. 19. colligit, indicari illo nomine certum sellae seu sedilis genus, parturientibus feminis maxime et figulis consuetum, idque a forma appellationem adeptum. Et proprie quidem a Sing. אֶבֶן *lapis* in Duali אָבְנַיִם *lapides molares ambo*, catillum videlicet et me-

tam, dictos existimat. Deinde ab hac notione petitum fuisse sellae cujusdammodi nomen, propterea quod lapidum molarium figuram numerumque et positionem referret: „coagmentata nempe videtur ex duabus tabulis rotundis pari undique intervallo disjunctis, quarum superior sedilis, inferior basis vice fungeretur, illâ huic incumbente ad similitudinem catilli metae imminentis.“ Magis probabilis tamen J. G. Hassii *Magaz. f. bibl. u. orient. Liter.* p. 62.) videtur conjectura, esse אָבְנַיִם a בָּנָה, *exstruxit*, ut א sit prostheticum s. formale (ut in אַכְזָב a כָּזַב, et confer אֻפַּסִּים Ez. 47, 3.). אָבְנַיִם igitur propric notaret *rem structam*, machinam, duabus partibus compositam, quae rei alicui parandae inservit, et hoc quidem loco sellam parturientium plicatilem, qualis commode circumgestari potest. Cf. de h. v. Gesenii Praefat. ad Lex. min. ed. 2. p. XVIII. not. Recte vero Fullerus l. l. videtur monuisse, verba וּרְאִיתֶן עַל־הָאבְנַיִם sic esse vertenda: *cum videritis* eas *super sellas*, quod re ipsa nihil est aliud quam quod LXX. et Vulgatus expresserunt: „Nec incommode subauditur accusandi Casus; nam et hic proxime praecesserat, et id facillime permittit interjecta copula. Adde, quod usitatissima Verbi רָאָה constructio postulat, ut sequatur אֵת particula, vel expressa, vel denique *δυνάμει*. Rarius conjungitur cum Praepos. ב; cum עַל vero semel tantummodo, nempe Ex. 5, 21. (ubi cf. not.), idque mutata etiam significatione propria. Itaque non assentior nuperis interpretibus, qui עַל cum Verbo רְאִיתֶן conjunctim construunt in hunc modum: *cum inspicietis in sellas parturientium*, in locum in quem elapsus ex utero foetus incidit. Nam quorsum sellae inspiciendae? Neque enim in sellas, opinor, umquam incidere solitus est partus, sed obstetricis manibus excipi.“ Persarum reges infantes masculos, quos ipsorum cognatae pariunt, ne adulti forsan ipsis insidias struerent, statim post partum ita necari jubere, ut illos in labris lapideis, in quibus recens nati lavari solent, perire sinant, refert Thevenotus in *Itiner.* suor. *Commentt.* P. II. p. 98. Eodem modo et Hebraeos pueros recens natos necatos fuisse, sunt qui conjiciant (vid. *d. a. u. n. Morgenl.* T. I. p. 255.); qui proinde nomine אָבְנַיִם *labra lapidea* (ab אֶבֶן) indicari volunt. Quam sententiam tamen quo minus nostram faciamus, impedit idem illud quod Fullerus observavit. Quorsum enim labra fuerint inspicienda? אִם־בֵּן הוּא וַהֲמִתֶּן אֹתוֹ *Si filius est occidite eum*, clam haud dubie, et inscia matre. Ceterum הֲמִתֶּן, Hiphil verbi מוּת, est contracte pro הֲמִיתוֹתֶן positum, uti a שׁוּב est הֲשִׁיבוֹתֶן. — וְאִם־בַּת הִיא וְחָיָה *Si vero filia est, tunc vivat.* חָיָה 3. fem. Praeter., non a Verbo חָיָה, inde enim esset חָיְתָה, sed a חַי (pro חָיִי, uti סַב et תַּם pro סָבַב et תָּמַם), quod est Gen. 11, 12. Hinc 3. fem. debebat esse חָיְתָה, sed ponitur, Vocali brevi et Dagesch compensativo contractis in Vocalem longam, חָיָה, ut Num. 22, 17. קָבָה־לִּי pro קָבְתָה־לִּי *maledic mihi.* In cod. Sam. habetur h. l. usitatius חיתה.

17. 18. וַתִּירֶאןָ הַמְיַלְּדֹת אֶת־הָאֱלֹהִים *Sed timuerunt obstetrices Deum*, h. e. Dei vindictam timuerunt potius quam iram Pharaonis. — 18. מַדּוּעַ עֲשִׂיתֶן וגו׳ *Quare hoc commisistis, ut pueros vivos servaretis?* Quum mandatum de neeandis pueris non publice emissum fuerit, sed obstetricibus seercto injunctum esset, ut si qua fieri possit, nemine vidente in ipso partu infantes maseulos necarent, rex certior faetus de pueris Hebraeis servatis non aperte et palam in obstetrices animadvertere potuit; hinc eas elam ad se accersitas pereontatus esse videtur, num forsan illùd suum elandestinum mandatum in vulgus emanasset, ita ut Hebraei sese praeeaverent ab insidiis foetibus suis faciendis.

19. *Non sunt Aegyptiarum instar Hebraeae mulieres*, כִּי־ חָיוֹת הֵנָּה *nam sunt vegetae.* חָיוֹת aliis est Adj. a חַיִּים *vita*, pro חַיּוֹת, Dagesch abjecto compensato per Voeälem longam sub ח, ut Vs. 16. וְחַיָּה. Aliis vero est regulariter a חָיָה, uti a בָּלָה et דָּוָה sunt בָּלוֹת et דָּוֹת. At veteres magno consensu חָיוֹת *obstetrices* interpretantur. Sane Chaldaeis חַיְיָא et Syris חַיְתָא, nec non Samaritanis חיה est *obstetrix*, a חָיָה *vivificavit*, quod vivum partum procurat. Sensus igitur esset: Hebr. mulieres ipsae *obstetricandi habent scientiam*, adeo ut nec obstetrice iis opus sit. Sed quum in tota hae narratione obstetriees eonstanter מְיַלְּדוֹת appellentur, nee appareat, eur de eadem re duabus diversis voeabulis usus sit seriptor, חָיוֹת praestat cum Aben-Esra *vegetas*, *robustas* interpretari. Jarehi tradit, veteres doctores חָיוֹת explicasse: *similes sunt bestiis agri* s. *feris*, *quae nullis egent obstetricibus*, omisso כ similitudinis, quod et aliis locis, quibus homines cum feris animantibus eomparantur, omitti solet (Gen. 49, 9. גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה *catulus leonis Juda;* vid. ibid. Vs. 21. 29.). בְּטֶרֶם וגו׳ *Antequam ad eas venerit obstetrix*, jam *pepererunt.* Voluerunt autem obstetrices sibi hoe, vivos in lucem editos pueros non licuisse ipsis neeare, quum id vellet rex elam fieri ipso in partu. Cf. ad Vs. 18.

21. *Et factum est, quia timuerunt obstetrices Deum fecit iis domus.* בָּתִּים *domus* et aedificia, et familias, quae in iis habitant, significat. Verum quum 2 Sam. 7, 11., ubi pollieetur Deus, se Davidi *domum facturum*, ea phrasis manifeste significet, eum sobole aucturum, et familiam stabiliturum, id quod David ipse Vs. 27. *aedificare domum* vocat, et Ruth. 4, 11. Lea et Rachela dicuntur *aedificasse domum Israelis*, i. e. plures ei peperisse liberos, phrasis illa nec h. l. aliter capienda est. Pronom. לָהֶם ad obstetrices est referendum. Haud rara est ea enallage, qua Pronomina masec. ad subjecta femm. referuntur, vid. 2, 17. Ruth. 1, 8. 9. 11. 22. Ez. 18, 20. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 731. Recte igitur Onkelos *et fecit*, exstruxit *illis* (femin.) *domos*, familias, vertit. Dicitur itaque, ut obstetricum opera servatae erant Israelitarum familiae, sic ipsas numerosam sobolem, divino Numine favente, pro mercede esse eonsequutas.

22. Quum videret rex Aegypti, se per Hebraeas obstetrices non consequi, quod vellet, universo populo suo hoc edictum proposuit: כָּל־הַבֵּן הַיִּלּוֹד הַיְאֹרָה תַּשְׁלִיכֻהוּ *omnem filium, qui nascitur*, i. e. omnem infantem masculum recens natum quod attinet, *projicite eum in fluvium*, i. e. Nilum, qui Aegyptiace יְאוֹר dicebatur, cf. ad Gen. 41, 1. Quia in universum hic legitur כָּל־הַבֵּן הַיִּלּוֹד, nec הַיִּלּוֹד לָעִבְרִים, extitere inter Hebraeos, qui existimarent, jussisse Pharaonem omnes omnino pueros recens natos, Aegyptiorum quoque, in fluvium projici. Verum tota haec narratio satis arguit, esse tantum de Hebraeis pueris neccandis sermonem, unde nec addi necesse erat לָעִבְרִים. יִלּוֹד est Adj. formae גִּבּוֹר, שְׁכּוֹר. Observat praeterea R. Moses Ben-Nachman, Pharaonem non satellitibus suis in mandatis dedisse, ut pueros Hebraeos necarent, sed Aegyptios omnes in illos armasse, et suis omnibus potestatem fecisse, domos Hebraeorum perquirendi et infantes masculos ex iis surripiendi; hinc factum, ut Hebraei pueros recens natos sedulo absconderent (cf. 2, 3.). וְכָל־הַבַּת תְּחַיּוּן *Et omnem filiam vivam servate;* nam filiae in alienas familias transire poterant.

2. *Mosis natales, educatio, amor in populares, fuga ex Aegypto in Midianitidem, et conjugium cum Zippora. Cap.* 2, 1—22.

Cap. 2, 1—3. וַיֵּלֶךְ וגו׳ *Abiitque vir e domo Levi et accepit*, duxit, *filiam Levi.* Verbum *eundi* παρέλκει, ut saepius ubi in narratione alii verbo praemittitur, veluti Genes. 35, 22. Deut. 31, 1. Hos. 1, 3. Videtur autem ille Levita, cui nomen erat Amran (6, 20.), Jochebedam uxorem duxisse antequam Pharao edictum de necandis Hebraeorum pueris edidisset. — 2. וַתֵּרֶא אֹתוֹ כִּי־טוֹב הוּא *Et vidit eum quod bonus ille*, i. e. bona forma esset. טוֹב de corporis pariter ac animi dotibus usurpatur; vid. Gen. 41, 22. 1 Sam. 9, 2. 10, 23. Misericordiam auxit, ut solet, infantis forma eximia. — 3. וְלֹא־יָכְלָה עוֹד הַצְּפִינוֹ *Nec potuit amplius abscondere eum.* Dagesch literae צ in הַצְּפִינוֹ inditum est euphonicum, ut 15, 17. in מִקְדָּשׁ pro מִקְדָּשׁ, ut hic הַצְּפִינוֹ esse deberet. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 86. sq. וַתִּקַּח־לוֹ תֵּבַת גֹּמֶא *Sumsit sibi arcam*, navem *papyri.* De תֵּבָה vid. ad Genes. 6, 14. גֹּמֶא *papyrus*, nomen habet a גָּמָא *absorpsit*, quia in aqua nascitur et aquam semper imbibit, quare et a Lucano 4, 136. *bibula papyrus* dicitur. E papyro Aegyptios confecisse naves, veterum plures testantur; cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 257. וַתַּחְמְרָה בַחֵמָר וּבַזָּפֶת *Oblevitque eam bitumine et pice.* Bitumen conglutinabat juncos, pix aquam arcebat. De חֵמָר cf. ad Gen. 11, 3. Inde ductum Vb. חָמַר, quasi dicas *bituminavit.* He, suffixum femineum, caret hic signo Mappik, ut alias haud raro. וַתָּשֶׂם בַּסּוּף *Posuitque* sc. אֹתָהּ *illam*, arcam, *in alga* Nilotica illa, paludumque Aegypti, *Sari* Aegyptiis dicta, de qua Plinius *H. N.* 13, 13.: *Fruticosi est generis* Sari, *circa Nilum nascens*, duorum ferme

cubitorum *altitudine*, *pollicari crassitudine*, *coma papyri*, *similique manditur modo*.

4 — 6. וַתִּתְצַב *Stitilque se*, forma Verbi anomala pro וַתִּתְיַצַּב, abjectâ, praeter morem, prima radicali, cujus tamen ut sit aliquod indicium, appositum est Zere, in quo occulte quiescat י, quasi תִּיתְצַב, per transpositionem literae י et characteristicae ת. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 386. Nove quoque dictum לָדַעַת *ad cognoscendum*, ut cognosceret, feminina Infinitivi forma, de qua vid. Gesenium l. l. p. 384. — 5. Verba וַתֵּרֶד בַּת־פַּרְעֹה לִרְחֹץ עַל־הַיְאֹר per inversionem et ellipsin posita sunt pro: וַתֵּרֶד בַּת פַּרְעֹה עַל־הַיְאֹר לִרְחֹץ בּוֹ *descenditque filia Pharaonis ad fluvium ad lavandum se in eo.* Praeterea עַל est pro אֶל, ut alias saepissime, ut 1 Sam. 2, 11. Jer. 23, 35. Aut dicitur עַל pro ב, ut 29, 3. וְנָתַתָּה אוֹתָם עַל־סַל אֶחָד *pones ea in canistro uno.* Vid. et Hos. 11, 8. Ps. 42, 5. 6. 7. — וְנַעֲרֹתֶיהָ הֹלֶכֹת עַל־יַד הַיְאֹר *Et puella ejus*, i. e. uti bene LXX., *αἱ ἄβραι αὐτῆς*, *ancillae ejus honestiores*, pedissequae, *incedebant ad manum*, i. e. ad latus, secundum ripam *fluvii.* Simili significatu יַד occurrit 2 Sam. 14, 30. — 6. בֹּכָה — וַתִּפְתַּח *Aperuitque*, se. arcam, *conspexitque eum infantem* (Suffixo per pleonasmum Verbo addito, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 734.), *et en! erat puer*, *qui flebat.* Quum infantem penitius contemplata esset, *puerum* eum esse cognovit; יֶלֶד enim utrique sexui commune est. וַתֹּאמֶר וגו׳ *Dixitque: ex infantibus Hebraeorum hic est.* Facile mulier ex eo, quod ita expositus esset puer, Hebraeum eum esse, conjectare potuit.

7. 9. וְקָרָאתִי — הָעִבְרִיֹּת *Ut advocem*, accersam, *tibi mulierem nutricem ex Hebraeis*, quae Hebraeum infantem nec abhorreret, nec negligenter curaret; utrumque enim in Aegyptia nutrice accidere potuisset. — 9. הֵילִיכִי fuerunt qui verterent: *en tibi!* quasi הֵי sit pro הֵא *ecce!* (Gen. 47, 23.) לִיכִי vero pronom. 3. fem. pro לָךְ. Est vero הֵילִיכִי Imperat. Hiphil generis feminei verbi הָלַךְ, pro הוֹלִיכִי *deduc;* conf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 388. וַתֵּנִיקֵהוּ a נוּק, ejusdem cum יָנַק *suxit*, *lactavit*, significatus.

10. וַתְּבִיאֵהוּ לְבַת־פַּרְעֹה *Et duxit eum ad filiam Pharaonis*, se. ablactatum. Fortasse triennem; per triennium enim Hebraeae lactare infantes solebant, vid. 2 Macc. 7, 28. Ita et Josephus in sua de Mosis educatione narratione, *Antiqq.* II, 9. 6. וַתְּהִי־לָהּ לְבֵן *Fuitque ei in filium*, i. e. carus ipsi fuit sicut filius. Studiose igitur filii instar a Pharaonis filia educatus est Moses, unde Stephanus Act. 7, 22., eum *παιδευθῆναι πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων* docet. Non ineoncinnum est quod habet Aben-Esra ad Vs. 3., si Moses inter fratres suos educatus fuisset, eos ipsum despecturos, et tanquam unum e multis habituros fuisse. וַתִּקְרָא שְׁמוֹ מֹשֶׁה *Et vocavit nomen ejus Mose.* Quod quidem nomen sitne Hebraicum, an vero Aegyptiacum? dissentiunt. Pro Hebraico ut habeamus, suadere videntur verba: וַתֹּאמֶר כִּי מִן־הַמַּיִם

מְשִׁיתִהוּ *dixitque: nam ex aquis eum extraxi.* Nec obstaret nom. מֹשֶׁה, quod non *extractum* (מָשׁוּי), sed *extrahentem* significat, quum Hebraei in nominum impositione non semper grammaticam ἀκριβείαν servarint; cf. ad Gen. 4, 1. 5, 29. Fuerunt etiam, qui מְשִׁיתִהוּ vellent esse Pers. 2. fem. cum suffixo, putarentque Mosis matrem filio nomen indidisse, hac addita ratione: *quia tu*, o Pharaonis filia, *eum ex aquis extraxisti.* (Ita Jer. 15, 10. יְלַדְתָּנִי *tu me peperisti*, et Cant. 4, 9. לִבַּבְתָּנִי *cor mihi rapuisti.*) Attamen quum filia Pharaonis puerum sibi filium adoptasset, et adoptantis fuisset, adoptato imponere nomen, vix dubium sit, Mosis nomen fuisse Aegyptium, quum virgo Aegyptia nomen profecto non ex Hebraeorum, sed suo patrio sermone desumtura fuisse videatur. Quod et asserit Joseph. *Antiqq.* II, 9. 6. *Deinde ei, utpote qui dejectus esset in flavium, appellationem hanc ex eo, quod contigerat, imposuit. Nam aquam Aegyptii vocant Mo, yses vero qui ex aqua eripiuntur.* Similiter Philo *de vita Mosis*, T. II. p. 83. ed. Mangey. *Deinde nomen puero indit Mosen ex re, quod ex aquis eum sustulisset; nam aquam Mos vocant Aegyptii.* Nomen Aegyptium legislatoris Hebraeorum deflexum esse ad Hebraeae linguae idioma, inde apparet, quod LXX. pro מֹשֶׁה constanter *Μωυσῆς* ponunt, quod cum terminatione Graeca pro *Μωϋσῆ* esse, idque e vocabulis Aegyptiacis *MΩ aqua*, et *OYΣΣXE servatus*-compositum, vere Aegyptiis *σωθέντα ἐξ ὕδατος* sonuisse, ostendit P. E. Jablonsky in *Opuscc.* T. I. p. 157.

11. 12. וַיְהִי — מֹשֶׁה *Et factum est diebus illis, quum crevisset*, i. e. eo tempore, quo ad virilem aetatem pervenisset. Stephanus Act. 7, 23. quadraginta annos natum eum fuisse ait. וַיֵּצֵא אֶל־אֶחָיו *Egressus est ad fratres suos*, Hebraeos. Edoctus, se ortu Hebraeum esse, egressus est regiâ atque Aegyptiorum consortio, a quibus fratrum sortem curiosius scisciatari forsan non audebat. וַיַּרְא בְּסִבְלֹתָם Jarchi recte exponit: *dedit*, advertit *oculos* pariter *et animum ad illorum onera.* Nam רָאָה cum ב constructum, quod alias *libenter et cum voluptate videre* denotat (cf. ad Ps. 22, 18.), hic cum animo moerore commoto considerare est, ut Gen. 21, 16. 44, 34. — וַיַּרְא — עִבְרִי *Et vidit virum Aegyptium percutientem virum Hebraeum. Percutere* hic vel injuria affiecre notare potest, uti acceepit Stephanus Act. 7, 24., vel occidere, ut Vs. sq. Aegyptius vero videtur fuisse e praefectis regiis, qui operas Judaeorum exigebant. מֵאֶחָיו *e fratribus suis*, i. e. *e cognatione* s. tribu *sua*, Levitica, ut Gen. 13, 8. אֲנָשִׁים אַחִים אֲנָחְנוּ *cognati sumus.* Quamvis Israelitae omnes *fratres*, h. e. consanguinei essent, major tamen fuit inter tribules conjunctio. — 12. וַיַּךְ אֶת־הַמִּצְרִי *Et percussit Aegyptium*, i. e. eum occidit, subjicitur enim וַיִּטְמְנֵהוּ בַּחוֹל *abdiditque eum in arena. Occidendi* significatu הַכֵּה et Ps. 136, 17. usurpatur. Latini quoque *percussorem* vocant eum, qui alterum occidit.

13. 14. וַיֵּצֵא בַּיּוֹם הַשֵּׁנִי *Et egressus est die secundo*, i. e. sequenti, τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ, Act. 7, 26. נִצִּים — וְהִנֵּה *Et en! duos viros Hebraeos invicem decertantes.* נִצִּים est Adject. pro נְצִיִּים a forma Niphal Verbi נָצָה, quod illustrandum ex Arab. نصا *apprehendit aliquem antiis suis*, et in Conjug. 3. *prehendit antias alterius et ita certavit.* Et h. l. voce נִצִּים indicatur, viros illos se verberibus invicem excepisse, quod dixit Moses: לָמָּה תַכֶּה רֵעֶךָ *quare percutis socium tuum?* i. e. Israelitam, vid. Lev. 19, 15. sqq. לָרָשָׁע *Malo*, i. e. τῷ ἀδικοῦντι, seu cujus iniqua erat causa, ut Prov. 17, 15. — 14. הֲלְהָרְגֵנִי אַתָּה אֹמֵר *Num occidere me tu dicis?* se. בְּלִבְּךָ *in corde tuo*, i. e. cogitas? Ita אָמַר et Cohel. 2, 1. 6, 3. usurpatur. LXX. ἀνελεῖν με σὺ θέλεις; Hieron. *occidere me tu vis?* וַיִּירָא מֹשֶׁה *Et timuit Moses.* Quum videret, Israelitam, quem die antecedente liberavit, hoc factum aliis narrasse, timuit, ne res Aegyptiis quoque innotesceret. אָכֵן נוֹדַע הַדָּבָר *Profecto innotuit ista res.* אָכֵן Aben-Esra exponit אִם כֵּן *si ita* est. LXX. εἰ οὕτως. Sed rectius habetur pro asseverandi Particula, *profecto, vere.* Minus recte Hieron.: *quomodo palam factum est verbum istud?*

15. 16. וַיֵּשֶׁב בְּאֶרֶץ־מִדְיָן *Et sedit*, sedem fixit, *in terra Midian.* Quod breviter praemittit; protinus enim distinctius narrat, quomodo evenerit, ut illic sedem sibi figeret. Terra מִדְיָן, cui nomen a filio Abrahami e Ketura (Gen. 25, 2.), erat regio Arabiae Petraeae ad austrum et orientem terra Canaanis, vid. RELANDI *Palaest.* p. 98. sq. Nominis Midian vestigia servavit urbs *Madian*, in litore sinus Arabici sita, sed jam Edrisii et Abulfedae temporibus diruta, Ptolemaeo *Modiana* dicta. In illius vicinia puteum fuisse, e quo Moses adaquavit pecora Schoaibi, i. e. Jethronis, tradunt et auctores Arabici modo commemorati. Conf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 96. — 16. וְלַכֹּהֵן מִדְיָן שֶׁבַע בָּנוֹת *Erant autem sacerdoti Midianitidis septem filiae.* כֹּהֵן Onkelos רַבָּא *principem*, et Jonathan Ben-Uziel אוּנָס *tyrannum*, dominum, reddit. Et nomen כֹּהֵן de principe quoque usurpari, plures colligunt inde, quod 2 Sam. 8, 18. filii Davidis כֹּהֲנִים fuisse dicuntur, quibus tamen non qui proprie dicuntur *sacerdotes* intelligi posse, colligunt et ex eo, quod lege Num. 3, 10. omnes praeter Aharonicam familiam a sacerdotio ei dato arcentur, et inde quod 1 Chron. 18, 17. illi Davidis filii *primi ad manum regis* dicuntur. Verum quemadmodum Davidi, ut regi, concessum erat sacrificia offerre, et populo benedicere (2 Sam. 6, 17. 18. 24, 25.), quae utraque functio erat sacerdotalis, ita nil impedit, quo minus credamus, Davidem et filios ad sacrorum ministerium constituisse. כֹּהֵן ubique in V. T. significat *sacerdotem* vel Dei vel idolorum; cf. GESENII Praefat. ad *Lex. hebr. teuton.* minus p. 37. ed. sec.

17. 18. וַיְגָרְשׁוּם *Et expulerunt eos*, patet minus accurate dici pro וַיְגָרְשׁוּן *expulerunt eas*, cum Suffixo femineo. Aben-

Esra ait, ם poni hic pro ן, ne dictio confundatur cum ea, in qua ן est paragogicum, Mich. 2, 9. נְשֵׁי עַמִּי תְּגָרְשׁוּן *feminas populi mei expellitis.* Hoc ipso etiam Vs. est צֹאנָם pro צֹאנָן, quod Aben-Esra factum ait, ne alioqui duo Nun conjungerentur. Ceterum, quum istis regionibus aquarum sit penuria, operam dant pastores, ut primi puteos occupent, ne, aqua ab aliis exhausta, sua potu egeant pecora. — 18. וַתָּבֹאנָה אֶל־רְעוּאֵל אֲבִיהֶן *Et venerunt*, redierunt, *ad Reguelem patrem suum.* Reguel hic vocatur pater earum, quum avus esset; Jethro enim, cui et Hobab nomen (Jud. 4, 11. coll. infra 3, 1.), fuit Mosis socer, et vocatur Num. 10, 29. Reguelis filius. Haud raro *avus* alicujus dicitur ejus *pater*, ut nepos filius, cf. ad Gen. 29, 5. coll. 31, 43. 32, 10. 2 Sam. 19, 25. Dan. 5, 2. Quod vero hic avi potius, quam patris puellarum fit mentio, Michaelis rationem haud improbabilem reddit hanc, quod Reguel, quum primum Moses Midianem advenisset, adhuc in vivis et caput familiae fuerit, quo demum mortuo id factus fuerit Jethro, quare et hic inde a Capite proximo nominatur.

19. 20. אִישׁ מִצְרִי *Vir Aegyptius.* Forsan se talem affirmaverat, et ex cultu corporis videbatur. וְגַם־דָּלֹה דָלָה *Et etiam hauriendo hausit*, i. e. sedulo hausit; nam Infinitivum verbo suo finito junctum saepe diligentiam ejus qui quid agere narratur, indicare constat. Quum videlicet aqua in canales emissa (Vs. 16.) aquandis pecoribus non sufficisset, hausit Moses quantum opus esset. — 20. וַיֹּאמֶר אֶל־בְּנֹתָיו *dixitque filiabus suis.* Si avus erat Reguel, ergo filias dicit neptes. קְרֶאן *vocate ἀνομαλῶς* est pro קִרְאֶנָה, pro quo Ruth. 1, 20. per apocopen literae ה est קְרֶאן; hic vero, ablato et Camez, legitur קְרֶאן; simile est שְׁמַעַן *audite* (vos, feminae) pro שִׁמְעָן, Gen. 4, 23.

21. 22. וַיּוֹאֶל מֹשֶׁה לָשֶׁבֶת אֶת־הָאִישׁ *Consensitque Moses habitare cum viro illo.* Brevitati studens non dicit, invitatum se esse a Reguele, ut apud ipsum habitaret, quod ex iis, quae protinus sequuntur, sponte intelligitur. LXX. *Κατῳκίσθη δὲ Μωυσῆς, habitavit autem Moses.* Sensum potius, quam singulorum verborum vim exprimere voluerunt. וַיּוֹאֶל a nonnullis refertur ad אָלָה *juravit*, hoc sensu: juravit ei, se non migraturum e Midiane, nisi ille demigrandi potestatem fecerit. Sane Fut. apocop. formae Hiphil, וַיֹּאֶל *ad jusjurandum adegit* legitur 1 Sam. 14, 24. Sed quod hic habetur וַיּוֹאֶל vix dubium pertinere ad rad. יָאַל. וַיִּתֵּן וגו׳ *Deditque Zipporam, filiam*, i. e. neptem *suam* (cf. ad Vs. 18. 20.) *Mosi* uxorem. Mirum autem, patris nullam hic mentionem fieri. Aben-Esra conjicit, eum tunc abfuisse. Neque tamen sine ejus consensu verisimile est filiam elocare potuisse avum. Sed ex ignorantia, in qua versamur, morum hominum illorum, ad solvendum hunc nodum nemo facile certi quidquam attulerit. — 22. Moses filium suum גֵּרְשֹׁם vocavit: כִּי אָמַר גֵּר הָיִיתִי בְּאֶרֶץ נָכְרִיָּה *quia dixit: peregrinus fui in terra aliena;* quasi nomen esset e

גֵּר et שָׁם compositum. Hinc LXX. *Γηρσάμ* posuere. Alii vero גֵּרְשֹׁם ad גָּרַשׁ *expulit* referunt, ut sit cum ם additio, quale מִלְכֹּם, גִּדְעֹם, חִירוֹם. Ceterum in pluribus *τῶν* LXX. Codd., quos Holmesius enumeravit, haec addita leguntur: *Τὸ δὲ ὄνομα τοῦ δευτέρου ἐκάλεσεν Ἐλιέζερ· ὁ γὰρ θεὸς τοῦ πατρός μου βοηθός μου, καὶ ἐῤῥυσατό με ἐκχειρὸς Φαραώ.* Quod additamentum e Cap. 18, 4. huc translatum exhibent, praeter Vulgatum et Coptum, qui LXX. sequuti sunt, et Syrus atque Saadias. Sane quum 4, 20. Moses mentionem faciat *filiorum suorum*, qui ipsi in Midianitide nati essent; accommodate ad rem videri poterat, hoc loco et filium natu secundum simul memorare. Attamen plane necessarium id fuisse, nemo recte contendat.

3. *Deus, Israelitarum misertus, Mosen mandatis instruit, ut fratres liberaturus in Aegyptum contendat. Cap.* 2, 23. — 4, 17.

23—25. וַיְהִי בַיָּמִים הָרַבִּים הָהֵם *Et factum est in diebus multis illis* (LXX. *μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας τὰς πολλὰς ἐκείνας*), nempe, per longum illud tempus, quo Moses in Midianitide fuit, h. e. intra 40 annos (7, 7. coll. Act. 7, 23.). וַיָּמָת מֶלֶךְ מִצְרַיִם *Mortuus est rex Aegypti*, ille videlicet, qui Mosen supplicio afficere voluit (Vs. 15.). וַיֵּאָנְחוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל מִן־הָעֲבֹדָה *Et gemebant Israelitae ex servitute*, q. d. nec sub illius regis successore levati sunt, uti sperarant, dura servitute. וַתַּעַל שַׁוְעָתָם וגו׳ *Ascenditque clamor eorum ex servitute*, vel: *propter servitutem*, quomodo ordo verborum inversus fuerit pro eo qui esse debebat: וַתַּעַל שַׁוְעָתָם מִן־הָעֲבֹדָה אֶל־הָאֱלֹהִים. Indicatur, a Deo illorum preces ratas esse habitas, ita ut liberare eos apud se decreverit. — 24. וַיִּזְכֹּר אֱלֹהִים וגו׳ *Et recordatus est Deus foederis sui cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo* (cf. Gen. 12, 7. 13, 15. 15, 18. sqq. 17, 8. 24, 7. 26, 3. 4.). אֶת־אַבְרָהָם hic valet עִם אַבְרָהָם. — 25. וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Viditque Deus Israelitas*, i. e. respexit eorum vexationem, וַיֵּדַע אֱלֹהִים *cognovitque Deus*, i. e. nec oculos ab iis abscondit; eos curae sibi esse ostendit. יָדַע haud raro esse *ad animum revocare*, constat, vid. Job. 34, 4. Ps. 90, 11. 92, 7. Ceterum repetitae ejusdem sensus phrases Vs. 23—25., emphasin quandam habere videntur, qua indicatur, Deum apud se firmiter constituisse, se nolle auxilium Israelitis ferendum diutius differre.

Cap. 3, 1. Iam aggreditur narrare, qua ratione Deus consilium suum exequi instituerit. וּמֹשֶׁה הָיָה רֹעֶה אֶת־צֹאן יִתְרוֹ חֹתְנוֹ *Moses autem pascebat oves Jethronis, soceri sui*, i. e. quum Moses die quodam soceri sui pecus pasceret. יִתְרוֹ infra 4, 18. יֶתֶר, et Jud. 4, 11. חוֹבָב vocatur; cf. ad 2, 18. De כֹּהֵן מִדְיָן vid. ad 2, 15. — וַיִּנְהַג אֶת־הַצֹּאן אַחַר הַמִּדְבָּר *Et quum duxisset gregem in posteriorem*, remotiorem, interiorem *deserti* partem. Onkelos: *in locum pulchri pascui in desertum.* Sane מִדְבָּר esse

non tam mare arenosum, quam traetum, in quem pecudes pastum aguntur, patet vel et locis Ps. 65, 13. Jer. 9, 9. 23, 10. Ceterum remotissimi deserti solitudo visioni, quae protinus narratur, apprime conveniebat. Desertum illud accuratius designat: וַיָּבֹא וגו׳ *venitque ad montem Dei, Chorebum.* ה in חֹרֵבָה (pro לְחֹרֵב) est paragogicum et locale. Chorebus et Sinai sunt duo juga unius ejusdemque montis quorum jugorum quod Sinai dicitur est ad Occidentem, Chorebus ad Orientem. Hieronymo duplici nomine idem mons, nunc Sinà nunc Choreb interdum vocari videtur. Cf. 19, 20. cum 33, 6. Idem statuere videtur Joseph. *Antiqq.* II, 12. 1.: *Postea pascens ad Sinaeum montem agit pecudes. Hic est altissimus montium, qui illic sunt, et ad pascua optimus, bona nascente herba, et propter opinionem, quam habebant accolae, Deum illic degere, prius non depasta, pastoribus non audentibus illum adire.* Plura de hoc monte vid. in *d. Handb. d. bibl. Alterthumskunde* Vol. III. p. 114. Vocatur autem הַר הָאֱלֹהִים *Dei mons* vel ob altitudinem, pro more Hebraeorum, quo omnia in suo genere magna et praeclara *divina* appellant (cf. ad Gen. 30, 8.); vel, uti alii volunt, *κατὰ πρόληψιν*, quia Deus in illo daturus erat legem.

2. וַיֵּרָא מַלְאַךְ יְהוָה אֵלָיו *Apparuitque nuncius Jovae ei.* Qui hic *Jovae nuncius*, idem in narratione, quae statim sequitur, אֱלֹהִים et יְהוָה a Mose promiscue appellatur, et ipse hic angelus se nominat יְהוָה 4, 11., אֱלֹהִים 3, 12., יְהוָה אֱלֹהֵי אֲבוֹת בְּנֵי יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל 3, 6. 15. 16. 4, 5., coll. Act. 7, 32., atque הָעִבְרִיִּים 3, 18. Hinc Moses Deut. 33, 16. Josephi posteris adprecatur *benevolentiam ejus, qui habitabat nubum.* Unde angelum increatum, sive *δευτέραν Τριάδος ὑποστάσιν* hic intelligi, Theologi fere statuunt. Cf. Sal. Deyling *Θεοφανεία in rubo ardente*, in *Observatt. SS.* P. V. p. 1. sqq. J. J. Hessii Commentat. *Jehovah, der Gott Israels*, in *der Biblioth. der heil. Geschichte* P. II. p. 69. sqq., et Henkii *Magazin* P. III. p. 124. Ille igitur mediator, seu summi Numinis internuntius, cujus ministerio illud in populo Hebraico gubernando et moderando est usus, apparuisse Mosi dicitur בְּלַבַּת־אֵשׁ, quod veteres omnes *in flamma ignis* vertunt, quasi לַבַּת contractum sit pro לְהַבַּת. Salomo Dubnensis coll. Chald. לְבָה, quod in Talmude de *igne flatu excitato* dicitur, לַבָּה (formae אַוָּה, unde Deut. 12, 20. est אַוַּת־נַפְשְׁךָ *desiderium animae tuae*) *sufflationem* ignis, i. e. flammam notare posse observat. Neque tamen repudiandam censet Jarchii et Aben-Esrae sententiam, esse לַבָּה i. q. לֵב s. לֵבָב *cor, medium*, ut Ez. 16, 30. לִבֵּךְ *cor tuum.* Quod autem hoc Ezechielis loco לִ sub se habet Chirek, hic vero Patach, Aben-Esra parum referre existimat, ita enim et גִּנָּה et גַּנָּה *hortus* promiscue usurpari observat. Ita בְּלַבַּת־ אֵשׁ foret *medio in igne.* — מִתּוֹךְ הַסְּנֶה *E medio rubi.* סְנֶה Aben-Esra dicit esse *speciem spinae aridae*, eodemque nomine in lingua Arabica appellari, quia et inde montem dictum סִינַי 3. rad.

mobili facta), vel quod istiusmodi rubi istic propo montem copiose nascebantur, vel propter rubum illum, in quo nuncius divinus apparuit. וַיַּרְא וְהִנֵּה הַסְּנֶה וגו׳ *Viditque, et ecce! rubus ardebat igne, sed non consumebatur.* Vb. בָּעַר Ps. 83, 15. in Cal transitive *comburendi* significatu occurrit *(sicut ignis comburit silvam)*; sed non desunt loca, quibus sensu intransitivo sive neutro usurpatur, ut Jud. 15, 14. *instar linorum, quae igne ardebant.* Cf. et Jes. 1, 31. Voc. אֻכָּל non est Practer. Pyal, sed Particip. Pyal; neque enim ob Aeccntum majorem Silluk hic Camez poni, sed Particip. indicare, arguit vox אֵינֶנּוּ, quum Praeteritis ac Futuris לֹא praemitti soleat. Nec desunt alia exempla aphaereseos literae מ in Participiis Pyhal; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 316. Quod vero Jova in speeie flammae Mosi apparuit, congruum est vetustissimorum hominum e. c. Chaldaeorum et veterum Persarum (qui ignem adorabant) opinioni, sub ignis speeie et Deum ipsum, et alias humana praestantiores naturas sese mortalibus conspiciendas praebere. Quo pertinent loca Ex. 13, 21. 19, 18. 24, 17. Gen. 15, 17. 1 Reg. 19, 12. Ez. 1, 4. 13. Dan. 7, 9.

3—5. אָסֻרָה־נָּא *Age recedam*, i. c. accedam, nam qui aliquo concedit, idem recedit ab eo loco, in quo erat (ita Jud. 4, 18.). מַדּוּעַ לֹא־יִבְעַר הַסְּנֶה *Qui fiat ut non uratur rubus.* Hic בָּעַר est *igne absumi*, quum Vs. 2. tantum *ardere* significasset. — 4. הִנֵּנִי *Ecce me!* est promtitudinis et obsequii formula, ut Gen. 22, 11, 31, 11. Jes. 6, 8. — 5. אַל־תִּקְרַב הֲלֹם *Ne appropinques huc*, i. c. subsiste in loco tuo, nec accede ad rubum. שַׁל־נְעָלֶיךָ מֵעַל רַגְלֶיךָ *Exue calceos tuos a pedibus tuis.* נַעַל *solea*, a rad. נָעַל, quod *pessulo* vel *sera claudere*, et *vinculo constringere* notat, quia soleae vinculis circa pedem ligabantur. LXX. *λύσαι τὸ ὑπόδημά σου.* כִּי הַמָּקוֹם וגו׳ *nam locus, in quo tu stas, locus est sanctus.* Locus ille, ubi rubus ardebat, numinis praesentia veluti consecratus, ideoque non minore reverentia calcandus erat, quam templa sanctissimis ceremoniis dedicata. Cf. et Josua 5, 15. Nudi pedes etiamnum apud Orientis populos ad religionem pertinent, et reverentiam erga reges et proceres indicant. Hinc Mohammedani templa sua nonnisi detractis calceis ingrediuntur. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 261.

6. 7. אָנֹכִי אֱלֹהֵי אָבִיךָ *Ego* sum *Deus patris tui*, pro אֱלֹהֵי אֲבוֹתֶיךָ, vel, אֱלֹהֵי כָל־אָב מֵאֲבוֹתֶיךָ *Deus uniuscujusque patrum tuorum.* Quomodo Sing. אָב et collective usurpatur 15, 2. Conf. 2 Reg. 20, 5. Jes. 38, 5. 2 Chr. 21, 12., ubi דָּוִד אָבִיךָ *Davides pater tuus*, pro Davides et reliqui tui patres dicitur. Recte Stephanus Act. 7, 32. *Ἐγὼ ὁ θεὸς τῶν πατέρων σου.* וַיַּסְתֵּר מֹשֶׁה וגו׳ *Et abscondit Moses faciem suam, quia veritus est intueri Deum*, i. e. speciem illam igneam, quam rei ignarus prospexerat. Cf. not. ad Gen. 16, 13. — 7. וְאֶת־צַעֲקָתָם שָׁמַעְתִּי מִפְּנֵי נֹגְשָׂיו *Et vociferationem eorum audivi ab exactoribus ejus*, i. e. quam

exactores et operum praefecti saevitia ab illis extorquent. כִּי יָדַעְתִּי אֶת־מַכְאֹבָיו *Quia novi dolores ejus.* יָדַע de Deo usurpatum saepe significat, eum hominis aut rei rationem habere, Ps. 31, 8. 144, 3. Hos. 13, 5.

8. וָאֵרֵד *Descendi igitur*, e coelo. Bene Augustinus *de civitate Dei* 16, 5.: „*Descendere* dicitur Deus, cum aliquid facit in terra, quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter factum praesentiam ejus quodammodo declarat, ostendit.“ Cf. Gen. 11, 5. וְלַהֲעֲלֹתוֹ מִן־הָאָרֶץ הַהִוא *Et ad ascendere faciendum eum ex hac terra*, i. e. ut illum populum e terra hac educam. Conf. de hac phrasi ad 1, 10. — אֶל־אֶרֶץ טוֹבָה וּרְחָבָה *Ad terram bonam*, fertilem, *et latam*, spatiosam. Primo laudat terram ob bonitatem, aëris videlicet salubritatem, et propter amplitudinem, tum vero ob pascuorum fructuumque abundantiam, hanc enim praedicant verba: אֶל־אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ *ad terram manantem lacte et melle*, s. quoad lac et mel, i. e. lactis et mellis proventu fertilissimam. Adjectiv. fem. זָבַת in statu regiminis nominibus quae sequuntur, praemissum est, quemadmodum cum Gen. 29, 17. dicitur יְפַת תֹּאַר וִיפַת מַרְאֶה *pulchra quoad formam et adspectum.* Ceterum זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ ratio loquendi *παροιμιώδης* est, infra 13, 5. 33, 3. et saepius recurrens, et de ea dicitur regione, quae ob pascuorum florumque omnis generis abundantiam, ac foecunditatem suam, ingentem armenti pecorisque copiam alit, innumeraque apum examina fovet. Haec duo conjungi solent, quando Hebraeae regionis fertilitas, omniumque rerum ad victum necessariarum affluentia describitur. Cf. Job. 20, 17. Neque poetis exteris ea loquendi formula insueta est. Ita Euripides in *Bacchis* Vs. 142. *Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, Ῥεῖ δ᾽ οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσῶν Νέκταρι.* Cf. Ovid. *Metamorph.* 1, 111. sq. Plura vid. in *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 263. sqq. Copioso *mellis* proventu Judaea pluribus locis celebratur; Deut. 8, 8. 32, 13. Jud. 14, 8. 1 Sam. 14, 25. 26. Ps. 81, 17. Regionis praestantiam incredibilemque fertilitatem laudant exploratores a Mose missi, qui ad faciendam narrationi fidem, poma, granata, ficus, et portentosae magnitudinis racemum inde attulerant, Num. 13, 24. 28. Refert Tacitus Histor. 5, 6. de Judaea: *Uber solum; fruges nostrum ad morem, praeterque eas balsamum et palmae.* Ex hodierna vero Palaestinae conditione minime antiqua illa et primaeva recte dijudicatur. Quid mirum enim, si illius terrae tot pridem bellis devastatae, per Romanos, per Arabes inde ab Omaro, Chalifa, inde ab anno 636., per Christianos ipsos inde ab a. 1099., dein per Sultanos Aegyptii, tandem per Turcas, si, inquam, talis terrae facies passim alia nunc appareat, quam fuerat olim? Quid mirum, regionem illam ruinis ac arenis locorumque asperitate nunc horridiorem esse, si cogitemus, eam tam diu in potestate barbarorum fuisse, perpetuisque Arabum incursionibus expositam? Pleraeque Turcarum sub dominatu regiones, omnium quondam amoenissimae, passim in-

cultae jacent. Sed nequaquam Palaestinae facies ita est mutata, ut nulla amplius vestigia veteris fertilitatis appareant. Plures eorum, qui recentiori aetate eam terram inviserunt, in petris hodie inultis vestigia adhuc exstare confirmant, e quibus, eas petras olim fuisse fructuosas, lueulenter colligi possit; nam rudera in illis adsunt murorum eum in finem exstructorum, terra de petris ne ablueretur, unde petras vitibus fuisse consitas elucet. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 264. sqq. et *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 237. sqq. אֶל־מְקוֹם הַכְּנַעֲנִי וגו׳ *ad locum*, in terram (se. dueam meum populum) *Cananaei*, *Chittaei etc.*, i. e. Cananaeorum, Chittaeorum cet., sing. numero pro plur., uti passim. Pro decem gentibus, quarum ditiones pollicetur Deus Israelitis Gen. 15, 19. sqq., hic sex tantum appellantur, forte, quod reliquis celebriores et numerosiores essent. Etsi vero omnes illi populi Cananaei fuerint, uti tota regio dicta est Canaan, hic tamen, uti in locis quibusdam aliis, Cananaeorum nomen uni alicui ex istis populis tribuitur, cf. ad Gen. 13, 7.

9. 11. Verba: וְעַתָּה הִנֵּה צַעֲקַת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל בָּאָה אֵלָי cohaerent cum Vs. 10. initio, וְעַתָּה לְכָה hoc sensu: *jam igitur quia clamor Israelitarum ad me pervenit, tu nunc ito, et ego te mittam.* — 11. מִי — פַרְעֹה *Quis ego* sum, *ut eam ad Pharaonem?* is non sum, qui possim rem tantam adgredi. Ad eam legationem opus est aliquo, qui me sit eloquentior et facundior. וְכִי אוֹצִיא וגו׳ *et ut educam Israelitas ex Aegypto?* nec vires mihi suppetunt, quibus ego populum possim Aegypto edueere.

12. Hunc Vs. interpretes recentiores fere sic interpretantur: *hoc habebis signum, quod te miserim: cum eduxeris populum meum ex Aegypto, immolabis Deo in hoc monte*, q. d. illud ipsum, quod tu in hoc monte cum toto populo Israelitico sacrificia facies, omnibus signo erit, te a me missum et meo auxilio populum illum eduxisse; eventus ipse docebit, te a me missum esse. Sed signum divinae legationis necesse est fuisse *praesens* nec futurum. Neque etiam admittit Accentus, ut verba וְזֶה־לְּךָ הָאוֹת, *et hoc tibi signum*, ad finem Vs. referantur, referenda potius sunt ad ea, quae illius initio praecedunt. Duo autem sunt, quae Deus hoc Vs. Mosi confirmat, primum propterea, quod Pharaonem, regem potentem adire metueret, animum ei addit his verbis: ego tecum ero, et haec ipsa visio, quam in rubo conspexisti, signo tibi erit, me te misisse, et potentem esse, periculis te eripere. Alterum quod Mosi promittit est hoc, fore, ut Israelitae in hoc ipso monte, ad quem Mosi magnum illud et portentosum visum obtigisset, Deum colant oblatis per Mosen victimis. Nam de sacrificiis offerendis in monte Sinai verba תַּעַבְדוּן אֶת־הָאֱלֹהִים capienda esse, suadent loca 5, 3. 24, 4. 5., quae ad hunc illustrandum apprime faciunt. Praefixum ב Infinitivo הוֹצִיאֲךָ praemissum alias fere indicat tempus praeter., sed כ, futurum, ut 11, 1. בְּשַׁלְּחוֹ *cum dimittet eum.*

H. l. vero est tempus ex Praeter. et Fut. mixtum *(Fut. exact.)*, *postquam eduxeris*, hinc recte hic ב Infinitivo praefigitur.

13. 14. הִנֵּה אָנֹכִי בָא *Ecce! ego veniens*, i. e. iturus sum. Particip. interdum Fut. significat, cf. ad Gen. 19, 13., praesertim praemisso הִנֵּה, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 792. — וְאָמְרוּ pro וְאִם אָמְרוּ *et si dixerint*, cf. ad Gen. 33, 13. — מַה־שְּׁמוֹ *Quodnam est ejus nomen?* Quum illis temporibus multae Naturae, eaeque diversissimi generis, nomine אֱלֹהִים significarentur, Aegyptii autem Deorum suorum nomina propria *(Isis* et *Osiris)* haberent; mirum non est, Mosen ab uno vero Deo, nomen quodnam singulare ipsi esset, petiisse. — 14. Mosi Deum interroganti, quonam sese nomine velit Israelitis annunciari, respondet: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ero qui ero;* de cujus formulae sensu interpretes magnopere inter se differunt. Eorum potiores sententiae recensitae et examinatae sunt in Commentar. nostro majori. Loco infra 6, 3. (ubi vid. not.) coll. cum nostro, vix dubium esse potest, verba אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה valere: *ero*, manebo perpetuo, *qui sum*, ut igitur nomine יְהוָה *aeternitatis* et *immutabilitatis* divinae naturae notio exprimatur, respectu potissimum habito ad fidem et veracitatem in praestandis iis, quae solenni sanctione Abrahamo pollicitus est ille Deus, qui se יְהוָה dicit. Vid. et quae de eo nomine disseruit Herderus *vom Geist der Ebr. Poesie*, P. II. p. 112. sqq.

15. Nom. יְהוָה significatione haud differt ab אֶהְיֶה; nisi quod hoc primam, illud tertiam personam exprimit. Praeterea observant Hebraei, יְהוָה esse *nomen essentiae* s. *substantiae*, i. e. non significare ullum attributum divinum, quale אֵל, אֱלֹהִים, שַׁדַּי, sed ipsam divinam naturam, adeoque esse *nomen* Dei *proprium*, quod tamen ineffabile sit, quemadmodum divina natura non possit ab humana mente comprehendi, unde non propriis suis punctis vocalibus notetur, sed iis, quae vel ab אֲדֹנָי, vel ab אֱלֹהִים sint mutuo sumta. Sane effari nomen, religioni Judaeis et nunc esse, et jam LXX. pro illo semper ὁ Κύριος ponere, in vulgus notum. Verum etiam aliis antiquitatis populis nomina quaedam Deorum erant arcana, quae proferre nisi in sacris non audebant. Aegyptii jam ante Ptolemaeorum tempora hac laborarunt superstitione, ut a proferendis sacris quibusdam vocabulis abhorrerent, et nomina Deorum suorum aliis alia sanctiora haberent. Cicero *Nat. Deor.* 3, 56., ubi plures Bacchos enumerat, *Quartus*, inquit, *Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare.* Tale nomen μυστικόν Indis est *OM*, contractum e tribus literis A, V, M, triplicem divinitatem Vischnu, Siva et Brahma, indicantibus. Jam quum nominis יְהוָה puncta vocalia ab אֲדֹנָי desumta esse, ipsi asserant Judaei, multum et varie agitata est quaestio, quaenam sit vera nominis illius pronunciatio? Alii antiquam nominis appellationem volunt יִהְוֶה *Erit* fuisse, uti antea Deus se אֶהְיֶה vocaverat; alii יַהְוֶה, hoc maxime argumento ducti, quod plures

antiquitatis scriptores referunt, Judaeos Deum suum *Jao* appellasse; alii, uti Gesenius in Lex. minori, יְהֹוָה *Erit*, cui sententiae hoc favet, quod Theodoretus in *Quaest. XV. in Exod.* Samaritanos nomen divinum *IABE* efferre scribit. Erant tamen et sunt plures viri docti, qui puncta vocalia, quibus יהוה instructum est, vera et genuina censerent. Cf. RELANDI *Exercitt. de vera pronunciat. nominis Jehova*, Traj. ad Rh. 1707. Inter quorum argumenta nequaquam leve est hoc, quod nomina propria, quae e nomine divino יהוה cum aliis vocibus commisso conflata sunt, qualia יְהוֹשָׁפָט, יְהוֹנָתָן, יְהוֹיָקִים, habent eadem puncta, quae adjecta sunt nomini יְהוֹה. Haud repudianda STEPH. SOUCIETI (*Recueil de Dissertations critiques sur des endroits difficiles de l' Ecriture Sainte.* Paris: 1715. 4. p. 232. sqq.) fuerit sententia, יְהוֹה esse Futur. nominasceus veteris Verbi הָוָה, non diversi ab הָיָה, simili formae יְהוֹא *erit*, ab eodem illo Verbo, Cohel. 6, 3., sub ultima syllaba vero adscivisse *Camez*, ut Nominis terminationem. וְזֶה זִכְרִי לְדֹר דֹּר *Et hoc est memoriale meum in aetatem aetatem*, i. e. nomen meum in omnem aetatem. זֵכֶר hic, ut Jes. 26, 8. Hos. 12, 6. Ps. 30, 5. 97, 12., non denotat *memoriam* s. *recordationem*, sed *nomen*, quia per id rei aut personae alicujus recordamur.

16. 17. לֵךְ וְאָסַפְתָּ אֶת־זִקְנֵי יִשְׂרָאֵל *Ito et congrega seniores Israelis*, i. e. optimates s. senes honoratiores; vix enim Moses inter sexcenta virorum millia omnes aetate provectiores congregare et cum iis ad regem introire (Vs. 18.) potuisset. LXX. quoque verterunt: *τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, senatum Israelitarum.* Potest hinc colligi, Hebraeos in Aegypto politiam aliquam habuisse. פָּקֹד פָּקַדְתִּי אֶתְכֶם *Visitando visitavi vos*, i. e. rationem habui vestri. Cf. ad Gen. 21, 1. — 17. Cf. ad Vs. 8.

18. In phrasi יְהוָה אֱלֹהֵי הָעִבְרִיִּים נִקְרָה עָלֵינוּ, e veteribus plures verbum נִקְרָה capiunt *occurrendi* significatu, quem Num. 23, 3. 4. 15. et alias obtinet, ut locus ita sit reddendus: *Jova, Deus Hebraeorum occurrit nobis*, i. e. nobis apparuit. Sensus minime probandus; nam soli Mosi Jova apparuit, neque usquam alias toti populo Deus dicitur apparuisse. Sed vix dubium est, נִקְרָה hic, permutato ה et א, poni pro נִקְרָא, uti 5, 3., ubi haec ipsa verba repetuntur, legitur. Vertendum igitur: *Jova, Hebraeorum Deus, vocatur super nos*, i. e. nos vocamur ejus populus, vel, de nomine ejus. Eadem, quae hic, loquutio eodem sensu legitur Deut. 23, 10. Jer. 14, 9. 2 Chr. 7, 14. Cf. 1 Reg. 8, 43. Jer. 7, 10. 11. Dan. 9, 19. Jes. 4, 1. Hoc igitur dicere debebant Hebraei: nos nunc sumus populus Jovae, Dei Hebraeorum, et is te, regem, abire jubet suum populum in desertum ad sacra ipsi ibi facienda.

19. 21. *Et ego scio* כִּי לֹא־יִתֵּן אֶתְכֶם *quod non dabit*, i. e. non sinet vos, quo sensu נָתַן et Gen. 20, 6. 31, 7. legitur.

וְלֹא בְיָד חֲזָקָה *nec per manum validam*, i. e. ne mei quidem, Dei, jussu. וְלֹא hic valet *ne quidem*, ut sensus sit, Pharaonem nolle Israelitas dimittere, etiamsi Deus validam suam manum in eum extenderit, sive, ne quidem valida manu castigatus concedet, deliberato consilio, ut abeatis. Nam cum tandem exirent Aegypto, metu exanimis nec satis compos sui, expellebat eos, sed facti, quum ad se rediisset, mox cum poenituit. LXX. ἐὰν μὴ μετὰ χειρὸς κραταιᾶς, Vulgatus: *nisi per manum validam*, i. e. vi maxima coactus. Ita וְלֹא pro אִם־לֹא esset, quomodo tamen nusquam alias legitur. — 21. וְנָתַתִּי — מִצְרַיִם *Reddamque gratiam populi hujus in oculis Aegyptiorum*, conciliabo ei gratiam et auctoritatem apud Aegyptios. *Gratiam dare*, s. conciliare, hic non est gratum et acceptum reddere, sed facere ut, quod petitur, obtineatur. Alioquin Aegyptii tot plagis a Mose adfecti sine dubio Israelitas non amabant; sed usque adeo timuerunt, ne omnes perirent, ut omnia Israelitis concesserint, ne moram eorum discessui adferrent, et malum novum sibi crearent.

22. וְשָׁאֲלָה אִשָּׁה *Et postulabit mulier*, i. e. unaquaeque. Aben-Esra ait, hic mulierum praesertim mentionem fieri, (quum infra 11, 2. de eadem re loquens viros et mulieres conjungat), quod eae praecipue ornamentis et monilibus oblectari solcant. מִשְׁכֶּנְתָּהּ וּמִגָּרַת בֵּיתָהּ *a vicina sua et ab hospita domus suae*, inquilina sua. Poterant Aegyptii conduxisse domos, quae Israelitarum erant propriae, adeoque erant גֵּרֵי בָתֵּיהֶם *inquilini domuum eorum*, conf. Job. 19, 15. Hinc LXX. παρὰ συσκήνου αὐτῆς. וְנִצַּלְתֶּם אֶת־מִצְרַיִם *Et spoliabitis Aegyptios*, ita ab Aegyptiis, qui vos tam dura servitute oppresserunt, spolia auferetis. De spoliis auferendis נָצַל et 2 Chr. 20, 25. legitur. Aben-Esra: „Sunt, qui dicant, patres nostros fures fuisse. Sed hi nonne vident, mandatum fuisse a Deo supremo? cujus mandati causam quaerere non debemus. Nam Deus creavit omnia, et dat opes cui voluerit, adimitque uni et dat alteri, quod injustum non est, quia omnia ipsius sunt.“ Similem in modum Augustinus in *Quaestt.* ad h. l. scribit: *Mandatum Dei est, de quo non judicandum, sed obtemperandum fuit; ille enim novit, quam juste mandaverit; ad servum vero pertinet obedienter facere quod mandavit.* Joseph. *Antiqq.* II, 14. 6. *Donis honorabant Hebraeos, alii quidem, ut celerius exirent, alii propter vicinitatis cum iis consuetudinem.* Hebraeos pro agris, domibus, aliisque possessionibus, quae ipsis Aegypto migraturis, relinquendae essent, ab Aegyptiis pretii loco talia, quae secum auferre poterant, optimo jure flagitare potuisse, ostendere studuit L. J. C. Justi in Commentat. *Ueber die den Aegyptiern v. d. Israeliten bei ihr. Abreise a. d. Lande abgeforderten Geräthe*, 2 *B. Mos.* 3. 11. 12. Frcof. 1777. repetita in auctoris *Vermischten Abhandll. üb. wicht. Gegenstände der theolog. Gelehrsamk.* P. II. p. 258. sqq.

Cap. 4, 1. 2. וְהֵן לֹא־יַאֲמִינוּ לִי *Sed en! non fidem mihi habebunt.* Vox est negantis et detrectantis officium, uti docent, quae sequuntur, vid. inprimis Vs. 13. Et licet Moses nondum expertus esset Israelitarum diffitentiam, loqui tamen eum ex persuasione sua non est incongruum. LXX. ἐὰν οὖν μὴ πιστεύσωσί μοι, *quodsi non crediderint mihi.* Ceperunt הֵן pro *si*, usu Chaldaico, unde לָא הֵן *nisi.* Sed nil opus est, consuetam voculae הֵן vim h. l. repudiare. — 2. מַזֶּה בְיָדֶךָ *Quid hoc* (pro מַה זֶּה, quod in margine) quod *in manu tua?* Sicut quis, qui alteri dicit: tune fateris, istud, quod ante est, esse lapidem? Quod cum alter, ita esse ait, ille dicit: ecce ego lapidem istum facio lignum. וַיֹּאמֶר מַטֶּה *Et dixit: baculus.* Notat Aben-Esra, primum miraculum Deum ostendisse Mosi in tali re, quam semper praesentem secum haberet, in baculo videlicet, quo se senex sustentabat: per מַטֶּה enim hic non indicari pedum, seu baculum pastorale, quum non sit credibile, Mosen adiisse Pharaonem habitu pastoris.

5. 6. לְמַעַן יַאֲמִינוּ *Ut credant.* Vult, ut Moses per haec miracula populo fidem faciat et persuadeat, se a Deo missum esse. — 6. הַבֵא־נָא יָדְךָ בְחֵיקֶךָ *Intromittas manum tuam in sinum tuum.* חֵיק denotare vestem pectori proximam, apparet e locis Num. 11, 12. Jes. 40, 11., ubi nutrix infantem בְחֵיק gestare dicitur. וְהִנֵּה יָדוֹ מְצֹרַעַת כַּשָׁלֶג *Et ecce! manus ejus* erat *leprosa ut nix*, subaud. וּלְבָנָה *et candida ut nix*, siquidem nix non est leprosa. Sermo hic est de vitiligine alba, cujus candor nivi confertur. Hinc LXX. מְצֹרַעַת plane non expresserunt: καὶ ἐξεπήδη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὡσεὶ χιών. Celsus *de Medic.* L. V. Cap. 28. §. 12. *Vitiliginis tres species sunt.* Ἄλφος *vocatur, ubi color albus est, vero subasper, et non continuus.* — Λεύκη *habet quiddam simile* ἄλφῳ, *sed magis albida est et altius descendit, in eaque albi pili sunt lanugini similes.* — *Leuce quem occupavit, non facile dimittit. Priora* (ἄλφος et μέλας) *curationem non difficillimam recipiunt, ultimum vix umquam sanescit, ac si quid ei vitio demtum est, tamen non ex toto sanus color redditur.*

7—9. וְהִנֵּה־שָׁבָה כִּבְשָׂרוֹ *Et ecce reversa est ut caro ejus,* rediit ad pristinam speciem, sic ut similis esset reliquae carni, quemadmodum antea fuerat. Quod eo majus miraculum fuit, quia, ut modo e Celso vidimus, vitiligo alba non facile sanari potuit. — 8. וְלֹא יִשְׁמְעוּ לְקֹל הָאֹת הָרִאשׁוֹן *Et si non auscultaverint voci signi prioris*, i. e. sermoni meo per signum sive miraculum confirmato. Huc respicit Psaltes 105, 27.: *Ediderunt* Moses et Aaron *inter eos*, Aegyptios, דִּבְרֵי אֹתוֹתָיו *verba signorum ejus.* — 9. וְלָקַחְתָּ מִמֵימֵי הַיְאֹר *Tum sumas ex aquis fluminis*, Nili, qui per יְאֹר fere significari solet, Cf. ad Gen. 41, 1. — וְהָיוּ הַמַּיִם ..... וְהָיוּ לְדָם *Eruntque aquae illae ..... erunt*, inquam, *in sanguinem.* Similem repetitionem vid. Lev. 27, 3. Deut. 18, 6.

10 — 12. De voce כִּי cf. ad Gen. 43, 20. — לֹא אִישׁ דְּבָרִים אָנֹכִי *Non vir verborum ego sum*, i. e. non sum eloquens, seu potius: verba mea expedite proferre nequeo. Id indicari patet ex iis, quae sub finem Versus sequuntur. גַּם מִתְּמוֹל — עַבְדֶּךָ *Et ab hesterno die, aut nudius tertius, aut ex quo loquutus es ad servum tuum.* Vult Moses, hanc excusationem non esse quaesitam, quum non nuper tantum, aut ex quo Deus ipsum alloquebatur coepisset balbutire, sed a longo tempore, forsan ab infantia. Vocula גַּם, uti solent Hebraei, si res duas tresve exaequare volunt, et ter quidem, ut hic, legitur quoque Jud. 8, 22. — מִתְּמוֹל מִשִּׁלְשֹׁם valet *antea*, ut Gen. 31, 2. — כִּי כְבַד וגו׳ *Nam gravis ore et gravis lingua sum ego*, ore et lingua impeditus. LXX. *ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος ἐγὼ εἰμί.* Nam balbus os et linguam difficilius ad effereudos sonos flectit, quemadmodum gravia morbo membra aegre molimur. — 11. מִי שָׂם — חֵרֵשׁ *Quis posuit*, dedit *os homini? aut quis facit mutum aut surdum?* H. e. ego, qui sensus hominibus et facultates omnes do et eripio, arbitratu meo, te iis, quibus eares, ornare, si videbitur, potero. — 12. וְאָנֹכִי אֶהְיֶה עִם־פִּיךָ *Et ego ero cum ore tuo*, adero tibi loquenti.

13. 14. Verba שְׁלַח־נָא בְיַד־תִּשְׁלָח Aben-Esra sic exponit: *mitte per manum alterius, quem volueris mittere.* Vel omissum est Pron. relat. אֲשֶׁר, ut plene verba ita sonarent: שְׁלַח אֶת־הָאִישׁ אֲשֶׁר בְּיָדוֹ תִשְׁלָח *mitte eum hominem, quem missurus es*, i. e. mitte alium, qui idoneus tibi visus fuerit. Onkelos: *mitte nunc per manum ejus, qui dignus est, ut mittatur.* Hebraei dicunt mittere *per manum* alicujus nuncium, quod Latini *per aliquem*, aut *alicujus ope.* Interpres Samaritano-Arabicus: *mitte nunc per manum quam videbis*, s. *quae tibi visa fuerit*, i. e. mitte cujus ministerio uti velis in hac legatione. — 14. הֲלֹא אַהֲרֹן אָחִיךָ הַלֵּוִי *Nonne Aaron Levita* est *frater tuus?* Aben-Esra censet, Aaronem eo nomine notum fuisse inter Israelitas, atque ita ab aliis, qui itidem dicti erant Aarones, fuisse distinctum. יָדַעְתִּי כִּי־דַבֵּר יְדַבֵּר הוּא *Novi quod loquendo loquetur ipse*, sc. תַּחְתֶּיךָ *tui loco*, est enim ille expeditae loquelae.

15 — 17. וְשַׂמְתָּ אֶת־הַדְּבָרִים בְּפִיו *Et pones verba in ore ejus*, i. e. ei dices quod voles ab eo Pharaoni dici. וְאָנֹכִי אֶהְיֶה עִם־פִּיךָ *Et ego ero cum ore tuo*, suggerendo tibi quae Pharaoni dicas. וְעִם־פִּיהוּ *Et cum ore ejus*, ut ejus verba audientibus grata et accepta sint. — 16. וְדִבֶּר־הוּא לְךָ *Et loquetur ille tibi*, i. e. *pro te*, s. *propter te.* וְהָיָה הוּא יִהְיֶה־לְּךָ לְפֶה *Et futurum erit*, ut *is tibi sit pro ore*, quod animi sensa proloquitur. וְאַתָּה תִּהְיֶה־לּוֹ לֵאלֹהִים *Tu vero eris ei pro Deo*, qui hominis menti cogitationes suggerit; ita tu Aaroni mentis tuae cogitata indicabis, quae ille tui loco proloquetur. Onkelos posuit לְרַב *pro principe*, seu magistro, quo sensu Hebraei dicere solent מֹשֶׁה רַבֵּנוּ *Moses*

doctor s. *praeceptor noster.* Minus recte LXX. Σὺ δὲ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεὸν, *tu autem eris ei in his quae ad Deum pertinent*, uti Hieronymus vertit. — 17. *Et virgam hanc in manum tuam sumas*, אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה־בּוֹ אֶת־הָאֹתֹת *qua facies signa*, i. e. miracula quae te edere jubebo. LXX. τὴν ῥάβδον ταύτην τὴν στραφεῖσαν εἰς ὄφιν· rem, non verba hebraea expresserunt.

4. Moses Jethroni socero valedicit, et cum uxore et liberis Aegyptum repetit. In itinere Deus ipsi ob neglectam filii circumcisionem mortem intentat, a qua Zippora eum circumciso filio liberat.
Cap. 4, 18—26.

18. 19. וַיֵּלֶךְ — חֹתְנוֹ *Abiitque Moses et rediit* e deserto *ad Jethronem*, *socerum suum.* יֶתֶר non dubium est esse eundem qui 3, 1. et alias יִתְרוֹ vocatur. וְאָשׁוּבָה אֶל־אַחַי אֲשֶׁר־בְּמִצְרַיִם *Et redibo ad fratres meos qui in Aegypto*, quibus non populares suos intelligit, sequitur enim: וְאֶרְאֶה הַעוֹדָם חַיִּים *et videbo num adhuc vivant?* nec totam gentem Israeliticam exstinctam esse suspicari poterat, sed consanguineos suos, Amrami familiam. לֵךְ לְשָׁלוֹם *Abi ad pacem*, i. e. omnia tibi prospera proficiscenti eveniant. — 19. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־מֹשֶׁה בְּמִדְיָן *Dixerat* praeterea *Jova Mosi in Midiane*, alia vice quam tum cum ei in deserto ad Sinai montem apparuit. וַיֹּאמֶר hic in Plusquamperf. est capiendum. כִּי־מֵתוּ וגו׳ *Nam mortui sunt omnes viri quaerentes animam*, vitam *tuam*, i. e. qui quaerebant te occidere. Illis vero significantur propinqui Aegyptii illius, quem Moses occiderat. Necesse fuit Mosen, homicidii sibi conscium ea de re moneri, ne in Aegyptum reverti vereretur.

20. וַיִּקַּח מֹשֶׁה אֶת־אִשְׁתּוֹ וְאֶת־בָּנָיו *Sumsitque Moses uxorem suam et filios suos*, Gersomum et Eliezerem, cf. 18, 3. 4., וַיַּרְכִּבֵם עַל־הַחֲמוֹר *et vehi fecit eos super asino*, singulos videlicet, suo quemque asino. LXX. ἐπὶ τὰ ὑποζύγια. וַיָּשָׁב אַרְצָה מִצְרָיִם *rediitque in terram Aegypti.* Primum quidem Moses in animo habuit, uxorem et filios secum in Aegyptum adducere; superato vero mortis periculo a Jova in itinere ei immisso, matrem cum filiis ad Jethronem dimisit (18, 2.). וַיִּקַּח מֹשֶׁה וגו׳ *Sumsitque*, i. e. secum gessit, gestavit, *Moses virgam Dei in manu sua.* LXX. τὴν ῥάβδον τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ, *virgam quam a Deo acceperat.* Sed rectius Onkelos: *virgam, qua facta fuerunt miracula a facie Domini.* Atque ea sane de causa dicta est *virga Domini*, quod in patrandis miraculis Deus ea Mosen uti voluit, supra Vs. 17.

21. בְּלֶכְתְּךָ לָשׁוּב מִצְרַיְמָה *In tuo ire et revertendum in Aegyptum*, i. e. proficiscente jam te ac revertente in Aegyptum, רְאֵה — פַּרְעֹה *vide omnia ostenta, quae posui in manu tua, ut facias ea coram Pharaone*, ordo et constructio: *vide*, provide, cura, *ut facias coram Pharaone omnia ostenta*, quae posui in manu *tua*, i. e. quibus te instruxi potestate ad hoc data. וַאֲנִי

אֲחַזֵּק וגו *Ego vero obfirmabo cor ejus ne dimittat populum.* Infra 7, 3. utitur Deus verbo אַקְשֶׁה *indurabo.* Quod hic Deo tribuitur, id 9, 34. Pharaoni ipsi adscribitur, וַיַּכְבֵּד לִבּוֹ *obdura-vitque cor suum ipse et servi ejus.* Vid. et infra 7, 13. 8, 32. Apposite CLERICUS ad h. l.: „Cum apud omnes gentes, tum etiam apud Hebraeos, qui occasionem praebent cuipiam rei, ejus causa esse dicuntur, quamvis id quod egerunt per se eam rem efficere non potuerit. Vulgus, ex cujus arbitrio pendet linguarum usus, saepe occasionis majorem rationem habet, quam causae ipsius efficientis. Saepe quod alius consequutus est effectus ejus quod antecessit, ita hunc habet, itaque de eo loquitur, ut non aliter de vero ac proprie dicto effectu loqueretur. Quo factum est, ut qui loquentes in Scriptura inducuntur, eodem modo animi sensa efferant. Vid. c. c. Matth. 10, 34. Luc. 12, 49. 51. Similiter Deus hic id se facturum dicit, cujus rei occasio erat. Misit Mosen ad Pharaonem, Mosesque coram eo miracula fecit, quibus quivis alius permotus fuisset, ut illud, quod Deus fieri voluerat, faceret. Sed ille inde occasionem cepit pertinaciae augendae, quod inter mala, quae passus est, intervalla quaedam fuerunt, et similia nonnulla miracula a magis Aegyptiis facta vidit. Sic Deus pertinaciae Pharaonis occasio fuit, sed non causa."

22. 23. בְּנִי בְכֹרִי יִשְׂרָאֵל *Filius meus, primogenitus meus est Israel*, i. e. gens prae reliquis mihi cara. Notat Jarchi, בְּכוֹר hic notare גְּדוּלָּה *magnitudinem*, praestantiam, qua aliis populis antecellit, beneficiis divinis quibus ornandus esset. Eadem de causa Ps. 89, 28. Davides dicitur *primogenitus regum* futurus. — 23. וְאֹמַר אֵלֶיךָ *Dico tibi.* Verba Dei, non Mosis, qui haec in persona Dei loquitur. שַׁלַּח אֶת־בְּנִי וְיַעַבְדֵנִי *Dimitte filium meum ut me colat;* quia filius meus est, ideo non potes eum detinere contra voluntatem meam; jussi enim eum mihi sacra facere in loco quem ei praescripsi. Ad verba וַתְּמָאֵן לְשַׁלְּחוֹ, notandum, ו esse pro אִם *si*, ut alias haud raro, ut vertendum sit, *si recusaris eum dimittere*, הִנֵּה אָנֹכִי הֹרֵג אֶת־בִּנְךָ בְכֹרֶךָ *en ego tuum filium primogenitum occidam.* Haec ultima fuit plaga de qua tamen Deus Mosen statim ab initio praemonet, quod omnium plagarum esset gravissima.

24. בַּמָּלוֹן *In diversorio*, in loco pernoctationis (ut Genes. 43, 21.). וַיִּפְגְּשֵׁהוּ יְהוָה *Occurrit ei Jova*, pro quo LXX. et Onkelos atque Arabs uterque ἄγγελος Κυρίου, *angelus Dei*, posuerunt, quod sibi persuadere non possent, Deum ipsum ad hoc ministerium descendisse. Sed cf. ad 3, 2. Suffixum in וַיִּפְגְּשֵׁהוּ et in eo quod proxime sequitur, הֲמִיתוֹ, *occidere eum* (quaesivit), non, uti nonnulli volunt, ad primogenitum Mosis filium, sed ad ipsum Mosen referendum est. Ita et Syrus: *et quaesivit occidere Mosen.* Qui enim in verbis antecedentibus jussus est viam inire, Moses, idem hoc Vs. commodissime intelligitur in via fuisse. Ac-

cedit, quod contextus circumstantiae ipsiusque Zipporae factum comprobat, de poena a parentibus neglectae circumcisionis agi, quae Mosi potius, quam infanti lucnda erat. Sane si h. Vs. de puero sermo esset, vix est dubium, scriptorem Vs. sq. dicturum fuisse: *circumcidit* עָרְלָתוֹ *praeputium ejus*, non autem עָרְלַת בְּנָהּ; ecquid enim opus fuisset, illum iterum denominare, cujus mentio jam ante esset facta? Phrasis בִּקֵּשׁ הֲמִית semper significat *quaerere occidere* s. *ad necem*, coll. 1 Sam. 19, 2. 10. 2 Sam. 20, 19. 1 Reg. 11, 40. Ps. 37, 32. Quo vero indicio mortem sibi a Jova intentari intellexerit Moses, an ex gravi aliquo morbo, qui ipsum repente invasit, an ex alia quadam re, definiri nequit. Cur autem Jova Mosi ita succensuerit, facile colligitur e Vs. sq., nimirum ob neglectam filii circumcisionem, qua peracta Moses a mortis periculo liberatus est (Vs. 26.). Neglecta a Mose filii circumcisione grave utique ab ipso delictum commissum est, quod quum ipse Numinis legatus, foederis mediator et legislator futurus esset, si hic ipse foederis signum et sigillum negligeret, et contemnere viderctur, pravo exemplo vehementer noceret, et Israelitarum animos a se redderet aversos. Culpa tamen neglectae circumcisionis praecipue penes Zipporam fuisse videtur, a cruento hoc ritu, in tenero infante instituendo, abhorrentem; quae nunc metu praesentissimi mortis marito imminentis, eo compellitur, ut filium ipsa circumcideret. Interpres Samar. et Samaritano-Arabicus, quibus injuriosum videretur, Jovam voluisse occidere Mosen, verba וַיְבַקֵּשׁ הֲמִיתוֹ reddiderunt: *quaesivit eum urgere*, *incitare*, sc. ad accelerandum iter in Aegyptum. Voc. המיתו referebant ad הָמָה *tumultuari*, *fervido impetu urgere*.

25. וַתִּקַּח צִפֹּרָה צֹר וַתִּכְרֹת אֶת־עָרְלַת בְּנָהּ *Sumsitque Zippora silicem, absciditque praeputium filii sui.* צֹר alias quidem est i. q. צוּר *acies* (Ps. 89, 44.), ut res quaccunque acuta designetur; h. l. vero (uti Ez. 3, 9.) *acutus et scindens silex*, quo usa est Zippora, quod cultro aut novacula destituta fuit. Apud Aegyptios lapis Aethiopicus in cultros acuebatur. Herodotus enim describens, qua ratione viscera e condiendo cadavere educerent, L. 2. c. 16. ita orditur: *λίθῳ Αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην*, *lapide Aethiopico* circa ilia findendes. צֹר, inquit CASTELLUS *Lexic. heptagl.* p. 3151., „*silex acutus*. Eo usi sunt ob defectum ferri. Sic in Hispana insula quia ferro carent, pro eo utuntur cote acuto. Hodie utuntur Judaei novaculis chalybeis, quarum capuli sunt lapidei: ante octavam diem mortuos et abortivos masculos circumcidunt lapide fissili.“ Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 269. Quae sequuntur verba: וַתַּגַּע לְרַגְלָיו, LXX. vertunt: *καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ*, *procidit* Zippora *ad pedes ejus*, angeli, prostrato corpore cum adoravit. Vulgat.: *et tetigit pedes ejus.* Syrus: *et tenuit pedes ejus.* Sed rectius cum plurimis interpretibus vet. verbum transitivum וַתַּגַּע, *tangere fecit*, capitur *projiciendi* significatu, ut verba ita sint vertenda:

projecitque sc. עָרְלַת בְּנָהּ, *ad pedes ejus*, sc. Mosis. Quod et Mendelii fil. elegit, qui verba sic exponit: *Projecit illud*, praeputium filii, *ante pedes Mosis; est enim verbum transitivum, utpote species Hiphil, quasi diceret* Zippora: *si pro poena luenda* ob intermissam circumcisionem *aegrotaveris, en! sanguinem circumcisionis.* Parum probabilis est aliorum explicatio, qui Suffix. in לְרַגְלָיו referunt ad Jovam (s. ad angelum ejus), quasi ad hujus pedes Zippora abscissum praeputium admovisset. כִּי חֲתַן־דָּמִים אַתָּה לִי *Profecto sponsus sanguinum tu es mihi.* Ad quemnam directa sint haec verba dissentiunt. Omnium minime audiendi sunt, qui ad Jovam, vel ejus angelum illa referunt, quasi verbum חָתַן, quod Arabibus *circumcidit* denotat, translatum sit ad *foedera*, percussis et caesis victimis sancita, et Zippora dum angelum appellaret *foederatum sibi cruentum*, hoc voluerit: foedus tecum initum non nisi sanguinis effusione sanciturr. Plerique ex recentioribus Hebraeis et e Christianis nonnulli vocc. חֲתַן־דָּמִים ad filium Mosis referunt. Voci חָתַן praeter propriam *sponsi* significationem aliam, eamque metaphoricam tribuunt, qua filius peracta circumcisione *sponsus* sit appellatus, siquidem hoc modo populo conjunctus Deoque desponsatus est. Attamen quum infantem circumcisum חָתָן appellatum fuisse, non certo constet, et ne quidem satis sit verisimile; reliquum est, ut Mosen חֲתַן־דָּמִים hic vocari statuamus ab uxore, quod eum quasi *sponsum de novo acquirere et coëmere profusione sanguinis filii fuerit coacta.* Dicit itaque: sanguine te redimere ac retinere cogor, nempe sanguine filioli mei, quem nisi circumcidissem, ac sanguinem ejus fudissem, actum erat de vita tua, et tu mihi ereptus esses. Nec improbabilis Gussetii in *Commentarr. Ling. Ebr.* sub voc. מוּל lit. D., et Deylingii in *Observatt. SS.* T. II. Obs. X. p. 156. prolata sententia, Zipporam e fervore quodam muliebri, ut iram ex filii vulnere doloroso conceptam in maritum effunderet, verba illa protulisse. Mosen enim in causa credidisse, quod ritu tam sanguineo tenerum infantis corpus mutilare cogeretur. Hinc dolorem dissimulare ipsam non potuisse, sed praeputium ad mariti pedes indignabundam projecisse, dum ita cum alloqueretur: tu mihi desponsatus fuisti eo malo omine, ut homicidia admitteremus, eaque in nostros filios, quibus circumcisio e vestro, Ebraeorum, ritu tam teneris est inferenda; jam enim eo vulnere filium meum periturum reor. Cf. ad Vs. sq. Quod ad חָתַן attinet observat Ed. Pocock in *Notis Miscellann.* quas addidit Maimonidis Portae Mosis a se editae, Cap. 4. p. 52., illud verbum ut in lingua Hebr., sic et in Arab. *affinitatem contrahendi* notionem habere, ita ut non solum soecr, sed et tota eorum, qui mulieri sanguine conjuncti, series, pater, fratres, patrui, avunculi, nominc *Chatan* gaudeant. His observatis constat, חֲתַן־דָּמִים tam apud Arabes quam apud Hebraeos sonare *generum* vel *sponsum sanguinis.* Zippora interim, cui Arabica vernacula fuit,

non hunc solum, sed et alterum ejusdem vocis significatum respexisse videtur, quasi marito suo dixisset: vere et merito tu mihi *Chatan* diceris, utroque enim sensu nomen hoc tibi competit, non eo solum, quo a parentibus et consanguineis meis *gener* etc. appellaris, sed et isto, qui *sanguinis effusionem* innuit et requirit. Hoc, si Mosen alloquuta fuerit; sin puerum, חָתָן eundem usum habebit, quem et אָב *pater* et אָח *frater* apud Arabes, ut *gener* vel *sponsus sanguinis* sit vel sanguine acquisitus seu redemtus.

26. וַיִּרֶף מִמֶּנּוּ *Et remisit* angelus *ab eo*, Mose, infestando. Significatur, morbum, qui ei mortem minaretur, cessasse. Eodem sensu רָפָה legitur 1 Chr. 21, 15. — אָז אָמְרָה וגו׳ *Tunc* igitur *dixit: sponsus sanguinis propter circumcisiones.* לְ in לַמּוּלוֹת pro עַל s. בַּעֲבוּר ponitur, ut 14, 3. Pluralis מּוּלוֹת videtur mera numeri enallage esse; nisi forsan in mente habuerit utriusque filii circumcisionem. Est vero istud לַמּוּלוֹת explicationis gratia additum, quo nempe clarius intelligatur, quamobrem Mosen חֲתַן־דָּמִים appellarit. Haud indignam quae commemoretur, Deylingii (l. l. p. 156.) judicamus conjecturam, Zipporam dixisse לַמּוּלוֹת *propter circumcisiones*, respectu habito ad duplicem circumcidendi rationem, Ismaeliticam, et Hebraicam, apud populos ab Abrahamo ortos receptam. Hi enim octavo die, illi autem, qui ex Ismaele descendebant, quibus Midianitae accensebantur, anno aetatis decimo tertio, ut hodienum Mohammedani, circumcidi debebant. „Hinc intelligitur, unde tantae Zipporae ob infantis circumcisionem irae. Nam quum Ismaeliticam ac mitiorem Arabum circumcidendi rationem non admodum aversaretur, quia puero adultiori circumcisionem minus periculi afferre credebat, Hebraeorum contra consuetudinem, qui octavo die infantes circumcidebant, tanquam inhumanam et homicidio proximam detestabatur, illo praesertim tempore, quo ob difficultates itineris, perpetuasque vulneris commotiones in praesentissimo vitae discrimine puerulus versari videbatur.“

5. *Moses Aaroni sibi obviam facto et Israelitis narrat, quae ipsi Deus mandasset, et portentis coram popularibus editis fidem apud eos obtinet. Pharaonem frustra, de dimittendo Israele, conveniunt Moses et Aaron. Rege Israelitas duriore servitutis jugo premente ii afflictionis culpam in Mosem et Aaronem rejiciunt. Mosi de his apud Deum conquesto is promissionem de liberando populo denuo confirmat.*

Cap. 4, 27. — 6, 1.

27 — 29. וַיִּפְגְּשֵׁהוּ בְּהַר הָאֱלֹהִים *Et occurrit ei in monte Dei*, i. e. Chorebo, vid. 3, 1. — 28. שְׁלָחוֹ — וַיַּגֶּד *Indicavitque Moses Aaroni omnia verba Jovae, qui eum miserat.* Alii, אֲשֶׁר relato ad כָּל־דִּבְרֵי, forsan rectius: *quibus eum miserat*, i. e. qua ratione Deus ipsum eo adegit, ut legationem illam, etsi invitus, in se susciperet. LXX. πάντας τοὺς λόγους Κυρίου, οὓς ἀπέστειλε. — 29. כָּל־זִקְנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל vid. ad 3, 16.

30. 31. וַיְדַבֵּר אַהֲרֹן וגו׳ *Loquutusque est Aaron omnia verba, quae loquutus fuerat Jova ad Mosen;* nam Mosis interpres erat (Vs. 16.), ne hunc balbutientem sperneret populus. — 31. וַיִּשְׁמְעוּ — וַיִּרְאֶה *Et audiverunt*, intellexerunt, *quod visitarit Jova filios Israelis*, i. e. eorum recordatus sit. Nam *visitare* aliquem, et *recordari* alicujus, quando in bonam partem sumitur, synonyma sunt, et conjunguntur; cf. ad Ps. 8, 5. LXX. pro וַיִּשְׁמְעוּ posuerunt *καὶ ἐχάρη* (*ὁ λαὸς*) *et gavisus est*, quasi וישמחו legissent. וַיִּקְּדוּ וַיִּשְׁתַּחֲווּ *Et inclinarunt verticem et adorarunt*, inclinato cervice adorarunt, venerati sunt Mosen, quasi Dei prophetam. Alii *Deum* intelligunt; sed eo gestu corporis non minus homines, quam Deum, salutabant; vid. Gen. 23, 7. — וַיִּקְּדוּ a verbo geminata 2. rad. קָדַד (quod Hebraei pro denominativo a קָדְקֹד *vertex* habent), quemadmodum וַיִּתַּמּוּ *consummati sunt* Deut. 34, 8. a תָּמַם, et יָדְמוּ *obstupefacti, immobiles sunt*, infra 15, 16. a דָּמַם.

Cap. 5, 1—3. וְיָחֹג לִי *Ut festum mihi celebrent.* Alii: *ut sacrificia offerant*, quia nomen חַג pro sacrificio, s. hostia, in die festo immolanda ponitur, ut Ps. 118, 27. Jes. 29, 1. Nec tamen necesse est, usitatam verbi חָגַג notionem seponere. Nam festis diebus sacrificia offerebantur. Propria Verbi חָגַג, ut adfinis חוּג significatio est *orbem describere*, cum quacunque ratione, tum etiam *saltando*, choreas ducere. Quia autem festis diebus, inter alia hilaritatis publicae indicia, saltationes erant (15, 20. Jud. 21, 19. 21. 2 Sam. 6, 13. 16.), ideo חָגַג postea *festum celebrare* significavit. — 2. לֹא יָדַעְתִּי אֶת־יְהוָה *Non novi Jovam*, i. e. parum curo, quem vestrum vos dicitis Deum. — 3. De phrasi אֱלֹהֵי הָעִבְרִים נִקְרָא עָלֵינוּ cf. ad 3, 18. — נֵלְכָה — נָא *Eamus, quaeso, trium dierum iter in desertum, ut Jovae, Deo nostro, sacra faciamus.* Dissimulabant consilium suum Aegyptum plane deserendi, quia bene intellexerunt, Pharaonem, minora pertinaciter negantem, majora multo minus esse concessurum. פֶּן־יִפְגָּעֵנוּ וגו׳ *Ne irruat in nos* Deus *cum peste aut gladio*, ne peste aut hominum erudelitate nos perdat. Abeundum nobis est, inquiunt, et sacrificandum, quod alioquin gravi aliquo supplicio a Deo nostro afficeremur. פָּגַע *occurrere*, quod proprie simpliciter alicui *obviam venire* valet, ut Gen. 32, 2., deinde tam de iis dicitur, qui aliquem precibus adeunt, ut Gen. 23, 8., tam de iis, qui in aliquem infesto animo irruunt, ut eum occidant, ut 1 Sam. 22, 17. 2 Sam. 1, 15., quibus quidem locis omnibus construitur cum ב personae, in quam quis irruit. H. l. vero conjungitur cum Accus. personae, ut infra 23, 4. LXX. *μήποτε συναστήσῃ ἡμῖν θάνατος ἢ φόνος*, Hieronymus: *ne forte nobis accidat pestis aut gladius.* Quasi in Hebraeo esset: פֶּן־יִפְגָּעֵנוּ דֶּבֶר אוֹ חָרֶב, absque litera ב utrique nomini praefixa.

4. 5. לָמָּה — מִמַּעֲשָׂיו *Quare, o Moses et Aaron cessare*, otiari, *facitis populum ab operibus suis.* פָּרַע convenit eum con-

sono Verbo Arab., quod significat: *vacavit* rei, *finem ei imposuit*, et Substantivum inde factum sonat *otium*. Sensum potius, quam propriam vocis significationem expressit Hieronymus, qui *sollicitatis* posuit. LXX. διαστρέφετε. Verb. פָּרַע *amovendi* significatu ceperunt. לְכוּ לְסִבְלֹתֵיכֶם *ite ad onera vestra*. Probabiliter sumitur, Pharaonem quidem his verbis alloquutum fuisse Mosen et Aaronem, eos autem positos esse pro omnibus Israelitis. Aeque tamen probabiliter dici poterit, Pharaonem sermonem suum convertisse ad seniores populi, quos una cum Mose et Aarone regem adiisse apparet ex 3, 18. — 5. וַיֹּאמֶר פַּרְעֹה *Dixit Pharao*, sc. exactoribus Vs. sq. commemoratis, in quos verba quae sequuntur invectivam regis continent. הֵן־רַבִּים וגו׳ *En! multi sunt nunc populus terrae, et cessare facitis eos ab oneribus suis.* Non de multiplicatione populi hic queritur Pharao, sed quod quum admodum esset numerosus, si a laboribus ipsi impositis otiari pergeret, ipsi et Aegyptii gravi inde damno afficerentur. Ita Jarchi: Multus est populus terrae, quibus servitus imposita est; vos autem illos cessare facitis a suis operibus, quod sane magnum est damnum. LXX. licet orationis formam mutarint, sensum tamen haud male reddiderunt: ἰδοὺ νῦν πολυπληθεῖ ὁ λαὸς, μὴ οὖν καταπαύσωμεν αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἔργων. Alii Pharaonem hoc voluisse putant: freti multitudine intermittitis opus, et cogitatis de rebellando. עַם הָאָרֶץ *populus terrae* Israelitae recte dici possunt, quia omnes in Aegypto nati erant, quamvis eorum majores ante quartam aetatem ex Cananaea venissent. Samaritieus habet מעם *plures sunt*, *quam populus terrae*, nimirum, quam veteres Aegyptii. Sensus esset, quia videtis Aegyptios a vobis numero superari, ideo onera ab iis imposita exeutere vultis.

6. 7. *Praecepitque Pharao in die illo exactoribus populi et praefectis ejus.* הַנֹּגְשִׂים בָּעָם erant Aegyptii ex aula Pharaonis instituti, qui demensum videntur praescripsisse pro personis et temporibus exhibendum in laboribus. Τοῖς נֹגְשִׂים suberant οἱ שֹׁטְרִים, e filiis Israel selecti, qui *praefecti populo* dicebantur, et contribules suos ad opus urgebant, rationem exactoribus reddituri. Quod patet e Vs. 14. שֹׁטְרִים non fuisse *scribas*, uti verterunt LXX. et Syrus, colligere est inde, quod semper solent magistratuum mentioni conjungi, vid. Deut. 1, 15. 16, 18. Jos. 8, 33. Prov. 6, 7. 2 Chron. 19, 11. — 7. לֹא—הַלְּבֵנִים *Non addetis dare*, ne amplius detis *paleam populo ad conficiendos lateres.* Nimirum quum certus numerus laterum Israelitis imperaretur, ut possent eum praebere, iis e regiis horreis dividebatur palea, quam luto miscerent. Philo *de vita Mosis* T. II. p. 86. ed. Mangey. dicit: πλίνθου γὰρ ἄχυρα δεσμός, *paleae enim lateris vinculum.* Lateribus solis ardore siccatis Aegyptii ob lapidum defectum ab antiquissimis inde temporibus usi sunt et etiamnum utuntur; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 271. sqq. כְּתְמוֹל שִׁלְשֹׁם *Ut heri et nudius tertius*, i. e. καθάπερ καὶ πρότερον, *ut antehac*,

Symmacho reddente, ut 4, 10. — וְלְכוּ וְקַשְּׁשׁוּ לָהֶם תֶּבֶן *Eant et colligant sibi paleam.* Verbum קָשַׁשׁ videtur proprium de colligendis stipulis (קֹשׁ, cf. Vs. 12.). Unde Hieronymus et hic תֶּבֶן *stipulas* reddidit.

8. 9. וְאֶת־מַתְכֹּנֶת הַלְּבֵנִים *Et demensum laterum*, quantum laterum quotidie confiecre debent. Bene LXX. מַתְכֹּנֶת *σύνταξιν*, *constitutum* reddunt; est enim a תָּכַן *libravit*, *expendit numero et pondere.* כִּי־נִרְפִּים הֵם *Nam otiosi sunt*, sc. מִן־הָעֲבוֹדָה *ab opere*, cessant ab eo. — 9. תִּכְבַּד הָעֲבֹדָה עַל־הָאֲנָשִׁים *Grave sit opus super homines*, gravius onus est illis imponendum. וְאַל יִשְׁעוּ בִּדְבָרֵי־שָׁקֶר *Et ne respiciant in verba mendacii.* שָׁעָה cum ב rei construetum *oculos in rem aliquem intendere*, ad eam attendere, notare videtur, ut sensus sit: imponantur illis graves labores, ne attendant ad mendacia verba Mosis, jussum se a Deo esse Pharaonem convenire, ut veniam ab eo peteret in desertum abeundi. Est enim otiosorum hominum inanibus consiliis aurem praebere. Neque tamen spernenda est *Jarchii* sententia, qui ita exponit: *ne meditentur et loquantur assidue verba vana, dicentes: abeamus et sacrificemus*, notatque שָׁעָה eo sensu accipi Ps. 119, 117.: *et meditabor in statutis tuis perpetuo.* Asserit non posse hic ita accipi ut accipitur Gen. 4, 4. *respexit ad Abelem et ad ejus oblationem.* Quando enim *respiciendi* significationem habet, cum אֶל vel cum ל construi; cum ב autem construetum *meditari* et *loqui* significare, uti probat adductis locis Ezech. 33, 3. Num. 12, 1. Zach. 4, 1. 4. Deut. 11, 19. Huic observationi convenienter LXX.: *καὶ μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς*, Syrus: *et ne cogitent verba vana.*

10—12. וַיֵּצְאוּ *Egressi sunt* a Pharaone, s. ex ejus aula. אֵינֶנִּי נֹתֵן *Non do*, non dabo, s. daturus sum posthac. — 11. Pron. אַתֶּם cum emphasi praemittitur Imperativo לְכוּ. Vult enim hoc: quum hucusque palea vobis e regiis horreis suppeditata esset, nunc *vos ipsi* illam conquirere debetis. מֵאֲשֶׁר תִּמְצְאוּ *Ex* eo loco *quo invenire poteritis*, sive is propinquus fuerit, sive remotus, non refert. Praecessit excitandi vox לְכוּ *ite!* q. d. alacriter vobis eundum est, כִּי אֵין וגו׳ *quia non detrahitur ex opere vestro quidquam*, non enim minuetur quidquam de laterum demenso, quod vobis antea conficiendum erat. נִגְרָע non esse Praeter., sed Particip., arguit non modo Camez syllabae posterioris (quum Praeter. habeat Patach), verum et praemissum אֵין, quod negationi in tempore praesenti inservit. Cf. ad 3, 2. — 12. וַיָּפֶץ non verte: *dispersit* Pharao *populum*, s. eum coëgit ut sese dispergeret per totam terram. Nam verbum illud, quamvis in Hiphil positum, hic intransitive sumitur: *dispersit se populus*, ut 1 Sam. 13, 8. Job. 38, 24. — לְקַשֵּׁשׁ קַשׁ לַתֶּבֶן *Ad colligendum stipulas pro palea*, s. *loco paleae*, ל enim hic valet תַּחַת, ut Gen. 11, 3. — קַשׁ est *minuta palea*, quam et denotat a LXX. hic adhibitum *καλάμη*.

13. 14. וְנֹגְשִׂים אֲצִיהֶם *Et exactores* (Aegyptii, cf. Vs. 6.) *urgebant*, sc. Israelitas, seu potius iis praefectos, coll. V. 14. LXX. κατέσπευδον αὐτούς. Aben-Esra notat, אוץ esse ex iis Verbis, quae tam transitive, quam intransitive capi solent, ut שׁוּב et מוּשׁ. *Festinandi* significatu אוּץ legitur Jes. 10, 13. Poverb. 9, 2. — כַּלּוּ מַעֲשֵׂיכֶם דְּבַר־יוֹם בְּיוֹמוֹ *Perficite opera vestra verbum* s. *rem diei in die suo*, i. e. justa operum cujusque diei, pensum quotidianum. LXX. τὰ καθήκοντα καθ' ἡμέραν. כַּאֲשֶׁר בִּהְיוֹת הַתֶּבֶן *Quemadmodum dum erat palea*, i. e. ut prius facere solebatis quando dabantur vobis paleae. — 14. וַיֻּכּוּ שֹׁטְרֵי בְנֵי יִשְׂרָאֵל *Et percussi sunt moderatores Israelitarum*, sc. a נֹגְשֵׂי פַרְעֹה. Quando praefecti populo praebebant latcres exactoribus, et aliquid de summa decrat, ipsi percutiebantur, quod non impulissent eos, qui opus faciebant. תְּמוֹל שִׁלְשֹׁם Jarchi conjunctum accepit pro *nudius tertius*, *qui est dies*, inquit, *ante* אֶתְמוֹל *hesternum*; quomodo תְּמוֹל in statu constructo fuerit. Et hoc sane loco, quo subjungitur גַּם־תְּמוֹל גַּם־הַיּוֹם *tam heri*, *quam hodie*, apparet, תְּמוֹל שִׁלְשֹׁם longius quod antegressum est tempus indicare. *Hesterno* die significatur ille, a quo coeperunt remissiores fieri in opere suo faciundo.

16. In verbis וְלִבְנִים אֹמְרִים לָנוּ עֲשׂוּ est hypallage sive inversio; naturalis eorum ordo hic erat: אֹמְרִים לָנוּ לְבֵנִים עֲשׂוּ *dicunt nobis*, sc. exactores: *lateres conficite*, sc. כְּמִנְיָנָךְ הָרִאשׁוֹן *secundum numerum priorem*. וְהִנֵּה וגו׳ *Et en! servi tui percutiuntur*, *et peccatum populi tui*, quae posteriora verba ambiguae sunt interpretationis, עַמֶּךָ aliis ad Israelitas, aliis ad Aegyptios referentibus. Qui prius eligunt, Israelitas *populum regis* vocari volunt, quo is ad misericordiam flectatur. Neque tamen hi inter se consentiunt. Quidam sensum hunc faciunt: nos quidem praefecti caedimur, *at peccatum*, i. e. culpa est *populi tui*, i. e. tametsi populus tuus opus absolvere non potest, nos tamen caedimur. Alii: *peccatum* sit in *populum tuum*, i. e. injuste agitur cum tuo populo. Clericus: *et peccatum populi tui*, i. e. quasi deliquisset plectitur; vel: fit reus peccati, imputatur ei peccatum. In hunc sensum LXX. ac si scriptum esset: וְחָטָאתָ לְעַמֶּךָ, ἀδικήσεις οὖν τὸν λαόν σου. Syrus: *et peccas contra populum tuum.* Quod nisi per interrogationem molliatur, longe profecto durius est, quam ut ab illis dictum fuisse credibile sit. Vulgatus magis caute reddidit: *et injuste agitur contra populum.* Verum quum וְחָטָאת עַמֶּךָ et עַבְדֶיךָ מַכִּים hic sibi invicem opponi videantur; vix dubium, *populo Pharaonis* esse Aegyptios intelligendos. Hoc autem exprimere voluisse videntur, ipsius Pharaonis populum, i. e. exactores ejus, in culpa fuisse, quod ita inique cum Israelitis ageretur, ut etiamsi stramen iis non concederent, eundem tamen, quem antea, laterum numerum ab iis exigerent.

19. בְּרָע — וַיִּרְאוּ *Et viderunt praefecti filiorum Israelis se esse in malo.* Pronon. אֹתָם sunt qui vertant: *eos*, ut referatur

ad Israelitas, quibus praefecti praecerant. Sed contextui magis convenit, אֹתָם reciproce sumi, ut idem valeat, quod נַפְשָׁם s. עַצְמָם, ut Ez. 34, 8. וַיִּרְעוּ הָרֹעִים אוֹתָם *et pastores se ipsos pascebant*. Cf. ibid. ad Vs. 2.

21. 22. יֵרֶא יְהוָה עֲלֵיכֶם וְיִשְׁפֹּט *Adspiciet Jova super vos et judicabit*. Sed רָאָה, quod verbum h. l. tantum cum עַל rei construitur, hic valet *cognoscere*, עַל autem non *de*, sed *contra*. Utrumque verbo Graeco καταγινώσκειν commode declaratur, ut hoc modo Hebraea reddantur: καταγνοίη ὑμῶν ὁ Θεὸς, *cognoscat Deus adversum vos*, reos vos peragat, et nos vindicet. — אֲשֶׁר הִבְאַשְׁתֶּם אֶת רֵיחֵנוּ *Qui foetere fecistis odorem nostrum*, viles et abominabiles nos reddidistis, *in oculis Pharaonis*, qui nos rerum novarum studii suspectos fecistis. Conjunguntur *foetor* et *oculi*, quum *naribus* melius ille respondeat. Cujusmodi καταχρήσεως exempla alia vide apud Glassium *Philol. S.* p. 1277. edit. Dath. לָתֵת חֶרֶב בְּיָדָם לַהֲרָגֵנוּ *Dando gladium in manum eorum ad occidendum nos*, h. e. causam nos male habendi. Hoc volunt: Antea quidem dura servitute nos Aegyptii opprimebant; jam vero vestra culpa justam causam sibi invenisse videntur ad interitum usque nos cruciandi. — 22. לָמָּה הֲרֵעֹתָה לָעָם הַזֶּה *Quare malefecisti huic populo?* „Quaeri potest," inquit Aben-Esra, „quum Deus notum fecisset Mosi, Pharaonem non permissurum esse, ut Israelitae abirent, antequam signa omnia Mosi mandata edita fuerint, quare Moses cum Deo expostularet verbis istis? Respondemus, Mosen existimasse, statim postquam cum Deo loquutus fuerit levatum fore jugum Israelitarum, quum tamen contra quam ille exspectavit gravius quam antea redderetur."

Cap. 6, 1. כִּי בְיָד חֲזָקָה יְשַׁלְּחֵם *Nam manu valida*, scil. coactus, s. *propter manum meam validam dimittet eos*. Intelligit plagas Pharaoni divinitus infligendas, quibus compulsus Israelitas sit dimissurus. Cf. ad 3, 19.

6. *Moses nova accipit Dei promissa, iterumque ad Pharaonem convenire a Deo jussus, se excusat infacundiam obtendens. Quam dubitationem Deus ita tollit, ut Mosi Aaronem, fratrem, oratorem addat. Cap* 6, 2. — 7, 7. *Intertexitur Mosis et Aaronis genealogia.* 6, 14—25.

2. 3. Quae jam sequuntur contigisse credibile est aliquod tempus postquam quae in iis, quae proxime praecedunt relata sunt, Deus ad Mosen loquutus esset. Repetita solenni promissione de populo certe liberando Mosis animum confirmare voluit Deus, ut quae ipsi injungeret intrepide exsequeretur. — 3. *Et apparui Abrahamo, Isaaco et Jacobo nomine Dei omnipotentis, sed nomine meo*, (est enim ante שְׁמִי repetendum בְּ שֵׁם אֵל praemissum), *Jova non eram cognitus iis*. Hoc dicit: majoribus tuis omnipotentem me esse declaravi, sed constantem, et promissa, quae illis dedi de terra Cananaea ab eorum posteris occupanda, opere com-

plentem illi me non sunt experti. Non hoc vult, nomen יְהוָה fuisse majoribus Mosis plane incognitum et inauditum, sed quod nomine eo significeatur nondum eos conspexisse. Quemadmodum apud scriptores sacros *vocari* interdum idem est ac *esse*, ita hic ei *indicari nomen* negatur, cui subjecta nomini potestas re ipsa nondum aperitur. De eo sensu vocis *vocari* vid. Jes. 9, 6., ubi *vocabitur admirandus*, perinde est ac *erit*. Vid. et 56, 7. Luc. 19, 46. Pariter in posterum *Dei nomen* futurum dicitur *Jehova* pro eo quod est, Deus est quod eo nomine exprimitur praestiturus. Hinc apud prophetas frequenter legimus, *nomen ejus est Jova*, ut sit id quod eo nomine significeatur. Vid. Jes. 42, 5. sqq. 48, 2. Jer. 16, 21. al. Itaque priscum Dei nomen, יְהוָה, quod constat jam antea usitatum fuisse, vid. e. c. Gen. 15, 7. 22, 14., inde ab eo tempore quo Moses missus est, novam et specialiorem vim est nactum, nempe *significationem relativam*, in qua opus spectatur, ad quod peragendum Deus tunc accederet. Initium hujus operis, a quo *Jova* dicitur, ponitur in eductione populi Hebraei ex Aegypto, qua praestanda quoniam Deus opus promissum actu suscipit, se demonstrat ut *Jovam*, qui patriarchis modo innotuerat ut *Deus omnipotens*, אֵל שַׁדַּי. Cf. verba Dei Gen. 17, 1. 35, 11., et ea loca, quibus patriarchae loquentes indueuntur, Genes. 28, 3. 4. 43, 14. 48, 3. 49, 25. Vs. 4. et 5. disertius exponit, quomodo se re ipsa talem sit praestiturus, cui nomen *stabilitatem* et *constantiam* indicans sit proprium.

4 — 6. וְגַם הֲקִימֹתִי אֶת־בְּרִיתִי אִתָּם *Et etiam statui foedus meum cum iis*, majoribus tuis. Respicit promissa Gen. 17, 1. sqq. 26, 3. sqq. 35, 11. — 5. וְגַם אֲנִי שָׁמַעְתִּי וגו׳ *Et etiam ego audivi gemitum filiorum Israelis* rel. Quasi diceret: sicuti constitui et stabilivi foedus, ita et mihi incumbit promissis stare, ideo nunc audivi gemitum Israelitarum. וָאֶזְכֹּר אֶת־בְּרִיתִי *Et recordatus sum foederis mei*, quo Abrahamo promisi, me velle animadvertere in populum illum, qui illius posteros dura servitute sit afflicturus, Gen. 15, 13. 14. — 6. אֲנִי יְהוָה *Ego* sum *Jova*, qui non mutor, ac proinde promissis sto. וְגָאַלְתִּי אֶתְכֶם בִּזְרוֹעַ נְטוּיָה׳ *Et redimam*, liberabo *vos cum brachio exserto*, idem quod Vs. 1. בְּיָד חֲזָקָה *manu praevalida*, nam cum vi aliquid facimus brachia porrecta intendimus; alioqui leviora sola manu tractamus, sine ulla nervorum contentione. וּבִשְׁפָטִים גְּדֹלִים *Et judiciis magnis*, i. e. plagis, quas Aegyptiis infligam. Uti verbum שָׁפַט, eique respondens κρίνειν apud scriptores sacros *punire*, ita et שֶׁפֶט frequenter *poenam*, *supplicium* denotare constat. Cf. 5, 21.

7 — 9. וְלָקַחְתִּי אֶתְכֶם לִי לְעָם *Et sumam*, adoptabo *vos mihi in populum*. Id factum cum legem acciperent in monte Sinai. — 8. *Introducam vos in terram* אֲשֶׁר נָשָׂאתִי אֶת־יָדִי לָתֵת *quam levavi manum meam dare*, i. e. quam juravi me daturum Abrahamo etc. Metaphorice dictum est ad similitudinem hominis,

qui, cum jurat, manum suam ad coelum elevat, cf. ad Gen. 14, 22., coll. Deut. 32, 40. Dan. 12, 7. — וְנָתַתִּי אֹתָהּ לָכֶם מוֹרָשָׁה *Et dabo vobis eam haereditatem*, non quasi villicis aut colonis, ut Aegyptios agros, sed propriam et optimo jure possidendam. — 9. וְלֹא שָׁמְעוּ אֶל־מֹשֶׁה *Et non audiverunt*, i. e. attenderunt *ad Mosen*, non admiserunt solatia. מִקֹּצֶר רוּחַ *Prae decurtatione spiritus*, i. e. propterea quod adeo afflicti oneribus fuerint, ut vix spiritum trahere et respirare potuerint. Alii: *prae impatientia*, collatis locis Num. 21, 4. Job. 21, 4. Prov. 14, 29., ubi phrasis קְצַר נֶפֶשׁ s. רוּחַ de *impatientia* legitur. LXX. ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας *prae pusillanimitate*. Cf. 1 Thess. 5, 14.

12. 13. וַאֲנִי עֲרַל שְׂפָתָיִם *Et ego sum incircumcisus labiis*, i. e. *gravis loquela*, uti vertit Onkelos. Quid sibi haec phrasis velit, colligere est ex Mosis excusatione 4, 10. Non videtur ullam styli infacundiam significare, sed potius balbutiem ortam ex eo, quod labia aut loquendi organa minus apte ad usum disposita haberet. Verisimile est, Mosi nascenti linguam fuisse inferiori parte conjunctam, nec satis, prae chirurgi inopia, separatam a parentibus, aut forte etiam id vitii non fuisse animadversum. עֲרַל metaphorice is dici potest, cui non est incisa illa pellicula, qua lingua ori adhaeret. Celsus *de Medicina* VII, 12, 4. *Lingua quibusdam cum subjecta parte a primo natali die conjuncta est, qui ob id ne loqui quidem possunt* (nisi, nempe, mature curentur). *Horum extrema lingua, vulsella adprehendenda est, sub eaque membrana incidenda, et plerique quidem, ubi consanuerunt, loquuntur.* Ceterum iterata de sua balbutie excusatione innuere voluit Moses, se non sua sponte hoc negotium suscepisse, sed animo valde reluctante. — 13. וַיְדַבֵּר יְהוָה וגו׳ Sic igitur *loquutus est Jova ad Mosen et Aaronem.* Breviter repetit quae Vs. 10 — 12. dixerat. Interrupturus enim hanc de mandatis a Jova acceptis narrationem genealogiâ, quam inde a Vs. 14. intertexit, nunc clausulam quasi facit, qua lectorem admonet, se jam aliud quid inserendum habere. Resumit narrationis filum Vs. 29. Inter וַיְצַוֻּם et אֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל subaudiendum est לְדַבֵּר, ut sit: *jussit eos loqui ad Israelitas*, aut לָלֶכֶת, *jussit eos ire ad Israelitas.*

14. Non est, quod cum nonnullis hanc genealogiam alieno hic loco insertam putemus. Nam quae Vs. 29. leguntur, manifeste interruptae Vs. 12. 13. narrationis filum resumunt, adeoque arguunt, Versus 14 — 25. ab eodem, qui quae praecedunt et sequuntur scripsit, insertos esse. Veteres scriptores tam sacros quam exteros in suis operibus alium plane haud raro ordinem, aliam architectandi rationem sequutos esse deprehendimus, quam quae nobis eligenda visa fuerit. Sed hoc potissimum loco, non alio, cur Moses suam et fratris genealogiam inseruerit, ratio haud adeo obscura est. Dum enim in eo est Moses, ut gravissimi sibi et fratri impositi muneris exsequutionem exponat, suam utriusque genealo-

giam praemittere ipsi idoneum est visum, quam quidem nosse lectorum suorum interesse oportuit, praesertim quum quantum genealogiis tribuant Orientales, satis constet. Atque nunc demum, cum, remotis dubitationibus, quae ipsum adhuc suspensum tenuissent, Pharaonem iterum adit, memorabilior vitae suae pars incipit, cujus enarrationem suae familiae genealogia exponenda ordiitur, illiusque initium ita quasi insignit. Praeterea moris Mosaici esse, intermissa narratione, quae inchoata fuit, quaedam inserere, et alias vidimus; cf. not. ad Gen. 37, 1. et 39, 1. Quod autem hanc pericopam attinet, non fuit Mosis institutum, nisi suam ipsius et Aaronis genealogiam hic describere, propterea autem de Rubene et Simeone verba fecit, quod natu majores essent quam Levi, a quo originem suam traxerunt Moses et Aaron, ut simul indicaret, quemnam ordinem inter Jacobi filios teneret Levi. אֵלֶּה רָאשֵׁי בֵית־אֲבֹתָם *Haec sunt capita*, i. e. primores, majores suae familiae, *πατριαρχαί*. Suffixum plur. mascul. אֲבוֹת ad Mosen et Aaronem referendum. Ceterum cf. Gen. 46, 9. Quatuor, qui hoc Vs. commemorantur, viri in Aegyptum migrarunt. מִשְׁפְּחוֹת LXX. hic per *συγγένεια*, numero Sing., sed mox Vs. 15. per *πατριαὶ* reddunt. Est autem *πατριὰ* fere id quod Latini interpretantur *paternitatem*, quum ex una radice multa generis turba diffunditur. Extat illa vox et Luc. 2, 4. Eph. 3, 15. Hebr. quoque מִשְׁפָּחָה a *diffundendo sese* dicitur, quam significationem Arabum et Aethiopum ספח obtinet.

15. 16. Ad Vs. 15. cf. Gen. 46, 10. Familiam אֹהַד Aben-Esra arbitratur exstinctam in Aegypto vel in deserto, quum in Simeonitarum recensu, qui habetur Num. 26, 12., nulla ejus mentio fiat. Qui hic צֹהַר idem Num. 26, 13. זֶרַח vocatur, propterea quod utrumque nomen cognatas significationes habet; nam צֹהַר *candorem*, *nitorem*, et זֶרַח *splendorem*, praesertim orientis solis, denotat. — 16. לְתֹלְדֹתָם *Pro suis generationibus*, i. e. pro numero generatarum personarum. Hic תֹּלְדָה non aetatem significat, sed potius progeniem, s. numerum hominum, e quibus ortum ducebant Leviticae familiae. LXX. *κατὰ συγγενείας*, cf. Luc. 1, 61. וְשִׁנֵי חַיֵּי לֵוִי וגו׳ *Et anni vitae Levi erant anni centum triginta septem.* Numerus annorum vitae Levi, ut mox Cahathi et Amrami, in honorem Mosis et Aaronis memorari videtur. Videlicet quum Moses in recensendis genealogiis hunc morem tenere soleat, ut in solis stemmatibus primariis *(Hauptlinien)* singulorum nominibus et vitae annos adjiciat, in stemmatibus secundariis *(Nebenlinien)* vero, nuda nomina ponat; gentis suae genealogiam hic ut stemma primarium tractat, in quo praeter nomina et annorum vitae numeri ponendi erant.

20. 23. דֹּדָתוֹ Onkelos reddit אֲחַת אֲבוּהִי *sororem patris tui*, quam Graeci *πατραδέλφην*, Latini *amitam* appellant. Sane Num. 25, 59. Jochebed dicitur *filia Levis nata in Aegypto*. Ita-

que fuit soror Cahathi, patris Amrami. Ante legem datam licuit amitam uxorem ducere, quale matrimonium postea vetitum est, vid. Lev. 18, 12. Quod LXX. movisse videtur, ut דֹּדָתוֹ hic *θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ*, et Vulgatus *patruelem suam* redderent. — 23. Notat Moses Mendelii fil., postquam memorasset Moses suam ipsius et Aaronis matrem, qui utrique prophetica dignitate insignes essent, jam et *sacerdotii matrem* commemorare, i. e. matrem Eleasaris, qui patri in summi sacerdotii officio successit, Num. 20, 25. sqq., et cujus filio, Pinchaso, promissio de sacerdotio inter ejus posteros perpetuum futuro data legitur Num. 35, 13. Fieri autem matrum mentionem honoris causa, apparere inde, quod et regum matres nominatim recenseri solerent, vid. 1 Reg. 15, 2. 10. 22, 42. 2 Chr. 20, 31. — אֱלִישֶׁבַע, i. c. Ἐλισάβετ (Luc. 1, 5.), ex אֱלִישַׁבַּעַת, quod ejusdem est significationis, *Deo jusjurándum* s. *promissio*, quemadmodum יְהוֹשַׁבְעַת vocatur 2 Chr. 22, 11., quae יְהוֹשֶׁבַע 2 Reg. 11, 2. Illa igitur אֱלִישֶׁבַע, quam uxorem duxit Aaron, fuit בַּת־עַמִּינָדָב *filia Aminadabi*, qui, uti et filius Nachason, principes fuere suorum tribulium, et Juda quidem oriundi, vid. Num. 7, 12. 1 Chr. 2, 10. Ex hac familia David est ortus, vid. Matth. 1, 3 — 6.

25. 26. רָאשֵׁי בֵית־אָבוֹת pro רָאשֵׁי אָבוֹת, cf. ad Vs. 14. — 26. Clausulam nunc addit stemmati inde a Vs. 14. deducto: *hic* igitur est *Aaron ille et Moses*, *quos Deus jussit Israelitas ex Aegypto educere*, hic eorum ortus, haec prosapia eorum, quibus verbis simul transitum facit ad continuandam, quam Vs. 13. interruperat, narrationem. הוֹצִיאוּ אֶת־בְּנֵי וגו *Educite filios Israelis ex Aegypto secundum* s. *per agmina eorum*, significantur enim nomine צְבָאוֹת hic tribus, tribuumque familiae, quae turmatim incedebant. עַל hic non valet ב, *cum*, sed *secundum*, *per*, ut Num. 1, 52. *Castra metati sunt Israelitae* אִישׁ עַל־מַחֲנֵהוּ *quisque secundum castra sua.* Plura loca, quibus עַל eodem modo capiendum, vid. in Noldii *Concordantt.* s. h. v.

27 — 29. Verbis הוּא מֹשֶׁה וְאַהֲרֹן ex initio Vs. 26. repetitis nunc prorsus claudit suae familiae genealogiam inde a Vs. 14. recensitam. — Versus 28. et 29., qui arcte inter se cohaerere videntur, in Codd. Masorethicis separantur spatio aliquo inter utrumque relicto, cui imposita litera ס notat, esse hic פָּרָשָׁה סְתוּמָה *sectionem clausam*, i. e. minorem. Atque novam sectiunculam Versu 29. inchoandam, quae h. l. haud satis commode videri possit, miratur et Aben-Esra, neque tamen certi quidquam eam in rem definit. Sed Jarchi neglecta hac intersectione, Versum 28. cum Vs. 29. connectendum esse praecipit, et ad Vs. 29. notat, repeti hic, quae Vs. 11. dicta fuissent, redordiri enim hic Mosen filum Vs. 12. 13. abruptum. Ad antecedentia autem Versus 28. in hunc sensum forte referri possit: *idque*, quod loquuti sunt Moses et Aaron ad Pharaonem (הֵם הַמְדַבְּרִים אֶל־פַּרְעֹה Vs. 27.),

factum est die quo alloquutus est Jova Mosen. Vs. 29. *Loquutus enim erat Jova* etc., coll. Vs. 10. sqq.

Cap. 7, 1—6. Hic demum continuatur narratio 6, 12. abrupta. Quum enim Moses excusasset balbutiem, quo minus mandatum divinum de Pharaone adeundo exsequeretur, hanc dubitationem nunc Deus removet, dum ei haec dicit: *Ecce! constitui te Deum Pharaoni, et Aaron, frater tuus, erit propheta*, s. interpres *tuus*, i. e. frater tuus verba faciet. Eris instar Dei, cujus effata ad Pharaonem per Aaronem, quasi per prophetam, deferentur. Cf. ad 4, 16. Quae Vs. 2. sequuntur, arguunt, genuinam esse hanc nominis אֱלֹהִים interpretationem. De nomine נָבִיא cf. ad Gen. 20, 7. — 2. אַתָּה תְדַבֵּר *Tu loqueris*, sc. ad Aaronem quae tibi mandabo etc. Etsi igitur non semper fit mentio Aaronis cum Moses Pharaonem convenit, discimus tamen ex hoc loco, eos semper simul ad illum ingressos esse. וְשַׁלַּח *ut mittat.* Nam Vau hic non tam copulativa est, quam explicativa; declarat nempe, quid et quorsum ad Pharaonem loqui debeat. Vid. et 6, 11. Ex iis quae Vs. 3. 4. sequuntur, hunc esse sensum apparet. — 3. וְאֲנִי אַקְשֶׁה אֶת־לֵב פַּרְעֹה *Ego vero obfirmabo cor Pharaonis*, cf. ad 4, 21. — 4. וְנָתַתִּי אֶת־יָדִי בְּמִצְרָיִם *Et ponam manum meam in Aegyptum.* Quia homines manu solent percutere ac plagam infligere, ideo plaga a Deo inflicta manus ejus appellatur. אֶת־צִבְאֹתַי *agmina mea*, cf. ad 6, 26. — בִּשְׁפָטִים *judiciis*, i. e. poenis, nam *judicare* Hebraeis haud raro *punire*. LXX. σὺν ἐκδικήσει μεγάλῃ. — 5. וְיָדְעוּ מִצְרַיִם כִּי־אֲנִי יְהוָה *Et cognoscent*, experientur *Aegyptii me esse Jovam*, i. e. Deum Hebraeorum eumque potentiorem diis Aegyptiorum. Saepe oracula aliorum Deorum proferebantur, quorum nullus erat effectus, sed Dei Israelitarum promissa et minas impleri, viderunt Aegyptii. — 6. וַיַּעַשׂ מֹשֶׁה וְאַהֲרֹן *Et fecit Moses et Aaron*, sc. prodigia et ostenta, Vs. 3. Quod additur: *quemadmodum praeceperat Jova iis, ita fecerunt*, non redundat; sed haec iteratio significat, nihil ab illis omnino praetermissum fuisse, omniaque ex praescripto Dei acta.

7. Moses una cum Aarone Pharaonem denuo adit, et post miraculum baculi in serpentem mutati editum immittit plagam primam aquae in sanguinem conversae. Cap. 7, 8—25.

9. תְּנוּ לָכֶם מוֹפֵת *Date*, edite *vobis*, i. e. ut vobis fides adhibeatur, *prodigium.* מוֹפֵת usurpatur de portento, s. miraculoso quodam signo, quod ad fidem faciendam editur. קַח אֶת־מַטֶּךָ *Sume baculum tuum.* Intelligendus baculus Mosis, quem fratri dedit. Cf. 4, 17. 20. — יְהִי לְתַנִּין *Erit*, vertetur *in draconem*, i. e. in serpentem, cf. Vs. 15. et supra 4, 3.

11. וַיִּקְרָא — וְלַמְכַשְּׁפִים *Et vocavit Pharao quoque sapientes et incantatores.* חַכְמִים deducitur a חָכַם, quod propr. sonat *sapientem esse.* Verba autem quae *sapiendi sciendique* notionem

habent, apud Orientales ipsis quoque eesserunt *incantatoribus, veneficis* et *magis*, quia hi plus aliis seire putantur. Ita h. l. חַכְמִים junguntur *incantatoribus*, מְכַשְּׁפִים, a כָּשַׁף, quod verbum Syris in Ethpaal *supplicavit*, *liturgias celebravit*, *sacra peregit*, denotat, et hinc apud Hebraeos de iis usurpatur, qui formulas magicas recitant mussitantve, incantamentorum sunt periti; cf. Mal. 3, 5. Dan. 2, 2. — וַיַּעֲשׂוּ גַם־הֵם וגו׳ *Feceruntque et ipsi magi Aegypti per arcanas suas artes ita.* De חַרְטֻמִּים vid. ad Gen. 41, 8. Nomen לַהַט Aben-Esra a verbo לָהַט *arsit*, *flammavit*, sic explicat: *est quasi fulgor et ignis praetervolans*, *atque haec est retentio oculorum.* Censet igitur notari praestigias, quae fallaei et evanida speeie eludunt. Alii quoque magos istos eeleri manuum suarum motione oculos spectatorum fefellisse arbitrantur, ut res aliud quam revera esset, appareret. Sed quum Vs. 22. et 8, 3. pro בְּלַהֲטֵיהֶם scribatur בְּלָטֵיהֶם, nomen לָט autem ad radieem לָאַט s. לוּט sit referendum, satis est verisimile, quod hie habetur, non esse diversum ab eo, quod infra loeis indicatis legitur, quum literae א et ה, ubi mediae sunt radieales, haud raro eum ו permutentur, unde מוּל et Aramaieum מְהַל *circumcidere*, בּוֹשׁ et Aram. בְּהַת *erubescere*, רוּץ et Aram. רְהַט *currere*, non sunt diversa. לוּט autem, eique consona לָאַט et לָהַט, *velare*, *abscondere*, *occultare*, notare eonstat. Erunt igitur לָטִים, לָאטִים, לַהֲטִים vel *arcana*, *artes arcanae* (ita LXX. *ταῖς φαρμακίαις αὐτῶν*), vel *formulae arcanae*, quales sunt ineantationes, quae non sunt vulgo notae, oeeultosque compleetuntur sensus, aut submissa voce recitari solebant. Attamen silentio non est praetermittendum, ex Aben-Esrae aliorumque sententia לַהֲטִים et לָטִים fuisse diversa, atque quod magi baculum in serpentem eonvertisse viderentur, id quidem agilibus manuum suarum motionibus effecisse, quibus hominum oculos praestrinxissent, sed in eonvertenda aqua in sanguinem (Vs. 22.), et in produeendis ranis (8, 3.) usos esse incantationibus et magieis formulis. Nomina duorum ex magis illis, de quibus hie sermo, eommemorat Apostolus 2 Tim. 3, 8. *Ἰαννῆν καὶ Ἰαμβρῆν*, aut *Μαμβρῆν*, eos appellat, et restitisse Mosi ait. Sequutum illum esse traditionem inter Judaeos propagatam, apparet inde, quod et paraphrastae Chaldaei, Jonathan et Hierosolymitanus, יַנִּיס וְיַמְבְּרִיס illos vocant; de quibus quae narrant Hebraei, e Talmude aliisque Hebraeorum monumentis eongessit Buxtorfius in *Lex. Chald. Talmud.* p. 945. sqq. Neque exteris illa nomina magorum artibus suis eelebrium fuere ineognita. Vid. Plin. *H. N.* 30, 1., Apulejum in *Apolog.* p. 108. ed. Casaub. Adde Euseb. *Praepar. Evang.* 9, 8. et 27. Cf. Jablonskii *Opuscc.* ed. Te Water, P. I. p. 433. P. II. p. 23.

12. וַיַּשְׁלִיכוּ אִישׁ מַטֵּהוּ וַיִּהְיוּ לְתַנִּינִם *Et projecit quisque baculum suum, et facti sunt dracones* s. *serpentes.* Quaerunt interpretes, quid feeerint magi, verane eorum miraeula fuerint, an a Mosaicis diversa? Atque plures quidem superioris aetatis inter

pretes haud dubitarunt, vera illa fuisse miracula, sed diaboli aliorumve malorum daemonum opera perpetrata. Recentiores contra fere statuunt meris praestigiis Aegyptios illos Pharaonis et suorum oculos praestrinxisse. Quae ipsa est Mohammedanorum Corani interpretum ad Sur. 7, 116. sententia, qui magos pertieis aut fumibus argento vivo repletis serpentes corumque motus imitatos fuisse volunt. J. D. Michaelis ad versionem Exodi teutonicam a se editam magos conjieit adhibuisse certos serpentes, qui eum se non commovent, baculi speciem habent, quos quum Pharaone speetante manu gestarint et projeecrint, projectos sese movisse. Quod eo minus improbabile alicui videri potuerit, quum etiamnum in Aegypto et India artis serpentes pro lubitu cocreendi atque tractandi peritos exstare eonstet. Atque hac ipsa arte non solum magos, verum et ipsum quoque Mosen peregisse quod hie legimus eontendit J. G. Eichhorn *de Aegypti anno mirabili*, in *Commentatt. Societat. Reg. Scientiar. Gotting. recentiorr.* Vol. IV. p. 45. Verum uti vix eredibile est, Mosen sibi persuasisse, se ejusmodi artificio, satis in illis terris communi, posse regi ejusque ministris imponere, ita nec veri est simile, illum, in aula educatum omnique doctrina Aegyptiorum imbutum, ignorasse, magis istam artem eognitam esse. Praeterea illi sententiae, a magis peraeta miraeula fuisse mira oculorum ludibria, opponunt alii, talia si fuerint, mirum esse, Mosen ne verbulo quidem id indicasse, quum multum ad gloriam Dei Israelis attineret, obiter saltem monuisse legentes, Aegyptiorum magorum miraeula nonnisi praestigias fuisse, nec quiequam simile veris habuisse, praeter speeiem externam. Imo ita loquitur Moses et hic, et Vs. 22. et 8, 3., ac si idem plane quod ab ipso a magis quoque peraetum fuisset. Ac sane Mosen non dubitasse, quin a falsis prophetis, aut in talium gratiam vera miracula fieri possent, apparet e Deut. 13, 2. Atque haec fuit Judaeorum, etiam postremis temporibus, sententia, *τέρατα* et *σημεῖα* malorum daemonum ope fieri. Sic aceusabant Pharisaei Christum, eum miraeula *ἐν ἄρχοντι τῶν δαιμονίων* facere, Matth. 9, 34. 12, 24., neque cos eonfutat Christus, negando a malis daemonibus miracula fieri posse. Quinimo et ipse dicit, venturos Pseudoprophetas, qui *edituri sint signa magna et portenta*, Matth. 24, 24. Ea quidem prodigia dieuntur *τέρατα ψεύδους* a Paulo 2 Thess. 2, 9., quibus, recte observante Grotio, non signifieantur miraeula falsa, sed quae falsae doctrinae inserviunt. Addunt, qui Mosis phrasin, וַיַּעֲשׂוּ כֵן proprio sensu intelligendam volunt, et vera miracula malorum daemonum ope a magis peraeta contendunt, quum nos omnino lateat spirituum ab humanis diversorum natura et potestas, nec fidentius nobis negandum esse, nihil valere daemones in mundum eorporeum. Ceterum veros fuisse serpentes, quos in coùspeetum produxerant magi, Moses doeet his verbis: וַיִּבְלַע מַטֵּה־אַהֲרֹן אֶת־מַטֹּתָם *devoravitque baculus Aaronis baculos eorum. Baculos* vocat serpentes, quod tales fuissent initio.

Exaggerant miraculum, qui statuunt, baculum, qui in serpentem conversus fuerat, in pristinam formam redactum magorum baculos devorasse.

13—15. וַיֶּחֱזַק לֵב פַּרְעֹה *Et obfirmavit se cor Pharaonis*, obstinatus mansit. Quamvis inde, quod Mosis sive Aaronis baculus in serpentem conversus magorum serpentes ex eorum baculis factos deglutiit, colligere debuisset, a Mosis partibus potentius numen stare, maluit tamen id magicis artibus tribuere. — 14. כָּבֵד לֵב פַּרְעֹה *Grave est cor Pharaonis*, pertinaci est animo. כָּבֵד h. l. non est Praeteritum, sed Adjectiv., ut 18, 18. — 15. הִנֵּה יֹצֵא הַמַּיְמָה *Ecce egreditur*, egredietur *ad aquam*, ad Nilum. Conf. ad Gen. 41, 1. 2. Utrum rex exierit, visum quot gradibus aqua creverit, quod nonnulli conjiciunt, an ad flumen se contulerit lavandi causa, definiri nequit. Jubetur autem Moses captare hanc occasionem, quia ad regis palatium non satis liber erat accessus. וְנִצַּבְתָּ לִקְרָאתוֹ *Et stabis*, sta *in occursum ejus*, exspecta donec tibi occurrat; cf. 5, 20.

16. 17. וְיַעַבְדֻנִי *Et me colent*, i. e. ut festum in mei honorem celebrent, coll. 5, 1. Aut: ut mihi sacrificia offerant, 3, 18. — 17. בְּזֹאת תֵּדַע כִּי אֲנִי יְהוָה *In hoc*, per hoc, quod editurus sum prodigium, *cognosces quod ego Jova*, intelliges me esse Deum Hebraeorum, quem tibi ignotum esse dixisti (5, 2.) — הִנֵּה בְּיָדִי *Ecce! ego percutio baculo*, *qui est in manu mea.* Plane hic personam Dei in se suscipit Moses, cf. 6, 6. Dicit *in manu mea*, etiamsi baculus in manu Aaronis esset, propterea quod non nisi ex Mosis mandato Aaron quicquam gessit. Percutere igitur jubetur Moses vel Aaron eum baculo *super aquas quae in rivo*, *et vertentur in sanguinem*, i. e. rubrum colorem induent, ut sanguinis adspectum praebeant. Similis loquutio Joel 3, 4.

18. 19. וְהַדָּגָה אֲשֶׁר־בַּיְאֹר תָּמוּת *Et piscis qui in fluvio morietur.* Nilum abundare piscibus testantur omnes qui de Aegypto scripserunt. Vid. Diodor. Sic. *Biblioth.* L. I. p. 32. ed. Rhodom. וְנִלְאוּ מִצְרַיִם וגו׳ *Et defatigabuntur Aegyptii bibere aquam ex fluvio*, i. e. taedebit eos biberé aquam e fluvio. LXX. *Καὶ οὐ δυνήσονται οἱ Αἰγύπτιοι πιεῖν ὕδωρ ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ.* Conf. Vs. 21. Quod quam moleste ferre Aegyptios oportuerit, inde aestimare licet, quod Aegyptus aquam ad bibendum aptam aliam vix habet praeter eam, quae ex Nilo derivatur. Fontes enim in ea regione sunt rarissimi; puteana aqua ingrati saporis est et insalubris, pluvialis autem fere nulla. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 276. Quare Aegyptii Nilum divino cultu prosequebantur. Cod. Samar. huic Versui haec adsuit veluti ad complendam narrationem: וילך משה ואהרון אל־פרעה ויאמרו אליו *et ivit Moses et Aaron ad Pharaonem et dixerunt ad eum*, quibus subjicit quae Vs. 16. 17. habentur. — 19. מֵימֵי מִצְרַיִם *Aquae Aegypti* est generale, tum singula aquarum receptacula sigillatim enumerat: נַהֲרֹתָם *fluvios*

eorum, Aegyptiorum, i. e. brachia et ostia Nili; habet enim Aegyptus praeter Nilum nullum alium fluvium. יְאֹרֵיהֶם *Rivos eorum*, i. e. canales operâ hominum factos ad agros irrigandos. LXX. διώρυγας. אַגְמֵיהֶם *Paludes stagnantes eorum*, quales Nilus post reditum in sua litora relinquit. כָּל־מִקְוֵה מֵימֵיהֶם *Omnem congregationem aquarum eorum*, in cisternis et minoribus aquarum receptaculis. וּבָעֲצִים וּבָאֲבָנִים *Et in lignis et in lapidibus*, i. e. et in vasis ligneis, et in vasis lapideis. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 279. sqq.

20. וַיֵּהָפְכוּ כָּל־הַמַּיִם אֲשֶׁר־בַּיְאֹר לְדָם *Et conversae sunt omnes aquae quae in rivo in sanguinem.* Nili aquas quotannis paulo post earum incrementa, i. e. sub finem mensis Junii et initio Julii, rubidas lactisque instar conspissatas fluere, vel ex soli rubri Aethiopiis contagione, vel, ut alii volunt, ab innumeris aqua immersis insectis, Aegyptiis quoque eas suo foetore molestas, bibentibus adeo noxias esse, ex itinerum commentariis fide dignissimis notum est. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 281. sqq. Hinc nec in iis, quae hic narrantur, miri quidquam agnoscit Eichhorn (l. l. ad Vs. 12.), qui evincere sibi sumsit, decem, quae hic enumerantur, plágas nequaquam fuisse praeter naturae ordinem, sed eadem, qua a Mose recensentur, serie, vertente anno statis temporibus in Aegypto recurrere (quod ipsum ostendere conatus est Joa. Bonsdorf *de plagis Aegypt. Ex. VII—XII.* Abo, 1809. 10. 4.). Mosen vero spem concepisse, si regi probaverit, Jovam et Aegypto praesidere, rerumque ibi frequentatarum ordinem instituisse, fore, ut rex convincatur, se mandata a Jova accipere posse, et accepta debere promptissime exsequi. „Jovae autem," inquit Eichhornius p. 40., „Aegyptiarum rerum procurationem probavit ex insignibus et notabilibus rerum commutationibus, quotannis in Aegypto vicibus constitutis redeuntibus, quas ordine ita prosequutus est, ut peculiares singulorum mensium molestias et cruciatus inde a primo Nili incremento usque ad ultimum ejus decrementum ad Jovam tanquam auctorem referret, initio a Nili flavedine in ruborem conversa facto, ceterisque malis domesticis, quae Nili ruborem quotannis sequi solent, usque ad pestiferas et contagiosas in pueros grassantes variolas subnexis. Non alienis, sed suis mensibus annuas illas vexationes cruciasse Aegyptios, non solum colligimus ex hoc, quod animalcula et insecta, quae inter Nili incrementa infinite augeri omnis memoria prodidit, se invicem legimus excepisse ordine hodie adhuc obtinente, ut Nilum rubescentem ranae, ranas culices reptantes, culices reptantes muscae caninae sequerentur; sed etiam ex eo, quod post grandinem, quae in armenta regia saeviit, locustarum examina agrorum fruges depavisse dicuntur, et hoc cruciatu finito caliginem coelum per triduum obscurasse, quae quasi portenderit repentinam puerorum Aegyptiorum mortem. Jam grandinem eo tempore cecidisse legimus, quo hordeum justam magnitudinem, linum autem siliquas habuerit (9,

31.), hoc est, ex auctoritate scriptorum tam veterum, quam recentiorum, mense Martio, ut adeo intra medium Martium et medium Aprilem, quo Israelitae ex Aegypto dimissi sunt, publicarum calamitatum trias, locustarum videlicet vexatio, et horror tam a caligine, quam a repentina primogenitorum morte Aegyptiis incussus, interponenda sit. Atque hoc ipsum est, quod nos adeo invitos cogit statuere, quemlibet Aegypti cruciatum solito ordine rediisse, et in suum mensem incidisse. Aegyptus enim locustis circa aequinoctium vernum infestata eodemque fere tempore calidis deserti ventis flantibus per tres dies obscuratur; paulo post, Nilo ita diminuto, ut magis decrescere nequeat, grassari solent variolae, pueris Aegyptiis mortiferae." Quum tamen eventuum illorum quotannis vicibus constitutis in Aegypto redeuntium mera praenunciatione Mosen vix credibile sit sibi persuasisse, se regi Aegyptio probare, notabiles illas rerum commutationes Jovae potentia effici, et se Numinis ejus familiari consuetudine uti, nisi illarum mutationum praedictionibus talia junxerit, quae miri et portentosi speciem saltem prae se tulerint: quibus id artibus Moses praestiterit, Eichhornius ostendere conatur. Atque primam quidem, aquarum rubidarum molestiam, quod attinet, hunc in modum disserit: „De illius ruboris causa physica, de qua hodie adhuc disputatur [vid. ad hujus notae initium], Mosis tempore non constitisse, quis miretur? quum illa aetate res quaelibet mirabilis ad naturam aliquam humana majorem referretur. Quodsi tamen alicui contigerit, ut casu aut rerum naturalium penitiore cognitione inveniret, qua ratione aqua rubore tingi posset, is ex communi tunc regnante sensu a natura hujus ruboris auctore, hanc rem edoctus videbatur. Jam haustae Nili aquae ruborem inferendi artem detexerat Moses, vel, ut ex sensu illius temporis rectius dicamus, Jehovae, Numinis sui tutelaris, beneficio hanc rem, omnibus, ut arbitrabatur, ceteris naturis incognitam, resciverat, qui proinde decolorationis Nili quotannis redeuntis auctor habendus sit. In novum igitur Pharaonis congressum admissus se effecturum ait (7, 17.), ut aqua ex Nilo hausta rubeat in terram effusa, quod quum edoctus sit a Numine Israelitarum tutelari, elucescere, non solum esse illud Numen praepotens, sed etiam quotannis aquarum Nili rubidarum auctorem, adeoque summum rerum Aegyptiarum praesidem; cujus imperii in Aegyptios signum Nili decoloratione, sanguini simili, regem proximis diebus denuo experturum esse. — — Negamus igitur, quod olim superstitio voluit, sub ipsum baculi in Nilum protenti ictum omnes Nili ejusque canalium, rivorum et stagnorum aquas ruborem induisse: quod si factum esset, unde Aegyptiorum magi petiissent aquam rubore tingendam? Nam ante terram incisam (Vs. 24.) legimus magos aquam habuisse, quam rubore inficerent (Vs. 22.). Itaque ne sibi ipsi contradicat narratio, in subsidium vocandus est locus 4, 9., ubi quum Mosi injungatur: *sume aquam ex flumine, eamque effunde*

in terram, quae sic mutabitur in sanguinem: quid impedit, quo minus statuamus, praesente etiam rege Aegyptio vas tantum oppletum esse Nili aqua, eaque rubefacta Mosen baculo percussisse Nilum, additis verbis male-ominosis his, ex parvis auguria majorum capiant; quemadmodum ipse aquam vasis flavam in rubentem permutaverit arte a Jova sibi tradita, sic Jovam proxime effecturum, ut omnes Nili, rivorum et lacuum Aegypti aquae rubefiant. In eo igitur imperfecta est rerum peractarum expositio, ut praetermisso rerum actu minus mirabili priore, ex praecedentibus facile explendo, qui aquam ex Nilo haustam rubore inficere jubebat, subsisteret in rerum actu posteriore, aquas rubescentes in locum flavarum per totam Aegyptum substituente, eique soli inhaereret, quod eo sensus multo acrius feriebantur.“ Haec Eichhornius. Quae, utut docte et ingeniose sunt disputata, vereor tamen, ne simplici verborum sensui adversentur, et hypotheseos adsumtae in gratiam verbis eum sensum inferant, qui a scriptoris mente et consilio plane sit alienus. Nemini enim sine praejudicata opinione hanc narrationem legenti dubium esse potest, Mosen tanquam prodigiosum quid et vi divina effectum narrare, quod ad sui baculi ictum omnes Aegypti aquae non in Nilo solum, verum et in reliquis omnibus aquarum receptaculis uno momento in sanguinem conversae essent. Quod 4, 9. legitur id refert quod coram convocatis populi senioribus ad fidem suis verbis faciendam Mosis peragere jubetur. Quod vero hic narratur, coram rege ad Nili ripam est factum, cf. Vs. 15.

21. 22. וְהַדָּגָה אֲשֶׁר־בַּיְאֹר מֵתָה *Et pisces, qui in fluvio, sunt mortui.* „Non eos moramur,“ inquit Eichhornius (l. l. p. 46.), „qui ordinario quotannis obtinente rubore pisces mori subdubitant, tacentibus hac de re itinerum in Aegyptum susceptorum commentariis. Verum quum omnes in eo consentiant, foetorem ingratissimum exhalare aquas Nili rubescentes [hoc ipso loco legitur: וַיִּבְאַשׁ הַיְאֹר *et foetuit fluvius*], atque inter omnes constet, omnis generis pisces foetoris impatientissimos esse, quis non facile vel sine expresso scriptoris fide digni testimonio credat, foetorem Nili rubri multis piscibus mortiferum esse?“ וְלֹא־יָכְלוּ מִצְרַיִם לִשְׁתּוֹת מַיִם מִן־הַיְאֹר — *Et non potuerunt Aegyptii bibere aquas e rivo*, cf. ad Vs. 18. — 22. וַיַּעֲשׂוּ־כֵן חַרְטֻמֵּי מִצְרַיִם בְּלָטֵיהֶם *Et fecerunt ita magi Aegyptiorum arcanis suis artibus.* De לָטִים vid. ad Vs. 11. Verisimile est Aben-Esrae, Aaronem non convertisse nisi aquas, quae erant supra terram; magos igitur fodiendo eduxisse aquam, eamque a se in sanguinem conversam esse prae se tulisse. Addit, magnum discrimen fuisse inter Aaronis, s. Mosis, et magorum opus; Aaronem enim omnem aquam totius Aegypti, quin et aquas perpetuo fluentes vertisse, magos autem paululum duntaxat aquae visos esse convertere, idque quod in vase esset, nec nisi ad momentum, nempe dum Pharao domum revertebatur, quum contra rubor, quo Aaron aquas affecit, per septem dies duraverit, Vs. 25.

23 — 25. וְלֹא־שָׁת לִבּוֹ גַּם־לָזֹאת *Nec posuit cor suum etiam ad hoc*, non adjecit animum ad tam insigne miraculum. — 24. וַיַּחְפְּרוּ — לִשְׁתּוֹת *Et foderunt omnes Aegyptii per circuitus rivi aquam ad potandum.* Hanc plagam Moses expressis verbis dixit per universam Aegyptum fuisse. Recte igitur Aben-Esra ait, Israelitas etiam similiter fodiendo aquam quaesivisse. Quid enim necesse erat fodere aquam, si Hebraeorum aqua erat incorrupta? A quibus vexationibus Israelitae immunes manserint, in sequenti narratione a Mose accurate notatum est. — 25. *Et impleti sunt septem dies postquam percussisset Jova fluvium.* Quibus verbis Eichhornius hoc tantum dici statuit, Mosen, rubore Nili praenunciato, per septem dies Pharaonem non adiisse. Attamen hic Vs. vix alium sensum habere videtur, quam hunc: post septem dies ex quo ingruit plaga sanguinis, sequutam esse plagam ranarum. Notandum tamen, in reliquis plagis non indicari, quamdiu singulae duraverint.

8. *Secunda plaga, ranarum.* *Cap.* 7, 26. — 8, 11.

27. וְאִם־מָאֵן אַתָּה לְשַׁלֵּחַ *Si vero renueris dimittere*, scil. אֶת־עַמִּי, *populum meum*, quod e Vs. 26. repetendum. מָאֵן Jarchi et Kimchi ajunt esse Adjectivum participiale, pro מְמָאֵן, ut Coh. 4, 2. שַׁבֵּחַ *laudans* pro מְשַׁבֵּחַ, adjecta praeformativa Participii Piel; ejusmodi Adjectiva participialia esse שָׁלֵו *tranquillus*, זָעֵף *indignabundus*. הִנֵּה אָנֹכִי נֹגֵף אֶת־כָּל־גְּבוּלְךָ בַּצְפַרְדְּעִים *Ecce ego percutiens sum*, i. e. *mox percutiam omnem terminum tuum*, totam tuam regionem, *ranis*. נָגַף et nomen inde deductum מַגֵּפָה *percussio* alias plerumque de letali plaga dicuntur, vid. 12, 13. 23. 27. Num. 14, 37. 16, 49. 25, 9. 1 Sam. 25, 38. al.; infra tamen 21, 22. נָגַף de tali plaga legitur, qua mulier gravida ita quidem laeditur, ut abortum faciat, nec tamen letali.

28. 29. Iam explicatius loquitur, ut Pharaonis animum magis feriat. וְשָׁרַץ הַיְאֹר צְפַרְדְּעִים *Et scatebit fluvius ranis.* De שָׁרַץ vid. ad Gen. 1, 20. *Fluvii* nomine rivos etiam et stagna, vel paludes, significari, constabit ex 8, 5. Sed et Hebraei *aquas omnes* hic intelligunt, ubicunque locorum fuerint. וְעָלוּ *Et ascendent*, videlicet ex flumine; nam amnis semper est urbe demissior. וּבָאוּ בְּבֵיתֶךָ וּבַחֲדַר מִשְׁכָּבְךָ וְעַל־מִטָּתֶךָ *Et ascendent in domum tuam, et in conclave cubilis tui et super lectum tuum.* Quum in regionibus praesertim calidis, ad captandum ventum infima cubicula aperta relinquantur, januaeque et fenestrae pandantur, haud mirum, si illac sese intromiserunt ranae. וּבְתַנּוּרֶיךָ *Et in furnos tuos.* LXX. ἐν τοῖς κλιβάνοις σου. De תַּנּוּר vid. ad Lev. 2, 4. Tanta erunt copia ranae, ut in siccissima loca, quae aliqui fugiunt, penetraturae sint. וּבְמִשְׁאֲרֹתֶיךָ *Et in mactras tuas.* מִשְׁאֶרֶת Kimchius ait esse locum in quo subigitur massa ad conficiendum panem, ubi pinsitur et fit panis. Alii nomine illo notari putant locum, in quo panis aliorumque ciborum reliquiae repo-

nuntur et asservantur, a שָׁאַר *reliquus fuit.* — 29. וּבְכָה וּבְעַמְּךָ *Et in te et in populum tuum*, quasi dicat, fore, ut, non contentae domus ingredi, ipsos homines impetant. בְּכָה pro בָּךְ, quomodo cod. Sam. habet, qui praeterea ut Vs. 18. ita et huic addit: ויבא משה ואהרון אל פרעה וידברו אליו כה אמר יהוה. Tune repetita sequuntur mandata, quae exstant Vs. 26. sqq. At rem, quae per se facile intelligitur, non necesse erat diserte exponere.

Cap. 8, 2. וַתַּעַל הַצְּפַרְדֵּעַ וגו׳ *Et ascendit rana, operuitque terram Aegypti.* „Ex aqua Nili rubra," inquit Eichhornius l. l. p. 46. sqq., „prorepsisse legimus ranarum innumeram multitudinem; qua in re nihil est, quod dubitationem moveat. — — Nulla terra magis exuberare solet ranis quam Aegyptus, paludibus innumeris et aquis stagnantibus post Nili in sua littora reditum, distincta. Dolendum autem est, quod nemo eorum, qui Aegyptum adhuc adierunt, ranarum ibi domesticarum aliquam rationem habuerit, ut tempus edoceti essemus, quo illae perfectam suam formam naetae coeco naturae impulsu, esuriant insecta, hancque suam famem expleturae relicta aqua terram petant. At quum vernum tempus res etiam Aegyptias medio ut plurimum mense Martio nova vita animet, necesse est, ut sub initium Aprilis ranae ad coitum stimulentur, novaque ex eo enata soboles mense Julio eam formam induerit, quae nutrimentorum ab aqua adhuc suppeditatorum pertaesa ad prorependum in terram impellatur, ut insecta quaerat. Moses igitur, a Pharaone ad novam confabulationem admissus, elucescere, inquit, omnia maxima minima in Aegypto Jovae consilio gubernari, ex eo, quod ab eo quotannis innumera ranarum multitudo ex aqua in continentem Aegypti propellatur; cujus rei indicium esse, quod sibi id, quod tantum esse possit hujus molestiae veri auctoris, significaverit, qua ratione ranae compellerentur, ut sedem suam humidam et paludosam cum sicca commutarent. Moses igitur artificio nobis incognito ranas catervatim ex vicina aliqua palude elicuisse credendus est, quo tamen Pharaonem non convicit, Jehovam hujus rerum ordinis auctorem esse, quandoquidem sacerdotes Aegyptii artem idem praestandi callebant. Unde colligimus, Mosen praesente rege Aegyptio ex una tantum palude ranas elicuisse, nec totam earum copiam simul, ut superstitio adhuc credidit, ad ejus nutum ex aquis erupisse, quod si factum esset, sacerdotes Aegyptii loco omnino caruissent et opportunitate Mosen aemulandi. Hos autem Mosis et Aegyptiorum sacerdotum artibus in terram pellectos ranarum primos quasi pilos subsequutae sunt reliquae catervae, post nactam perfectam formam insecta ex instinctu suo quaesiturae." Verum hac rei hic narratae explicatione verbis plura pro lubitu inferri, quam simpliciter dicunt, vix est quod moneamus. Bochartus *Hieroz.* P. II. L. 5. c. 2. Tom. III. p. 570. (ed. Lips.) de eo, quod hic narratum legimus, ita judicat: „Cum Deus Nilum jubet, ut ranas producat, nihil illum

jubet, quod sit supra naturam. Sed in eo fuit miraculum, 1. quod ranas Nilus tanta copia produxit; 2. quod illas eo ipso momento produxit, quo jussus est; 3. quod ranae illae, naturali elemento relicto, ad hominum urbes et domos se contulerunt; 4. quod omnes die dicta, Mosis precibus ad Deum missis, funditus perierunt." Ceterum quamvis morsu non nocent ranae, molestissimum tamen erat videre omnes vias iis stratas, et, si aedes aperirentur, conclavia omnia iis impleri. Aqua etiam, in qua tanta copia natabant, vomitum potius excitabat, quam sitim restinguebat. Praeterea diurna illa, ac nocturna undique audita coaxatio non parum quietem Aegyptiorum turbabat; ne jam mortuarum foetorem, et metum, ne omnes morientes pestem foetore crearent, memoremus. His de causis populi eâdem plagâ percussi, aliquando sedes pristinas linquere coacti sunt. Scriptor satis vetustus, Phaenias, Aristotelis discipulus, et Theophrasti amicus, apud EUSTATHIUM in *Homer. Iliad. A.* p. 35. edit. Rom., *in Cherroneso, ait, tribus diebus pluisse Deum pisces. Sic autem ait et ranas, circa Paeoniam et Dardaniam. Quarum etiam tanta erat copia, ut domos et vias implerent. Itaque quum occidentes et claudentes domos nihil proficerent, sed et vasa implerentur, et cum cibis essent ranae una sequutae, neque aquis liceret uti, neque pedes in terram coacervatis ponere, vexarenturque mortuarum odore, fugerunt, ut ajunt, e regione.* Vid. et quae *Justinus* 15, 2. de Auteriatis tradidit.

3. 4. וַיַּעֲשׂוּ כֵן הַחַרְטֻמִּים *Et fecerunt ita magi.* At quum paucas produxissent, et ex paucis aquis, uti ait Aben-Esra, vidit Pharao, quantum Aaronis, seu Mosis opus ab eorum opere differret. — 4. וַיִּקְרָא פַרְעֹה לְמֹשֶׁה וּלְאַהֲרֹן *Et vocavit Pharao Mosen et Aaronem.* Jam Pharao Jovae potentiam agnoscere coepit, quia graviore hac plaga motus Mosi ac Aaroni supplicasse dicitur.

5. הִתְפָּאֵר עָלַי וגו׳ *Gloriare super me, quando deprecabor pro te* rel., quae non videntur cohaerere. Tamen, si verbis stemus, non possumus aliter reddere. Nam הִתְפָּאֵר sequente עַל personae nomini praemisso significare *supra aliquem gloriari*, non dubitare sinunt loca Jud. 7, 2. Jes. 10, 15. LXX. *Τάξαι πρός με πότε εὔξομαι περὶ σοῦ.* Hieronymus: *constitue mihi, quando deprecor pro te.* Syrus: *pete tibi tempus quando pro te intercedam.* Saadias: *pete a me, quando vis, ut pro te intercedam.* Quae quidem interpretationes sensum satis commodum gignunt, sed vim phraseos הִתְפָּאֵר עָלַי non exprimunt. Simplicissimum fuerit, verborum *gloriare super me* hunc sensum facere: hoc honoris tibi sume, ut designes mihi tempus, quo orem pro te. Aut: hoc tibi tribuo, ut praefigas mihi tempus, quando orem pro te. BOCHARTUS l. l. p. 578. post verba *gloriare super me* supplendum dicit לֵאמֹר *dicendo*, ex Jud. 7, 2., ubi plenior est loquutio: פֶּן־יִתְפָּאֵר עָלַי יִשְׂרָאֵל לֵאמֹר *ne glorietur supra me Israel dicen-*

do rel.; mentem Mosis esse hanc: Ego tamen, qui propheta sum, do tibi Dei nomine temporis optionem, quo vis, ut a Deo impetrem, ut hae ranae amoveantur. Voluit Moses, ut penes regem esset, diem praefinire, quemcunque vellet, ut postquam votis ipsius esset satisfactum, liberationem suam soli Deo imputaret, Vs. 6.

6. 8. Optione data, liberationem petiit Pharao לְמָחָר *in diem crastinum.* At cur non in diem praesentem? Fuerunt, qui responderent, opinatum fuisse Pharaonem, astrorum dispositionem ranas induxisse, ac jam forte tempus esse, quo auferrentur, ac propterea ad tentandum Mosen tempus protraxisse. Verum videtur Pharao optasse quidem, ut quamprimum a plaga liberaretur, sed existimasse rem majoris momenti atque operae esse, quam ut illico nulla interposita mora id consequi posset, atque ideo diem crastinum praefiniisse. — 8. וַיִּצְעַק מֹשֶׁה וגו׳ *Clamavitque Moses ad Jovam, quas* s. *quod posuerat Pharaoni.* עַל־דְּבַר הַצְפַרְדְּעִים i. e. *propter ranas*, vel *super negotium*, vel *in causa* s. *super causa* ranarum. Nam דָּבָר *verbum* haud raro *rem, negotium, causam* significare constat. Et diei potest Deus שָׂם דְּבַר הַצְפַרְדְּעִים לְפַרְעֹה *negotium ranarum posuisse*, i. e. immisisse *Pharaoni.* Vid. not. ad Jer. 32, 20. et Ps. 105, 27. Multo aliter LXX. περὶ τοῦ ὁρισμοῦ τῶν βατράχων, ὡς ἐτάξατο Φαραώ, *pro finitione ranarum, sicut constituerat Pharao.* Hieronymus: *pro sponsione ranarum, sicut constituerat Pharao.* Quasi Moses a Deo petierit, ut ratum haberet verbum, quod proposuerat Pharao, aut potius, quo Moses, data fide, Pharaoni se obstrinxerat. Neque inconcinnus prodibit sensus, si verba ita vertamus: *clamavit ad Jovam super verbum ranarum, quod proposuerat Pharaoni.* Sic 15, 25. שָׂם לוֹ חֹק *posuit ei statutum*, i. e. proposuit.

9—11. חֲצֵרוֹת Mendelii fil. recte vertit *Gehöfte*, et in nota ait: *sunt domus in pagis cum reliquis aedificiis circa eas*, quas commune sepimentum includit. — 10. וַיִּצְבְּרוּ אֹתָם חֳמָרִם חֳמָרִם *Et collegerunt eas*, ranas, *acervos acervos*, i. e. in multos acervos; nam repetitio vocis multitudinem importat, vid. ad Gen. 14, 10. — 11. וַיַּרְא פַּרְעֹה כִּי הָיְתָה הָרְוָחָה *Quum autem videret Pharao, quod esset respiratio*, i. e. remissio plagae, qua *respirare*, i. e. aliquantum requiescere ei licuit. Vel est *relaxatio, dilatatio*, opposita *angustiae*, צוּקָה, צָרָה, ut רָוַח Gen. 32, 17., coll. 1 Sam. 16, 23. וְרָוַח לְשָׁאוּל *et laxum fiebat Saulo.* — כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָה *Quemadmodum loquutus fuerat*, praedixerat, *Jova*, 3, 19.

9. *Tertia plaga, culicum. Cap.* 8, 12—15.

12. כִּנִּם, sive, uti nomen plene scribitur, Vs. 13. 14. כִּנִּים, et כִּנָּם bis ibid., Hebraei *pediculos* esse volunt. At LXX., quibus in re Aegyptia magna est auctoritas, interpretantur σκνί-

φες, quo nomine *culicum* quaedam species significatur, adstipulante Philone, et ipso Aegyptio, in libro *de vita Mosis* T. II. p. 97. ed. Mang., ubi sciniphes, s. ciniphes ita describit: *Animal est minutissimum, sed molestissimum tamen; neque enim solam superficiem laedit, injucundos et valde noxios pruritus excitans, verum et in interiora per aures naresque penetrat. Oculorum quoque pupillas infestat involans, nisi quis sibi caveat.* Origenes in *Homil.* III. in Exod.: *Hoc animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans; sed ita subtile est et minutum, ut oculi visum nisi acute cernentis effugiat; corpus tamen cum insederit, acerrime terebrat stimulo, ita ut quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.* E quibus descriptionibus Oedmannus *(Vermischte Sammll. a. d. Naturkunde* etc. P. I. Cap. 6.) magna veri specie collegit, sciniphes s. ciniphes eandem esse culicum speciem, quae Linneo est *culex pulicaris* s. *reptans*, ad quam speciem et referendus *culex Cypri minimus subfuscus* Hasselquisti *(Itiner.* p. 470. vers. teut.), et *culex molestus* Forskalii, qui in *Descript. Animall.* p. 85. Rosettae, Cahirae et Alexandriae eum culicem immensa copia esse ait, nocte incommodum dormientibus, et vix arcendum, nisi cortina bene clausa. Ejusmodi insecta vulgo voce Hispanica *Mosquites* vocantur. Nec loco huic Mosaico convenire possunt, nisi insecta minutissima et infinite copiosa, qualia sunt sciniphes; quandoquidem pulvis omnis Aegypti in כִּנִּם mutatus dicitur. Cf. quae notavimus ad Bocharti *Hieroz.* T. III. p. 448. 457. sqq., atque quae ex itinerariis attulit Eichhornius *(de Aegypti anno mirabili* p. 49.). Et is quidem p. 51. dicit, si vocabulum hebraeum כִּנִּם efferamus, et sono *Chnim* substituamus sonum *Cnip*, ex permutatione M et P linguis Semiticis perquam familiari, habere nos ipsum animalculi nomen domesticum. Scriptorem Exodi, inquit, כִּנִּם extulisse, nec ם voluisse pro signo numeri plur. masc. generis haberi, dubitari non potest ex eo, quod nomini כנם verbum sing. numeri ubique junxit. Scriptionem כנים (a Singulari כִּן) vitiosam esse, Eichhornius ratione satis probabili ostendit.

13. וַתְּהִי הַכִּנָּם בָּאָדָם וּבַבְּהֵמָה *Fueruntque sciniphes in hominibus et in bestiis.* Sciniphes maximo cruciatui esse pecori per nares et aures in interiora irrependo, quo ipso haud raro in furorem agantur jumenta, constat e testimoniis fide dignis a Bocharto et Oedmanno allatis. כָּל־עֲפַר וגו׳ *Omnis pulvis terrae factus,* conversus est in *sciniphes in tota terra Aegypti*, i. e. illa insecta in tanta multitudine proveniebant, ut omnis pulvis in ipsa mutatus esse viderctur. Vel indicatur, culices in locis arenosis et pulverulentis provenisse, quod eo magis mirum fuerit, quum culices alias tantum in locis humidis et limosis esse soleant. Etsi vero sciniphes Aegyptiis quovis anno sint molestissimi, tamen quod ad ictum virgae Aaronis illi tam infinita copia apparuere, pro prodigio habendum esse, manifestum. Eichhornius vero quod hic nar-

ratur hunc in modum contigisse autumat (l. l. p. 53.): „Instabat tempus, quo solenni naturae ordine culices reptantes ex locis uliginosis prorepturi erant; nondum tamen ad perfectam eam formam exércreverant, ut sua sponte loca sua natalia deserendi instinctu suo impellerentur. Moses igitur ut Pharaoni probaret, annuum culicum reptantium reditum Jehovam auctorem habere, se, ait, ab hoc Numine edoctum esse, qua ratione exturbentur adeoque ante tempus consuetum ex locis uvidis expelli possint horum animalculorum agmina: atque elicuit ex loco aliquo uliginoso partem novae progenici aliquantulum prius alia via, quam ex naturae solenni cursu prodiisset, adeoque primitias examinum horum animalculorum partes maturavit. Qua ratione, vel quo artificio hoc effici possit, quum fugeret Hierogrammates, hanc sciniphes ex paludibus ante suum tempus exturbandi artem rem pronuntiarunt esse divinam nec sibi a suis Diis traditam. Sic argumento, tum temporis prorsus indubio, evictum erat, Jehovam res Aegypti Numine suo gubernare, Mosemque ejus familiarem mandata habere posse ad Pharaonem perferenda, quibus rex obsequium praestare debeat."

14. 15. וַיַּעֲשׂוּ־כֵן הַחַרְטֻמִּים *Feceruntque sic magi*, i. e. percussernnt pulverem terrae, aliud artificium adhibuerunt, ut idem facerent, וְלֹא יָכְלוּ *verum non potuerunt*. Itaque conferuntur hîc magi Aaroni percussione pulveris, quae si sola spectetur, *sic*, ut Aaron, *fecerunt*. Alii *sic fecerunt* interpretantur *sic facere conati sunt*. Ac sane verba activa saepe conatum dumtaxat designant. Moses Mendelii fil. haec adfert: „Plagam mutatae aquae Niloticae in sanguinem atque ranarum e fluvio prodeuntium magi, ut mihi videtur, ideo imitari potuerunt, quod in neutra esset rei novae procreatio et formatio, neque enim dicit Scriptura: וַיִּהְיוּ הַצְפַרְדְּעִים *et exstiterunt* s. *factae sunt ranae*, sed: וַתַּעַל הַצְפַרְדֵּעַ [Vs. 2.] *ascenderunt ranae*, i. e. congregatae e suis locis in aridum ascenderunt. Sed plaga culicum fiebat creatione rei, quae non exstitit, neque enim natura pulveris est, ut ex eo fiant culices, ut Vs. praeced. dicitur." Quod hic repetitur וַתְּהִי הַכִּנָּם בָּאָדָם וּבַבְּהֵמָה, videtur mera esse repetitio confirmandae rei narratae causa, quasi diceret: ita igitur ciniphum agmina homines et jumenta infestabant. — 15. וַיֹּאמְרוּ — הִוא *Et dixerunt magi ad Pharaonem: digitus Dei hic est*, i. e. virtus Dei. Qua phrasi dixit Christus Luc. 11, 26. *εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια*, id est, *ἐν πνεύματι*, ut explicatur Matth. 12, 28. Quod autem magi fatentur hanc esse Dei manum, non ideo fatentur, ut Deo dent gloriam, sed tantum ut famae suae consulant, nec putentur Moses aut Aaron illis esse virtute aut scientia superiores, quasi dicerent: nos non cohibent Moses aut Aaron, sed divina vis utrisque major. Notat praeterea Aben-Esra, magos non dicere: *digitus Jovae*, qui est Deus Hebraeorum, sed *digitus Dei*, quod accipiendum de creatore, quem Pharao et magi agnoscebant neque illos agnovisse, ea plaga Aegyptum ideo percuti, quod rex

Israelitas dimittere nollet, sed ex coeli et astrorum in haec inferiora operatione, aut casu fortuito, ut 1 Sam. 6, 9. Philisthaei dicunt: *ut intelligamus, non ejus manum nos percussisse, sed casu nobis id evenisse.* Ceterum de hujus plagae remissione precibus Mosis impetrata hic quidem nihil dicit, sed intelligi, ut in aliis debere videtur.

10. *Quarta plaga, cynomyiarum, Cap* 8, 16 — 28.

16. 17. הִנֵּה יוֹצֵא הַמַּיְמָה Vid. ad 7, 15. — 17. הִנְנִי מַשְׁלִיחַ בְּךָ *Ecce immitto in te*, s. concito in te, coll. Deut. 32, 24. Dicit igitur Jova, se concitaturum esse contra Pharaonem, ejus ministros et totam domum אֶת־הֶעָרֹב. Id nomen a *miscendi* notione, quam עָרַב obtinet, Hebraei fere interpretantur *miscellaneam animalium noxiorum multitudinem.* Jonathan: *mixtam turbam ferarum.* Aquila, παμμυῖαν reddidit, quem sequutus Hieronymus *omne genus muscarum*, et *muscas diversi generis*, atque *muscam omnimodam vertit.* Arabs uterque: *mistura ferarum.* Jarchi: *omnes species malarum bestiarum, et serpentum, et scorpionum inter se permixtas.* Sed quo minus nomine עָרֹב *insectorum colluvies* intelligatur, obstat, quod Vs. 27. dicitur: וַיָּסַר הֶעָרֹב *amovit Arobum a Pharaone, a servis ejus et ejus populo*, לֹא נִשְׁאַר אֶחָד *ne unus quidem remansit*, quod nonnisi certo animalis generi convenit. Neque quale animalis genus nomine עָרֹב designetur multum quaerere necesse fuerit, si Alexandrino interpreti, rerum Aegyptiarum peritissimo, fidem habemus, qui illud κυνόμυιαν, *muscam caninam* exponit. Nomen nactum esse hoc muscarum genus ab impudentia, ait Philo *de vita Mosis* T. II, p. 101. ed. Mangey: *Sine metu enim involant et irruunt, ac si abigas, pervicaci tamen pertinacia obnituntur, donec sanguine et carne exsatiatae fuerint. Cynomyia igitur, utriusque animantis* (canis et muscae) *adscita audacia, audax et insidiosa bestia est; nam e longinquo, in teli morem, cum stridore fertur, et magno impetu ruens* (cuti) *maxime inhaeret.* Ex his quae Philo aliique veterum de κυνόμυια scribunt, magna cum veri specie colligitur, esse illam *tabani* speciem. Oedmannus quidem in *d. vermischt. Samml.* P. II. Cap. 7. per עָרֹב *blattam Orientalem* Linn. (Belgis et Germanis *Kakerlak*) designare contendit; sed blatta orientalis non proxime, sed remotius hominibus nocet, est quidem vexatio *domestica*, non vero humana, rebus esculentis inhaeret, non hominibus, quum tamen עָרֹב hominibus fore cruciatui, expressis verbis h. l. dicatur: וְגַם הָאֲדָמָה אֲשֶׁר־הֵם עָלֶיהָ *Et etiam humus super quae illae erunt.* הָאֲדָמָה Mendelii fil. indicare ait loca, quibus nullae domus erant. Sane a בָּתֵּי־מִצְרַיִם distinguitur iisque opponitur.

18. 19. וְהִפְלֵיתִי — עָרֹב *Et separabo in die illo terram Gosen, in qua populus meus stat*, habitat, *ut non sit ibi cynomyia.* הִפְלֵיתִי (a פָּלָה) *separabo*, s. *distinguam*, i. e. faciam, ut terra

Gosen ea plaga immunis sit. Ita et 9, 4. At LXX. *παραδοξάσω τὴν γῆν Γεσέμ*, quod Hieronymus *faciamque mirabilem in die illa terram Gosen* vertit. Hi interpretes הִפְלֵיתִי retulerunt ad פָּלָא, quae etsi proprie non differat a פָּלַח, tamen in Hiphil adhiberi solet significatu *mirabile faciendi*. לְמַעַן תֵּדַע וגו׳ *Ut cognoscas, me esse Jovam in medio terrae.* Metaphora sumpta a regibus, qui sedem habere soleut in medio regni, ut omnibus undiquaque finibus ex aequo sint propinqui. Deus autem *in medio* eorum potissimum adesse dicitur, quibus favet, ut 17, 7. Deut. 7, 21. 23, 15. — 19. וְשַׂמְתִּי פְדֻת בֵּין עַמִּי וּבֵין עַמֶּךָ *Et ponam redemtionem*, liberationem, *inter populum meum et inter populum tuum.* Quum id ipsum, quod Israelitae liberi essent a plaga cynomyiarum, distingueret eos ab Aegyptiis, Aben-Esra פְּדֻת (quod pleue scribitur פְּדוּת, Ps. 111, 9. 130, 7.) exponit *distinctionem*, et similiter LXX. *διαστολήν*, eosque sequutus Hieronymus *divisionem.* Ceterum his verbis Mendelii fil. non plane idem, quod Vs. 18., immunem fuisse terram Gosen ab illa plaga, diei existimat, sed hoc potius, animalia ista noxia, עָרֹב dicta, nec Israelitis inter medios Aegyptios versantibus noeuisse. Et idem ad verba לְמָחָר יִהְיֶה הָאוֹת הַזֶּה *in crastinum futurum est signum hoc*, bene notat, id diei ideo, ut intelligat rex, non easu fortuito illud eventurum, sed Deo ita disponente; cf. ad 9, 5.

20. 21. וַיָּבֹא עָרֹב כָּבֵד *Venitque cynomyia gravis*, i. e. venerunt multae et copiosae. Nam כָּבֵד haud raro *multum*, *copiosum* valere constat, vid. 9, 1. 10, 14. Habae. 3, 3. 1 Reg. 3, 9. Elliptice hoc Vs. scriptum legitur וּבְבֵית pro וּבָתֵּי. Deficit nonnumquam ב ratione sensus et ex usu linguae. תִּשָּׁחֵת הָאָרֶץ מִפְּנֵי הֶעָרֹב *Corrumpebatur terra propter cynomyiam.* *Terra* pro ejus incolis, qui gravissime illis museis vexabantur. Sic Ps. 78, 45. *misit inter eos cynomyiam, quae eos consumsit.* Sed Clericus quod hoc loco dicitur non tantum de hominum corporibus intelligendum putat, verum et, ac magis adhue, de vietibus, quos invadere solent museae, in iisque ova deponere, e quibus mox naseuntur vermes, quo fit, ut eseulenta putiseant, et a vermibus absumantur. Ceterum nec in hac molestia agnoseit Eichhorn quidquam, quod solitum naturae ordinem exeederet. „Seiniphes," (inquit in *Commentat.* p. 54.), „sequutam esse aliam musearum speeiem, valde probabile faciunt reeentiorum peregrinatorum eommentarii, in quos relatum legimus, tempore inundationum Nili, h. e. mensibus Julio et Augusto, aërem Aegypti seatere variis eulieum et muscarum speeiebus, se invieem exeipientibus. Vix igitur superatae erant molestiae a eulieibus reptantibus profectae, cum per aërem striderent *muscae caninae*, Aegyptiorum cruciatus quotannis rediens. Moses igitur horum animaleulorum vexationem proximis diebus futuram praesentiens, obviam ivit Pharaoni, ad Nili litus ambulanti, eum admoniturus, ne forte gentis Israeliticae discessionem retardando molestiam terrae suae imminentem augeat."

Verum si etiam demus Eichhornio, quod quidem negari nequit, מָחָר passim latius de futuro tempore sumi (13, 14. Deut. 6, 20. Gen. 30, 33.), hoc tamen prodigiosum in hac narratione apparet, quod, uti minante Mose cynomyiae gravius solito Aegyptios vexabant, ita eodem illo deprecante plaga penitus cessavit (Vs. 27.). — 21. לְכוּ זִבְחוּ לֵאלֹהֵיכֶם בָּאָרֶץ *Ite, sacrificate Deo vestro in hac terra*, ita reddendum בָּאָרֶץ; nam articulus hic vim obtinet Pronominis demonstrativi. Concedit rex, ut Israelitae sacra faciant in suo regno, non alias.

22—24. לֹא נָכוֹן — אֱלֹהֵינוּ *Non est rectum*, non convenit, *facere ita, quia abominationem Aegyptiorum sacrificamus Jovae, Deo nostro*, i. e. istiusmodi sacrificium, quod abominationi est Aegyptiis, victimas quas mactare horrent Aegyptii. הֵן נִזְבַּח וגו׳ *Si sacrificaremus abominationem Aegyptiorum*, victimas quas mactare horrent Aegyptii, *nonne lapidarent nos?* הֵן hic valet *si*, usu magis Chaldaico, ut Lev. 25, 20. Jer. 3, 1. Job. 48, 23., et ante לֹא (י est *ἀποδοτικὸν*, ut Gen. 50, 15.) subaudiendum הֲ aut אִם interrogationis. LXX. mutata orationis forma *λιθοβολῆσόμεθα* verterunt, quos sequutus est Hieronymus: *lapidibus nos obruent.* Non hic agitur de poena per leges illata, sed de furore plebeculae, quae, non ferens illas pecudes mactari quas deorum loco habebant, potuisset obvios lapides in Israelitas intentare. — 23. דֶּרֶךְ שְׁלֹשֶׁת יָמִים נֵלֵךְ בַּמִּדְבָּר *Viam trium dierum ibimus in deserto*, longius nos discedere oportet a finibus Aegyptiorum, ne sacris nostris faciendis eorum in nos iram concitemus. — 24. רַק הַרְחֵק לֹא־תַרְחִיקוּ לָלֶכֶת *Tantum elongando non elongabitis ire*, i. e. ea conditione vos dimitto, ne longius abeatis. הַעְתִּירוּ בַּעֲדִי *Orate pro me.* Ordo ac sensus: orate pro me, ut Deus auferat a me et populo meo hanc plagam, tum dimittam vos ea conditione etc.

11. *Quinta plaga, pecoris lues, Cap.* 9, 1—7.

Cap. 9, 2. 3. וְעוֹדְךָ מַחֲזִיק בָּם *Et* si *adhuc tu retines eos.* LXX. *καὶ ἔτι ἐγκρατεῖς αὐτοῦ*, sc. *λαοῦ μου.* — 3. הִנֵּה יַד־יְהוָה הוֹיָה בְּמִקְנְךָ וגו׳ *Ecce manus Jovae* futura *est in pecus tuum* rel., i. e. pecudum lues orietur. Et nunc Mosen nihil minari, quod non solito naturae cursu eventurum esse facile praevideri potuerit, evincere studuit Eichhornius in *Commentat.* p. 55. hac argumentatione: „Muscarum examina pestilentiam afferre, antiquis populis jam observatum est. Elei, si Plinio credimus (*H. N.* 10, 28.), invocabant Myiagrion Deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, persuasi, protinus eas, quam Deo isti litatum sit, interire. Quid? quod penitior rerum naturalium cognitio nostros homines docuit, insecta eorumque ovula in aërem diffundi, et cum rore rursus defluere; quo rore perfusis herbis et plantis si vescantur, pecora vel vehementer aegrotare, vel adeo exstingui. Quid igitur mirum, si Moses post culicum et muscarum caninarum in-

numera agmina Aegyptiorum pecora repentina morte concisura esse ominetur, simul autem praesagiat, fore, ut ab Israelitis, armentorum gregumque curandorum peritissimis (Gen. 30, 31 — 43.), hoc malum praecaveatur?" Haec tamen quatenus consentiant cum simplici sensu narrationis Mosaicae, quisque ipse judicet.

5. 6. וַיָּשֶׂם יְהוָה מוֹעֵד *Posuitque*, praefixit *Jova tempus* certum et definitum, quo illa lues grassari incipiat, ne illam casu fortuito obortam existiment. — 6. וַיָּמָת כָּל מִקְנֵה מִצְרַיִם *Et moriebatur omne Aegyptiorum pecus*, i. e. in omnibus gregibus Aegyptiorum pecora moriebantur, lues per omnes illorum greges saeviebat. Nam quum Vs. 10. pecora ulceribus affecta dicantur, haec verba vel de iis tantum pecoribus sunt intelligenda, quae erant in agris, coll. Vs. 3. et 20., vel כָּל מִקְנֵה valet *magna ejus pars*, ad quem modum et intelligendum esse, quod Vs. 25. de grandine dicitur, eum *omnem* herbam agri *omnesque* arbores percussisse, inde apparet, quod 10, 15. coll. ibid. Vs. 5. diserte dicitur, omnes herbas fructusque, quos reliquos fecerit grando, absumsisse locustas.

12. *Sexta plaga, ulcera in hominibus pecudibusque oborta*, 9, 8 — 12.

8. 9. קְחוּ לָכֶם מְלֹא חָפְנֵיכֶם פִּיחַ כִּבְשָׁן *Sumite vobis plenitudinem pugnorum vestrorum*, plenos pugnos vestros, *favillae fornacis*. LXX. *αἰθάλης καμινωίας*, *cineris de camino*, ut Hieronymus reddidit. כִּבְשָׁן non est fornax, in qua panis coquitur (haec enim תַּנּוּר dicitur), sed *fabrorum* et *calcaria*, atque *aeraria*, in qua ex minera metallum excoquitur. וְזָרְקוֹ מֹשֶׁה הַשָּׁמַיְמָה *Et sparsit eam Moses coelum versus*, id est, in aërem. „Hoc et reliqua similia, quae in hac historia habentur, non sunt miraculorum causae, sed externa quaedam eorum, quae eventura erant, significatio. Sic lutum pulvere et saliva fecit Christus Jo. 9, 6. ut caecum curaret, quum ejusmodi luto nulla virtus inesset." Cleric. Aliam conjecturam de hac re vid. in *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 288. — 9. Verba וְהָיָה לְאָבָק עַל כָּל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *eritque in pulverem super omnem terram Aegypti* quid sibi velint, non satis clarum. Simplicissimum foret, ita capere: vertetur in pulverem. Sed cur non pulverem ubique obvium sumsit, quem in auras spargeret? Alii: erit *quasi* pulvis, i. e. volitabit per aërem, ut pulvis solet a vento circumactus. Quod verius puto; videntur enim haec verba hoc dicere: favilla non subsidebit, sed veluti flos tenuissimus pulveris huc illuc volitabit, et per totam Aegyptum diffundetur. וְהָיָה — אֲבַעְבֻּעֹת *Eritque super homines et super jumenta inflammatio germinans pustulas.* שְׁחִין habet notionem *caloris*, ut istiusmodi ulcus significetur, quod inflammationem secum conjunctam habet, vel potius *inflammatio*, quia ulcera non tam emittunt pustulas, quam pustulae ulcera creant, ex inflammatione plerumque natae. אֲבַעְבֻּעֹת est a בָּעָה, quod Jes. 64, 2. *effervescendi*, *intumescendi* significatu reperitur. LXX. פῦρα ἐξανθοῦντα verterunt

φλυκτίδες ἀναζέουσαι *pustulae effervescentes*, neglecta Grammatica. Sic et Vulgatus: *vesicae turgentes.* Accuratius Onkelos: *plenum pustulis.* Mox Vs. 10. vocibus transpositis dicitur שְׁחִין אֲבַעְבֻּעַת פֹּרַחַת *inflammatio pustulis efflorescens.* Videtur ea pustularum species denotari, de qua CELSUS *de medic.* V, 28, 15.: *Pessima pustula est, quae ἐπινυκτὶς vocatur. Ea colore vel sublivida vel subnigra, vel alba esse consuevit. Circa hanc autem vehemens inflammatio est, et, cum aperta est, reperitur intus exulceratio mucosa, colore humori suo similis. Dolor ex ea supra magnitudinem ejus est, neque enim ea fabâ major est.* De hac plaga Eichhornius hunc in modum disserit (*Comment.* p. 56.): „Morbos, qui autumnali tempore, tempestate ut plurimum humida, tranquilla et nebulosa grassantur, saepe originem ducere ab animalculis infinite parvis, ex aëre haustis, inter artis medicae peritos constat (vid. *Linnaei* mundus invisibilis in *Amoenitatt. academicis* Vol. VII. p. 496.). Nos quidem in medio relinquimus, an vomicae pestilentes, tempore autumni Aegyptiis fatales, ab innumeris insectis invisibilibus, quibus aër ea anni tempestate scatere solet, derivandae sint: hoc certum est, per autumnum, h. e. inde ab exeunte mense Septembri usque ad exeuntem Decembrem, regnare vomicas erura et genua infestantes, quae duabus aut tribus diebus lethales fiunt. Imminente igitur nova hac publica calamitate, quod solent obscura portenta majorem ad animum movendum vim habere, Moses non verbis praenunciat, quid instet, sed in spem ingressus, fore ut animus regis rerum futurarum praesagio mere symbolico, adeoque aenigmatico in terrorem actus vehementius moveri efficaciusque flecti possit in rem a se expetitam, fuliginem in aërem spargit.“ Verum pustulae illae a Mose commemoratae perquam molestiae quidem, sed non lethales videntur fuisse, ut vomicae pestilentiales, de quibus Eichhorn cogitat; nam si mortem attulissent, non est credibile, id Mosen silentio praeteriisse.

13. *Septima plaga, grando*, 9, 13 — 34.

14. 15. כִּי — אֶל־לִבֶּךָ *Nam hac vice mitto omnes plagas meas ad cor tuum*, i. e. quae graviter tangent cor tuum. Quod Deus se *omnes suas plagas missurum* dicit, id de universis, quae adhuc restabant, plagis intelligi posset, nisi obstiterint verba בַּפַּעַם הַזֹּאת *hac vice*, quae innuere videntur, istas plagas, quae jam proxime et simul mitterentur, esse intelligendas. Et Pharaonem ad eam, quae proxime sequitur, plagam plus quam ad omnes praecedentes trepidasse, intelligitur e Vs. 27. — 15. Verba activa praeterita, שָׁלַחְתִּי et וָאַךְ, explicanda sunt de facultate agendi, ut igitur hic Vs. ita vertendus sit: *nam nunc quidem si mittere*, extendere *manum meam et percutere voluissem te et populum tuum illa peste* (de qua Vs. 6.), *deletus esses e terra.* Sequitur enim Vs. sq. ratio, cur eum servarit. Particula כִּי significationem suam

causalem retinet, hoc modo: *nam* ad probandum, nullum esse mei similem in universa terra (Vs. 14.), *exserere potuissem manum* rel.

16. 17. וְאוּלָם בַּעֲבוּר זֹאת הֶעֱמַדְתִּיךָ *Verum propter hoc stare te feci*, i. e. servavi te incolumem. Similes loquutiones 1 Reg. 15, 4. et Prov. 29, 4. leguntur. בַּעֲבוּר הַרְאֹתְךָ אֶת־כֹּחִי *Ut ostendam tibi potentiam meam.* Sed LXX. ἵνα ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν ἰσχύν μου, Hieronymus: *ut ostendam in te fortitudinem meam.* Similiter Rom. 9, 17. ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου. Ceperunt illi interpretes הַרְאֹתְךָ pro הַרְאוֹת בְּךָ, ut interdum affixa verbis adduntur, ita ut Praepositio aliqua, cui affixa ista addi debeant, intelligenda sit, quod tamen frequentius, opinor, in verbis intransitivis usu venire solet, ut Ps. 5, 4. לֹא יָגוּר עִמְּךָ *non commorabitur tecum malus*, est pro לֹא יָגוּר עִמָּךְ. — 17. עוֹדְךָ מִסְתּוֹלֵל בְּעַמִּי *Adhuc tu attollis te ipsum contra populum meum.* סָלַל sonat *in altum extulit;* unde Aben-Esra voc. מִסְתּוֹלֵל per *gloriaris te*, effers te, explicavit. Onkelos: *hucusque subjugas*, s. *sub jugo retines populum* meum. Cepit סָלַל *calcandi* significatu. Vulgatus: *adhuc retines populum meum.* Saadias: *tu adhuc retardas populum meum.* Qui interpretes מִסְתּוֹלֵל videntur pro denominativo a nomine סֹלְלָה *agger* cepisse, ut proprie sit: *aggerem te ponis contra populum meum.*

18. 19. כָּעֵת מָחָר *Circa hoc tempus crastino die.* Accurate tempus praedicit, ne casu postea hoc factum diceretur. Cf. ad 8, 19. Quod grandinem gravissimam se immissurum esse Jova praenunciat, ostendit, nullam esse rerum naturae partem, cui non imperaret. Quum enim Aegyptii et Graeci crederent, alios coelestes, alios terrestres, alios inferos esse Deos, alios quidem terrae, alios mari praeesse: universitatis Deus Aegyptios non tantum per fluvium et terram castigavit, verum et e coelo grandinem et fulmina immisit. לְמִן־הַיּוֹם הִוָּסְדָה *A quo die fundata est* terra, Aegypti, i. e. quo incepit coli et habitari, unde et Vs. 24. dicitur, non ceciderisse ejusmodi grandinem in Aegypto מֵאָז הָיְתָה לְגוֹי *ex quo tempore fuit in gentem*, i. e. a gente habitata. — 19. וְעַתָּה שְׁלַח הָעֵז אֶת־מִקְנְךָ *Nunc igitur mitte fac fugere pecus tuum*, i. e. festinanter in locum tutum recipe. Cf. Vs. 20. הֵנִיס *fecit fugere*, fuga subduxit *suos servos et pecus suum.* De verbo הֵנִיס vid. ad Jes. 10, 31.

23—25. וַתְּהַלֶּךְ־אֵשׁ אַרְצָה *Et cucurrit ignis per terram.* אֵשׁ hic est *ignis fulminis.* De fulminibus super terram volantibus וָלַךְ usurpatur et Job. 38, 35. תְּהַלֵּכְנָה *ἀνομαλῶς* pro תֵּהָלַכְנָה ponitur, ut Ps. 73, 9. — וַיִּמְטַר יְהוָה וגו׳ *Depluitque Jova grandinem super terram Aegypti.* Grando mense Januario et Febr., Martio quoque, haud raro in Aegypto cadit; vid. J. M. Hartmann *Erdbeschr. v. Africa* p. 141. Neque tamen quotannis, nec ita stato tempore grandinat, ut Moses, nisi Numine edoctus, ipsum

diem, quo grando sit casura, praefinire potuerit. — 24. — וַיְהִי הַבָּרָד *Fuitque grando et ignis sese comprehendens in medio grandinis*, i. e. *grando et ignis mista pariter ferebantur*, uti sensum expressit Hieronymus. — 25. וְאֵת כָּל־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה הִכָּה הַבָּרָד *Et omnem herbam agri percussit grando.* Cf. ad Vs. 6. Jarchi ad Vs. 32. ait intelligi posse de herbis caulem habentibus, quae grandinis percussioni sunt obnoxiae.

27—29. חָטָאתִי הַפָּעַם *Peccavi hac vice*, i. e. nunc demum me peccasse confiteor. — 28. וְרַב מִהְיֹת קֹלֹת אֱלֹהִים וּבָרָד *Et multum*, i. e. satis est *fuisse* sive, *sufficiat* et *ne sint* amplius *voces Dei*, tonitrua, *et grando.* LXX. καὶ παυσάσθω τοῦ γενηθῆναι κ. τ. λ., quod sequutus Hieron.: *ut desinant tonitrua Dei et grando.* וְלֹא תֹסִפוּן לַעֲמֹד *Nec addetis stare*, non amplius morabimini. — 29. כְּצֵאתִי — אֶל־יְהוָה *Cum egressus fuero urbem, expandam manus meas ad Jovam*, i. e. orabo expansis ad Jovam manibus, qui gestus est precantium. Quod autem Moses non in urbe, sed extra eam ad Deum precatus est, Hebraei causam reddunt hanc, quod urbs plena esset idolis. Sed videtur Moses ideo potius exiisse, ut a turba semotus commodius orationi vacaret. לְמַעַן וגו׳ *Ut terram Jovae esse scias*, ne putes, Jovam Deum esse alius orae praefectum, qui nihil in Aegyptum possit. Cf. ad Vs. 18.

30. 31. *Te vero et servos tuos*, quod attinet, *novi vos nondum timere a Jova Deo.* Onkelos quoque verba: טֶרֶם תִּירָאוּן מִפְּנֵי יְהוָה bene sic reddidit: *adhuc vos non humiliatis coram Domino.* Quod sequitur Jarchi, qui asserit, טֶרֶם ubique *nondum* valere. — 31. הַשִּׂעֹרָה אָבִיב *Hordeum spica*, spicas habuit, maturescebat. וְהַפִּשְׁתָּה גִּבְעֹל *Et linum jam folliculos germinabat*, uti vertit Hieronymus. LXX. τὸ δὲ λίνον σπερματίζον, *linum vero semen faciebat.* גִּבְעֹל, quod Onkelos retinuit, apparet simile esse ei quod in hordeo אָבִיב, neque igitur *calamum*, ut nonnulli volunt, sed *globulum* seu *nodum* in summitate lini maturescentis denotare necesse est. Gesenius in *Lex. min.* e גִּבְרַע *calix*, sensu botanico, i. e. flos, et Syriaco קוּבְלָא *germen*, *flos* compositum putat. פִּשְׁתָּה, *linum*, inter nobiliores Aegypti proventus numerabatur.

32. כֻּסֶּמֶת *tritico spelta* Linn. *(Dinkel, Spelt)*, vid. ad Jes. 28, 25. כִּי אֲפִילוֹת הֵנָּה *Quia serotina erant*, ita recte Hieronymus, τοὺς LXX. sequutus, qui ὄψιμα γὰρ ἦν habent. Jarchi quoque exponit: *serotina.* Addit, ea adhuc tenera fuisse, atque inde factum, ut grandine non laederentur. Cf. ad Vs. 25. Quoniam autem אָפֵל *tenebrosum*, *obscurum*, significat, ideo Aben-Esra sensum ait hunc esse: *quod fuerunt adhuc sub terra, ita ut non conspicerentur.* Sed discimus ex Plinio *(H. N. 8, 3.)* in Aegypto hordeum sexto a satu mense, frumenta septimo meti solita; fieri ergo non potuit, ut tanto temporis spatio hordeum anteverte-

ret triticum et zeam, quantum interfuisse necesse est, si, cum hordeo spica esset mutica, triticum et zea adhuc sub terra latitarent. Haud incommode tamen אֲפִילוֹת reddi potest *obscura;* obscurum quippe dici solet, non quod omnino non conspicitur, sed quod parum et tenuiter. Vid. FULLERUS *Miscell. SS.* L. 3. c. 11., ex cujus tamen sententia prior interpretatio *(serotina)* retinenda est. „Hordeo autem laeso, ait Fullerus, incolume mansit triticum, quum hordei prope jam maturi culmus, aliquando arefactus, ideoque induratus, non cederet ictibus grandinis, sed obniteretur, itaque continuo frangeretur. Triticum autem, tenerum adhuc, et in herba veluti abditum, lenta flexilique sua mollitie satis quidem tuto procellae impetum devitaret, et ingruentes ictus declinaret atque subterfugeret.“ Idem porro monet, mirum non esse, si apud Aegyptios messis hordacea, contra quam apud nos, prior fuerit triticea. Nam ex coeli lenissima ac suavissima temperie, qua nos multum superant Aegyptii, ingens operum rusticorum discrimen oriri, ut aliis in rebus, sic potissimum in serendi metendique temporibus.

14. *Octava plaga, locustae.* *Cap.* 10, 1—20.

Cap. 10, 1. 2. לְמַעַן שִׁתִי אֹתֹתַי אֵלֶּה בְּקִרְבּוֹ *Propter ponendum me*, i. e. ut ederem *haec mea signa in medio ejus*, i. e. *inter eos*, nempe Pharaonem et servos ejus. LXX. ἵνα ἔξῃς ἐπέλθῃ τὰ σημεῖα ταῦτα ἐπ᾽ αὐτούς, *ut deinde superveniant signa haec super eos.* Pro בְּקִרְבּוֹ Vs. 2. est בָּם *inter eos.* — 2. לְמַעַן תְּסַפֵּר *Ut narres.* Aben-Esra notat, Deum hic alloqui Mosen, et eum esse *loco omnium Israelitarum*, אֵת אֲשֶׁר הִתְעַלַּלְתִּי בְמִצְרַיִם *Quae operatus sum in Aegypto*, i. e. prodigia quae feci. Sed LXX. ὅσα ἐμπέπαιχα τοῖς Αἰγυπτίοις. Jarchi etiam הִתְעַלַּלְתִּי exponit *illusi*, quo significatu verbum istud usurpari notat Num. 22, 29. הִתְעַלַּלְתָּ בִּי *illusisti mihi*, atque 1 Sam. 6, 6. Philisthaeorum sacerdotes suis haec dicunt: *Cur animum vestrum obfirmaretis, sicut suum animum obfirmarunt Pharao et Aegyptii? Nonne* כַּאֲשֶׁר הִתְעַלֵּל בָּהֶם *postquam illusit eis*, sc. Deus, male eos habuit, *dimisit eos*, Israelitas, *ut abirent.* Quo loco LXX., ut hic, habent: ὅτε ἐνέπαιζεν αὐτοῖς. Jarchi innuere videtur, formam Poel tantum *operandi, agendi* notionem obtinere, sed formam Hithpoel verbi עָלַל nonnisi *illudendi* significatu usurpari. Sed contrarium arguit Ps. 141, 4. לְהִתְעוֹלֵל עֲלִילוֹת *ad patrandum facinora.* Quare nihil obstat, quo minus vertamus ut supra.

4. 5. הִנֵּנִי — בִּגְבֻלֶךָ *Ecce* ego adduco *cras locustam in terminum tuum.* „Locustas,“ inquit EICHHORN in *Commentat.* sacpius laud. p. 58., „quum Aegyptus non progeneret, ex aliis terris advectas fuisse necesse est, vel ex Arabia, vel ex Nubia, duplici locustarum patria. Locustis autem ab austro ad septentrionem coeco aliquo instinctu iter suum ita dirigentibus, ut nec ad orientem, nec ad occidentem deflectant, earum examina numquam

ex Arabia in Aegyptum feruntur (vid. *Hasselquisti* Itiner. p. 254. vers. teuton.), sed ex Nubia per Aethiopiam. Sub finem videlicet mensis Martii (circa vernum aequinoctium, d. 20. Mart.) venti partim occidentales partim meridionales tantam locustarum vim in Aethiopiam advehunt, ut ex iis tam recentibus quam sale, putredinem avertente, adspersis plures ejus terrae gentes per totum annum vivant (*Diod. Sic.* 3, 29. *Strabo* L. 66. p. 772. ed. Casaub.): vento eodem australi ulterius eas propellente iter suum usque ad Aegyptum continuare solent, quorsum sub mensis Martii finem deferuntur. Atque hoc ipsum tempus est, quo Pharaoni locustarum agmina Moses ominatur. Quum autem itinera sua instituant ordine militari, ut aliae tanquam antepilani agmen ipsum haud procul abesse nuncient, deinde aeies ipsae densis ac justis catervis sequantur, aliae tandem agmen claudant (Joel 2, 20.); Moses conspectis antesignanis, primae aciei praemissis, recte augurabatur, agmen ipsum proxime sese per agros Aegypti esse effusurum in regiae pertinaciae poenam.“ Neque tamen Mosen solum inter Aegyptios locustarum antesignanos conspexisse credibile est; unde nec persuadere sibi facile potuit, fore, ut praenuntiatione adventus locustarum, quem omnes augurari potuerunt, regis animum moveret. Omnino vero Aegyptus a locustis rarius infestatur; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 292. — 5. וְכִסָּה אֶת־עֵין הָאָרֶץ *Operietque oculum terrae*, i. e. superficiem terrae. Sed superficies terrae alias פְּנֵי־הָאָרֶץ dicitur. Ideo alii vertunt *adspectum terrae.* Ita jam LXX. *καλύψει τὴν ὄψιν τῆς γῆς.* Sed Onkelos: *operuit oculum solis terrae*, i. e. splendorem et radios solis, qui terram illuminat. Locustarum agmina instar densae nubis solem obumbrare, notum. Neque tamen id Mosen hic dicere, sed superficiem terrae significare credo. וְאָכַל אֶת־כָּל־הָעֵץ וגו׳ *Comedetque omnem arborem, quae germinat vobis ex agro.* Cf. ad 9, 6.

6. 7. וּמָלְאוּ — כָּל־מִצְרַיִם *Et replebuntur* se. locustis *domus tuae, et domus omnium servorum tuorum, et domus omnium Aegyptiorum.* Id non supra veritatem exaggerari, sed locustas domuum penetralia ipsasque vestes ibi asservatas invadere, testantur plures fide digni *αὐτόπται*, vid. *d. a. u. n. Morgenl.* IV. p. 291. et notam nostram ad Bochartı *Hieroz.* T. III. p. 283. ed. Lips. — אֲשֶׁר לֹא־רָאוּ אֲבֹתֶיךָ וַאֲבוֹת אֲבֹתֶיךָ *Quas*, i. e. quam multas easque exitiosas, *non viderunt patres tui et patres patrum tuorum*, quibus non solum avi, verum et proavi, abavi, atavi et reliqui ascendentes comprehenduntur. — 7. עַד־מָתַי יִהְיֶה זֶּה לָנוּ לְמוֹקֵשׁ *Quousque erit hic*, Moses, *nobis in laqueum*, s. *offendiculum?* quamdiu nobis erit pernicieosus? Nam מוֹקֵשׁ, a יָקַשׁ *laqueum tetendit ad capiendas feras*, significat quidquid offensionis, quaecunque sit, occasio est, qua quis perditum it. LXX. *ἕως τίνος ἔσται τοῦτο ἡμῖν σκώλον;* Hieronymus: *usquequo patiemur hoc scandalum?* Minus recte; quasi זֹאת in textu esset pro זֶה, quod ad Mosen referendum. הֲטֶרֶם תֵּדַע כִּי אָבְדָה מִצְרַיִם *An nondum*

scies, Aegyptum esse perditam? sive, *pessum ire*, si, nempe, ita te gercre pergis, nec Hebraeos dimittis. Sed Aben-Esra, qui vult טֶרֶם significare *prius*, exponit: *an prius voles, ut declaretur tibi, Aegyptum esse perditam?* LXX. vocem טֶרֶם praetermiserunt: ἢ εἰδέναι βούλει ὅτι ἀπόλωλεν Αἴγυπτος;

8. 9. פַּרְעֹה — וַיּוּשַׁב *Reductusque est Moses et Aaron ad Pharaonem.* Verbo passivo וַיּוּשַׁב junctum est nomen per אֶת (quod alias est Accusativi nota), ut Gen. 4, 18. 17, 5. Aben-Esra ad hunc locum ait, אֶת significare הדבר עצם *rei substantiam*, ut hic אֶת־מֹשֶׁה proprie sit *ipse Moses.* Plura de hoc loquendi more vid. in Gesenii *Lehrgeb.* p. 683. לְכוּ עִבְרוּ וגו׳ *Ite, colite Jovam, Deum vestrum, qui et qui euntes?* Repetitio מִי וָמִי non videtur carere emphasi, quasi diceret: accurate et distincte mihi indicate, quinam vestrum ituri sint. — 9. Respondet Moses, totum omnino populum esse abiturum; כִּי חַג־יְהוָה לָנוּ *nam Jovae festum nobis est celebrandum.* Significatur festum, quale Hebraeis dicitur מִקְרָא קֹדֶשׁ *convocatio sancta*, Graecis vero πανήγυρις, hoc est, ut Grammatici interpretantur, ἑορτὴ συνάθροισις, ἀπὸ τοῦ ἄγυρις, εἰς ἣν πάντες ἀγείρονται, *festum ad quod omnes conveniunt.* Atque haec Mosis ratio eo majoris erat ponderis, aut certe plausibilior, apud Pharaonem, quod ejusmodi conventuum studiosissimi erant Aegyptii, eosque a se inventos esse iactabant. *Herodot.* 2, 58.: *Conventus, et pompas, et conciliabula primi fecerunt Aegyptii. — Nec semel dumtaxat in anno conventus agunt Aegyptii, sed frequentes. — Navigant autem viri cum mulieribus, magnaque est in singulis navibus utrorumque multitudo.*

10. 11. יְהִי כֵן — טַפְּכֶם *Sit ita Jehova vobiscum, quemadmodum dimissurus sum vos et parvulos vestros.* In quibus verbis est μυκτηρισμός, s. subsannatio, hoc enim vult Pharao: si non magis Deus vos adjuvet, quam ego vos tali conditione dimissurus sum, egregie profecto vos juvabit! Pro eo habendum, ac si diceret: non dimittam vos una cum liberis, uti petitis. וְאֶת־טַפְּכֶם LXX. reddidere: τὴν ἀποσκευὴν ὑμῶν, *supellectilem vestram.* רְאוּ כִּי רָעָה נֶגֶד פְּנֵיכֶם *Videte quod malum sit coram facie vestra*, videte, quod malum vos intendatis et respiciatis; malo consilio licentiam festi celebrandi petitis. — 11. לֹא כֵן *Non sic*, non patiar vos omnes una cum familiis vestris abire. לְכוּ נָא הַגְּבָרִים וְעִבְדוּ אֶת־יְהוָה *Ite nunc viri et servite Jovae.* Collegit Pharao ex iis, quae Moses et Aaron 8, 23. dixerant, se velle Deo suo sacrificatum in desertum abire, opus fuisse tantum viris, quia mulieres et infantes non solebant in offerendis sacrificiis adhiberi. כִּי אֹתָהּ אַתֶּם מְבַקְּשִׁים *Nam id vos quaeritis*, hoc ipsi petiistis; si vobis, qui viri estis, abeundi veniam dabo, voto vestro satis factum erit. וַיְגָרֶשׁ וגו׳ *Expulitque eos a facie Pharaonis*, scil. expellens, sive is cui Pharao hoc mandaverat. Si Pharao, nomen erit loco Pronominis.

12. 13. נְטֵה — בָּאָרֶבֶּה *Extende manum tuam super terram Aegypti pro locusta*, s. *propter locustam*, i. e. ut veniat plaga locustarum. — 13. וְרוּחַ הַקָּדִים נָשָׂא אֶת־הָאַרְבֶּה *Et ventus orientalis tulit*, advexit *locustas*. רוּחַ הַקָּדִים a LXX. redditur ὁ ἄνεμος ὁ νότος *ventus australis*. Fortasse intelligendus est ventus inter Eurum et Notum medius. Sic Ps. 78, 26. ventus ille, qui advexit coturnices in castra Israelitarum, vocatur simul קָדִים *orientalis* et תֵּימָן *australis*. BOCHARTUS quoque in *Hieroz.* T. II. p. 663. sqq. argumentis pluribus probavit, קָדִים etiam pro *australi* sumi, et T. III. p. 287. notat ad h. l.: „Neque fortasse erit extra rem, cum LXX. *notum* hic interpretari, quum ventus *orientalis* nonnisi ex *Arabia* locustas potuerit in Aegyptum advehere, sed *australis* ex *Aethiopia*, quae hac peste multo est foecundior.“ Cf. ad Vs. 4. Sane ex *austro* locustas in Aegyptum advectas esse, innuit et illud, quod initio Vs. 14. illae *ascendisse* (וַיַּעַל) dicuntur in Aegyptum. Cf. ad Gen. 38, 1.

14. 15. לֹא־הָיְתָה כֵן וגו׳ *Non fuit sic locusta similis ei, et post eam non erit ita.* Idem fere Joel 2, 2., dicitur, locustis, quibus istic fit mentio, similes numquam exstitisse. Verum et hoc et Joelis loco hyperbolica et proverbialis est loquutio, qua significatur, nullam fuisse memoriam tam noxiarum locustarum. Eodem modo intelligendum, quod 2 Reg. 18, 5. et 23, 25. de utroque rege, Hiskia et Josia, dicitur, neque hunc neque illum parem sibi habuisse inter Judae reges. — 15. וַיְכַס אֶת־עֵין כָּל־הָאָרֶץ cf. ad Vs. 5. — וַתֶּחְשַׁךְ הָאָרֶץ *Et obscurata est terra.* FORSKAL in *Descript. Animal.* p. 81. de locustis, quas ipse Cahirae mense Decembri anni 1761. observavit: *Tota examina quovis passu provocavi; tanta earum copia his in locis jam erat. Dum agmine facto alte volabant, aër e longinquo fumi speciem monstrabat.* וְלֹא־נוֹתַר וגו׳ *Nec relictum est ullum viride in arboribus et in herba agri in universa terra Aegypti.* Nec hoc supra veritatem est auctum, vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 291. et conf. ad Joel. 1, 7.

17. 19. וְעַתָּה — הַמָּוֶת *Et nunc tolle, quaeso, peccatum meum tantum hac vice*, delicto meo hac tantum vice ignoscas. *Peccatum auferri* dicitur, ubi ejus *poena* tollitur. וְיָסֵר מֵעָלַי וגו׳ *Ut removeat a me tantum hanc mortem*, pestem, perniciem. Sic a Plinio *H. N.* 11, 29. locustae vocantur *pestis*, ob cladem, quam terris, quas invadunt, inferunt. Alii putant Pharaonem respicere et famem, ex depastis agris orituram, per quam multi homines interituri sint, et morbos pestilentiosos, qui gignuntur, cum locustarum cadavera foetore et noxiis exhalationibus aërem inficiunt. Cf. ad Joel. 2, 20. — 19. וַיַּהֲפֹךְ יְהוָה רוּחַ־יָם *Vertitque Jova ventum maris*, i. e. occidentalem, breviter dictum pro eo, quod plene esset: ventum orientalem, qui locustas advexit, vertit in occidentalem, qui eas abduxit. Sed uti nomine קָדִים potius *notum*,

sive *euro-notum*, notari vidimus (Vs. 13.), ita et hic רוּחַ־יָם non praecise *occidentalis* ventus videtur intelligendus. „יָם quidem," inquit Clericus, „ubi de Palaestina sermo est, *occidentem* fere significat, sed quum hic Moses de Aegypto agat, propria vocis significatio praestare videtur. Hinc LXX. *μετέβαλε Κύριος ἄνεμον ἀπὸ θαλάσσης*. Hieronymus tamen: *quia flare fecit ventum ab occidente*. Necesse non est, fuisse hunc plane septentrionalem ventum, quod *a mari* flaret; nam omnes venti, qui inter Septentrionem et Favonium flant, a mari in Aegyptum spirant. Itaque Thrascias aut Caurus, qui inter duos istos cardines sunt, potuere locustas in mare rubrum avehere." וַיִּתְקָעֵהוּ יָמָּה סוּף *Et conjecit eam*, locustam, *in mare algae*. Designatur sinus Arabicus, quia refertum est in fundo alga, סוּף (vid. ad 2, 3.), *Sari* Aegyptiis dicta, unde ii sinum illum *mare Sari* vocarunt. Plura de variis maris istius appellationibus vid. in *d. a. u. n. Morgenl.* II. p. 1. sqq. תָּקַע, proprie: *infixit*, hic valet *intrusit*, *impulit*. Ceterum saepe interire locustas vento in mare actas constat. Conf. libr. laud. P. I. p. 293.

15. *Nona plaga, tenebrae triduae*, *Cap.* 10, 21—29.

21. In verbis וְיָמֵשׁ חֹשֶׁךְ, explicandis variant interpretes. Veterum alii reddiderunt: *postquam recesserunt tenebrae noctis*, i. e. etiam postquam recessit noctis caligo et sol alias incipit lucescere, tamen ista densissima caligo non desinet. Videlicet מוּשׁ est *recedere*, ut 13, 22. Verum id si Moses dicere voluisset, non credibile est eum הַלַּיְלָה post חֹשֶׁךְ omisisse. Alii וְיָמֵשׁ putant pro וְיַאֲמֵשׁ scriptum (ut Jes. 13, 20. יַהֵל pro יַאֲהִיל), et denominativum nominis אֶמֶשׁ *nox hesterna*, quasi significet: *et perdurare faciet tenebras hesternas*, noctis praeteritae, vel: *obscurentur tenebrae*, quasi: *noctescant*, i. e. sint densissimae. Praeferenda tamen est ea dictionis יָמֵשׁ expositio, ex qua illa idem valeat quod יְמַשֵּׁשׁ *palpabit*, uti Deut. 28, 29. Nam uti verba plura alia mediae radicalis geminatae et mediae quiescentis communes significatus habent, ita et מוּשׁ significationem mutuatur a מָשַׁשׁ Gen. 27, 21. Ps. 115, 7. Quare LXX. verba וְיָמֵשׁ חֹשֶׁךְ vertunt: *ψηλαφητὸν σκότος*, et Hieronymus: *tam densae ut palpari queant*. Sensus igitur esse videtur, aërem adeo densa caligine, crassisque vaporibus refertum fore, ut palpari possit. Obvertunt quidem alii non posse homines in ejusmodi crasso aëre vivere. Verum ejusmodi proverbiales et hyperbolicae loquutiones non sunt ad vivum resecandae.

22. וַיְהִי חֹשֶׁךְ־אֲפֵלָה וגו׳ *Fuitque caligo obscuritatis*, i. e. obortae sunt tenebrae densissimae (nam duo substantiva ejusdem aut similis significationis haud raro *αὐξήσεως χάριν* conjungi, notum) *in universa terra Aegypti tribus diebus*. Locustas, inquit Eichhorn in *Commentat. de anno Aegypti mirab.* p. 59. „subsequuta est caligo tridua, inde ab exeunte Martio in Aegypto fre-

quens. Causa ejus est ventus calidus deserti, qui Arabibus *Samum* dicitur, Turcis *Samiel*, Arabibus Aegyptiis *Chamsin* (ventus *quinquagenorum dierum*), a quinquaginta diebus intra Paschatis et Pentecostes festum, per quos in Aegypto regnare solet. Calor aëris illo flante non absimilis est calori, qui eo temporis momento sentitur, quo panis coctus ex furno extrahitur. Quo tempore ventus deserti calidus flare incipit, aër est inconstans, coelum, alioquin in hoc terrarum tractu purum et serenum, fit turbidum; sol, splendore suo orbatus, orbem refert violaceum. Aër non quidem nebulosus dici potest, est autem cinereus sive glaucus, refertus subtilissimis pulvisculis, numquam humum petentibus, sed omnia, adeo res bene compactas et circumclusas, ut domos, conclavia, cistas et serinia penetrantibus, suoque ardore faciem et oculos ita adurentibus, ut oculis cernere nequeas. Vento hoc in turbinem mutato, quo per aërem arena, palea, stramen, alia ferri solent, sol adeo obscuratur, nec quarta milliarii pars prospectui patet. Aestus et siccitatis molestia domi se homines continere coguntur, donec venti hujus calidi summa vehementia desaevierit; desaevire autem solet ut plurimum intra triduum (vid. *Volneii* Itiner. T. I. p. 55.). Quamquam enim inde a verno aequinoctio usque ad tropicum aestivum venti illi calidi regnare dicuntur, non tamen per totum illud tempus continuo tanta vehementia diu noctuque perflant, quod omni Aegypto esset inevitabili exitio, sed interstitiis aëris et caloris temperatioris interpositis. Quis igitur Mosen miretur animorum anxietatem, durante hac tempestate regnantem, in suos et Israelitarum usus convertisse?“ At vero tenebrae illae densissimae, quibus alter alterum non videre poterat (Vs. 23.), minus recte comparantur cum aëre vento calido obscurato quidem et spissiore, neque tamen omni luce carente; deinde in aëre illo vaporibus obscurato, quotannis stato suo tempore redeunte, nihil esset, quod Aegyptiorum animos magnopere afficere potuisset. Erant potius tenebrae illae similes iis, de quibus Cic. *de N. D.* 2, 96.: *Nec autem tenebras cogitemus tantas, quantae quondam eruptione Aetnaeorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret; cum autem tertio die sol illuxisset, tum ut revixisse sibi viderentur.* Nec desunt apud Arabicos rerum Aegyptiarum scriptores similium tenebrarum exempla. Sic Dschemaleddin in Chronico, quod inscripsit *Maured allatafet*, i. e. aquatio elegantiae, ediditque J. D. Carlyle Cantabrig. 1792., p. 13. refert, regnante in Aegypto Mostali-Billah (sub finem Sec. XI. aerae nostrae) *tempestatem magnam et vehementem, comitante nigredine, coortam esse, qua aedificia diruta, arboresque eversae fuere; tenebras autem tam spissas Aegyptum simul obumbrasse, ut cuncti resurrectionem*, i. e. diem ultimum, *jam impendere crediderint.* Et p. 16. scribit, regnante Hhakemo Biamrillah, anno 504. (1110 aerae Christ.) *eas tenebras in Aegypto ortas fuisse, ut totus aër caligine fuerit*

involutus, ventum vero simul concitatum esse adeo vehementem, ut diem ultimum nemo non metueret. Notatu haud indignum, et LXX. cum istis a Mose descriptis tenebris *tempestatem* conjunctam credidisse; vocc. enim חֹשֶׁךְ־אֲפֵלָה verterunt *σκότος γνόφος, tenebrae caligo*, et addiderunt insuper *θύελλα turbo.*

23 — 25. וְלֹא־קָמוּ אִישׁ מִתַּחְתָּיו *Nec surrexerunt vir*, i. e. quisque *e loco suo*, i. e. e domo sua ad opus faciendum. Cf. 16, 29. LXX. *ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ*, e *cubili suo.* — 24. רַק צֹאנְכֶם וּבְקַרְכֶם יֻצָּג *Duntaxat pecudes vestrae et armenta vestrae remaneant*; quasi in pignus, quod sint reversuri. Dubitabat enim de illorum fide Pharao, ideo nolebat eos dimittere, e quibus tantae ipsi commoditates. — 25. גַּם־אַתָּה תִּתֵּן בְּיָדֵנוּ זְבָחִים וְעֹלֹת *Etiam tu dabis in manum nostram*, nobis, *sacrificia et holocausta.* Non satis est, ut Israelitas ipsos una cum parvulis abire permittas, verum etiam oportet, ut pecora ipsorum ad sacrificia et holocausta offerenda eos secum auferre sinas. וְנַעֲשֶׂה לַיהוָה אֱלֹהֵינוּ *Et faciamus*, s. *ut faciamus*, vel: *quae faciamus Jovae, Deo nostro. Facere* dixit pro *facere rem divinam*, sacrificium offerre. Idem loquendi modus Ps. 66, 15.

26. 29. לֹא תִשָּׁאֵר פַּרְסָה *Non relinquetur ungula*, nempe ex ulla specie pecoris nostri; nihil quicquam remanebit. Nec dissimilis est Arabum formula: *pecunia praesens usque ad ungulam*, et Latinorum: *ne latum quidem unguem discedere*, aut: *ne transversum quidem unguem.* כִּי־מִמֶּנּוּ נִקַּח *Nam ex eo accipiemus, ut colamus Jovam, Deum nostrum.* עָבַד hic est i. q. *sacrificare.* וַאֲנַחְנוּ — אֶת־יְהוָה *Nos autem nescimus, quo servituri simus Jovae*, quo genere pecoris sacrificaturi, et quot hostias immolaturi simus. — 29. כֵּן דִּבַּרְתָּ *pulchre*, bene *loquutus es*, ut nostrum *wohl!* לֹא־אֹסֵף עוֹד רְאוֹת פָּנֶיךָ *Non addam amplius videre*, non iterum videbo *faciem tuam.* Quae hac vice Pharaoni adhuc dicta sunt, leguntur c. 11, 4. sqq. Vid. statim not. ad 11, 1. et 4.

16. *Israelitae vasa aurea et argentea ab Aegyptiis petere jubentur. Primogenitorum internecio praedicitur. Cap.* 11, 1 — 9.

Cap. 11, 1. 2. Verba וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־מֹשֶׁה Aben-Esra monet esse in Plusquamperf. vertenda: *dixerat jam prius*, et statim sequi debuisse, quae Vs. 4. leguntur, sed tres hosce Versus esse interpositos. Putat autem haec a Jova Mosi dicta esse, quum adhuc esset in terra Midian, coll. 4, 23. Quod tamen nimis longe petitum videtur. Recte vero observat, haec debere legi per parenthesin usque ad Vs. 4. Quae autem tribus hisce Versibus leguntur, postquam a Pharaone discessisset Moses, ipsi dicta a Jova fuisse putanda sunt. כְּשַׁלְּחוֹ כָּלָה גָּרֵשׁ יְגָרֵשׁ אֶתְכֶם מִזֶּה *Cum dimiserit omnino expellendo expellet vos hinc*, i. e. non partem aliquam duntaxat dimittet, retinendo parvulos et pecora, ut antea cupiebat, sed vos omnes et vestra omnia dimittet (12, 31. 32.); quin adeo

vi quodammodo vos expellet, non dabit, ut moram ncetatis amplius (12, 33.). — 2. Particulam נָא hic verte *nunc;* non semper enim נָא est obsecrantis. LXX. *λάλησον οὖν κρυφῇ εἰς τὰ ὦτα τοῦ λαοῦ.* At illud *κρυφῇ secreto* nihil in Hebraco habet, cui respondeat. Ceterum vid. ad 3, 21.

3. וַיִּתֵּן יְהוָה אֶת־חֵן הָעָם בְּעֵינֵי מִצְרָיִם *Deditque Jova gratiam populi in oculis Aegyptiorum,* conciliavit populo Hebraco gratiam apud Aegyptios. וַיִּתֵּן Vulgatus in Fut. vertit: *et dabit Deus populo graiiam,* quasi hic res futura praenuncietur, infra autem 12, 36. rem factam esse narretur. Tum vero pro וַיִּתֵּן legendum foret וְיִתֵּן, quum tamen jam LXX, qui ἔδωκε verterunt, וַיִּתֵּן extulerint. Nec mirum esse potest, Mosen id quod hic factum narrat infra 12, 36. repeterc in ipsius exitus narratione. Jusso divino de poscendis vasis, hic commemorato, subjungere placuit, Hebraeos haud difficili negotio quod jussi postulassent, ab Aegyptiis consequutos fuisse. Rationem statim addit: גַּם הָאִישׁ מֹשֶׁה וגו׳ *etiam vir ille Moses magnus* erat *valde in terra Aegypti in oculis servorum Pharaonis et in oculis populi,* i. c. et Moses ipse inter regis ministros et apud totum Aegyptium populum summa in existimatione erat. Additur hoc, vere monente Aben-Esra, ut innuatur, multos Aegyptiorum res suas pretiosas Israelitis dedisse ob summam, qua apud illos Moses valuit, existimationem et auctoritatem, propterea quod eum multo doctiorem et Numini acceptiorem haberent omnibus magis Aegyptiis. Simul vero hisce verbis via sternitur ad sermonem Mosis, qui sequitur, et Versum potissimum 8. rectius intelligendum.

4. וַיֹּאמֶר מֹשֶׁה *Et dixit Moses.* E Vs. 8. liquet, fieri sermonem ad Pharaonem. Quae Vs. 4 — 8. leguntur, pertinent ad ultimum colloquium cum Pharaone habitum; neque enim postquam Moses dixit, quae 10, 29. referuntur, iterum Pharaonem adiit. Voluit autem quaedam additamenta hujus historiae inspergere, quae simul viam sternerent, ad historiam exitus et plagae novissimae Aegyptiis immissae. Potest tamen oratio sine hiatu facile connecti et intelligi, si, quae Vs. 1. 2. 3. per parenthesin dicta sunt, uncinis includantur, et Vs. 4. verbum וַיֹּאמֶר transferatur *dixerat autem* Moses Pharaoni. כַּחֲצֹת הַלַּיְלָה וגו׳ *Circa medium noctis ego egredior,* egressurus sum *per medium Aegypti.* חֲצוֹת Jarchi ait non esse nomen substant., id enim esse חֲצִי, sed Infinit. verbi חָצָה, cui praepositum כְּ *circa* valens. Mosen autem minus praecise *circa* mediam noctem dixisse putat, ne erroris aut mendacii accusaretur. Sed infra 12, 29. Jova בַּחֲצִי הַלַּיְלָה egressus Aegyptiorum primogenitos percussisse dicitur. Praeterea definite quoque dicitur Ruth. 3, 8. בַּחֲצִי הַלַּיְלָה, et Ps. 119, 62. חֲצוֹת־לַיְלָה, quibus locis omnibus hoc indicatur: postquam prior noctis pars praeteriisset. Ceterum *egredi per Aegyptum* h. l. idem est ac *transire,* ut 12, 12. Significatur vero hac loquutione ultio divina. Cf. ad Amos 5, 17.

5. 6. מִבְּכוֹר פַּרְעֹה הַיֹּשֵׁב עַל־כִּסְאוֹ *A primogenito Pharaonis, qui sedet super thronum suum.* Illud הַיֹּשֵׁב עַל־כִּסְאוֹ ad Pharaonem ipsum referendum est, nec ad ejus primogenitum. Ita et in verbis, quae sequuntur, עַד בְּכוֹר — הָרֵחַיִם *usque ad primogenitum ancillae quae* (non *qui*) *est post molam*, אֲשֶׁר pertinet ad ancillam; multos enim primogenitorum aetate minores fuisse oportet, quam ut istiusmodi operi essent idonei. Verum ad hunc locum illustrandum cf. illud de Simsone dictum Jud. 16, 21. *et fuit molens in domo vinctorum*, i. e. in carcere. Notum est, veteribus fuisse molas trusatiles, ad quas servi vilissimi damnabantur, quasi ad durissimum servitutis genus. Cf. et not. Jes. 47, 2. Hoc loco scribitur אֲשֶׁר אַחַר רֵחָיִם *quae post molam*, quia, qui molam trudebant, post vectem, quo illa circumagebatur, erant, eumque ante se agebant. וְכֹל־בְּכוֹר בְּהֵמָה *Et omnem primogenitum bestiae.* Id ad cumulum miseriae Aegyptiorum accessurum praenunciatur, ut hominum pariter ac bestiarum primogeniti morte sint absumendi. — 6. אֲשֶׁר כָּמֹהוּ וגו׳ *Qualis* clamor *non fuit, nec addet* esse, i. e. nec postea futurus est. Suffixum masculi. in utroque כָּמֹהוּ refertur ad nomen femin. צְעָקָה, eodem soloecismo, quo Gen. 32, 9. dicitur: אֶל־הַמַּחֲנֶה הָאַחַת וְהִכָּהוּ. Cf. et ad 1, 21.

7—9. וְלִכְלֹא — לְשֹׁנוֹ *Sed ad omnes filios Israelis non exseret canis linguam suam.* Proverbiale pro: non laedet neque terrebit eos quicquam. חָרַץ hic *exserendi* s. *agitandi* significatione capiendum, ut Jos. 10, 21. LXX. *οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ.* Vulgatus: *non mutiet canis.* Verba לְמֵאִישׁ וְעַד־בְּהֵמָה pendent a יַחֲרַץ כֶּלֶב, ut sit: non movebit canis linguam suam *ad* quemquam inde *ab homine ad jumentum*, i. e. nec hominem ullum nec pecudem suo latratu terrebit. לְמַעַן תֵּדְעוּן וגו׳ *Ut sciatis, quod discrimen faciet Jova inter Aegyptios et inter Israelitas.* LXX. *Ὅσα παραδοξάσει Κύριος ἀνὰ μέσον τῶν Αἰγυπτίων καὶ τοῦ Ἰσραήλ.* Ceperunt יַפְלֶה pro יַפְלִא, nam הִפְלִיא et הִפְלָא est *mirabile fecit.* — 8. וְיָרְדוּ *Et descendent* e palatio tuo. Utitur *descendendi* verbo, non quod regium palatium in editiore loco situm esset, sed ex eo linguae Hebraeae usu, quo a dignioribus loeis ad vulgaria et minus honora *descendi* dicitur, unde reges et qui in eorum aulis sunt ministri e palatiis, vel ex alio quoque commorationis loco ad privatos euntes *descendere* dicuntur, vid. Prov. 25, 7. Luc. 14, 9. Futurum igitur ait Moses, ut ad se supplices veniant omnes reges ministri, כָּל־עֲבָדֶיךָ. Quod igitur 12, 31. narratur, non est ita intelligendum, ac si ipse Pharao Mosen adiisset, sed quod servos suos ad eum miserit, id quod h. l. Moses futurum praenunciat. אֲשֶׁר בְּרַגְלֶיךָ *Qui* est *ad pedes tuos*, i. e. qui te sequitur. Haud male LXX. *καὶ πᾶς ὁ λαός σου, οὗ σὺ ἀφηγῇ.* Hieronymus: *et omnis populus, qui subjectus est tibi.* וַיֵּצֵא מֵעִם־פַּרְעֹה בְּחֳרִי־אָף *Et exivit a Pharaone in aestu irae*, vehementer iratus, offensus videlicet verbis illis 10, 29. —

9. לְמַעַן רְבוֹת מוֹפְתַי בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם *Ut multiplicentur ostenta mea in terra Aegypti.* Haec noli de futuro tempore intelligere; sed וַיֹּאמֶר verte in Plusquamperf. *jam autem dixerat.* Nam cum haec Deus loqueretur, unum tantum restabat portentum, quo Pharao permovendus esset, ut Israelitas dimitteret, primogenitorum interfectio. Recte Mendelii fil. reddidit: *Der Ewige hatte dieses dem Moses schon vorher gesagt, Pharao wird euch kein Gehör geben, damit meine Wunder im Lande Mizraim desto mehr werden.*

17. *Initii anni sacri Paschaliumque rituum institutio*, 12, 1—28.

Cap. 12, 1. 2. וַיֹּאמֶר — מִצְרָיִם *Dixitque Jova ad Mosen et Aaronem in terra Aegypti.* Quae postrema verba nequaquam sunt otiosa; nam primam legem divinam Israelitis, dum adhuc in Aegypto haererent, datam fuisse dicit, quum reliquarum legum aliae in monte Sinai, aliae in tabernaculo sacro, aliae denique in campestribus Moabiticis datae essent. — 2. הַחֹדֶשׁ הַזֶּה לָכֶם וגו׳ *Mensis hic* sit *vobis caput* s. initium *mensium*, *primus sit vobis mensium anni.* Antea Hebraeos annum ab autumno inchoasse liquet ex eo, quod 23, 16. tempus, quo fruges in horrea colliguntur, בְּצֵאת הַשָּׁנָה *in exitu anni* ponitur. Is mensis postea vocatus est *Thisri*, ut prior *Nisan.* Nam *Nisan*, *Ijar*, *Sivan*, et ejusmodi nomina mensium, non sunt Hebraica sed Chaldaica, nec reperiuntur nisi in iis V. T. libris, qui post exilium Babylonicum conscripti fuerunt. Vetus nomen mensis ejus, quem Moses primum anni esse voluit, et qui postea Nisan est vocatus, erat אָבִיב, coll. 13, 4. Is mensis Mosis tempore incipiebat a primo Aprilis novilunio, nostroque Aprili, quantum in mense lunari fieri potest, est comparandus, ita ut pars ejus nonnunquam in mensem Majum incidat. Verum quamvis hic a Mose novum anni initium sit constitutum, id tamen ad sacra tantum et festa pertinuit; nam in rebus civilibus numerandi initium, ab autumno, uti antea, semper factum est. Vid. Lev. 25, 9. Quod diserte dicit Josephus *Ant.* I, 3, 3. *Moses Nisan, qui est Xanthicus* (Macedonum), *mensem primum in festis constituit, quum eo Hebraeos ex Aegypto eduxisset. Hic et initium fecit ad omnes honores Numini exhibendos. Sed ad venditiones ac emtiones quod attinet, et aliam administrationem, priorem ordinem servavit.*

3. 4. בֶּעָשֹׂר — לְבֵית־אָבֹת *Decimo* die *hujus mensis accipiant sibi quisque agnum* aut *hoedum pro domo patrum.* Ad בֶּעָשֹׂר est יוֹם subaudiendum, ut Gen. 8, 5. 13. et saepe alias. ו ante יִקָּחוּ *παρέλκει*, ut Jes. 6, 1. *In anno mortis regis Usiae* וָאֶרְאָה אֶת־אֲדֹנָי *conspexi Dominum* (quod nos vernacule *da sah ich* exprimere possumus). De voc. שֶׂה vid. ad Gen. 30, 32. Qualitas et aetas pecudis mactandae Vs. 5. accuratius definitur. Pecus *decimo quarto* demum mensis *die* mactanda (Vs. 6.) quatuor ante diebus hic investigari et parari jubetur. Quod praeceptum istud

solum tempus, non autem futuras generationes spectavit. Nam quum Israelitis profecturis quarto post die essent omnia convasanda, et sat multa curanda praeterea; facile potuisset fieri, ut prae temporis angustiis negligerent nonnullae familiae pecudes parare sat cito, neque postea invenire possent. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 267. Porro jubetur quisque agnum aut hoedum sibi sumere לְבֵית־אָבוֹת *pro domo patrum.* Cum voci בֵּית adjungitur אָבוֹת *patrum*, significatur *familia.* Sicuti enim lat. *familia* modo est arctioris, modo latioris significationis, quum nunc totam gentem denotet, ut *familiam Corneliorum*, nunc eos tantum, qui sub uno *patre familias* vivunt; ita et apud Hebraeos בֵּית interdum integrum populum significat, ut בֵּית יִשְׂרָאֵל, interdum tribum, ut בֵּית לֵוִי, interdum paucos homines, ut Gen. 7, 1. Addit: שֶׂה לַבָּיִת *agnum* s. *hoedum pro domo*, i. e. per singulos domos. Hoc vult: si familia, sive בֵּית־אָבוֹת, paucioribus hominibus constat, sumant unum agnum hoedumve, si vero numerosior est, sumant per singulas domos. Nam in una familia possunt plures esse domus, quae unum eundemque patrem habent. — 4. וְאִם־יִמְעַט הַבַּיִת מִהְיוֹת מִשֶּׂה *Et si minor fuerit domus, quam ut sit ex agno.* Bene LXX. Ἐὰν δὲ ὀλιγοστεὶ ὦσιν οἱ ἐν τῇ οἰκίᾳ, ὥστε μὴ ἱκανοὺς εἶναι εἰς πρόβατον, et Hieronymus: *sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum.* Observant autem Hebraei, decem homines ad unum agnum vescendum sufficisse. וְלָקַח — בֵּיתוֹ *Tum capiat ipse*, pater familias, *et vicinum suum proximum domui suae.* ו ante שְׁכֵנוֹ hic valet *etiam*, uti alias saepissime. בְּמִכְסַת נְפָשׁוֹת *Pro numero animarum.* מִכְסָה h. l. tantum et Lev. 27, 23. obvium, Onkelos et Jonathan vertunt: *numerus.* Jarchi exponit: *ratio, supputatio*, et Aben-Esra חֶלֶק, ut sit *pro parte* sive *portione animarum.* Idem radicem ponit כָּסַס, unde et מֻכָּס (formae מֻמָּר a מָרַר), pereunte Dagesch geminationis signo. Ceterum nota, et verbum כָּסַס et nomina inde derivata soli Pentateucho esse propria. אִישׁ לְפִי אָכְלוֹ תָּכֹסּוּ עַל־הַשֶּׂה *Virum ad os* s. *pro ratione comedere ejus*, i. e. quemque habita ratione cibi, quem edere possit, *numerabitis pro agno.*

5. Sumere jubentur שֶׂה תָּמִים *agnum* s. *hoedum integrum* s. *perfectum*, i. e. omnis vitii et labis expertem, cf. Lev. 22, 19. 20. Idem agnus debuit esse זָכָר *masculus*, quia mas praestat femina, et praestantiora Deo sunt immolanda. Inde *mas* opponitur *vitioso* Mal. 1, 14. — בֶּן־שָׁנָה *filius anni*, annieulus, i. e. qui annum nondum superaverit, q. d. qui natus est hoc anno. מִן־הַכְּבָשִׂים וּמִן־הָעִזִּים תִּקָּחוּ *Ex ovibus vel ex capris tolletis*, i. e. vel hinc, vel inde, nam et hoedus vocatur שֶׂה. ו ante מִן־הָעִזִּים non est copulativum sed disjunctivum, ut Ex. 21, 15. et alias saepissime. Hoc enim voluit: si forte agnum idoneum non haberent, hoedum aeque isti usui inservire posse. Pii tamen Israelitae agnum frequentius et libentius obtulisse videntur, tamquam victimam Deo gratiorem, quia major est in ovibus mansuetudo, docilitas, inno-

centia. Unde factum est, ut olim ovis etiam apud ethnicos pro maxima hostia haberetur.

6. Agnus vel hoedus e grege selectus וְהָיָה לָכֶם לְמִשְׁמֶרֶת *sit vobis in custodiam*, quisque vestrum sua in domo servet. וְשָׁחֲטוּ אֹתוֹ וגו׳ *Et mactabunt eum omnis coetus congregationis Israelis inter duas vesperas.* Per eas Jarchi, et Kimchi totum intelligunt pomeridianum tempus, cum prima parte noctis, quasi sol occasu suo duas vesperas dividat. Sed ex Aben-Esrae sententia duae vesperae incipiunt ab occasu solis et in crepusculo desinunt. Ita enim suam de voce עַרְבַּיִם sententiam profert, ac quare dualis sit numeri explicat: *Et ecce sunt nobis duae vesperae, una est vespera solis, nempe tempus quo sol occidit sub terra; secunda autem vespera est occasus luminis solis, quod apparet in nubibus. Et inter hasce vesperas est circiter hora, et tertia pars horae.* Eadem et Karaeorum est sententia (vid. Triglandi *Diatrib. de secta Karaeor.* p. 182. ed. Wolf.), et Samaritanorum (cf. Relandi Diss. *de Samaritanis*, in *Dissertatt. Miscellann.* P. III. §. 22.), quam et Frisch *vollständ. bibl. Abhandl. vom Osterlamme* etc. (Lips. 1758. 8.) p. 67. et J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1964. suam fecerunt. Alii vero בֵּין הָעַרְבַּיִם totum fere pomeridianum tempus esse volunt, et *primam vesperam* contendunt esse eam, cum sol post meridiem declinare incipit, aestusque vehementior remittere, tertia aut quarta post meridiem hora, *secundam*, cum vere occidit. Sic quidem Pharisaei acceperunt, accipiuntque Rabbanitae, hancque explicationem Josephi tempore, ut tunc plerumque placita Pharisaeorum, Judaei publice sequuti sunt. Sic enim ille *de bello Jud.* VI, 9, 3. Ἑνστάσης ἑορτῆς (*Πάσχα καλεῖται*), *καθ' ἣν θύουσι μὲν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης.* Ergo horam inter IX. et XI., id est, nostram inter pomeridianam III. et V., pascha mactabatur. Hanc sententiam commendat Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 664. „*Duas vesperas*, inquit, et Graeci sic definiunt. Hesychio enim *δείλη πρωΐα ἡ μετ' ἄριστον ὥρα, vespera matura tempus est a prandio* proximum, et *δείλη ὀψία ἡ περὶ δύσιν ἡλίου, vespera sera, quae circa solis occasum.* Hinc Eustathius in libr. 17. *Odyss.: Juxta veteres duplex est vespera: sera enim vespera est, ut ajunt, vesperae pars extrema; altera vero matura vespera, cujus initium statim a meridie.* Ita igitur Hebraeis duplex fuit vespera, utraque ante solis occasum; una meridiei, altera occasui propior. Et intra illud spatium, quod ambae complectuntur, praeter paschalem agnum etiam mactabatur jūge sacrificium, accendebantur lampades, et fiebat suffimentum, Ex. 29, 39. 30, 8.“ Menti Mosis tamen magis convenire Aben-Esrae sententiam, quacum congruit Samaritanis et Karaeis receptus in mactando paschate usus, arguit locus Deut. 16, 6., ubi Moses agnum paschalem mactare jubet: *vesperi circa occasum solis, qua*

tempestate ex Aegypto egressus es. Noetu vero egressos esse Hebraeos, diserte dicitur infra Vs. 31. 42.

7. וְלָקְחוּ — הַמַּשְׁקוֹף *Sumantque e sanguine* se. agni, *ponantque super utrumque postem et super limen superum.* Aben-Esra rationem istius ritus hanc assignat, ut sanguis ille expiatio esset pro unoquoque, qui in domo de agno comedisset, atque signum esset exterminatori ut talem domum praeteriret, coll. Vs. 13. — שְׁתֵּי־מְזוּזוֹת *gemini postes*, ad sinistram et ad dextram. Dicti videntur a זוּז, cui cognatum Arab. זאזא, *movit*, quia mobiles valvae inde pendebant. Contraria de causa Graecis illi σταθμοὶ dicuntur, quod valvae eorum ope fiant σταθεροὶ, *firmae.* מַשְׁקוֹף hoc tantum Capite obvium, fere *superius limen* exponunt, quod Jarchi nomen inde naetum ait, quod *ostium cum occluditur percutiat illud*, nam שָׁקַף Chaldaeis est *percutere.* Alii sic dictum putant a שָׁקַף, quod Hebraeis est *prospicere*, quod prospectui pateat. At quum id verbum *ex alto prospicere* denotet, vid. Ps. 14, 2. 85, 12., haud improbabilis est Aben-Esrae sententia, מַשְׁקוֹף proprie esse fenestram super ostium, quemadmodum in Arabum domibus usitatum esse testatur. Bochartus quoque l. l. p. 679. מַשְׁקוֹף a *prospectu* diei existimat, propter caneellos aut elathros, summis foribus apponi solitos, ut per eos prospieerentur qui fores pulsaverunt, antequam reeluderetur ostium.

8. וְאָכְלוּ — צְלִי־אֵשׁ *Comedantque carnem in hac nocte*, quae sequitur diem 14. mensis Nisan (coll. Num. 33, 3.), *assam igni.* Cur Israelitae agnum paschalem assum comedere jubentur, varii varias, ex parte futiles, rationes afferunt, quas post Bochartum l. l. p. 684. recensuit et perpendit Spencer *de Legum Hebraeorr. rituall.* p. 305. sqq. edit. Tubing. Et is quidem hisce *quatuor* de causis agnum paschalem igne assandum existimat: 1) ne, si cuique fas esset agnum pro suo libitu assare, morum diversitas ordinem et concinnitatem festi violaret; 2) ut ritus alicujus in Zabiorum festis usitati speeies omnis a Pascliate removeretur; 3) quod hic assandi modus minus operosus et 4) quod purus et simplex, nec non maxime apertus et manifestus esset. Verum simplicissimam rationem praecepti de agno paschali assando, non elixando Judaei afferre videntur apud Hottingerum *de Jure Hebraeor.* Leg. 13. p. 23. *quod esus assati festinationem significet, qua egressi sunt ex Aegypto; unde non licuit moram trahere ut agnum coquere potuissent in lebete.* Cf. ad Vs. 9. — מַצּוֹת LXX. ἄζυμα vertunt, Hieron. *panes infermentatos.* Verbum מָצַץ Hebraeis uti in dialectis cognatis significat *emulgere*, *exsugere*, *exprimere.* Azyma autem ab *exprimendo* nullis fidiculis extorseris. Sed alia occurrit vox Arab., nempe מצאץ, iisdem radicalibus, quod Lexicographi חאלץ exponunt, i. e. *purum* et *sincerum.* Itaque מַצּוֹת proprie sunt *puri* et *sinceri panes et ab omni fermento expurgati.* Ratio, cur una cum agno infermentatum panem com-

edere jubentur haec erat, ut meminerint festinationis, qua ipsis Aegypto exeundum esset, cf. Vs. 34. et Deut. 16, 13. — עַל־מְרֹרִים יֹאכְלֻהוּ *Super*, i. e. cum (ut Vs. 9. et 35, 22.) *amaris* sc. herbis *comedent eam*, carnem, אֶת־הַבָּשָׂר, quod praecessit. Nomine מְרֹרִים non quaseunque *herbas amaras*, sed certas quasdam earum species edules significari, res ipsa docet; sed quales, hodie nemo definiverit. LXX. *ἐπὶ πικρίδων*, qua voce lactucae quandam speciem significari, quae reliquis sit amarior, ostendit Bochartus l. l. p. 695. Unde Hieronymus: *cum lactucis agrestibus.* Niebuhr in Praefat. ad *Descript. Arabiae* p. 44. e Forskalii schedis haec refert: „ מרורים. מראר Saadias. Judaei in Sanaa eo referunt lactucam, et *linguam tauri*, i. e. buglossum. Comedunt cum Pascha lactucam, vel, si non adest, buglossum. In Aegypto pariter comedunt cum lactuca oleracea.“ Rationem, cur agnus paschalis cum amaris herbis comedendus fuerit, Hebraei afferunt hanc, ut, qui illo vescuntur, amaritudinis ejus, quam in Aegypto perpessi essent (coll. 1, 14.), memores sint.

9. 10. אַל־תֹּאכְלוּ מִמֶּנּוּ נָא *Ne comedatis ex eo crudum.* נָא vel נִי in Arab. lingua vocatur *cruda*, *semicocta caro.* Nam *cruda* dicuntur non modo, quae ignem nullo modo senserunt, sed non satis cocta. Ratio autem, ob quam semicocta caro vetatur, ex Clerici sententia videtur esse praeceptum sequens, quo jubentur omnem agnum aut haedum absumere, aut comburere, quae superfutura erant, si absumere non possent. Caro enim probe cocta facile absumitur, semicocta pars maxima haeret ossibus. וּבָשֹׁל מְבֻשָּׁל בַּמָּיִם *Et coctum coctum aqua*, scil. אַל־תֹּאכְלוּ מִמֶּנּוּ *ne comedatis ex eo*, quod ex antecedente repetendum. Post בָּשֹׁל addi videtur accuratioris explicationis duntaxat gratia מְבֻשָּׁל בַּמָּיִם, non ut diversa coctionum genera significentur. Sic Aben-Esra ait מְבֻשָּׁל בַּמָּיִם expositionem ejus esse quod praecessit בָּשֹׁל, et monet id de eo etiam usurpari, quod est igne assatum. Sic enim de agno paschali, qui assandus erat, dici Deut. 16, 7. *coques comedesque* eum. Putat autem Aben-Esra, verbis hisce בָּשֹׁל מְבֻשָּׁל בַּמָּיִם specialem forte quendam coquendi modum denotari, quem in regum eduliis usurpari ait, nimirum eum ahcno aqua semipleno supra ignem posito, simulae aqua fervefacta fuerit, olla cum carnibus ac aqua frigida in eam imponitur, atque ita coquitur. Cibum ita coctum ait multo commodiorem esse, quam qui igni appropinquat. Monet insuper, בָּשֹׁל hic esse verbale adjectivum, ejusdem formae cum כָּבֵד *gravis*, nec posse esse Infinitivum Piel, cum quia Caph habet Camez, et Beth Dagesch forti caret, tum quod Infinitivus non soleat ita conjungi cum Participiis, sed duntaxat cum Verbis, sive praeteritis, sive futuris. Hic igitur dictum esse בָּשֹׁל מְבֻשָּׁל, quemadmodum dicitur חָכָם מְחֻכָּם *sapiens sapiens redditus.* Rationem cur non coquendus sit agnus in aqua, Clericus recte hanc esse ait, quod tardius ita coquitur, et minus avide comeditur. כִּי אִם־צְלִי־אֵשׁ וגו׳ *Sed assum igni, caput ejus cum*

cruribus ejus et cum visceribus ejus. Recte Jarchi sic exposuit: *Assate eum*, agnum, *totum* [cf. Vs. 46. Num. 9, 12.] *simul cum capite ejus et cruribus ejus, ac cum interioribus ejus; intestina reddantur ventri, postquam abluta fuerint.* Veteres Hebraeorum magistri praecipiunt agnum paschalem assandum esse in furno lateritio, formam habente ollae sine fundo, foramine instructo (עִיר dicto), per quod ignis immitti possit et educi, nec non foramine in summo (פֶּה dicto), per quod agnus paschalis demittatur in furnum, ita ut agnus sit in medio furni, et ignis infra eum. Loca Talmudis indicavit RELANDUS *Antiqq. SS.* P. III. Cap. 6. §. 18. Haud absimili modo Persae integros agnos assant; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 304. — 10. Ad וְהַנּוֹתָר מִמֶּנּוּ עַד־בֹּקֶר *et quod relictum est ex eo ad mane*, i. e. quod oriente sequentis diei sole non comesum fuerit. Nam comestio agni paschalis prius absolvenda erat, quam matutinum tempus adveniret. Ratio vetiti, de agno paschali quidquam in diem sequentem servare, videtur fuisse, ut prohibeatur, ne partes residuae religiosi convivii ad usum superstitiosum adhiberentur, uti ab aliis populis fieri solebat, veluti a Persis, vid. Herodot. I, 132.

11. וְכָכָה תֹּאכְלוּ אֹתוֹ *Et sic comedetis eum.* Jonathan et Aben-Esra arbitrantur, ritus, qui h. l. praescribuntur, non ad religionem festi, sed ad Pascha Aegyptiacum tantum, tanquam symbola instantis itineris, pertinuisse. Sane hi ritus numquam in legibus anniversariis de Paschate reperiuntur. Sunt videlicet, uti sanguinis adspersio, pro illo tantum tempore imperati, quare et a Judaeis, cum Pascha suum celebrant hodie non observatur. מָתְנֵיכֶם חֲגֻרִים *Lumbi vestri* sint *accincti.* Hic est, nimirum, viatorum habitus. Nam quum vestes Orientalium longiores sint et ampliores aequo, si iter esset faciendum eas succingi necesse erat e regione lumborum; vid. 2 Reg. 4, 29. 9, 1. Jer. 1, 17. Luc. 12, 35. Jo. 13, 4. Ceterum in verbis hebraeis est *ἀκυρολογία*, neque enim succinguntur tam *lumbi*, quam vestes, circa lumbos. נַעֲלֵיכֶם בְּרַגְלֵיכֶם *Calcei vestri in pedibus vestris.* Hoc quoque ad iter parandum pertinebat (Jos. 9, 5. 13.). Nam Hebraei, uti veteres omnino domi plerumque discalceati erant. Quia igitur ad omnia parati esse debuerunt, quae ad iter suscipiendum requirebantur, ne si festinanter ab Aegyptiis expellerentur de re aliqua forent solliciti, additur, ut agnum בְּחִפָּזוֹן *in festinatione* comederent, ne coena media tantum peracta excedere cogerentur. Verba פֶּסַח הוּא לַיהוָה sensu non sunt diversa ab iis, quae Vs. 27. leguntur, זֶבַח־פֶּסַח הוּא לַיהוָה *convivium paschātos hoc est Jovae*, sc. sacrum, uti dicitur שַׁבָּת לַיהוָה *requies Jova* sacrata 20, 10., et חַג לַיהוָה *festum Jovae* sacrum 32, 5. Nomen פֶּסַח (a פָּסַח *saltare, transilire*) proprie *transitum*, seu potius *transilitionem* denotat, atque ideo ceremonia ista sic dicta fuit, quod quum Deus, seu ipsius angelus, percusserit primogenitos Aegyptiorum, Israelitarum domos agni sanguine respersas transilivit illos-

que illaesos et incolumes servavit, coll. Vs. 13. 27. Veterum plurimi Verbum פָּסַח *parcendi* significatu hoc Capite acceperunt, qua significatione et occurrit Jes 31, 5. Josephus quoque *Antiqq.* II, 14, 6. פֶּסַח *ὑπεροβασία*, et Philo *διαβατήρια* reddit, a verbis Graecis *διαβαίνειν transgredi et ὑπερβαίνειν praetergredi.*

12. 13. וְעָבַרְתִּי בְּאֶרֶץ־מִצְרַיִם *Et transibo per terram Aegypti*, angelus, nimirum, totam Aegyptum peragraturus erat, ut primogenitos occideret; cf. Vs. 23. et Sap. 18, 15. sqq. Onkelos: *manifestum me faciam in terra Aegypti.* Saadias: *et manifestum reddam angelum meum.* Aben-Esra: *Cum vis Dei et virtutes transeunt, perinde est ac si ipse transiret.* — וּבְכָל־ אֱלֹהֵי מִצְרַיִם אֶעֱשֶׂה שְׁפָטִים *Et in omnes Deos Aegypti judicia edam.* Haec judicia edita esse affirmatur Num. 33, 4.; sed qua in re sita fuerint, non docet Moses. „Forte, ut intelligerent Aegyptii praesentem adesse Deum, omnibus Diis suis potentiorem, id contigit eorum signis, quod simulacro Dagonis accidisse legimus, cum arca Jehovae ejus aedi fuisset illata 1 Sam. 5, 3. 4., ubi concidisse, Deo impellente, et fractum fuisse narratur [quae et Aben-Esrae est sententia]. Judicia in idola Aegyptiaca praenunciantur etiam Jes. 19, 1.“ Cleric. Hieron. in *Epist. ad Fabiolam:* „Illud Ebraei autumant, quod nocte, qua egressus est populus, omnia in Aegypto templa destructa sunt, sive motu terrae, sive tactu fulminum.“ Alii, ut J. D. Michaelis in Nott. ad versionem V. T. vernaculam ad h. l., hoc eo referunt, quod in Aegypto sacra animalia colebantur viva tanquam symbola et imagines Deorum, et in templis alebantur v. c. bos Apim, hircus Mendem repraesentans. Jam quum et omnium animalium primogeniti morituri essent; si bos Apis, et hircus Mendes primogeniti fuere, et hos internecione periisse necesse fit, quo Jova Deus se superiorem diis Aegyptiis esse luculenta ratione demonstravit. — 13. *Si videbo sanguinem* וּפָסַחְתִּי עֲלֵיכֶם *transibo vos* parcens. Cf. ad Vs. 11. Liberius sensum expressere LXX. *καὶ σκεπάσω ὑμᾶς*, quo modo et Vs. 27. פֶּסַח reddiderunt. Neque tamen eos propriam verbi significationem ignorasse, inde patet, quod Vs. 23. verba וּפָסַח יְהוָה עַל־הַפֶּתַח sic verterunt: *καὶ παρελεύσεται Κύριος τὴν θύραν.* וְלֹא־יִתֵּן הַמַּשְׁחִית בָּכֶם נֶגֶף לָמָּשְׁחִית *Nec erit in vobis plaga ad exitium*, i. e. exitialis. Particip. Hiph. מַשְׁחִית neutraliter pro Substantivo capitur; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 496. — בְּהַכֹּתִי בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם *Quando percutiam*, sc. omnem primogenitum, *in terra Aegypti.*

15. שִׁבְעַת יָמִים מַצּוֹת תֹּאכֵלוּ *Septem diebus infermentata comedetis.* Aben-Esra recte monet, hoc praeceptum non pertinere ad primum paschale convivium, sed septem diebus jussos fuisse vesci azymis in memoriam ejus, quod eis accidit, cum ex Aegypto egressi sunt, quum per praefestinam profectionem ipsis non licuerit exspectare donec massa fermentaretur, Vs. 39. Unde simul colligere est, hanc legem, quamvis *ante exitum* commemoretur,

tamen *post eum* demum datam fuisse. Sed voluit Moses hoc loco leges de paschate, quae diversis temporibus datae sunt, una serie conjungere. STAEUDLIN tamen (*die Aechth. d. Mos. Gesetze vertheidigt* in dem *Krit. Journ. d. neuest. theol. Litt.* a Bertholdto edit. P. IV. p. 116.), quum azyma jam in prima de paschate lege comedi jubeantur (Vs. 8.), Versibus 1 — 20. ea omnia de paschate praecepta, quae Moses ante exitum a Deo acceperit, contineri existimat, quod vero jam tum panes infermentati comedi jubentur, ideo factum esse, ut appareat, Deum praevidisse fore, ut Hebraeis prae festinatione non liceret massam suam fermentare, idque Mosi praesignificasse. Versu 17. exitum tanquam jam factum, utpote certe eventurum, cogitari. Tum Vs. 21 — 27. Mosen promulgare populo quae in paschate celebrando observanda essent, nulla tamen azymorum mentione facta, quod causa, cur futurum sit, ut illa una cum paschali agno sint comedenda, nulli tunc Hebraeorum, nisi Mosi et Aaroni, cognita esset. Quidquid hac de re statuas, nulla causa idonea est, cur ea omnia, quae hoc Cap. de paschatos institutione leguntur longe post Mosen ab alio quodam conficta judicemus cum DE WETTIO *Beyträge zur Einl. i. d. A. T.* I. p. 293. sqq. et II. p. 196. sqq., cujus argumenta pluribus refellit Stäudlin l. l. p. 114. sqq. — אַךְ בַּיּוֹם — מִבָּתֵּיכֶם *Utique die primo cessare facietis*, amoliemini *fermentatum e domibus vestris.* Aben-Esra ait, Israelitas ex traditione incepisse macture agnum paschalem, cum sol ad occasum inclinaret, ac scriptum esse (23, 18.): *non sacrificabis sanguinem sacrificii mei super fermento.* Ac propterea hunc locum ita intelligendum ait, quemadmodum cum dicitur Gen. 2, 2. *et compleverat Jova in die septimo*, i. e. cum inchoatus esset dies septimus, jam completum fuit ejus opus. Ita h. l. verba hebraea ita esse capienda: cum inchoatus fuerit dies primus, jam tunc erit, ut omne fermentum in domibus vestris esse desinat. Addit autem, initium diei primi festi esse finem dici decimi quarti mensis in vespera. Dici enim in hujus Vs. fine: *a die primo ad diem septimum;* septem autem dies completos fuisse a die decimo quarto in vespera, quae fuit finis istius diei decimi quarti, ad diem vicesimum primum vesperi. Istis nimirum septem diebus comedere debebant azyma, coll. Vs. 18. De phrasi וְנִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא מִיִּשְׂרָאֵל vid. ad Gen. 17, 14.

16. וּבַיּוֹם הָרִאשׁוֹן *Die primo*, nempe septem illorum, quibus azyma erant comedenda; cf. Lev. 23, 6. Num. 28, 17. — מִקְרָא קֹדֶשׁ *Convocatio sanctitatis*, sacra, sc. erit, quae Graece dicitur ἱερὰ πανήγυρις, cf. ad 10, 9. LXX. verterunt: κληθήσεται ἁγία, quasi legissent מִקְרָא קָדֹשׁ. Voc. πανήγυρις LXX. ter usi sunt ad vertendum מוֹעֵד, quod *statum et solenne festum* significat Ez. 46, 12. Hos. 2, 11. 9, 5. et semel pro עֲצֶרֶת *coetus hominum*, Amos 5, 21. Voces autem מִקְרָא קֹדֶשׁ plerumque vertunt: κλητὴν aut ἐπίκλητον ἁγίαν. Quot autem essent *convocationes sanctae* docet Moses Lev. 23. Videntur illae dictae eo

nomine, quod tuba ad ostium tubernaculi aut templi, diebus festis, vocaretur populus, coll. Num. 10, 2. 10. Jes. 1, 13. Similiter hodie apud Mohammedanos dies festi et populi conventus ad saera facienda per praecones e turribus templorum indicantur. כָּל־מְלָאכָה לֹא־יֵעָשֶׂה בָהֶם *Omne opus non fiet in eis*, i. e. nullum opus in eis fict. Hebraeis *omnis non* valet *nullus*. Cf. Ps. 143, 2. Rom. 3, 20. Luc. 1, 37.

17 — 19. וּשְׁמַרְתֶּם אֶת־הַמַּצּוֹת *Et observetis azyma*, i. e. diem azymorum, praecepta quae de eo observando vobis sunt data. Pro הַמַּצּוֹת in textu Samar. est המצוה, i. e. הַמִּצְוָה *praeceptum*, quomodo et LXX. legerunt, quum verterent: *τὴν ἐντολὴν ταύτην*. Cui legendi rationi cave ne putes favere et ipsos doctos ex Judaeis, propterea quod R. Josias, uti refert Jarchi, pro מַצּוֹת praecepit legendum מִצְוֹת *praecepta*. Neque enim formulà illà, qua et hic R. Josias est usus, אל תהי קורא כך אלא כך *ne legas sic, sed ita*, veteres illi doctores indicare voluerunt, mutandum esse quidquam in textu recepto; sed hoc tantum sibi vult illa formula: si ita tantisper legatur, occasio sese offeret allegoriae aut allusionis elegantem *νουθεσίαν* vel meditationem nobis suppeditantis. Sententia vero, quam R. Josias ex his verbis elicit, haec est: *quemadmodum non fermentant azymum, ita non fermentent praeceptum; sed si istud venerit in manum tuam, statim illud perfice.* — 18. בָּרִאשׁוֹן ponitur per ellipsin pro בַּחֹדֶשׁ הָרִאשׁוֹן *in mense primo;* cf. ad Ez. 1, 1. — 19. Inter שְׂאֹר et חָמֵץ (Vs. 15.) hoc discriminis est, quod שְׂאֹר sit *fermentum*, חָמֵץ vero *fermentatum*. בַּגֵּר וּבְאֶזְרַח הָאָרֶץ *In advena et in indigena terrae*, scil. poena illa exercebitur, tam peregrinus quam indigena hanc poenam pendet. „Hic duo genera convivarum, qui ad paschalem mensam admittebantur, describuntur. Hebraei Abrahamo oriundi dicuntur אֶזְרְחֵי אֶרֶץ *indigenae regionis*, quia oriundi erant ex Isaaco et Jacobo in terra Cananaea natis; eamque sedem perpetuam a Deo acceperant. Reliqui sunt גֵּרִים, qui sunt aut servilis conditionis, sive domi Hebraeo hero nati sint ex aliis servis, sive aere ejus emti; aut liberi inquilinae Israelitidis, qui circumcisionem susceperant, et *proselyti justitiae* solent vocari.“ Cleric.

21. 22. וַיִּקְרָא — יִשְׂרָאֵל *Convocavitque Moses omnes senes* (vid. 3, 16.) *Israelis*, ut ii, quae a Mose acceperant, ad populum referrent. מְשְׁכוּ וּקְחוּ לָכֶם צֹאן *Extrahite et accipite vobis pecudem.* מְשְׁכוּ *trahite*, vel *extrahite*, sc. pecudem. *Trahendi* significatu מָשַׁךְ occurrit et Gen. 37, 28. Deut. 21, 3. Alii ajunt verbum מָשַׁךְ, cum absolute usurpatur, saepe significare *protractionem pedis*, atque idem esse quod *ire*, *incedere*, ut voces מְשְׁכוּ וּקְחוּ vertantur: *ite et accipite.* Uti LXX. *ἀπελθόντες λάβετε*, Vulgat. *ite tollentes.* — 22. וּלְקַחְתֶּם אֲגֻדַּת אֵזוֹב *Et capietis fasciculum hyssopi.* Nomen אֵזוֹב LXX. *ὑσσωπον*, Vulgatus *hyssopum* verterunt. Alii *origani* speciem intelligunt. Nituntur po-

tissimum Maimonidis et Saadiae auctoritate, qui אֵזוֹב per Arab. צַעְתַר interpretantur, quo nomine *origanum Creticum* Linn. (nobis *Dosten*, *Wohlgemuth*) significari contendunt. Docte de אֵזוֹב egerunt Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 670. et Celsius *Hierob.* P. I. p. 407. sqq. Quaecunque vero planta sit אֵזוֹב; illud certum est, illi purgandi vim tributam fuisse, unde eam ad adspergilla conficienda solebant adhibere, ad purgandos leprosos, et ad lustranda cadaveris contactu pollnta; vid. Lev. 14, 6. 7. 49. sqq. Num. 19, 6. 18. Ps. 51, 9. Addit: וְטִבַּלְתֶּם בַּדָּם אֲשֶׁר בַּסַּף *Et tingetis sanguine, qui est in pelvi.* בַּסַּף Onkelos, quocum convenit Syrus, vertit: *in vase*, Jonathan: *in vase figulino*, et Arabs uterque *in pelvi.* Jarchi: *in vase*, quo significatu סַף legitur 2 Reg. 12, 13., 2 Sam. 17, 28. Cf. Bochartum l. l. p. 670. Sed quum סַף aliis locis, ut Jud. 19, 27. 1 Reg. 14, 17. *limen* denotet, Aben-Esra de interpretatione ejus nominis h. l. haesitasse videtur; nihil enim ipse statuit, sed tantum refert, nonnullos pro *vase* accipere, alios pro *limine.* Agnum ex eorum sententia juxta limen ostii mactatum fuisse ait, atque ita hyssopum sanguine agni tinctum postes adspersisse. LXX. quoque vertunt: *ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ παρὰ τὴν θύραν*, Vulgatus: *in sanguine qui est in limine.* Qua interpretatione motus Augustinus *Quaest. XL. in Exod.* dubitat, utrum agnus juxta ostium fuerit occidendus, an potius ille, qui liniturus erat super limen et postes, vas ipsum, in quo sanguinem excepit, juxta ostium fuerit positurus, ut ad manum haberet, quando tingeret. Pro *limine* hic סַף esse capiendum contendit Gussetius in *Commentar. L. H.* sub rad. ספף. De vase, inquit, „ubi usurpatur, tale est, quod ad bibendum est comparatum (Zach. 12, 2. Jes. 51, 17. 22.), nimis itaque parvum, ad excipiendum agni jugulati sanguinem. Itaque hic *limen* est. Ad limen immolabatur agnus, praeludium faciendorum in tabernaculo, ubi et ad januam tentorii fiebant immolationes, vid. Ex. 29, 11, 42. Lev. 1, 3. Domus eorum instar templi habebantur. — — Porro si סַף hic *limen* est, habemus eodem in loco omnes partes ostii, adsunt enim et הַמַּשְׁקוֹף et מְזוּזוֹת supra et utrinque." Nos quidem, quum pro utraque interpretatione graves adsint testes et argumenta idonea, non audemus quicquam definire. וְאַתֶּם לֹא תֵצְאוּ וגו׳ *Vos autem* quod attinet, *ne exeat quis* vestrum *ostium domus suae usque mane.* „Ne forte nonnulli Aegyptiorum suspicarentur, suos ab Israelitis fuisse occisos." Cleric. Alii interdicti hujus rationem existimant hanc esse, ne in manum angeli percutientis incideret.

23. 24. וְלֹא יִתֵּן הַמַּשְׁחִית לָבֹא אֶל־בָּתֵּיכֶם לִנְגֹּף *Nec dabit*, i. e. sinet sc. Jova *perditorem ingredi domos vestras ad percutiendum.* הַמַּשְׁחִית est *angelus percussor.* Quod initio Vs. Jova ipse per Aegyptum transiturus et primogenitos trucidaturus dicitur, in fine Vs. vero angelo id tribuitur, minime inter se pugnat, quum omnia ad Deum, tanquam causam primariam referri solcant, et

quod quis per alium fieri curat, ipse fecisse censeri solcat. LXX. τὸν ὀλεθρεύοντα, Onkelos et Syrus *destructorem*, Jonathan: *angelum destructorem*, Saadias denique *perdentem* interpretati sunt. — 24. *Et observabitis hanc rem pro statuto, tibi et filiis tuis usque in sempiternum.* Recte Aben-Esra observat, illud *et observabitis hanc rem* pertinere tantum ad id quod Vs. 21. de immolando agno praecipitur; filios autem ideo de Paschate quaesituros (Vs. 26.), quod viderent totam familiam congregatam agnum comedere integrum, nec ullum ex ejus ossibus confringi; quodque alienigena, et inquilinus, et qui non esset circumcisus, de eo non comederet, cujusmodi in aliis solennitatibus consuetudo non erat. Vid. not. ad Vs. 11.

25. 27. וּשְׁמַרְתֶּם אֶת־הָעֲבֹדָה הַזֹּאת *Et observabitis hunc cultum.* עֲבֹדָה ab עָבַד (*fecit*, frequentius autem *servivit*, *coluit*), proprie *cultum*, hinc *ritum*, quasi cultus divini partem, significat. — 27. הִצִּיל — אֲשֶׁר *qui* s. *quod praeteriit domos Israelitarum in Aegypto, quum percusserit Aegyptios et domos nostras liberaverit*, nostrum misertus sit. Cf. ad Vs. 11.

18. *Caedes primogenitorum, Israelitarum discessus*, 12, 29—42.

29. וַיְהִי בַּחֲצִי הַלָּיְלָה *Et factum est in medio noctis.* חֲצִי non semper praecise *dimidium* designat, sed quamlibet partem, uti חָצָה, a quo descendit, *dividere* notat, sive id in duas aequales partes fiat, sive non, vid. e. c. Dan. 11, 4. et cf. ad 11, 4. Quod autem hic noctu factum fuisse dicitur, id Num. 8, 17. diei attributum videtur: *quo die* (בְּיוֹם) *percussi omnem primogenitum in terra Aegypti.* Sed discrimen est inter יוֹמָם *interdiu*, et יוֹם *dies;* illud enim diem artificialem, nempe tempus, quod ab ortu solis ad occasum durat, denotat; hoc autem diem naturalem, qui ex 24 horis constat, ac propterea etiam noctem in se complectitur. Imo יוֹם interdum generalius sumitur pro זְמַן *tempus;* ac propterea in illo loco potius vertendum est: *quo tempore percussi.* וַיהוָה — מִצְרַיִם *Et Jova percussit omnem primogenitum in terra Aegypti.* Ne in hac quidem plaga Eichhorn (*de anno Aeg. mirab.* p. 62.) aliquid deprehendere sibi videtur, quod non quotannis in Aegypto contingere solet. Videlicet eodem tempore, quo calidus deserti ventus, aërem nebulosum reddens, in Aegypto regnat (cf. ad 10, 22.), *grassari solent*, referente Prospero Alpino *de Medic. Aegyptior.* p. 25. a., *in pueris urbis Cairi plurimae variolae pestiferae, contagiosae, quae oriuntur a veneficis vaporibus in aërem tunc a putrida aqua rivi fluminis, Caleg vocati, sublatis, — — a quibus aër infectus, pueros omnes partem rivo proximam habitantes in pestilentes eos morbos incidere est causa. Quam ob causam omnes civitatis habitatores illam rivi partem habitare timentes, ne ipsorum filii ab illo venefico aëre moriantur, alio confugiunt.* „Est autem flumen Caleg“ addit

Eichhornius, „canalis Josephi, antiquis fossa Tanis dicitur, quadraginta saltem milliaria longus, qui quum totam Aegyptum perfluat, pestifera sua exhalatione, foetori lini putrescentis haud absimili, potuit pueros Aegyptios per totam terram pestilenti morbo infieere. Inter quos quum regni haeres, primogenitus Pharaonis filius, cum aliis pueris nobilioribus morte conficeretur; Israelitae quam primum possent Aegypto excedere jussi sunt.“ Verum si iis, quae Moses hic narrat, fidem habemus, non promiscue pueri, sed duntaxat *primogeniti* atque non hominum tantum, vero et pecudum, morte sunt absumti. De verbis הַיֹּשֵׁב עַל־כִּסְאוֹ cf. ad 11, 5. Sed pro iis, quae hic sequuntur, עַד־בְּכוֹר הַשֹּׁבִי אֲשֶׁר בַּבָּיִת הַבּוֹר *usque ad primogenitum captivi, qui erat in domo fossae*, 11, 5. legitur: *usque ad primogenitum ancillae, quae est post molam.* Sed saeros scriptores non tam verborum, quam sensus rationem habere, constat. Sic Gen. 24, 17. est הַגְמִיאִינִי, at Vs. 45. הַשְׁקִינִי. Verba sunt diversa, sensus idem. Sie Ex. 20, 8. est זָכוֹר *memento*, at Deut. 5, 11. שָׁמוֹר *observa.* Et pro עֵד שֶׁקֶר *testis mendax*, Ex. 20, 13., habetur Deut. 5, 17. עֵד שָׁוְא *testis vanus.* Et pro לֹא תַחְמֹד, Ex. 20, 14. legitur Deut. 5, 18. לֹא תִתְאַוֶּה *ne concupiscas.* Similiter his in loeis *primogenitus ancillae* et *primogenitus captivi* eodem recidunt; captiva enim fuit ancilla. בְּבֵית הַבּוֹר *in domo foveae.* Per *foveam*, s. *domum foveae* infima pars carceris intelligitur, in quam captivos et vinctos noctu fuisse detrusos, est verisimile.

30. 32. 33. כִּי־אֵין בַּיִת וגו׳ *Neque enim domus erat, in qua non esset mortuus.* Recte Aben-Esra observat, de omnibus hic diei, quod maximae parti competebat; atque ita haud raro loqui saeros scriptores; vid. Jes. 57, 1. Jer. 5, 1. 9, 2. Ez. 22, 30. Si vero verba illa proprie quis sumere velit, haud improbabile erit, quod Jarchi dicit, si in domo aliqua fuerit primogenitus, cum mortuum esse, si non fuerit primogenitus, qui in domo maximus fuit pro primogenito habitum esse, citatque illud Ps. 89, 28. *etiam ego primogenitum constituam eum*, i. e. summum, maximum, prout sequitur: *celsiorem regibus terrae.* — 32. וּבָרַכְתֶּם גַּם־אֹתִי *Et benedicite etiam mihi*, i. e. intercedite pro me apud Deum vestrum, ut a me et a populo meo avertat hanc pestem. — 33. וַתֶּחֱזַק מִצְרַיִם עַל־הָעָם *Et fortiter instabat Aegyptus apud populum.* LXX. *κατεβιάζοντο οἱ Αἰγύπτιοι τὸν λαόν.* Hieronymus: *urgebant Aegyptii populum.* Verbum ponitur femininum, quia מִצְרַיִם, ut nomen regionis, subaudito מְדִינָה *regio*, aut אֶרֶץ *terra*, generis feminei nomen est. כִּי אָמְרוּ כֻּלָּנוּ מֵתִים *Nam dixerunt: nos omnes morimur.* Bene Jonathan et Hierosolymitanus: *si Israelitae morati fuerint hic hora una, ecce omnes sumus mortui.*

34. מִשְׁאֲרֹתָם צְרֻרֹת בְּשִׂמְלֹתָם *Mactras suas ligatas in vestimentis.* מִשְׁאֲרֹתָם LXX. reddidere *τὰ φυράματα αὐτῶν mas-*

sas suas. Alii quoque veterum *massam ipsam* intelligunt; alii *reliquias* (a שָׁאַר *reliquum esse*) *massarum*, h. e. id quod reliquum fuit ex azymis et amaris herbis, significari putant. Sed recte Aben-Esra מִשְׁאֲרוֹת exponit: *vasa in quibus massam subigunt*, i. e. mactras, quam significationem paene flagitant loca Ex. 7, 28. et Deut. 28, 5. Quum autem mactrae, ut hic dicitur, in vestibus ligarentur, oportet admodum parvas fuisse, quales sunt patellae ligneae, in quibus etiamnum Arabes placentas suas infermentatas depsere, et coctas in itinere secum gerere solent, referente Shawio *Itiner.* p. 8. Praefat. et p. 231. vers. germ. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 303. Vestimenta vero, quibus illigatas mactras portarunt Hebraei super humeris (עַל־שִׁכְמָם), similia fuisse necesse est togis veterum Romanorum et πέπλοις Graecorum, quae quum super humerum habuerint sinum, variae in iis res portari poterant. Isidorus *Origg.* 9, 24. *Toga dicta, quod velamento corpus tegat atque operiat. Est autem pallium purum forma rotunda et fusiore, et quasi inundante sinu et sub dextra veniens super humerum sinistrum ponitur.* Pollux 7, 13. *peplum* dicit inservire ἐνδύναι τε καὶ ἐπιβάλλεσθαι, *ad induendum et insternendum.* Hisce togis plane similia sunt pallia ampla et fluxa, quae hodie Mauri et Arabes gestare solent, nomine Arab. *Haik*, appellata. Vid. Shawium p. 197.

36. וַיְשַׁאִלוּם *Et dederunt* Aegyptii *iis*, Hebraeis. שָׁאַל est *petere*, in Hiphil הִשְׁאִיל, quod secundum analogiam Verborum sonaret *facere ut quis petat.* Hinc fuerunt, qui sic explicarent: etiam quod Israelitae non petebant (plus quam petebant), Aegyptii illis dabant; ita scil. Israelitarum discessum desiderabant. Plerumque tamen הִשְׁאִיל simpliciter est *dare*, sive quis rogatus, sive ultro dederit. Sic 1 Sam. 1, 28. Hanna de filio suo ait: הִשְׁאִילְתִּיהוּ לַיהוָה *dedi eum Jovae.* Et h. l. sensus est: Deus populo gratiam conciliavit apud Aegyptios, *adeo ut dederint petentibus.* LXX. καὶ ἔχρησαν αὐτοῖς, Vulgatus: *ut commodarent iis.* Hinc plerique interpretantur אַשְׁאִיל *commodare*, *mutuo dare*, quem significatum et apud Rabbinos obtinet. At certe si Israelitae ab Aegyptiis mutuabantur ea, quae ab illis habebant, fidem fefellerunt, ac dolose egerunt, cum res mutuo acceptas nec reddiderunt, nec, cum peterent, reddere in animo habuerint. Attamen ipsi LXX. Vs. 35. verba וַיְשַׁאֲלוּ מִמִּצְרַיִם simpliciter reddunt καὶ ἤτησαν παρὰ τῶν Αἰγυπτίων. וַיְנַצְּלוּ אֶת־מִצְרַיִם *Et spoliarunt Aegyptios*, spolia ab iis asportarunt. Cf. ad 3, 22. et ad 35, 22.

37. רַעְמְסֵס est nomen provinciae (Gosenitidis), non urbis, ea enim רַעַמְסֵס scribitur. Cf. ad 1, 11 et ad Gen. 47, 11. — סֻכֹּתָה *Succothas.* Videtur nomen urbis esse, quae initio e nonnullis pastorum casis sive mapaliis constabat, et inde סֻכּוֹת *scenae* appellabatur. Cf. Gen. 33, 17. et *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 256. Plures in Aegypto urbes erant, quae a *scenis*

nomen habuere, ut *Scenae Mandrorum* et *Scenae Veteranorum*, vid. J. E. Faber *Archäologie der Hebräer*, p. 152. Joseph. *Antiqq.* II, 15, 1. hanc urbem eandem esse putat, quae alias Latopolis dicitur. שִׁשׁ־מֵאוֹת וגו׳ *Circiter sexcenta millia peditum virorum praeter parvulos*, nempe eos, qui nondum viginti annos nati fuerunt, ut exponit Aben-Esra. Sed LXX. πλὴν τῆς ἀποσκευῆς, *praeter apparatum*, seu *suppellectilem*. Sic isti interpretes vocem טַף solent interpretari. Quae interpretatio tamen et huic loco et aliis locis plane incongrua est, nisi sumamus, illos nomine ἀποσκευῆς intellexisse familiam minime idoneam ad militiam, sive turbam imbellem. Rem vero, quae hic narratur, quod attinet, duplex solvendus est nodus, alter, qui potuerint tot homines ex 70 viris (Gen. 46, 8. sqq.) 430 annorum spatio nasci? Nam ut essent 600,000 hominum aetate militari, minimum 2,500,000 capita esse oportuit. Alter: quomodo tanta multitudo, cum indigenis Aegyptiis, in inferiore Aegypto potuerit sedes habere et vivere? Ut prima difficultas tollatur, J. D. Michaelis in Notis ad h. l. affert haec. Primo Israelitae multo maturius conjugia inibant, quam nunc in nostris regionibus fieri solet. Orientalium enim regionum incolae, quam citius puberes fiant, quam occidentalium et septentrionalium, adhuc hodie saepe decimo tertio aut quinto aetatis anno conjugia ineunt; cf. Niebuhr *Descr. Arab.* p. 72. Deinde Israelitae tunc diutius vixisse videntur, ita ut aetas eorum usque ad centum annos saepe assurgeret. Quum porro illis temporibus nondum polygamia vetita esset, multi Israelitae πολυγαμοὶ esse poterant. Tum multi veterum et recentiorum testantur, fertilitatem mulierum in Aegypto multo majorem esse quam in aliis regionibus, id quod plerumque Nili aquae tribuunt. Aristoteles *Hist. Animal.* 7, 4.: *Saepe et plerisque in locis geminos* (pariunt mulieres), *quemadmodum in Aegypto. Pariunt etiam tres aut quatuor, et quidem in nonnullis locis frequenter id fit, ut antea dictum est. Sed quinque summum nascuntur. Jam enim pluribus hoc evenisse visum.* Plin. *H. N.* 7, 3.: *Trigeminos nasci certum est, — — inter ostenta ducitur, praeterquam in Aegypto, ubi fetifer potu Nilus.* Seneca *Quaest. Nat.* 3, 25.: *Quorundam causa non potest reddi, quare aqua Nilotica foecundiores feminas faciat, adeo ut quarumdam viscera, longa sterilitate praeclusa, ad conceptum relaxaverit.* Fortasse et circumcisio haud parum ad Israelitarum multiplicationem contulit. Jam enim Philo in libro *de Circumcisione*, T. II. p. 210. edit. Mang. dicit observatum esse, *circumcisas gentes foecunditate pollere, esseque populosissimas.* Cf. S. B. Wolfsheimeri, Medici Judaici, Diss. *de causis foecunditatis Hebraeorum nonnullis codicis Sacri praeceptis nitentibus.* Hal. 1742. Ad haec omnia accedebat singularis Dei providentia, per quam neque pestis, neque bellum, neque fames Israelitas minuebat. Quod vero attinet alteram quaestionem, notandum est primo, antiquis illis temporibus fertilissi-

mam fuisse Aegyptum, ut multitudinem hominum satis magnam alere posset; unde etiam haec terra omnium populosissima fuit in toto fere orbe antiquo. Deinde Israelitae non intra fines terrae Gosen mansisse, sed etiam extra eam cum pecudibus et tentoriis Nomadum more sese explicasse videntur. Quamquam enim Aegyptus fertilissima fuit, tamen Bucolia illa ad Nilum, immo tota inferior Aegyptus tantam multitudinem nullo modo capere potuit. Ex 1 Chr. 8, 21. quidem aliqua cum veri specie colligi potest, Israelitarum pecora etiam in deserto Pelusiaco, hodie *Giofar*, Gosenitidem inter et Palaestinam, pavisse. Haec fere Michaelis, quibuscum sunt conferenda quae hac de re disputavit EICHHORN in *Allg. Bibl. d. bibl. Litt.*, P. I. p. 657. sqq. et vid. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 243. sqq.

38. 39. וְגַם־עֵרֶב רַב עָלָה אִתָּם *Et etiam miscellanea turba multa ascendebat cum iis.* עֵרֶב רַב LXX. reddunt ἐπίμικτος πολύς scil. λαός, Hieron. *vulgus promiscuum innumerabile.* Onkelos et Jonathan: *extranei multi.* Inter Hebraeos quoque Interprr. sunt, qui per עֵרֶב רַב putent significari homines, qui ex Aegyptiis cum Israelitis sese miscuerint. Cf. Num. 11, 4. — 39. וַיֹּאפוּ — עֻגֹת מַצוֹת *Coxeruntque massam illam, quam extulerant ex Aegypto,* in *placentas azymas.* De עֻגַת cf. ad Gen. 18, 6. — וְגַם־צֵדָה לֹא־עָשׂוּ לָהֶם *Et etiam cibum* sc. *ad iter*, viaticum, (LXX. ἐπισιτισμὸν εἰς τὴν ὁδόν,) *non fecerant*, paraverant, *sibi.*

40. *Et habitatio filiorum Israelis, qua habitarunt in Aegypto, fuit quadringentorum et triginta annorum.* Tot annos tamen non potuisse Israelitas in terra illa habitare, Hebraei fere colligunt ex computatione annorum vitae Cahathi et Amrami. Nam Cahathus, Levis filius, qui in Aegyptum cum patre descenderat (Gen. 46, 8. 11.), vixit annos 133 (Ex. 6, 18.), Amramus vero, ejus filius idemque Moses pater, ad annum 137 vitam produxit, 6, 20. Moses denique annos 80 natus mandata ad Pharaonem a Deo accepit, 7, 7. Omnes autem hi anni simul, ex quibus ii sunt detrahendi, quibus pater cum filio vixit, efficiunt tantum 350 annos. Quem quidem nodum Interprr. vario modo solvere conati sunt. Nonnulli textum in mendo cubare censuerunt. Etenim in Cod. Sam. hic Vs. sic legitur: *habitatio autem filiorum Israelis et patrum eorum* (ואבותם), *qua habitarunt in terra Canaanis* (בארץ כנען) *et in terra Aegypti fuit annorum* 430. LXX. vero secundum Cod. Vatic. habent: Ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Sed in Cod. Alexandrino magis convenienter cum textu Samar., post ἣν κατῴκησαν additur αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν. Hanc igitur Cod. Sam. legendi rationem, quam et LXX. exprimunt, si adoptemus (quod praeter alios fecit *Kennicottus* in *Diss. I. super ratione text. hebr.* p. 380. vers. lat.), ab introitu Abrahami in terram Cananaeam usque ad natum Isaacum effluxe-

runt 25 anni (Gen. 12, 4. 17, 1. 21.); Isaacus 60 annos natus erat, cum Jacobus naseeretur (Gen. 25, 26.), Jacobus 130, cum in Aegyptum proficiscerètur (Gen. 47, 9.), ex quibus efficitur numerus 215 annorum: Jacobus deinde atque ejus posteri 215 annis in Aegypto habitarunt; quibus annis simul sumtis summa 430 annorum efficitur. Verum quae in Codd. Samarr. et in LXX. addita leguntur, a totius narrationis Mosaicae scopo ac serie ita sunt aliena, ut cur huic potissimum loco ejusmodi quid immiseere Moses voluerit, nulla appareat ratio. Contra vero manifestum est, verba ista inserta esse ab hominibus semidoctis, qui loci difficultatem tali additamento facillime expugnare posse putarent. Praeterea verba illa: *καὶ ἐν γῇ Χαναὰν*, ne quidem in omnibus Vers. Alex. codd. comparuisse, sed ab antiquissimis seculi secundi p. C. n. codicibus abfuisse, testis est Theophilus Antiochenus, qui etsi hanc versionem sequebatur, non uno tamen loco (*ad Autolycum* L. III. §. 9 et 24.) Hebraeos 430 annos *in Aegypto* solo degisse dicit. Ut certum igitur statuere possumus, hunc locum, prouti in textu Masorethico legitur, incorruptum et genuinum esse. Quod ipsum quum et Hebraei interpretes semper agnoscerent, hunc Vs. simpliciter ac absolute intelligendum esse negarunt, sed duplicem synecdochen hic admittendam esse statuerunt, nimirum ut nomine filiorum Israelis ipsi et patres eorum intelligantur, et *Aegypti* nomine etiam terra Canaan comprehendatur. Atque hoc quidem posito jam Chaldaeus interpres, Jonathan, Versum hunc exposuit. Eandem computandi rationem sequutus est Apostolus, dum Gal. 3, 17. inter foedus illud cum Abrahamo sancitum et legem Mosaicam datam 430 annos intercessisse dixit. Atque ita etiam Augustinus in *Quaest.* ad h. l.: „Ex illa promissione," inquit, „qua vocatus est Abraham, et credidit Deo, post 400 annos factam legem dicit Apostolus, non ex tempore, quo Jacob intravit in Aegyptum. Non itaque quod ait (Gen. 15, 13.): *in servitutem rediget eos et nocebunt illis*, ad 400 annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in servitute, sed referendi sunt 400 anni ad id quod dictum est: *peregrinum erit semen tuum in terra non propria;* quia, sive in terra Canaan, sive in Aegypto, peregrinum erat illud semen, antequam haereditatem sumerent terram. Ut hyperbaton hic (Geneseos l. l.) intelligatur, et ordo verborum sit: *sciendo scias*, *quia* i. e. quod *peregrinum erit semen tuum in terra non propria* 400 *annos;* illud autem interpositum intelligatur: *et in servitutem rediget eos*, *et nocebunt illis;* ita ut ad 400 annos ista interpositio non pertineat." Similem viam ingrediuntur Deyling in *Observatt. SS.* T. I. p. 69. sqq. et Koeppen *die Bibel ein Werk der göttl. Weish.* P. I. p. 303. ed. sec. Alia ratione, ab ingressu videlicet Abrahami in terram Cananaeam 430 annos hoc Vs. positos computat *Josephus* in *Antiqq.* II, 15. 2.: *Reliquerant autem Aegyptum mense Xanthico*, *luna quinta decima*, *anno* 430., *postquam Abrahamus in Cananaeam venit; et*

post Jacobi migrationem in Aegyptum anno ducentesimo quintodecimo. Pugnant tamen cum hoc loco duo alii loci ejusdem Josephi, *Ant.* II, 9. 1. et *de B. J.* V, 9. 4., in quibus Israelitae per annos 400 miserias in Aegypto perpessi esse dicuntur. Qui quidem loci quum cum primo probabili ratione conciliari vix possint, necesse est, illum a librariis, qui Graecis bibliis adsuevissent, corruptum et ad chronologiam LXX. interpretum reformatum statuere, quod in aliis quoque locis factum esse, ostendit J. A. Ernesti in *Exercitat. Flaviana prima*, §. 10 sqq. Cum ea computandi ratione, quae apud Josephum II, 15. 9. legitur, consentit Aben-Esra, qui 400 illos annos, quibus Gen. 15, 13. Israelitas in terra peregrina commoraturos esse praenunciatur, a nato Isaaco computat, triginta vero annos, qui hic sunt additi, ab illo tempore, quo Abrahamus ex solo suo natali exiit, et cum patre suo Carras venit, ubi quinque annis eum mansisse putat. Verum locum Gen. 15, 13. ab hoc Exodi loco non nisi in eo differre, quod in priore numerus rotundus est pro fracto et accuratius definito, sponte apparet. Quae quum ita sint, difficultas illa, quam e computatione annorum vitae Cahathi et Amrami oritur, alia via tollenda erit. Atque J. G. Franke quidem in *Novo Systemate Chronologiae fundamentalis* (Gotting. 1778) p. 155., Cahathum in Aegypto natum esse conjecit. „Id enim," inquit, „minime contradicit numero ac designationi eorum, qui in Aegyptum profecti sunt, Gen. 46, 7 — 27. Inter eos enim decem filii Benjamini numerantur, quos tamen dici non potest tempore introitus in Aegyptum jam natos fuisse, quum Benjamin ipse vix 20 annos complevisset. Praeterea etiam filii Josephi inter eos referuntur, qui in Aegyptum venerunt, quum tamen in Aegypto nati essent, et ipse Josephus jam tum ibi esset, Vs. 27. [cf. nos ad Gen. 46, 12.] Ex his colligi potest, Mosen tantummodo capita et auctores familiarum designare voluisse, qui etiam post introitum in Aegyptum nati erant. Quodsi vero Cahathus in Aegypto natus est, anni ceterorum patrum cum 400 annis facile conciliari possunt." Verum, uti recte monet J. B. Koppe in Progr., quo *Israelitas non* 215, *sed* 430 *annos in Aegypto commoratos esse* efficitur (Gotting. 1777. repetit. in *Sylloge Commentatt. Theol* P. II. p. 255. sqq.), „etsi in isto fragmento genealogico Gen. 46, 7. sqq. partim plures Jacobi nepotes tum, cum abiret ille in Aegyptum, jam natos praetermittens, partim alios, postea demum progenitos commemorari, non improbabile videtur; illam tamen rationem ad Cahathi natales constituendos accommodare vix licet ideo, quod Levi, aetate adeo provecta senem annorum 133, anno quarto ante mortem, adhuc filium progenuisse cum quadam verisimilitudine dici vix potest; maxime, quum ex ratione ea, qua Cahathus inter Gersonem et Merari perpetuo medius constituitur, Merari juniorem Cahatho fuisse, apparere videatur, sicque statuendum foret, ad mortis usque annum in liberis procreandis valuisse virum eum, qui usque ad annum

133 tantum *unius* Gersonis pater exstitisset.“ Ipse Koppius non sine magna veri specie omnem difficultatem sponte evanescere censet, si plurium stirpium inter Cahathum et Mosen interjectarum memoriam nobis periisse, atque aut inter Cahathum et Amramum, aut inter hunc et Mosen plures genealogias intercidisse statuamus. Atque id vere accidisse, ut luculenter pateat, inquit Koppius, „nihil profecto opus videtur, nisi ut locum Num. 3, 28. conferamus, quo Cahathidarum gens Mosis tempore in deserto 8600 virorum numerum complexisse expresse dicitur. Unde sequitur hoc, quum Cahathi filii commemorentur quatuor, Amramus, Iezehar, Hebron, Usiel, inter quos numerus est dividendus, ad Amrami gentem partem ejus circiter quartam, id est, 2150 masculos posteros esse referendos; unde, si Amramus ille, idem pater Mosis existimatur, efficitur hoc, Mosi, qui ipse duos tantum filios genuit, tum fratres, tum ex fratribus filios 2200 exstitisse; quod, si absurdum cogitatu esse, quisque, ut speramus, concesserit, simul hoc, *avum Mosis nullo modo esse potuisse Cahathum*, necessario inde sequi, est confitendum.“ Similia habet Jac. Perizonius in *Origg. Aegyptiac.* P. I. p. 362. sqq. Cf. et Ferd. Guil. Beer in Comm. *von der Aegypt. Dienstbark. der Israeliten* in ipsius *Abhandll. zur Erläuter. der alt. Zeitrechn. u. Gesch.* P. I. p. 166. sqq. Omnino vero recte mihi judicasse videtur Frankius, cum l. l. dicit: „Interim non negandum est, textu Mosaico authentico Ex. 12, 40. satis vindicato, nil interesse, si ejusmodi difficultates fere inextricabiles, quae ex ignorantia circumstantiarum invincibili proveniunt, plene resolvi non possint; et jam sufficere, si rationibus probabilibus contradictio omnis removeatur.“

41. 42. בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *Eo ipso die* (quae verba LXX. omiserunt), scil. decimo quinto mensis Abib, coll. Vs. 6. 13, 4. Hoc tamen non ita accipiendum erit, quasi omnes in universum simul uno eodemque die ex Aegypto sint egressi, sed quod Israelitae eodem illo die a loco suo sese commovere coeperunt. — 42. לֵיל שִׁמֻּרִים הוּא לַיהוָה *Nox observationum est Jovae*, i. e. nox summa religione quotannis ab Israelitis observanda; sequitur enim: הוּא־הַלַּיְלָה וגו׳ *est haec nox Jovae* sc. sacrata, *observanda ab omnibus Israelitis per generationes ipsorum.* Aben-Esra opinatur, per שִׁמֻּרִים esse praeceptum de paschate et azymis herbisque amaris intelligendum. LXX. *Προφυλακὴ ἐστι τῷ Κυρίῳ custodia est Domino.* Vulgatus: *nox est ista observabilis Domini.*

18. *De iis, quibus liceat coenae Paschali interesse,* 12, 43—51.

43. זֹאת חֻקַּת הַפָּסַח *Hoc* est *statutum paschatos.* Ante discessum datam esse hanc legem verisimile est, ut jam a primo paschate exclusi fuerint peregrini, ceteraque, quae hic habentur, sint observata. Mendelii fil. die 14. mensis Nisan hanc legem datam esse colligit e Vs. 50., ubi legitur: *feceruntque omnes Israelitae, sicut praeceperat Jova Mosi et Aaroni,* quibus verbis simul

doceatur, omnes Israelitas una cum servis fuisse tunc circumcisos (Vs. 48.). Additque, fuisse hoc praeceptum Versui 29. praemittendum; sed quum Vs. 27. dixisset Moses, Hebraeos inclinato corpore ipsum salutasse, ut ostenderent, se promissioni de liberatione mox futura fidem habere, visum ipsi fuisse, narrationem de promissa liberatione vere praestita illic inde a Vs. 29. statim subjungere, qua narratione absoluta quod restaret praeceptorum ad coenam paschalem pertinentium, nunc addat et absolvat. כָּל־בֶּן־נֵכָר לֹא־יֹאכַל בּוֹ *Omnis filius peregrini non comedat de eo*, i. e. nullus alienigena, qui circumcisione nondum suscepta populo Hebraeo non accensebatur.

44—46. וְכָל־עֶבֶד אִישׁ מִקְנַת־כָּסֶף *Et omnis servus, vir, emtio argenti*, i. e. ἀγορασώητος, emptitius. Verba absolute sunt posita, et πρότασιν faciunt, Latine sic exprimenda: *quod attinet servum emptitium*, וּמַלְתָּה אֹתוֹ *circumcides eum*. ו ἀποδόσιν indicat, ut alias saepissime. וּמַלְתָּה hic plene pro frequentiore וּמַלְתָּ scribitur; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 256. no. 4. Bene autem exponit Aben-Esra: *ex voluntate* s. *consensu ejus* scil. circumcides eum, *quippe qui convertetur ad religionem Israelis, si filius praecepti fuerit*, i. e. si ea aetate fuerit, ut praecepti sit capax. — 45. תּוֹשָׁב וְשָׂכִיר לֹא־יֹאכַל בּוֹ *Inquilinus*, advena qui inter Israelitas habitat, sed non circumcisus populoque Hebraeo adscriptus, et *mercenarius*, alienigena, qui in domo Israelitae pro mercede servit, *non comedet de eo*. — 46. בְּבַיִת אֶחָד יֵאָכֵל *In domo una edetur*, i. e. in societate una. לֹא תוֹצִיא — חוּצָה *Non efferes e domo de carne foras.* Ratio, quod ab unaquaque familia agnus totus comedi, et quod supererat igne comburi debebat, ne quidquam ex eo in usum profanum cederet; vid. ad Vs. 4. 10. — וְעֶצֶם לֹא תִשְׁבְּרוּ־בוֹ *Et os non confringetis in eo*, cf. not. ad Vs. 9.

48. 49. וְכִי־יָגוּר אִתְּךָ גֵּר *Si autem peregrinabitur*, i. e. commorabitur *tecum*, apud te, *peregrinus*, incircumcisus, וְעָשָׂה *et fecerit*, voluerit facere *Pascha*, nam ex iis quae proxime sequuntur, liquet, non agi de Paschate ante circumcisionem celebrato. Saepe verba actionem significantia voluntatem tantum, aut conatum denotant. הִמּוֹל לוֹ כָּל־זְכוּר *Circumciditor ei omnis masculus*, non ipse tantum, sed omnes mares, qui sunt in familia ipsius aut ad ipsum pertinent, circumcidi debent. וְכָל־עָרֵל לֹא־יֹאכַל בּוֹ *Et omnis non circumcisus non edat de eo.* Inculcatur haec addita clausula eo fortius, ut nonnisi circumcisus et populo Hebraeo adsociatus in epulo paschali conviva admittatur. — 49. תּוֹרָה אַחַת וגו׳ *Lex una erit indigenae et peregrino, qui peregrinatur inter vos*, iidem ritus ab utrisque observandi sunt. גֵּר vero Aben-Esra recte observat notare *peregrinum* s. *proselytum justitiae, non peregrinum portae.* Fuerunt nimirum *proselyti justitiae*, qui circumcisi fuerunt, et omnes legales ritus observarunt. Fuerunt item *proselyti portae*, qui etiam *proselyti inquilini*

(גרים הושבים), qui modo septem praecepta filiis Noae, i. e. toti humano generi data observarent; hi a circumcisione ac reliquis Legis ceremoniis fuerunt liberi.

50. 51. Israelitae hoc Vs. iterum, ut Vs. 28., dicuntur omnia ita fecisse ut iis praeceperant Moses et Aaron. Sed id quod hic legitur Aben-Esra speciatim ad illud referendum existimat, quod Vs. 48. de circumcidendis peregrinis praeceptum est, conjicitque id factum esse eum in deserto Sinai Pascha celebrarent, Num. 9, 5., quo loco eadem, quae hic habentur, verba repetuntur; tunc enim Israelitas circumcidisse omnes qui secum essent peregrinos, eandemque hic putat esse *πρόληψιν*, qualis est 16, 33., ubi Moses Aaroni praecepisse narratur, ut urnam cum Manna ante arcam legis poneret, quae tamen tum nondum exstitit. — 51. Haud improbabilis est Aben-Esrae sententia, hunc Vs. jungendum esse cum 13, 1., ut dicatur, in ipsa nocte exitus, qua Deus Aegyptiorum primogenitos interfecit, dedisse eum mandatum de primogenitis Israelitarum sibi consecrandis.

20. *Proponitur mandatum de primogenitis Jovae consecrandis, et repetuntur praecepta de Paschate celebrando. Cap.* 13, 1—16.

Cap. 13, 1. 2. Vid. ad 12, 51. — 2. קַדֶּשׁ־לִי כָל־בְּכוֹר *Sanctifica mihi omnem primogenitum*, i. e. praecipe Israelitis ut mihi consecrent, separatum mihi habeant meoque usui destinatum omnem primogenitum. Formam Piel constat haud raro significare judicium de re quapiam, aut ejus declarationem, ut טִמֵּא Lev. 13, 3. *immundum esse pronunciavit*, et ibid. Vs. 6. 17. 23. 28. טִהֵר *mundum declaravit*. Ceterum hominum primogeniti Deo consecrabantur eo, quod ejus sacerdotes fiebant; animalium, eo quod ad sacrificia destinabantur. Quod tamen attinet hominum primogenitos, postea ea facta est mutatio, ut certa tribus, Levi, ad sacerdotium destinaretur. Pro כָל־בְּכוֹר LXX. habent *πᾶν πρωτότοκον πρωτογένες*. Sed quum utraque vox Graeca *primogenitum* significet, vix dubitamus, quin dupliei hic (ut alias haud raro) coëunte interpretatione alterutra harum vocum redundet. — פֶּטֶר כָּל־רֶחֶם fere vertunt *quod aperit omnem vulvam*, ab *aperiendi* significatu, quo פָּתַר pollere volunt Ps. 22, 8. Prov. 17, 14. Ita jam LXX. *διανοῖγον πᾶσαν μήτραν*. Cui interpretationi tamen Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 298. duo opponit, unum, quod, si פֶּטֶר sit *apertio*, Ex. 34, 19. פֶּטֶר שׁוֹר וְשֶׂה foret *apertio bovis et ovis*, et statim Vs. 20. פֶּטֶר חֲמוֹר *apertio asini*, quae sunt duriora, nisi suppleatur vox *vulvae*. Alterum, quod verbo פָּתַר *aperiendi* significatio sine idonea ratione tribuitur. „Fortasse igitur," inquit, „ad Arabismum pertinet, quod *primogenitus* פֶּטֶר vocatur. Nam Arabice פטר est *incepit*, *auspicatus fuit*, *primum fecit quid*, et אלפטר *initium*, *exordium*, *et quod in unaquaque re primum*. Unde *primogenitus*, qui *initium roboris* patris sui dicitur Gen. 49, 3. Deut. 21, 17. et Ps. 78, 51.,

appellari potuit פֶּטֶר *initium*, et פֶּטֶר רֶחֶם *initium vulvae*, id est, foetus, quem vulva primum efformavit, atque in lucem edidit.“ Ceterum רֶחֶם Aben-Esra ait pronunciari cum duplici Segol, contra usum communem linguae, quo literae gutturales per duplex Patach (רַחַם) efferenda essent. לִי הוּא *Mihi est*, mihi adquisivi. Nam quia quum percuteret primogenita Aegyptiorum, servaverat primogenita Hebraeorum, ideo ei obligata erant. Primogenita et hominum et caprarum hodienum Indi Deo consecrare solent; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* I. p. 305.

3. 4. Infinitivus זָכוֹר ponitur hic pro Imperativo plurali זִכְרוּ *mementote*, sequitur enim Pers. 2. Plur. Praet. וְיָצָאתֶם *exiistis*. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 783. מִבֵּית עֲבָדִים *E domo servorum*, quasi ex ergastulo, in quo durissimam servitutem serviistis. Unde Deut. 4, 20. 1 Reg. 8, 51. Jer. 11, 4. כּוּר בַּרְזֶל *fornax ferri*, i. e. in qua ferrum excoquitur, vocatur. Verba ultima זָכוֹר אֶת־הַיּוֹם וגו׳ וְלֹא יֵאָכֵל חָמֵץ, sunt cum prioribus, hoc sensu conjungenda: *mementote hujus diei* rel., *ut eo nil fermentati comedatur.* — 4. בְּחֹדֶשׁ הָאָבִיב *In mense Abib.* LXX. *ἐν τῷ μηνὶ τῶν νέων*, scil. *σταχύων*, *in mense novarum spicarum.* Minus accurate Hieronymus: *in mense novarum frugum.* Nam אָבִיב est *spica hordei* coll. 9, 31. Proprie אָבִיב significat calamum, in cujus summitate est spica. Cognatum Arab. nomen אב est *gramen*, *quidquid viroris terra producit.* Is mensis dicebatur a Chaldaeis נִיסָן, Neh. 2, 1. Esth. 3, 7.

5. 6. In Cod. Sam. quinque populis, qui hic recensentur, adduntur, inter Amorrhaeos et Chivvaeos, הַפְּרִזִּי et הַגִּרְגָּשִׁי *Perizaei et Girgesaei.* Sed post Jebusaeos addunt LXX. *Γεργεσαίους καὶ Φερεσαίους.* Non opus erat, quum modo plures, modo pauciores gentium Cananaearum nomine appellentur. Cf. ad h. l. quae notavimus Gen. 13, 7. et Ex. 3, 8. — וְעָבַדְתָּ אֶת־הָעֲבֹדָה הַזֹּאת *Et coles hunc cultum*, i. e. observetis hunc ritum. Hieronymus: *celebrabitis hunc morem sacrorum.* — 6. שִׁבְעַת יָמִים תֹּאכַל מַצּוֹת *Septem diebus comedes azyma*, ut 12, 15. 16. At Samaritae pro שִׁבְעַת legunt ששה *sex*, uti LXX., qui ἓξ habent. Sane Deut. 16, 8. et in Codd. Judaicis legitur: *sex diebus comedes azyma.* Quem locum cum nostro alii aliter conciliare student, uti ostendit Menasse Ben Israel in *Conciliat.* Quaest. 17. in Exod. Nobis quidem maxime probabile est vel quod primo loco ex Abarbenele adfert, sensum esse hunc: praeter diem primum quem celebrasti, sex insuper diebus azyma comedes; vel quod ultimo loco dicit, septem illis diebus duo festa includi, nempe festum azymorum et congregationis sacrae (עֲצֶרֶת), et Mosen eum ait: *septem diebus azyma comedes* (sic et Deut. 16, 3.) ostendere, etiam septimo die, sive festo congregationis sacrae, illa comedenda; quando vero dicit: *sex diebus azyma comedes, et die septimo* עֲצֶרֶת לַיהוָה *congregatio* festa fiet *Jovae* sacra, seu *dies festus* (חַג לַיהוָה) hoc

ipso Vs.), significare, sex istis diebus solum fermento abstinendum, aut azyma esse comedenda; at die septimo aliquid etiam amplius esse requisitum, nimirum ut sacra congregatio instituatur, et ab omni opere faciundo abstineatur.

7. 8. מַצּוֹת יֵאָכֵל *Azymi comedentur*, proprie: *comedetur*, constructio similis illi יְהִי מְאֹרוֹת Gen. 1, 14., ubi vid. not. De חָמֵץ et שְׁאֹר vid. ad 12, 15. — 8. בַּעֲבוּר זֶה עָשָׂה וגו׳ *Propter hoc* quod *fecit Jova mihi, cum egressus sum ex Aegypto.* Oratio est imperfecta; subaudi: *hoc festum celebratur.* Vulgatus: *hoc est quod fecit mihi Dominus* rel. Sed hoc Hebraice foret: זֶה אֲשֶׁר עָשָׂה יְהוָה לִי. Sensus verborum nostrorum est: *propter hoc*, id est, propter ea signa, quae fecit Dominus, celebramus hoc festum in memoriam accepti beneficii. Ellipsis relativi אֲשֶׁר haud infrequens. Sic Ps. 118, 24.: זֶה־הַיּוֹם עָשָׂה יְהוָה *hic* est *dies* quam *fecit Jova* sc. illustrem. Vid. et infra 18, 20.

9. וְהָיָה — עֵינֶיךָ *Eritque tibi in signum super manum tuam, et memoriale inter oculos tuos.* Est proverbialis loquendi formula, qua significetur quidpiam, quod numquam oblivioni mandandum est. Nam quae sunt in manibus nostris, aut a fronte nobis inter oculos pendent, de iis perpetuo cogitemus necesse est. Similia adagia vid. Prov. 3, 3. 6, 22. 7, 3. coll. Jes. 49, 16. Cant. 8, 6. J. D. Michaelis in Not. ad vers. teut. h. l. adagialem illam loquutionem desumtam existimat a more Orientalium, linteas aut pergamenas schedas, quibus sententiae et formulae magicae inscripta essent, pro amuletis in fronte gestandi, aut certas figuras formulasque colore e cinere Henae sive cypri confecto manibus insculpendi. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 307. Judaei quoque seriores, imprimis Pharisaei, hanc admonitionem, uti illas Vs. 16. Deut. 6, 8. 11, 18., male interpretati, utebantur loris illis coriaceis, duplicatis, quibus certae quaedam Legis particulae sunt inscriptae. Cujusmodi lora ad hodiernum usque diem Hebraei precaturi sibi alligant, unum circa caput, alterum brachio sinistro, quaeque תְּפִלִּין vocant, id est, *precatoria*, *oratoria*, a פָּלַל, seu, ut alii volunt, a *conjungendi*, *adhaerendi* significatione, quam radix הִתְפַּלֵּל cum טָפַל communem habet, quasi *adhaesilia*, *alligabilia*, *ligamina.* Graece *φυλακτήρια* vocantur (Matth. 23, 5.), quasi *observatoria*, quod adhibentur tanquam adminicula ad Legis memoriam firmius conservandam. Vid. Buxtorfii *Lex. Chald.* p. 1743. et Spencer *de Legg. Hebraeor. rituall.* T. II. p. 1201. sqq. Secundum praecepta Talmudicorum, segmenta Legis pergamenis illis, תְּפִלִּין dictis, inscribi solent haec: Ex. 13, 2 — 10., ibid. Vs. 11 — 16. Deut. 6, 4 — 9. 11, 13 — 21. — לְמַעַן תִּהְיֶה תּוֹרַת יְהוָה בְּפִיךָ *Ut sit lex Jovae in ore tuo*, ut ejus memineris et posteris tuis edisseras.

10. 11. Observandum praecipitur hoc de paschate statutum לְמוֹעֲדָהּ *stato tempore suo*, quotannis redeunte, מִיָּמִים יָמִימָה

a diebus ad dies, i. e. ab anno ad annum, quo sensu phrasis illa et Jud. 11, 40. 21, 19. 1 Sam. 1, 3. 2, 19. occurrit, et usurpatur plurale יָמִים pro *anno* Lev. 15, 29. Jud. 17, 10. 1 Sam. 2, 19. — 11. אֶל־אֶרֶץ הַכְּנַעֲנִי *Ad* s. in *terram Cananaei*, i. e. Cananaeorum, Singularis est collective capiendus. Cetcrum cf. ad Vs. 5.

12. 13. וְהַעֲבַרְתָּ כָל־פֶּטֶר רֶחֶם לַיהוָה *Et transire facies*, i. e. separabis, consecrabis, *quicquid aperit vulvam Jovae.* Verbum הַעֲבִיר h. l. et aliis similibus, quibus de iis, quae Deo offeruntur, dicitur, notat ea *separare*, s. ut saerata seponere. וְכָל־ פֶּטֶר שֶׁגֶר בְּהֵמָה *Et foetum omnem primogenitum.* De פֶּטֶר vid. ad Vs. 2. שֶׁגֶר significat *emissum ex utero*, i. e. foetum. Nam שָׁגַר Chaldaice est *emittere*, quod metaphorice *parere* significare potuit. Aben-Esra nomen שֶׁגֶר formae (segolatae) אֶרֶץ esse observat, et hinc in regimine puncta sua vocalia non mutare; *ἀνωμαλῶς* esse, quod Deut. 7, 13. 28, 4. 18. 51. שְׁגַר in statu constructo ponitur. Eandem anomaliam esse, quod pro הֶבֶל Coh. 1, 2. 12, 1. הַבֶל legitur. Sed haec videntur Chaldaismi esse. הַזְּכָרִים *masculi*, cf. ad 12, 5. — 13. וְכָל־פֶּטֶר חֲמֹר תִּפְדֶּה בְשֶׂה *Et omnem primogenitum asini redimes ove.* Asinum per synecdochen speciei pro genere pro omni immunda bestia poni, patet e Num. 18, 15., ubi dicitur: *et primogenitum omnis bestiae immundae redimes.* וְאִם לֹא תִפְדֶּה וְעָרַפְתּוֹ *Et si non redemeris, cervicem ejus franges.* Ab עֹרֶף *cervix* est עָרַף *cervicem frangere*, caput amputare. LXX. ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξεις, λυτρώσῃ αὐτὸ, *si autem non mutaveris, redimes illud.* Videtur in verba Graeca mendum irrepsisse. Recte Aquila: τενοντώσεις, *jugulabis*, Symmachus: ἀποκτενεῖς, *interficies.* וְכָל בְּכוֹר וגו *Et omnem primogenitum hominis in filiis tuis redimes.* Redemtionis pretium vid. Num. 3, 47.

14. 15. וְהָיָה — מָחָר *Fietque cum filius tuus interrogaverit te cras.* מָחָר, proprie dies *crastinus*, interdum de tempore longe post futuro usurpatur, ut h. l. et Jos. 22, 27. מַה־זֹּאת *Quid* est *hoc?* i. e. quid sibi vult hoc praeceptum? בְּחֹזֶק יָד הוֹצִיאָנוּ יְהוָה *Cum fortitudine manus*, manu forti (dum primogenitos interficiebat), *eduxit nos Jova.* — 15. וַיְהִי כִּי־הִקְשָׁה פַּרְעֹה לְשַׁלְּחֵנוּ *Factumque est quum indurasset Pharao* scil. אֶת־ לִבּוֹ *animum suum ad dimittere nos*, quum Pharao pertinaciter se nos dimissurum negaret. וַיַּהַרֹג יְהוָה — בְּהֵמָה *Tunc interfecit Jova omnem primogenitum in terra Aegypti a primogenito hominis usque ad primogenitum bestiae*, ad quae verba intellige haec: at liberavit primogenitos nostros, et primogenitos bestiarum nostrarum. Deinde, huic conservationi Israeliticorum, non autem interfectioni Aegyptiorum annecte: עַל־כֵּן אֲנִי זֹבֵחַ *propterea ego sacrifico* rel. כָּל־פֶּטֶר רֶחֶם הַזְּכָרִים *Omne quod primum parit vulva inter masculos*; ex ejusmodi nempe animalium genere, quod ad sacrificandum erat idoneum.

16. וְהָיָה לְאוֹת עַל־יָדֶךָ cf. ad Vs. 9. Ritus paschales voluit legumlator esse admonitiones Aegyptiacae liberationis animo semper praesentes. וְלְטוֹטָפֹת בֵּין עֵינֶיךָ *Et in frontale inter oculos tuos.* טוֹטָפֹת, quod et Deut. 6, 8. 11. legitur, capitis ornamentum fuisse, indicat adjectum בֵּין עֵינֶיךָ, sed de origine illius vocis dissentiunt. Satis verisimile FULLERUS in *Miscell. SS.* L. 5. c. 7. nom. טוֹטָפוֹת existimat petendum ex Arab. lingua, in qua טוף *circuire* denotat; inde dictum esse טוֹטָף (pro טַפְטָף, ut Aramaic. גּוּגְלְתָא pro גֻּלְגֹּלֶת, vid. GESENII *Lehrgeb.* pag. 869.), quia frontem brachiumque circumire, eisque ritu Judaico circumdari solebat. Notat insuper, טוֹטָף, s. טוֹטַפְתָּא apud Chaldaeum paraphrasten non solum 2 Sam. 1, 10. *armillam*, verum etiam Esth. 8, 15. et Ez. 24, 17. 23. *tiaram* significare, nempe quia טוֹטָף et capiti iustar tiarae, et brachio instar armillae circumponi et alligari consueverit. Propterea non incommode טוֹטָף *monile frontis*, vel *monile brachii manusve* reddi posse. Nomen autem *monile* (a *monendo*) apprime quadrare ad vetustum illud phylacterii annectendi consilium, nempe ut admonitionum esset ad efficacem Legis memoriam firmius conservandam. LXX. reddiderunt ἀσάλευτα, *immobilia*, quod eodem in loco (in fronte manuque sinistra) semper haerere nec inde moveri deberent. Alias de hoc nomine sententias recensuit dijudicavitque HACKMANN in *Praecidaneis SS.* p. 90. sqq. Talmudici, quos citat Kimchi in Lexico, טוֹטָפוֹת dicunt vocem esse Aegyptiam. Conf. JABLONSKII *Opuscc.* P. I. p. 347.

II.

Israelitarum ex Aegypto exitus eorumque iter usque ad Ethanum.

Cap. 13, 17—22.

Cap. 13, 17. *Cum autem dimisisset populum*, — וְלֹא־נָחָם פְּלִשְׁתִּים *non duxit eos Deus per viam terrae Philisthaeorum.* Hoc nomen late et stricte sumitur; late, ut eum tota ora maritima Cananaeae Palaestina (פְּלֶשֶׁת Gen. 10, 14. Ex. 15, 14. cf. *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 74.) vocatur, stricte, ut h. l., ubi restringitur ad eum terrae tractum, qui a quinque, quae in eo sitae erant, urbibus, Gaza, Ascalon, Azotus, Accaron, Gath, Pentapolis vocatur. Is erat Aegypto ad boream conterminus. ו ante לֹא consequutionem indicat. כִּי קָרוֹב הוּא plures vertunt: *quamvis propinqua esset* ea via. Sed alii rectius Partic. כִּי solito suo significatu, *nam*, *quia*, accipiunt, vertuntque: *propterea quod propinqua esset;* ne, uti statim additur, si viderent bellum (se. a Philisthaeis iis illatum), eos profectionis suae poeniteret et in Aegyptum redirent.

18. וַיַּסֵּב — יַם־סוּף *Sed circumduxit Deus populum viam deserti maris algosi.* Ante יַם subaudiri potest לְ, ut vertatur: *ad s. versus mare algosum.* De יַם־סוּף vid. ad 10, 19. Voc. חֲמֻשִׁים LXX. ad חָמֵשׁ *quinque* referentes verterunt: *πέμπτῃ δὲ γενεᾷ ἀνέβησαν*, quod sequutus Clericus: *quinta aetate Israelitae ex Aegypto ascenderunt.* In mente habuit locum Gen. 15, 16., ubi tamen *quatuor* tantum generationes significantur. Sed vid. not. ad eum locum. Praeterea nullis exemplis probari potest, חֲמֻשִׁים de quintae generationis hominibus Hebraeis in usu fuisse; quod si per hanc vocem exprimere voluissent, certe scripsissent חֲמִשִּׁים. Omnino vero commemoratio generationis, qua ex Aegypto migrarunt Hebraei, ab hoc loco aliena videtur. Tacemus hic alias istius voc. explicationes haud probabiles. Veram autem notionem vocis חֲמֻשִׁים e ceteris locis, ubi occurrit, intelligimus. Etenim Jos. 1, 14. 4, 12. mulieribus et impuberibus post exercitum remanentibus opponuntur חֲמֻשִׁים *qui ante fratres suos processerunt.* Et Jud. 7, 11. Gideon narratur descendisse אֶל־קְצֵה חֲמֻשֵׁי הַמַּחֲנֶה אֲשֶׁר בַּמַּחֲנֶה *ad extremitatem τῶν . . . . . qui in castris.* Quae loca *armatorum*, ad proelium accinctorum, significatum fere flagitant. Et is quidem firmatur eo, quod Num. 32, 30. 32. et Deut. 3, 18., ubi de eadem re, de qua Jos. 1, 14. 4, 12. agitur, qui hisce locis חֲמֻשִׁים, illis חֲלוּצִים appellantur. Eo vero nomine proprie *circa lumbos accinctos* (a חֲלָצַיִם *lumbi*), hinc *paratos*, *expeditos ad iter* vel *ad proelium* denotari, non est dubium. Nec igitur rejiciendum, quod Hebraei חֲמֻשִׁים *ad quintam costam*, circa regionem vesicae fellis et jecoris, ut R. Jochanan ait (a חֹמֶשׁ *ilia*, 2 Sam. 2, 23.), i. e. circa lumbos *accinctos* proprie significare dicunt, et hoc Exodi loco Israelitas dici exiisse expeditos et accinctos paratosque omnibus ad iter necessariis. Consentiunt cum hac interpretatione Onkelos et duo reliqui Chaldaei paraphrastae, Syrus, Arabs Erpenii, nec non Aquila et Symmachus. Bene ceterum Aben-Esra observat, innui illa dictione, Israelitas בְּיָד רָמָה *manu sublata*, i. e. accinctos et armatos, non tumultuario modo atque confuso, non trepide, fugitivorum instar, iter suum ingressos esse.

19. 20. כִּי הַשְׁבֵּעַ — יִשְׂרָאֵל *Nam adjurando adjuravit* Josephus *filios Israëlis*, i. e. jurejurando eos obstrinxit, cf. ad Gen. 50, 24. 25. — 20. De סֻכֹּת vid. ad 12, 37. — וַיַּחֲנוּ בְאֵתָם בִּקְצֵה הַמִּדְבָּר *Et castra metati sunt in Ethamo, in extremitate deserti*, qua Aegyptum attingit. De nom. אֵתָם egit Jablonski in *Opuscc.* T. II. p. 157., et verisimile fecit, esse Aegyptiacum ATIOM, *terminus maris*, *τὸ πέρας τῆς θαλάσσης*. Ethamum Niebuhr in *Descr. Arab.* p. 408. putat eo loco situm fuisse, quo hodie est *Adschrud*, castellum duo milliaria a Sues situm qua via etiamnum *συνοδίαι (Caravanen)* e Cairo in Arabiam euntes proficisci solent. Cf. *Handb. d. bibl. Alterth.* Vol. III. p. 257. Paulus in *(Samml. d. merkwürdigst. Reisen in d. Or.* P. V. p. 370.)

nomen אֵתָם (pro אִיתָם) proprie *solitudinem* significare putat, coll. Arab. يتم *separatio*, *solitudo;* esse vero illud nomen toti illi deserto inditum, quod Israelitae usque ad fines Aegypti, imo et ultra eos transierunt; coll. Num. 33, 6. 8.

21. Israelitas iter facientes praecessisse Jova dicitur interdiu בְּעַמּוּד עָנָן *in columna nubis*, *ad deducendum eos*, noctu vero בְּעַמּוּד אֵשׁ *in columna ignis*, *ad lumen iis praebendum.* Non duplex columna, altera nubis, altera ignis intelligenda est, sed una tantum, quae interdiu nubis speciem, noctu ignis aut flammae lucentis referebat. Namque 14, 19. et Num. 9, 21. unius tantum columnae fit mentio. Imo quum inter Hebraeos et Aegyptios constituta esset, illis quidem ignis instar lucebat, bis autem ut densa nubes apparebat, 14, 20. Praeterea interpretes quaesiverunt, an *columna nubis* fuerit nubes quaedam ex vaporibus a terra ascendentibus nata, an ex alia re naturali? Deinde, an *columna ignis* fuerit ignis elementaris simplex, an mixtus, urens, ut culinaris? An illarum columnarum existentia fuerit naturalis, an miraculosa? Et an a Deo tunc sint creatae, an vero in prima statim creatione conditae et asservatae? Quae quidem quaestiones ejusmodi sunt, ut iis solvendis nemo sit par. Abarbenel eo quod Jova ante Israelitas progressus dicitur, hoc indicari existimat, Dei providentiam (השגחתו) Israelitis praeivisse, ut eos ab omni malo servaret. Herm. von der Hardt (in *Ephemeridibus philologicis* p. 86. sqq.) demonstrare studuit, nubis et ignis columnam nihil aliud, quam ignem sacrum fuisse, quem populo iter facienti praetulerit Aaron. „Perpetuus hic," inquit, „ignis sacer, in toto itinere non exstinguendus, exercitum Aarone comite semper anteecedens, interdiu spectantibus et eminus intuentibus denso fumo *nubem* oculis objecit, ut viderent ante exercitum fumum ex ara ascendentem. Ignis enim ardens fumo cinctus, interdiu eminus conspici non potest ob splendorem solis, qui ignis lucem superat, adeoque visui, maxime remotiori, subducit. Nocte vero in tenebris ignis clarissime duxit, ascendens ex ara in fumo, dictusque fuit *columna ignis*, sicuti ignis ex incendio urbis Gibeae cum fumo ascendens dicitur *columna fumi* Jud. 20, 40." In similem de igne quodam sacro, qui Israelitis iter facientibus praelatus fuisset, conjecturam nostra aetate incidit Jo. Christ. Förster, *von der Feuer- und Wolkensäule*, in Eichhornii *Repert. f. bibl. u. morgenl. Lit.* P. X. p. 132. sqq. — Fumi, seu nubis, et ignis usum exercitibus iter per solitudines facturis in terris orientem et austrum versus sitis antiquum et pervulgatum fuisse, veterumque auctorum testimoniis dudum celebratum esse, ostendit Jo. Tolandus, in libro, quem *Tetradymum* inscripsit, et sermone Anglico edidit Lond. 1720., Diss. I., quae *Hodegus* inscribitur. Persas in bellum proficiscentes patrio more *ignem*, quem ipsi *sacrum* et *aeternum* vocabant, argenteis altaribus praetulisse, auctor est *Curtius*, qui L. 3. c. 2. tradit, Alexandrum, cum castra movere vellet tuba signum de-

disse; sed quum sonitus illius, plerumque tumultuantium fremitu exoriente, haud satis exaudiretur, perticam, quae undique conspici posset, supra praetorium statuisse, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum: *observabatur ignis noctu, fumus interdiu.* Vegetius *de re militari* 3, 5. ait, si divisae sint copiae, hostium adventum per noctem *flammâ*, per diem *fumo* significari sociis. Frontinus *Stratagem.* 2, 25. tradit, Arabum notam esse consuetudinem, qua de adventu hostium *interdiu fumo*, *noctu igne* significare instituerant. Hisce a Tolando allatis testimoniis addi potest quod narrat Pitts (*Account of the religion and manners of the Mahometans* p. 154., cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 6.) de igne, qui in pelvi ferrea συνοδία, quaecum iter per Arabiam fecit, praeferri solebat. Ceterum columnam nubis et ignis statim post egressum Israelitarum ex Aegypto, cum Ethami castra posuissent, antequam sinum Arabicum transirent, illos praecessisse, nostro loco claris verbis dicitur. Sed quum eodem hoc loco simul et hic illius usus indicetur, *ut ducat eos viam*, לַנְחֹתָם הַדָּרֶךְ, mirum videri potest, quod Moses Jethronem, s. Chobabum, socerum suum (qui altera vice tum ad eum, post Israelitarum ex Aegypto egressum, venisse videtur), ductorem in deserto expetiit, Num. 10, 31. Facile tamen ex hac difficultate expedire nos possumus, si sumamus, Chobabum ideo itineris ducem a Mose expeti, non ut quomodo dirigendum sit iter monstraret, sed ut subinde in rebus dubiis consilio suo illis praesto esset, ob locorum peritiam; cf. not. ad Num. 10, 31. Tolandus non Jovam fuisse putat, qui, ut hoc loco dicitur, per nubis et ignis columnam Israelitis viam monstravit, sed eundem illum Chobabum, quem Jethronis filium fuisse autumat, Mosis affinem, solitudinis Arabicae, fontiumque in ea et pascuorum, gnarum, qui, si non perpetuo, maxima tamen ex parte, castra Israelitarum tanquam dux itineris praecesserit, et fumi ac ignis signo universo exercitui tempus profectionis, ac viam, qua eundum esset, significaverit. Quam Tolandi sententiam refutavit Deyling in *Observatt. miscell.* P. II. p. 751. sqq. Praeterea de hac re disseruerunt J. E. Faber in *Archäologie der Hebr.* p. 244. sqq. et Eichhorn in *allgem. Bibl. d. bibl. Lit.* P. I. p. 74. sqq.

22. לֹא־יָמִישׁ עַמּוּד הֶעָנָן יוֹמָם *Non recessit columna nubis interdiu.* יָמִישׁ intransitive sumimus, quomodo et 33, 11. usurpatur. LXX. οὐκ ἐξέλιπε, quomodo et veterum alii acceperunt. Sed Onkelos transitive vertit: non *amovit* sc. Jova *columnam nubis* rel.

III.

Exponuntur quae post discessum Hebraeorum ex Aegypto in itinere sunt gesta usque ad tertium post exitum mensem. Cap. 14 — 18, 27.

1. *Iter Israelitarum per desertum ad sinum Arab., quem postquam incolumes transierunt, Aegyptios ejus aquae submerserunt.* Cap. 14.

Cap. 14, 2. דַּבֵּר — וְיָשֻׁבוּ *Loquere ad filios Israel et revertentur*, i. e. jube eos reverti. Fuerunt, qui putarent, Israelitas ex Dei jussu regressos esse et ad Aegyptum appropinquasse, nempe ut deciperetur Pharao eum eos in via oberrare existimaret. Verum e tota, quae dehinc sequitur narratione apparet, Israelitas non Aegyptum versus regressos esse, verum potius propius ad mare accessisse; alioquin Pharao eos persequutus non potuisset in mari submergi. Sed videntur Israelitae magis ad austrum processisse quam necesse erat ad circumeundum sinum Arab., ideoque ad laevam ita erat deflectendum, ut ad septentrionem, sive aquilonem redirent. Vid. Paulus *Samml. d. merkwürdigst. Reis.* etc. P. V. p. 383. Porro Israelitae jubentur וְיַחֲנוּ לִפְנֵי פִּי הַחִירֹת *ut castra metentur ad faciem* s. *coram Pi-hachiroth.* Id nomen Hieronymus in *Ep. ad Fabiolam de 42 mansionibus Israelitarum in deserto*, interpretatur *os nobilium.* Id vero Hebraice esset פִּי הַחֹרִים. Sed videtur eam nominis interpretationem, quam a magistro suo Hebraeo accepit, non accurate tradidisse. Illa qualis fuerit, colligere licet ex eo, quod Jarchi ad h. l. notat, locum illum nomen inde naetum esse, quod Israelitae nunc liberi facti essent. Nam חִירוּת Chaldaeis et Hebraeis serioribus est *libertas.* Addit, חִירוֹת esse duas rupes praealtas et arduas, et vallem interjacentem earum *os* appellari. Ita et Saadias: *inter os montium.* Hieronymus l. l. monet, *Hiroth* scribi per literam ח, hac addita nota: „Quidam male *Hiroth*, *villas* putant, errorque manifestus, quod pro supra dicto elemento *Ain* (ע) literam legant;" quasi הֲעִירוֹת in textu esset. Quibus verbis notare Graec. Alex. interpretem videtur, qui sic habet: *ἀπέναντι τῆς ἐπαυλέως.* Sed pluralis nominis feminini עִיר in V. T. semper cum terminatione masculina עָרִים legitur. Aben-Esra ait, nomen loci esse duntaxat הַחִירוֹת, פִּי autem hic *faciem* denotare. Certe פִּי non esse partem nominis, colligi potest ex Num. 33, 8., ubi dicitur, Israelitas profectos esse מִפְּנֵי הַחִירוֹת, ubi LXX. *ἀπέναντι Εἰρώθ.* Nostratium alii פִּי הַחִירוֹת vertunt *fauces montium Chirotharum*, alii *fauces cavernarum*, quasi חִירָה idem esset quod חוֹר *foramen, spelunca;* quod tamen nullo argumento nititur. Clericus conjicit, indicari nomine illo fauces montium, quibus ab occasu cinctus est sinus Arabicus. Verum uti duo reliqua, quae h. Vs. leguntur nomina, מִגְדֹּל et בַּעַל צְפֹן, non tractuum, sed oppidorum, vel vicorum nomina esse ere-

dibile est, ita nec de פִּי הַחִירוֹת aliter statuendum videtur. Jablonskius in *Opuscc.* T. II. p. 159. inde quod Num. 33, 7. 8. tantum הַחִירוֹת legitur, colligit, hoc nomen esse Aegyptiacum, significans *locum in quo magna copia graminis et herbarum provenit.* Omnino vero hodie nemo facile de loci illius situ nominisque ejus significatu certi quid definire poterit. Nam etsi locus ille situs dicitur *inter Migdol et inter mare*, tamen nec hoc nos juvat, quum nec de מִגְדֹּל certi quid constet. Commemoratur haec urbs et Num. 33, 7. Jer. 44, 1. 46, 14. Ez. 29, 10. 30, 6. Nomen hujus urbis haud diversum esse videtur a מִגְדָּל *turris.* LXX. habent *Μαγδωλὸν*, quem locum eundem putant, qui in *Antonini Aug. Itinerario* p. 171. ed. Wesseling. *Μαγδαλὸν* vocatur, et haud procul a Pelusiaco Nili ostio situs erat (vid. ad Ez. 29, 10.). Niebuhr in *Descr. Arab.* p. 409. existimat Migdol sitam fuisse in ea regione, ubi hodie *Bir-Sues* exstat, fons haud procul a Sues, urbe ad ipsam sinus Arabici extremitatem borealem sita. Conf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 259. Addit Moses: לִפְנֵי בַּעַל צְפֹן וגו׳ *ante Baalzephon, e regione ejus castra ponetis ad mare*, i. e. sinum Arabicum. J. R. Forster in *Epistt. ad J. D. Michaelem* p. 28. conjicit, *Baal-Zephon* esse *Heroopolin*, supra occidentalem *μυχὸν* maris Arabici sitam, in desertis, prope lacus amaros, Typhoni sacram, unde nomen sit nacta, Typhonem enim Aegyptiace esse *Dsjophon* appellatum, et pro litera Aegyptia *Genga* (sono cum Arab. ج conveniente) ab Hebraeis et alias ץ usurpari. Potuisset Forsterus pro hac sua conjectura afferre quod tradunt Hebraei, צְפֹן fuisse nomen idoli, quod illic loci collocatum fuerit. Unde Chaldaei paraphrastae, Hierosolymitanus et Jonathan, *idolum Zephon* posuerunt, et Saadias: *Saphun idolum.* Sane *plaga septentrionalis* ubi indicatur, scribitur constanter צָפוֹן, nusquam ut hic צְפֹן. Baal-Zephonem porro eo ipso loco, quo Heroopolis, sitam fuisse, verisimile fecit J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 206. Illo enim ipso loco, inquit, „ubi iter flectebant Israelitae, a laeva manu rubrum mare relinquentes, sita fuit Heroopolis cujus nullam a Mose mentionem fieri, non est credibile; ac nisi jam tum fuisset in extremo sinu Heroopolis, potuissent Israelitae facile elabi nec opus habuissent transire per mare, circuitu patente.“ Conf. libr. nostr. supra laudat. Vol. III. p. 260.

3. 4. וְאָמַר פַּרְעֹה *Dixitque Pharao*, cum audiret Israelitas alio iter flexisse, לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *de filiis Israel.* ל hic valet עַל *de*, ut Gen. 20, 13. אִמְרִי לִי *dic de me;* vid. et infra Vs. 14. Ps. 3, 3. 22, 31. נְבֻכִים הֵם בָּאָרֶץ *Perplexi sunt in terra.* LXX. *πλανῶνται, errant.* Sed recte Aben-Esra notat, נְבֻכִים significare *inopes consilii et quid faciant nescientes.* Sic Esth. 3, 15. civitas Susan dicitur fuisse נָבוֹכָה *perplexa.* — סָגַר עֲלֵיהֶם הַמִּדְבָּר *Conclusit eos desertum*, clausi sunt in deserto, ita ut quomodo egrediantur et quo eant ignorent. Recte Mendelii fil. observat, quum

Vs. 2. primum tertiis personis וְיָשֻׁבוּ וְיַחֲנוּ usus esset Moses, cum pergere in secunda persona, נְכֹחוֹ תַּחֲנוּ עַל־הַיָּם *e regione ejus castra ponatis ad mare.* Hinc colligit, haec verba non esse partem orationis Mosis ad Israelitas, sed Dei ad Mosen, et postquam Deus dixisset: *loquere ad Israelitas, ut reversi castra ponant ante Pi-hachiroth Migdolum inter et mare*, nunc explicationis causa hoc subjungere: *e regione Baal-Zephonis ad mare castra ponere debetis*, ut Pharao inducatur ad credendum, Israelitas nescios quo se vertant errare. Et post haec verba, quasi per parenthesin interjecta, Vs. 4. continuari sermonem Dei medio Vs. 2. abruptum. — 4. וְחִזַּקְתִּי אֶת־לֵב־פַּרְעֹה וְרָדַף אַחֲרֵיהֶם *Et obfirmabo cor Pharaonis ut persequatur eos.* Sensus est, Deum contumacem reddidisse Pharaonem, coll. 9, 12. infra Vs. 17. al. Via recta ex Aegypto ad montem Sinai prope Sues in latere septentrionali sinum Arabicum praeterit, qui hac via euntibus ad dextram est. Quum vero Moses primo Israelitas in Africano hujus sinus litore ita duceret, ut sinus sinistrorsum situs esset Israelitis proficiscentibus, qua via numquam in Arabiam venire potuissent, Pharao Mosen, quod ipsi viae ignarus esse videbatur, ut vatem divinitus missum agnoscere desiit, atque hinc factae Israelitis abeundi potestatis cum poenituit adeo, ut eos insectari decreverit. וְאִכָּבְדָה בְּפַרְעֹה *Et honorabor in Pharaone.* Cum ultionem Deus sumit ab improbis, magnum et gloriosum se ostendit, justitiam suam aeque ac potentiam manifestando. Cf. Ez. 38, 22. 23. — וַיַּעֲשׂוּ כֵן *Et fecerunt ita*, sc. Israelitae, quemadmodum iis praeceptum erat Vs. 2., et iter alio deflectebant.

5. 6. וַיֻּגַּד — הָעָם *Et nunciatum est regi Aegypti, fugere populum*, non cogitare de reditu, sed circumire sinum Arabicum, ut Arabiam ingrederetur. Speraverat Pharao, festo celebrato redituros Israelitas. וַיֵּהָפֵךְ — אֶל־הָעָם *Versumque est cor Pharaonis et servorum ejus contra populum.* Etenim אֶל hic pro עַל ponitur, ut Gen. 4, 8.: אֶל־הֶבֶל *contra Abelem.* Vid. et Num. 32, 14. Jos. 10, 6. — 6. וַיֶּאְסֹר אֶת־רִכְבּוֹ *Et ligavit*, junxit, *currum suum*, i. e. jungi jussit. Quod enim quis fieri praecipit, id facere dicitur, si praecepto obtemperatur. Vid. 1 Reg. 6, 14.

7. 8. וַיִּקַּח שֵׁשׁ־מֵאוֹת רֶכֶב בָּחוּר *Sumsitque sexcentos currus selectos*, quibus significari videntur regii et ad bellum parati; quum כֹּל רֶכֶב מִצְרַיִם *omnes currus Aegyptiorum*, qui post illos memorantur, privatorum essent et sarcinarii. Magnum fuisse constat currnum in bellis usum inter Orientales ab antiquissimis inde temporibus; vid. ad Ps. 20, 8. Aegyptum abundasse equis, liquet ex 1 Reg. 10, 28. 2 Chr. 13, 3. Quaerunt, unde satis equorum suppetere potuerit Pharaoni, quum 9, 6. dicantur pecudes Aegyptiorum periisse. Sed excipiendae sunt eae, quae in stabula coactae fuerant, in quibus maxima pars equorum esse potuit. Sed quinam fuerint שָׁלִשִׁם, qui dicuntur fuisse עַל־כֻּלּוֹ *super iis*

omnibus curribus, haud adeo certum est. Onkelos vertit: *et viri fortes constituti super omnes illis.* Sic et 15, 4. שָׁלִשָׁיו vertit *fortes ejus.* Quod sequutus Jarchi exponit *duces exercituum*, et Saadias: *praefecti*, s. *duces.* LXX. vocis originem respicientes reddunt καὶ τριστάτας. Verum et de hujus nominis significatu variae sunt sententiae, quas refert Origenes in Catenis inedit. ad h. l. apud Montefalcon. Earum verisimillima est, τριστάτας fuisse magnos currus, qui tres homines caperent, ut unus auriga esset, duo autem pugnarent. Cf. Jac. Lydius in *Syntagm. de re militari* L. II. Cap. 3. p. 39. existimat a ternario numero dictos *tristatas* milites omnium strenuissimos et revera antiquos *triarios*, qui in locum duarum classium militarium, si utraque succumberet in proelio, tanquam potior exercitus pars, succedebant, et rem fortiter gerebant, ut Triarii in exercitu Romanorum, de quibus plura *Livius* 8, 8. *Varro de ling. lat.* 4, 16. Aliam praeterea conjecturam proponit Lydius, quum in pluribus linguis ternarius numerus rem in majus extollendi et exaggerandi vim habeat, et in comparatione ultra tertium gradum non ascendi soleat, posse per שָׁלִשִׁי *fortissimum* significari, quasi eum, qui tertium et supremum gradum fortitudinis obtineat, pro quo Graeci dicunt τρισαριστεὺς, et Galli *tresfort.* Nobis quidem magis est verisimile, certum quendam militum ordinem nomine Hebraeo et Graeco significari, qualem tamen, nemo facile definiverit. — 8. וּבְנֵי יִשְׂרָאֵל יֹצְאִים בְּיָד רָמָה *Et filii Israel exibant cum manu elata*, quod Onkelos recte interpretatur: בְּרֵישׁ גְּלֵי *capite aperto*, i. e. palam, animose, confidenter. Quod confirmatur eo quod Num. 33, 3. huic phrasi additur: לְעֵינֵי כָל־מִצְרַיִם *spectantibus omnibus Aegyptiis.*

9. 10. כָּל־סוּס *Omnes equi*, i. e. et currules et singulares; quae duo equitatus genera sequentibus verbis memorantur. — Multum juvaret nos ad melius intelligendam hanc historiam transitus Israelitarum per mare Erythraeum, qui transitus ab accessu et recessu maris pendebat, si certe sciremus, quo mensis die Pharao Israelitas assequutus sit. Sed in tanto silentio Mosis incerti sumus. Judaei tradunt, Pharaonem Israelitas die 21. Nisanis consequutum esse, ita ut illorum transitus ea, quae hunc diem sequebatur, noctc factus sit, hinc etiam azymorum festum illo ipso die absolvi, cf. 12, 18. Hanc temporis rationem satis verisimilem esse, putat J. D. Michaelis in notis ad h. l., Israelitarum itinera et locorum distantiam computans. Ex ejus ratione d. 15. Nisanis Israelitae e Raamsese Succotham emigrarunt, 12, 37., d. 16. Nisanis e Succotha egressi, castra metati sunt Ethami, 13, 20., d. 17. Nis. Ethami quievisse videntur; d. 18. Nis. ad Africanum sinus Arabici latus tendebant, et sub vesperam castra ponebant e regione Pichachiroth, 14, 2. Pharao, qui per praemissos exploratores sine dubio Israelitas observari jusserat, non ante meridiem d. 19. Nis. currus et exercitum paratum educere potuit. Quum igitur Israelitae jam iter tridui confecissent, Pharao, etiam summa adhibita ce-

leritate, eos non ante d. 21. Nis. cum exercitu consequi potuit. Defatigato autem exercitu quum ille impetum in diem sequentem differret, quod Israelitae triduum ad Pichachirotham substiterint, ejus rei causa videtur haec fuisse, ut greges, adhuc per Aegyptum dispersos, colligerent, quod non potuerunt facere eo die quo e Raamsese exierunt, quia exitum suum quam maxime accelerare debuerunt. — 10. הִקְרִיב *accessit, appropinquavit;* Hiphil hic intransitive accipiendum, cf. ad Gen. 12, 11. וַיִּצְעֲקוּ וגו׳ *Et clamabant filii Israel ad Jovam.* Verbum *clamandi* hic non orationem, sed murmurationem et fremitum denotat. Eo sensu nomen צְעָקָה *clamor* et Neh. 5, 1. usurpatur.

11. 12. הֲמִבְּלִי — לָקַחְתָּנוּ *An eo quod non* essent *sepulchra in Aegypto assumsisti nos?* i. e. eduxisti nos, LXX. ἐξήγαγες ἡμᾶς. In מִבְּלִי אֵין est pleonasmus, qualis apud Graecos οὐ μή; et apud Hebraeos הֲרַק אַךְ *an tantummodo?* Num. 12, 2. Sensus ergo: an quia non sunt sepulcra in Aegypto eduxisti nos, ut moreremur in deserto? — 12. הֲלֹא־זֶה — בְּמִצְרַיִם *Nonne iste est sermo, quem loquuti sumus ad te in Aegypto?* Nusquam quidem legitur, Israelitas Mosen antehac ita esse alloquutos; sed eos et antea in Aegypto de successu ejus quod Moses molitus est plane desperasse, e locis 5, 21. 6, 9. apparet. טוֹב לָנוּ עֲבֹד וגו׳ *Melius est nobis servire Aegyptiis, quam mori nos in deserto.* Si scriptum esset מְבוּתֵנוּ, cum Cholem, valeret *prae morte nostra*, essetque nomen substantivum. Jam vero quum cum Schurek sit scriptum, exponendum est *quam ut moriamur.* Sic 16, 3. *quis dabit ut moriamur.* Vid. et 1 Sam. 19, 1.

13. 14. אַל־תִּירָאוּ *Ne timeatis.* Aben-Esra ait, mirum videri posse, Hebraeos, sexcenta millia virorum numero, non ausos fuisse, cum Aegyptiis pugnare. Sed respondet, Israelitas longa et dura servitute oppressos fuisse imbelles et animo dejectos redditos, nec armorum tractandorum satis peritos. Addit Mendelii fil., si vel maxime Hebraei virtute et animo valuissent, armisque instructi et pugnandi periti fuissent, eos tamen, quum totam Aegyptum sibi infensam haberent, non potuisse tanto et tam bellicoso populo resistere, imo timendum ipsis fuisse, ne vi doloque circumventi et denuo subjugati multo duriore, quam antea, servitute opprimerentur. הִתְיַצְּבוּ וּרְאוּ אֶת־יְשׁוּעַת יְהוָה *Consistite et videte salutem Jovae;* non proelio commisso, sed solo divino auxilio e manu Aegyptiorum eripiemini. כִּי אֲשֶׁר רְאִיתֶם וגו׳ *Nam quemadmodum vidistis Aegyptios hodie, non videbitis eos amplius in aeternum.* אֲשֶׁר hic i. q. כַּאֲשֶׁר, *sicut, quemadmodum.* Sensus est: hoc modo, quo nunc videtis Aegyptios, armatos scilicet et vobis imminentes, non amplius videbitis, sed suffocatos et mortuos. — 14. יְהוָה יִלָּחֶם לָכֶם *Jova pugnabit pro vobis.* לָכֶם *pro vobis* s. *propter vos*, ut Vs. 25.: נִלָּחֵם לָהֶם *pugnat pro iis;* et eodem modo ל loco עַל *pro, propter*, Jud. 6, 31. Job. 13, 8. —

וְאַתֶּם תַּחֲרִשׁוּן *Vos igitur tacebitis*, i. e. tacete, clamare desinite, Vs. 10.

15. 16. מַה־תִּצְעַק אֵלָי *Quid clamas ad me?* Moses hic personam totius Israelis sustinet; neque autem ipse ad Deum clamavit eo sensu, quem vid. Vs. 10. Augustinus: *Quid est*, inquit, *quod dicit, quid inclamas ad me? nisi quia intelligi voluit, hoc eum vocis silentio egisse, ut corde clamaret?* דַּבֵּר אֶל־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל וְיִסָּעוּ *Loquere ad Israelitas ut proficiscantur;* nil aliud iis jam agendum est, nisi ut proficiscantur. LXX. וְיִסָּעוּ reddidere καὶ ἀναζευξάτωσαν, *castra moveant;* verbum translatum est ab iis, qui equos iterum jungunt currui ad reditum. — 16. וְאַתָּה — וּבְקָעֵהוּ *Tu autem attolle virgam tuam et extende manum tuam super mare, et finde illud.* Virga quidem non fidit mare; sed simulac Moses elevasset manum suam, Deus immisit ventum orientalem, qui mare siccaret, et quasi in partes finderet. וְיָבֹאוּ וגו׳ *Ut ingrediantur filii Israelis per medium maris in sicco.* Sed תּוֹךְ non semper ita stricte sumi constat, ut eam partem, quae ab utraque extremitate aequaliter distat, significet, sed idem valet quod בְּ *in.* Aben-Esra ad Vs. 22.: *Ne existimes*, inquit, *propterea quod dicit Scriptura* בְּתוֹךְ הַיָּם, *eos pervenisse usque ad mediam partem maris Suph. Nam si vel dimidium parasangae ingressi fuerint in mare vocabitur* תּוֹךְ הַיָּם. Atque ad Vs. 17. notat, haud necesse fuisse, ut Israelitae mare istud intrarent, nisi quod Deus eos ita facere voluit, ut Aegyptii eos insequentes mergerentur. Observat etiam, desertum Etham fuisse tam ab illa parte maris, qua ingressi sunt, quam ab illa parte, qua egressi sunt, vid. 13, 20. coll. Num. 33, 8. Hinc colligit, Israelitas mare rubrum non trajecisse, sed eodem litore, quo intrarunt, exiisse. Cf. ad Vs. 29. Josephus autem *Antiqq.* II, 16, 3. dicit Hebraeos in adversum litus evasisse; atque ista sententia a nostris ferc est recepta, qui propterea dicunt, ex utraque parte maris fuisse desertum, quod appellatum est Etham.

19. 20. וַיִּסַּע — וַיֵּלֶךְ מֵאַחֲרֵיהֶם *Et profectus est angelus Dei, qui incedebat ante castra Israelis, et ibat post eos.* Ad protegendos Israelitas, ne in eos impetum facerent Aegyptii, id factum fuisse, Vs. 20. ostendit. וַיִּסַּע עַמּוּד וגו׳ *Et recessit columna nubis a facie eorum, et stetit a tergo eorum.* Existimarunt nonnulli hanc columnam non diversam fuisse ab angelo, ac propterea rem eandem diversis verbis hic repeti. Neque tamen ostendi potest, columnam ullo unquam loco vocari *angelum Jovae.* Recte vero Mendelii fil. notat, angelum Jovae duxisse nubis columnam ante castra Israelitarum, illo igitur pone castra cedente, eodem et nubem retrocessisse. — 20. וַיְהִי הֶעָנָן וְהַחֹשֶׁךְ וַיָּאֶר אֶת־הַלָּיְלָה *Et fuit nubes et tenebrae*, sc. Aegyptiis, uti recte Onkelos addit, *et illuminavit noctem*, sc. Israelitis. Ita et Jonathan et Hierosolymitanus: *fuit nubes partim lucida, et partim*

tenebricosa; ex una parte tenebrosa fuit Aegyptiis, ex altera lucida Israelitis.

21. 22. In hisce duobus Vss. Israelitarum per sinum Arab. transitus narratur. Quae quidem res digna est, ut in eam curatius inquiramus. Et primum quidem de *loco*, quo Israelitas trajecisse verisimile est, videbimus; tum, *qua ratione* Israelitis via per mare illud patefacta sit, disquiremus; denique nonnullorum *dubiis* respondebimus. — Quod attinet ad *locum*, duae sententiae notatu dignae sunt. Nonnulli, Arabum traditionem sequuti, ut augeant miraculum, putant, Israelitas in valle Bedea trajecisse, inter montes Wadi Rammelie et Ghobeibe, sex fere milliaria germ. ab urbe Sues, ex NIEBUHRII delineatione (*Descript. Arab.* p. 408.). Sed huic sententiae obstat primum, quod non verisimile est, Israelitas tam longe in Africano maris rubri littore progressos fuisse, quum ex Mosis narratione ultimo demum die ad littus Africanum sese verterint. Deinde in valle Bedea sinus ille et latior est, quam ut tot homines tam brevi tempore trajicere potuissent, et profundior, quam ut eo, quo Moses dicit, modo, i. e. vento et recessu maris, hujus solum nudari potuisset. Igitur eorum praeferenda videtur sententia, qui trajectionis locum in intimo sinus Arabici recessu fuisse putant, qui a veteribus *sinus Heroopolitanus*, a recentioribus *sinus Suesensis* (*Meerbusen von Sues*), et in d'Anvillii mappis geographicis *Bahr-Assuez* vocatur. Erat haec jam Clerici sententia (in Diss. *de maris Idumaei trajectione*, Commentario in Pentat. adnexa). Adstipulati sunt ei multi e recentioribus, inter alios MICHAELIS in h. l. Confirmavit eam, qui ipse illam regionem magna cum cura perlustravit, NIEBUHR l. l. p. 409—414. Accedit, quod, Abulfeda teste, *Descr. Aegypt.* p. 30. 24. ed. Michael., et Arabes ex veteri fama tradunt, Pharaonem prope urbem *al-Colsum* (nomine e Graeco *Κλύσμα* facto), cujus locum hodie *Sues* occupat, submersum in mari fuisse. Favet huic sententiae primum, quod, ut monuimus, parum est vero simile, Israelitas ad Bedeam usque devenisse; deinde quod sinus Arabicus qua desinit, arctissimus et ad trajiciendum aptissimus est, ut omnes testantur, qui de eo egerunt. *Strabo* Lib. 2. p. 69. edit. Genev. Ἀράβιος κόλπος ποταμοῦ δίκην στένος ἐστι καὶ μακρός. *Diod. Sic. Bibl.* Lib. 3. p. 172. ed. Rhodom. de extrema hujus sinus parte: *latitudo ad ostium et ad sinum est circiter quindecim stadiorum.* PETRUS VALLENSIS, *Ep. XI.* Cairo data (P. I. p. 122. vers. germ.), ubi describit reditum ex monte Sinai in Aegyptum, cum ad sinum Arabicum accessisset; *pervenimus*, inquit, *ad locum Arabice trajectum dictum, ubi sunt aliquot scaphae, et unde trajiciunt, qui volunt Suessum ire, quod est in occidentali littore, ad Aegyptum pertinente. Qui pedestri itinere eo ire volunt, eos, nescio quot milliaribus, oportet circuire ad ultimum sinus recessum, sed mari (usque adeo eo loco arctum est) non magis distat, quam Pausilippus a Neapoli*

tana mole. Haec circiter duobus milliaribus inter se distant. Pet. Bellonius, *Observatt.* Lib. II. c. 58. *Hoc mare rubrum est tantum arctus canalis, non latior quam Sequana inter Haveroflorium et Hondeflorium.* Niebuhr l. l. p. 410. dicit, eam sinus partem, ad quam urbs Sues sita est, videri tantum fluminis latitudinem habere, quamvis ultra MD passus latus sit. Difficile ergo non fuit, quamvis ingenti multitudini, citato gradu nonnullarum horarum spatio maris alveum trajicere, quod vix fieri potuisset, si latior esset. Hinc quoque colligimus, ut bene Clericus monet, aquam refluam ad meridiem non modo relinquere coactam littora sicca, sed etiam propter angustias loci ipsum medium alveum nudare. Cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 262. sqq. — Jam quod attinet *rationem*, qua Israelitis via per mare patefacta esse videatur, ea Vs. 21. ita describitur: *Extendit Moses manum suam super mare, et abire fecit Jova mare vento orientali valido tota nocte, reddiditque mare siccum, et diffissae sunt aquae.* Dicit ergo Moses, postquam ab ipso mare percussum esset, vehementem illum ventum ortum esse, qui aquas diviserit; non igitur percussione ipsa aquae disjectae sunt, sed per ventum, qui כָּל־ הַלַּיְלָה *per totam noctem* flavisse dicitur. Ventus vero vocatur קָדִים, quae vox plerumque vertitur *Eurus*, *Ostwind.* Sed hic facilius potuisset fluctus in littus Africanum, in quo erant Israelitae, impellere, quam aquas dividere. Igitur Clerici placet sententia putantis, voce קָדִים h. l. non respici ad plagam coeli, unde hic spirarit ventus, sed *ventum vehementem*, undecumque flaverit, significari. Ita Vulgatus; *vento vehementi et urente*, quia ventus קָדִים adurere alias dicitur. Voce קָדִים significatur ventus *vehemens* Ps. 48, 8. (ubi LXX. ἐν πνεύματι βιαίῳ) Ez. 27, 26. Omnia subvertere et dispergere dicitur Job. 27, 21. Jer. 18, 17., et Jes. 27, 8. vocatur רוּחַ קָשָׁה *ventus durus.* Non autem alio vento facilius in Occanum sinus Arabici repelli potuerunt fluctus, nisi septentrionali. Vocem עַזָּה addidit Moses, ut indicaret, ventum illum praeter modum vehementem fuisse. Bene haec verba vertit Michaelis: *einen entgegenwehenden* (fluctibus maris) *heftigen Wind.* Sed quum non verisimile sit, solo vento mare ita repelli potuisse, ut vadosum fieret, Clericus et alii statuerunt, maris refluxum, illo ipso tempore ortum, multum contulisse, ut id efficeretur, quod solus ventus efficere non potuit. Mari enim rubro influxum et refluxum *(Ebbe und Fluth)* esse, et quidem, de quo olim nonnulli dubitarunt, usque in intimum ejus recessum, novissimis et accuratissimis observationibus eorum, qui illas regiones adierunt, extra omnem dubitationem positum est. Jam *Herodot.* 2, 11. testatus est, mare illud habere influxum et refluxum. *Diod. Sic.* Lib. III. p. 172. ed. Rhod.: *habet insulas longas, et angustos transitus, aestum vero multum et vehementem.* Christoph. Furerus, Nobilis Germanus, in descriptione itineris, quod a. 1565. per Orientem fecit, narrat, *se cum Jacobo*

Beiero ante fluxum maris partem sinus Arabici prope littus transiisse. Et in ipso sinu Suesiano fluxum et refluxum aquarum observarunt Monconys et Niebuhr, qui (l. l. p. 421. sq.) testatur, se illo ipso in loco saepe vidisse tempore maris recessus aquas usque ad tres et $3\frac{1}{2}$ pedes diminutas. Deinde in intimo hujus sinus recessu loca quaedam inveniuntur vadosa, quibus tempore refluxus aquarum ab uno littore in alterum oppositum littus iri potest. Ipse Niebuhr haud procul a ruinis urbis Colsum, prope Sues, eo refluxus tempore, quo aquae minutissimae erant, sinum equo transvectus est; ita ut Arabibus juxta cum euntibus aquae tantum ad genua pertinerent (p. 412. l. c.), id quod etiam plures peregrinatores fecerunt, ut testatur Büsching *Erdbeschr. v. Asien* p. 471. Mosen observato rubri maris refluxu tam exiguae latitudinis sinum facile transire potuisse, jam olim exstitisse qui contenderent, ex Artapani testimonio constat apud Eusebium *Praep. Evang.* 9, 27. Postquam enim dixisset, populum Hebraeum, multis ab Aegyptiis, cum poculis tum vestibus corrogatis, aliaque multiplici gaza, trajectis Arabiae fluminibus, magnoque confecto itinere, ad mare rubrum pervenisse, a Memphitis hoc ita narrari subjicit, quod Moses observato reciprocantis aestus tempore sicco mari universam multitudinem transmiserit. Huc pertinere videtur quod a Troglodytis mari rubro accolis accepit Diod. Sic. *Biblioth.* 3, 39.: *Apud Ichthyophagos accolas traditur historia, servatâ a majoribus famâ, cum fuisset ingens refluxus, exsiccatum esse totum sinus alveum, qui viridis erat adspectu, mari in contrarias partes refuso. Cum apparuisset autem in fundo terra, iterum gravem aestum supervenisse, et in pristinum statum alveum restituisse.* Practerea ad refluxum, qui illo tempore forsan contigerit, accedere poterat, quod per singularem Dei providentiam, Coro illo vehemente exorto redeuntium ex meridie in septentrionem fluctuum impetus ita sisteretur, ut refluus maris motus, quum is alias 6 horas durare soleat, tunc 12 horas duraverit. Nam saepius et in aliis regionibus fieri solet, ut ventis exortis vehementibus sicuti adfluorum ita refluorum fluctuum impetus sustineatur (*dass Fluth auf Fluth, und Ebbe auf Ebbe folgt*). Ita in Hollandia a. 1672. pridie Idus Julias vento a continente flante refluus maris motus per 12 horas duravit, qua re impedita est Anglorum exscensio, et servata est Belgia; id quod narrat Burnetus in *sui temporis historia*, P. I. p. 334. Similiter Mosis tempore, fieri potuit, ut vento vehementi ex septentrione flante fluxus aquarum diutius quam solitum sustineretur, et maris solum nudaretur in locis, quibus numquam antea. Qua in re, quamquam ea ex solitis naturae legibus contigit, tamen non minus singularis Dei providentia et divina Mosis legatio cernebatur, quam si illa modo prorsus insolito facta esset. Vid. quae hac de re scripsit Geo. Sam. Ritter in Henkii *neuem Magaz. f. Religionsphilos., Exeg. u. Kirchengesch.* Vol. IV. p. 291. sqq. Cf. Paulus *Samml. v. Reisebeschr.*

P. V. p. 391. — Superest, ut nonnullis respondeamus objectionibus, quibus hujus historiae fidem nonnulli labefactare conati sunt. Primum quaerebant, qui tam brevi tempore tot hominum myriades cum mulieribus et infantibus mare potuerint transire? Verum si Israelitae, ut Michaelis evincere studuit, hora octava vespertina trajicere coeperunt; usque ad vigiliam matutinam, i. e. tertiam diei horam, adeoque intra 6 vel 7 horas, potuerunt trajicere mare tantum 757 passuum duplicatorum latam. Quod eo facilius creditu erit, si cogitamus, non totum Israelitieum populum transiisse, sed tantum aliquam ejus partem. Perquam enim verisimile est, maximam Israelitarum partem, cum mulieribus, infantibus et pecoribus jam antea in Arabiam migrasse. Hac ratione numerus transeuntium valde minuitur. Cf. Eichhornii *Allgem. Bibl. d. bibl. Litt.* P. I. p. 670. sqq. — Alii obvertunt, maris rubri fundum nonnullis in locis coralliis acutis ita asperum esse, ut Israelitae nisi valde saueiati transire non potuerint, idque magnum fugae impedimentum fuisse. Sed hoc optime refutat Niebuhr (l. l. p. 412.) referens: *extremi hujus sinus littora usque ad Girondelam plane arenosa esse, nec prius se vidisse corallia quam inter Hammam-Faraun et Tor.* Fundo vero sabuloso facilius transiri potuit quam lutoso et coenoso. — Facile etiam refelli potest id, quod alii objecerunt, per algam, frequentem in mari rubro, aut valde impeditum esse transitum, aut prorsus prohibitum. Testatur enim Niebuhr p. 417. sq. in Sinu Suesensi plane nullam nasci algam, sed tantum in australi maris Erythraei parte. Non defuerunt etiam, qui prorsus dubitarent, an vere talis per mare transitus fieri potuisset. Sed his responderi potest, transitum exercitus per mare non plane sine exemplo, atque igitur nil tam incredibile esse. Ita Strabo XIV, 2, 9. narrat (de Alexandro): *Apud Phaselidem sunt ad mare angustiae, per quas exercitum traduxit Alexander. Est enim ibi mons Climax, Pamphylio incumbens mari, et propter litus arctum relinquens transitum, qui tranquillo mari nudatur, et a viatoribus perambulari potest; mari exundante fluctibus admodum obtegitur.* Denique addit: *Alexander autem hybernam incidit in tempestatem, cumque fortunae maximam eventus partem crederet, antequam defluerent undae, profectus est; itaque contigit, ut totum diem milites per aquam iter facerent, usque ad umbilicum in eam demersi.* Vid. et quae *Livius* 26, 45. narrat, qua ratione Carthago Nova a Scipione Africano capta sit. Nec minus notatu digna sunt verba *Josephi Ant.* II, 16, 5. *Et ego quidem prouti sacris in libris scriptum reperiebam, horum unumquodque memoriae prodidi. Nemo vero narrationem ut incredibilem miretur, si antiqui homines et malitiae expertes in maris scissura viam ad salutem invenerint, sive Dei voluntate, sive sponte naturae; quandoquidem heri et nudius tertius iis, qui sub ductu erant Alexandri, Macedoniae regis, cessit Pamphylium mare, et aliam viam non habentibus*

illac iter aperuit, cum Deus ejus opera ad Persarum imperium evertendum uti decrevisset; id quod et omnes testantur, qui Alexandri res gestas scriptis mandarunt. Plura vide in DES-VIGNOLES *Chronologie de l' histoire sainte* T. I. p. 643. sqq., in J. D. MICHAELIS Notis in h. l. et in DOEDERLEINII libro *Fragmente und Antifragmente*, P. I. p. 77. sqq. in Franco-Galli cujusdam disputatione, quae vernacule translata legitur in J. D. MICHAELIS *zerstreut. kl. Schrr. Erste Lief.* Jen. 1793. Cf. quoque *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 8. sqq.

22. וְהַמַּיִם לָהֶם וגו׳ *Et aquae eis* erant *murus a dextra eorum, et a sinistra eorum.* Haec verba plures superioris aetatis interpretes nimium proprie ceperunt, iisque impugnarunt sententiam eorum, qui tempore refluxus maris Israelitas sinum Arab. trajecisse statuunt. Verum recte CLERICUS (*de maris Idum. traj.* §. 4.) scribit: „Moses quidem 15, 8. poëtice haud absimiliter rem descripsit; sed fidi interpretis fuit, figuras secernere a proprie dictis. Si concreta fuisset hinc atque inde aqua, non opus erat *vento per totam eam noctem vehemente*, quo ejus pondus sustineretur. Ut aqua *muri instar* Israelitis fuisse dicatur, satis est ad dextram et ad sinistram imperviam viam fuisse, nec quidquam obstat, quo minus ad sinistram in profundioribus lacunis aqua haeserit, quamvis longe maxima ejus pars refluo aestu ad dextram defluxisset, et vadum, per quod transivere Israelitae, siccum esset."

23. 24. וַיִּרְדְּפוּ מִצְרַיִם *Et persequuti sunt Aegyptii.* Abarbenel notat, Aegyptios, quum in tenebris essent (Vs. 20.), nesciisse, quo irent, atque id duntaxat spectasse, ut Israelitarum vestigia premerent, indeque factum, ut imprudentes, et praeter intensionem suam in mare prociderent. — 24. בְּאַשְׁמֹרֶת הַבֹּקֶר *In vigilia matutina.* Hebraei noctem in tres vigilias diviserunt; prima erat ab occasu solis usque ad horam 10. (ex nostra diei ratione), indeque usque ad horam 2. matutinam erat altera, tertia inde ab illa hora usque ad solis ortum durabat. Is vero tum paullo ante horam 6. fuit, Israelitae enim mense Aprili exierunt. וַיָּשְׁקֵף יְהוָה אֶל־מַחֲנֵה מִצְרַיִם *Et prospexit Jova e nube et perturbavit castra Aegyptiorum;* i. e. tempestatem excitavit cum tonitru et fulmine, qua currus et equi perturbati, rotaeque currnum fractae sunt, ita ut nonnisi admodum difficulter pedem possent promovere. Sic Ps. 77, 18. 19. ista Aegyptiorum clades explicatur. Eodem modo haec verba intelligit Joseph. *Ant.* II, 16, 3.: *Imbres etiam de coelo descenderunt, et aspera tonitrua fulguribus simul intermicantibus: insuper et fulmina crebro jaculabantur nubes.*

25. וַיָּסַר אֵת אֹפַן מַרְכְּבֹתָיו *Et amovit rotam*, i. e. rotas *curruum ejus*, ex axibus suis videlicet. LXX. וַיָּסַר vert. συνέδησε, *colligavit*, aut impedivit, quasi ויאסר legissent, quod et in Cod. Samar. hic legitur. Sed recte Onkelos: *et removit*, ac

Symmachus: *μετέστησε*, *transtulit*, pervertit. וַיְנַהֲגֵהוּ בִּכְבֵדֻת *Et duxit* Aegyptius *eum*, currum, *cum difficultate.* Suffixum verbi referendum ad מֶרְכָּב *currus*, collective sumendum, et ex plurali, qui praecessit, intelligendum. Constructio est sensu congrua, non voce. LXX. Pronom. suffix. ad אֹפַן referentes: *καὶ συνέδησε τοὺς ἄξονας τῶν ἁρμάτων αὐτῶν, καὶ ἤγαγεν αὐτοὺς* (sc. *ἄξονας*) *μετὰ βίας*, *et colligavit axes curruum eorum, et duxit eos* (axes) *cum violentia.* Quod ferri posset, nisi prima Versus verba diecrent, ablatas fuisse rotas a curribus, qui proinde ducebantur בִּכְבֵדֻת *cum gravitate*, i. c. difficultate, quia gravia et ponderosa ad movendum sunt difficilia. כִּי יְהוָה וגו׳ *Nam Jova pugnat pro iis adversus Aegyptios.*

27. וַיָּשָׁב הַיָּם לִפְנוֹת בֹּקֶר לְאֵיתָנוֹ *Et rediit mare appetente mane ad perenne suum*, s. ad perennem suum fluxum. אֵיתָן propr. *perennitatem* valet, hinc *perenne maris* est nativus ille aquarum impetus, quo continuo aestu fervet mare; vid. A. SCHULTENS *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 8. §. 4. Coorta austro fluctus vi boreae suspensi magno impetu irruerunt. וּמִצְרַיִם נָסִים לִקְרָאתוֹ *Et Aegyptii fugiebant in occursum ejus*, se. maris, ei obviam. Quum Aegyptii mutati venti auram ex meridie jam spirantem sentirent, ad littus Aegyptium revertere voluerunt. Sed quum fluctus vehementius irruerent, ab iis obtegebantur, antequam ad littus pervenirent. Hoc dicit his verbis: וַיְנַעֵר יְהוָה וגו׳ *Et excussit Jova Aegyptios in medio maris*, i. c. projecit, submersit illos in mari. Dubitarunt nonnulli, an sinus Suesensis ita profundus sit, ut totus exercitus in eo submergi posset? Sed ex Niebuhrii testimonio in ea sinus parte, quae super urbem Sues septentrionem versus vergit, tam multum aquae est, ut satis multi homines et equi interire possint, maxime irruentibus fluctibus. Et Furerus (cf. ad Vs. 21.) narrat: *Vigesimo septimo Novembris ante fluxum maris ego et Jacobus Beierus partem maris rubri prope littus vado transivimus, magno tamen cum discrimine vitae; jam enim mare praeter spem citius accreverat, ita ut ante egressum aqua ad axillas usque pertingeret.* Accedebat, quod Aegyptii festinantes, et quidem noctu primum ad sequendos Israelitas, mox, ut ad littus Aegyptium evaderent, se invicem turbabant, et ita altius in mare deveniebant.

28. 29. וַיְכַסּוּ — פַּרְעֹה *Et operuerunt* (aquae) *currus et equitatum una cum omni exercitu Pharaonis.* Sic commode verti potest, ut לְ ante כֹּל חֵיל propriam significationem *ad* retineat. Jarchi illud לְ redundare ait, ut 27, 3. 19. Num. 3, 26. 4, 32. al., et solere nonnisi ornatus s. *εὐφωνίας* causa praeponi. Sed Mendelii fil. contendit, לְ non otiosum esse, sed adhiberi, ubi generali aliquid speciale jungitur, sive hoc sequatur sive praecedat, ut hic, coll. Num. 4, 29. Gen. 8, 19. Ps. 131, 11. GESENIUS *Lehrgeb.* p. 681. not. לְ h. l. et 2 Sam. 17, 22. idem valere putat

quod עַד Jud. 4, 16., *usque ad*, s. *et ipse exercitus.* — 29. וּבְנֵי הַיָּם — *Filii autem Israel ibant per siccum in medio maris.* R. Samuel Ben Meir (רשבם Raschbam) recte notare videtur, הָלְכוּ per Plusquamp. hic vertendum esse: *jam transierant.* Praeterea, Mendelii fil. referente, tradunt veteres Hebr. magistri in Additionibus ad Tractatum Talmudicum *Erachin* fol. 15, 1., Israelitas mare non transiisse secundum latitudinem, sed secundum longitudinem, et descripsisse transeuntes aream semicirculi, ita ut e mari exeuntes desertum Schur ingrederentur, quod medium est inter Palaestinam australem et sinum Arab.; cf. ad Gen. 16, 7.

30. 31. וַיַּרְא יִשְׂרָאֵל וגו׳ *Et vidit Israel Aegyptios mortuos in litore maris.* Quae R. Samuel Ben Meir et Aben-Esra sic intelligunt, Israelitas maris litus oppositum nactos inde Aegyptios submersos et pessumdatos conspexisse. Verum recte monet Mendelii fil.: Accentus distinctivus Sakephkaton voci מִצְרַיִם impositus eam non admittit conjungere cum מֵת docetque verba hoc modo capienda: *et vidit Israel Aegyptios*, et eos quidem *mortuos super litus maris* projectos. Hinc dicunt Talmudici (l. l. ad Vs. 29.), mare ejecisse mortuos Aegyptios in litus, ne Israelitae dicerent: sicut nos scil. salvi mari egressi sumus in hoc litus, ita Aegyptii egressi sunt salvi in litus adversum. — 31. — וַיַּרְא בְּמִצְרַיִם *Et vidit Israel manum magnam, quam fecit Jova in Aegyptios*, i. e. opus magnum, quod Jova fecit. Vel *manus* hic *potentiam* significat, et עָשָׂה est i. q. *exercuit.* וַיַּאֲמִינוּ בַּיהוָה *Et crediderunt in Jova*, fidem ei habuerunt, quippe qui promissa compleat, וּבְמֹשֶׁה עַבְדּוֹ *et in Mosen servum ejus*, qui a Deo sit missus et nil nisi jubente Deo faciat.

2. *Hymnus Jovae Sospitatoris laudes praedicans.* *Cap.* 15, 1—21.

Cap. 15, 1. אָז יָשִׁיר־מֹשֶׁה *Tunc cecinit Moses.* Verbum, quoad formam futuri temporis, hic exponendum est, ac si praeteriti temporis esset. Aben-Esra ait, moris esse linguae Hebraeae, ut cum אָז *tunc* notante Futurum pro Praeterito usurpetur, ut 1 Reg. 11, 7. אָז יִבְנֶה שְׁלֹמֹה בָּמָה *tunc aedificavit Salomo excelsum* sc. delubrum; Jos 10, 12. אָז יְדַבֵּר יְהוֹשֻׁעַ *tunc loquutus est Josua;* Deut. 6, 31. אָז יַבְדִּיל מֹשֶׁה *tunc separavit Moses tres urbes.* Ceterum quod hic dicitur, cecinisse Mosen וּבְנֵי יִשְׂרָאֵל אֶת־הַשִּׁירָה הַזֹּאת לַיהוָה *et Israelitas hoc canticum Jovae*, arguit, Mosen voce praeivisse, Israelitas succinuisse. Quod quum agnoscant et doctores Talmudici, tamen disputant, referente Mose Mendelii filio, in Tractatu *Sota* fol. 27, 2. de modo, quo hoc carmen sit decantatum. Alii dicunt, Israelitas Mosi praecinenti ad unumquodque *στίχος* canendo respondisse אָשִׁירָה לַיהוָה *canam Jovae.* Alii vero putant, Hebraeos canendo repetiisse singulas dictiones, quas Moses eis praecivisset. Alii alia conjiciunt. Nemo tamen hanc rem ad liquidum producere poterit. Scite vero obser-

vat A. F. Ruckersfelder in Commentat. *quaedam Cantica Sacra ex Genio Pindaricorum illustr.*, §. 23. (in *Sylloge Commentatt. philol. exeg. et critt.* Daventr. 1762. p. 47.): „Quum Vs. 21. memoretur, Mariam et virginum chorum respondisse: *Cantate Jovae, quod magnifice sese extulerit, currum et equitem projiciens in mare*, repetito cantici initio; patet, duos fuisse minimum choros, quorum alteri praecerat Moses, cantanti ipsum hymnum, vel totum vel ejus partem; alteri autem Maria, tunc adjicienti Epiphonema illud, *Cantate Jovae*, et quae sequuntur. Quodsi ad finem tantum istud Epiphonema adjectum fuisset, hinc tamen argumentum petere possem, duplicem fuisse cantantium chorum, eumque utrumque, aliquam hymni partem cecinisse. Sed numne paulo frigidum videtur, totum feminarum chorum produci, ut unicum istud comma semel decantarent? Numne magis conveniens videtur; eas saepius, quoties pericopa carminis fuerit recitata, eadem verba repetiisse?“ Philo *de Agricult.* in *Opp.* Vol. I. p. 312; *de vita Mosis* L. I. Vol. II. p. 109. et *de vita contemplat.* Vol. II. p. 485. ed. Mangey. Hoc carmen Mose praecentore a viris et feminis alternis choris decantatum fuisse ait Otmar i. e. J. C. Nachtigall (*Fragmente üb. d. allmähl. Bildung der den Israeliten heil. Schrr.* in Henkii *Magaz. f. Religionsphil., Exeg. u. Kirchengesch.* Vol. II. p. 451.) hunc hymnum, qualem nunc eum legimus, a Mose et Israelitis decantatum fuisse, vix credibile esse putat, quod ejusmodi populorum parum excultorum ἐπινίκια quam brevissima esse solent, imo paucis verbis comprehendantur (coll. 1 Sam. 18, 7.). Similiter hoc ἐπινίκιον nonnisi Vs. 1. et 21. constitisse existimat, qui praeeuntibus Mose, Aarone et Mirjama a choris virorum et mulierum alternantibus iterum iterumque repetiti essent, intercinente subinde populo הַלְלוּ יָהּ. Reliqui carminis pleraque (Vs. 11 — 17.) prodere aevum Davidicum. Idem fere statuit de Wette (*Kritik d. Isr. Gesch.* p. 215.), cui nec verisimile esse videtur, Mosen sine praevia meditatione carmen haud breve, quale hoc ἐπινίκιον, fudisse. Verum si recordemur facultatis, qua Arabes pollent, carmina extemporalia, eaque longiora, fundendi, minus incredibile videbitur, Mosen admiratione tam mirificae liberationis plenum, carmen, quale hic legimus, sine longa meditatione fudisse. Quod vero attinet serioris, Mose, aetatis vestigia, quae in hoc carmine deprehendere visi sibi sunt Nachtigall et de Wette, de iis videbimus ad Vs. 17. sqq. Fuerunt quoque, qui dubium moverent, nec id inane, quomodo in tanta temporis brevitate tantus tot millium exercitus edoceri potuerit hoc canticum. Quibus responderunt alii, selectos fuisse sine dubio proceres populi, qui familiis in agmina divisis praeirent, ut dato signo in laudes effunderetur totus exercitus, concinentibus, quibus ingenium erat et canendi facultas. Praeterea, ut fit in cantu, repeti omnino poterant ab agmine verba, quae Moses cum selectiorum choro praecinuerat. Stropham denique primam viri facile

ediscebant omnes; tunc vero sufficiebat, si reliquarum stropharum clausulam succinendo repeteret populi universitas. Carmen hoc per strophas decurrere, et ad unamquamque chori virorum strophan antiphona eadem respondisse chorum mulierum, quemadmodum Ps. 136. eadem semper ab altero choro repetuntur verba: כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ, contendit Casp. Jac. Huth in Diss. *Cantic. Mosis triumphale, Exod.* 15, 1—21. *augustum poëseos Hebr. exempl.* Erlang. 1758. Totum carmen in strophas distinctum descriptum dedit (quod et Clericus tentaverat), quas ad similitudinem Sapphici carminis decurrere ait, voce semper emphatica, nec rhythmis praecise adstricta, concisius et majestatice finiente; non tamen eodem metro procedere carmen, sed, prout plenum est figuris et affectibus, ita et strophis inaequalibus variare. En primam strophan, qualem eam Huthius dedit!

אשירה ליהוה	Ăschī-|răh lā- | Jŏuāh
כי גאה גאה	Kī | găōh | găāh
סוס ורכבו רמה	Sūs | v'rŏchbō | rāmāh
בים	Bāiām

Bellermann *(Vers. üb. d. Metrik d. Hebr.)* hoc epinicium quadraginta Versibus Jambicis et Anapesticis, plerumque quaternariis, constare dicit, nec *ὁμοιοτελεύτοις* illud carere ostendit. In rotatilibus Pentateuchi Codd., quibus in Synagogis Judaei utuntur, ex veteri praecepto carmen hoc (שירת הים *carmen maris* illis vulgo dictum) in triginta lineis scribitur, earumque prima modo ordinario. Dein alternatim, in prima linea bina spatia, simul sumpta novem literarum capacia, in altera totidem literarum capax spatium unum, relinquuntur, et ita quidem, ut unius lineae vacua spatia alterius scripturae, et vice versa, incumbant. Typis expressum hoc modo carmen nostrum reperies in Bibliis a Buxtorfio cum Rabbinorum Commentariis editis et in Pentateucho Furthae a. 1801. sqq. edit. Vol. II. fol. 132. recto. Illum scribendi modum vocant אריח על גבי לבנה *scriptionem ad formam dimidii lateris super integro latere.* Ceterum praeter alios, qui de hoc carmine scripserunt, cf. Justi *Nationalgesänge d. Hebr.* P. I. p. 1 sqq. — Carmen in duas partes commode dispescitur; prior praesentia Dei celebrat miracula Vs 1—11., posterior futura prophetice extollit Dei beneficia Vs. 12—29. — אָשִׁירָה לַיהוָה כִּי־גָאֹה גָּאָה *Canam Jovae, quia extollendo se extulit se*, i. e. admodum potentem et magnificum sese ostendit. גָּאָה proprie de rebus corporeis, quae sese extollunt, ut de plantis (Job. 8, 11.) et de aquis crescentibus (Ez. 47, 5.) dicitur, deinde animi *elationem* significat. Hic elationem, quae ex egregio facto nascitur, indicat, unde LXX. *ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται*, et Hieron. *gloriose enim magnificatus est.* Benc Aben-Esra: *ostendit magnificentiam suam; nam equum qui se efferre solet, et qui ei insedit equitem fortem, utrosque in mare dejecit.*

2. 3. עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ *Laus mea et canticum est Jah.* עֹז, proprie *robur* (ita LXX. *βοηθός μου, auxiliator meus)*, hinc *gloria*, *magnificentia*, et *laudem* designat, vid. Ps. 8, 3. 29, 1. 1 Chr. 16, 27. *Laudis* notio optime convenit addito זִמְרָת *cantus*. De terminatione fem. ־ָת stylo poëtico propria, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 467. 567. Cf. nos ad Ps. 16, 6. De nomine יָהּ, i. q. יְהוָֹה vid. ad Jes. 12, 2. Vox אַנְוֵהוּ proprie est *decorabo eum* sc. laudibus, et נָוָה i. q. נָאָה *decorus*, *pulcher fuit*, unde נָאוֶה *pulcher*. Bene LXX. et Vulgatus: *καὶ δοξάσω αὐτὸν*, *et glorificabo eum.* אֱלֹהֵי אָבִי Mendelii fil. recte exponit: *hic est Deus patrum meorum*, et ad וַאֲרֹמְמֶנְהוּ adscribit: *et decet mihi ut eum carmine meo extollam.* — 3. יְהוָֹה אִישׁ מִלְחָמָה *Jova* est *vir belli*, bellator. Onkelos: *Jova* est *dominus victor bellorum.* Samaritani, quod Deo indignum putarunt, si simpliciter *bellator* vocetur, legunt גבור במלחמה *potens in bello.* Simili de causa LXX. *συντρίβων πολέμους conterens bella.* יְהוָֹה שְׁמוֹ *Jova* est *nomen ejus*, q. d. quid satis pro dignitate ejus dici potest? ipsum nomen indicat, cum summe excellentem esse; cf. ad 6, 3. 6.

4. 5. מַרְכְּבֹת — בַּיָּם *Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.* Quum יָרָה de jaculandis sagittis dici soleat (vid. 1 Sam. 20, 36. 37. Ps. 11, 2. 64, 5.), Aben-Esra his verbis significari existimat, Deum quam facillime currus et exercitum Pharaonis in mare projecisse, perinde ac si sagittam ex arcu emisisset. וּמִבְחַר וגו׳ *Et delectum praefectorum ejus* sc. projecit *in mare algae.* De שָׁלִשִׁים cf. ad 14, 7. et de סוּף ad 2, 3. — 5. תְּהֹמֹת יְכַסְיֻמוּ *Abyssi texerunt eos.* In voce יְכַסְיֻמוּ (3. Futur. Piel a כָּסָה), quod scribi debebat יְכַסֵּימוֹ (Ps. 140, 10.), quatuor sunt anomala: 1) in secunda radicali ס excidit Dagesch forte ob subjectum Schva (ut 10, 11. מְבַקְשִׁים, et Genes. 26, 14. וַיְקַנְאוּ); 2) tertia rad. י (est enim כָּסָה pro כָּסִי) servata est, contra morem verborum 3. rad. ה (alia exempla sunt יִרְבְּיֻן Deut. 8, 13., יִרְוְיֻן Ps. 36, 9.); 3) Suffixo 3. pers. plur. ם additum est ו, quod stylo poetico proprium est (ita יֹאכְלֵמוֹ Vs. 7., תִּמְלָאֵמוֹ et תּוֹרִישֵׁמוֹ Vs. 9., כִּסָּמוֹ Vs. 10.); 4) מוּ pro מוֹ ponitur: similis anomaliae exempla sunt יִשְׁפּוּטוּ pro יִשְׁפְּטוּ 18, 26., תַּעֲבוּרִי pro תַּעֲבְרִי Ruth. 6, 8. — Pron. suffix. 3. pers. masc. מוּ (pro מוֹ) Aethiopibus esse communi usu receptum, observat Gesenius *Lehrg.* p. 210. יָרְדוּ בִמְצוֹלֹת כְּמוֹ־אָבֶן *Descenderunt in profunda sicut lapis*, qui statim fundum petit.

6. 7. יְמִינְךָ יְהוָֹה נֶאְדָּרִי בַּכֹּחַ *Dextra tua*, *Jova*, qui *inclytus* es *robore*, magnificus virtute. נֶאְדָּרִי, Particip. Niph. cum Jod. paragog., quale in מַשְׁפִּילִי, מַגְבִּיהִי, aliis, est ad Jovam referendum; nam יְמִינְךָ est nomen femin. Ad hoc si referre velis, sumendum esset esse Adjectivum participiale femin. per apocopem literae ת Chaldaeis familiarem pro נֶאְדָּרִית. יְמִינְךָ יְהוָֹה תִּרְעַץ אוֹיֵב *Dextera tua*, *Jova*, *confregit inimicum*, Futur. pro Praet.

Vel potest verti: *confringit* inimicum. Nam Futura actum continuum quandoque denotant. — 7. וּבְרֹב גְּאוֹנְךָ תַּהֲרֹס קָמֶיךָ *Et magnitudine excellentiae tuae*, summa tua potentia, *destruis eos, qui adversus te surgunt.* Onkelos (cui Jarchi et Jonathan assentiuntur): *confregisti eos, qui surrexerunt contra populum tuum*, hoc sensu, eos qui insurgunt contra Israelem, populum Dei, contra Deum insurgere (coll. Ps. 83, 3. 4.). תְּשַׁלַּח חֲרֹנְךָ יֹאכְלֵמוֹ כַּקַּשׁ *Immittis excandescentiam tuam, consumit eos ut stipulam*, ut ignis stipulam consumit, hoc est, quam celerrime et sine negotio. Similis comparatio est Jes. 5, 24.

8. וּבְרוּחַ אַפֶּיךָ *Et spiritu*, i. e. flatu *narium tuorum.* Quamquam *flatus* proprie נְשָׁמָה dicitur. Utrumque simul legitur Ps. 18, 16. Videtur ventum intelligere quo pulsi sunt maris fluctus, aut Dei sermonem, qui non sine spiritu effertur. Hinc Onkelos: *sermone oris tui.* LXX. autem: *διὰ πνεύματος τοῦ θυμοῦ σου*, et Jarchi *iram* Dei indicari existimat, notatque, Scripturam de Deo tanquam de homine loqui; eum enim homo irascitur, spiritum e nasu ejus egredi solere. Confert locum similem Job. 4, 9. *Theocrit.* 1, 18. *χολὴ ποτὶ ῥινὶ κάθηται*, *ira naso insidet.* נֶעֱרְמוּ־מַיִם *Coacervatae sunt aquae.* Verbo עָרַם (alibi *sapientem* s. *callidum esse*) *coacervandi* notionem inesse ostendit nomen saepius occurrens עֲרֵמָה (Cant. 7, 2. עֲרֵמַת חִטִּים *acervus tritici*) et verba quae h. l. sequuntur: נִצְּבוּ כְמוֹ־נֵד נֹזְלִים *Steterunt instar cumuli fluenta.* De voce נֵד cf. ad Ps. 33, 7. Onkelos כְּמוֹ־נֵד vertit: *sicut murus.* Syrus: *quasi in utribus*, et Graecus Venetus interpres, quem edidit Ammon V. S. V., *ἔστησαν ὥσπερ ἀσκὸς ῥέοντα*, *steterunt sicut uter fluenta.* נֵד cum נֹאד confuderunt, ut plures veteres Interpp. Psalmi l. l. Cf. Ammonii *Commentat. de usu indole et aet. vers. Gr. Ven.* p. 44. Verbum קָפְאוּ Vulgatus vertit *congregatae sunt;* sed vox Hebr. *coagulationem*, vel *congelationem* denotat. LXX. *ἐπάγη τὰ κύματα*, *concretae sunt undae.* Aben-Esra: *congelatae* s. *condensatae sunt*, ut aqua gelu constringi solet. בְּלֵב־יָם *in corde maris*, i. e. in medio maris; saepius medium rei *cor* vocatur. Neque tamen *cor* semper praecise medium rei significat, sed id *in corde* rei esse dicitur, quod *in ea* est. Ez. 27, 4. Tyrus dicitur sita fuisse *in corde marium*, quum tamen, uti Vs. 3. habetur, *ad introitum maris* sita fuerit. Cf. ad 14, 16.

9. 11. תְּמַלְאֵמוֹ נַפְשִׁי *Implebitur iis anima mea*, saturabitur eorum divitiis desiderium meum. נֶפֶשׁ constat haud raro significare facultatem illam, qua appetimus, vid. Gen. 23, 8. 2 Reg. 9, 15. Verbum מָלֵא jungere sibi solet nomen rei, qua quis aut quid repleri dicitur, in Accusativo; vid. Gesenii *Lehrg.* p. 807. אָרִיק חַרְבִּי *Evacuabo*, i. e. extraham *gladium meum*, educam e vagina. Vb. הֵרִיק non solum dicitur de vase, quod evacuatur (Gen. 42, 35.), verum et de re quae egreditur, ut Jer. 48, 11.: *evacuatum*

est, vinum *e vase*. תּוֹרִישֵׁמוֹ יָדִי *Perdet eos manus mea.* LXX. κυριεύσει ἡ χείρ μου, *dominabitur manus mea.* Sed h. l. vix dubium, הוֹרִישׁ esse *exterminandi*, *delendi* significatu capiendum, ut Num. 33, 55. Ps. 44, 3. al. — 11. מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *Quis sicut tu*, tibi similis, *inter Deos?* בָּאֵלִם *inter deos*, cf. ad Ps. 29, 1. — נֶאְדָּר בַּקֹּדֶשׁ *Magnificus in sanctitate*, insigni sanctitate praeditus. LXX. ἐν ἁγίοις, casus obliquus a recto τὰ ἅγια quo *templum* denotatur, item *coelum*, uti, ex quorundam sententia, Ps. 20, 3. Sed ibi templum intelligendum, de quo h. l. nequit cogitari. נוֹרָא תְהִלּוֹת *Timendus laudibus.* Sed נוֹרָא haud raro *summe venerandum*, *augustum* denotat, itaque cum nomine *laudis* junctum significat eum, qui cum summa reverentia laudandus est.

12—14. נָטִיתָ יְמִינְךָ *Extendisti dextram tuam*, nonnisi levi dexterae tuae motu opus erat ad illos perdendos. תִּבְלָעֵמוֹ אֶרֶץ *Deglutivit eos terra*, vasto barathro, quo aquas marinas complectitur, excepit. — 13. נָחִיתָ בְחַסְדְּךָ עַם־זוּ גָּאָלְתָּ *Duces benignitate tua populum hunc* quem *redemisti*, liberasti. Praeter. נָחִיתָ pro Fut. usurpatur, quod ipsum valet de eo quod sequitur: נֵהַלְתָּ בְעָזְּךָ אֶל־נְוֵה קָדְשֶׁךָ *deduces* sc. populum, *potentia tua ad habitationem sanctitatis tuae.* Videtur terra Cananaea intelligi, quam Jova sedem quasi sibi elegit; cf. Vs. 17. et Jer. 50, 19. נָחַל proprie est *leniter et provide ducere*, *ut greges aquatum ducuntur*, vid. ad Ps. 23, 2. — 14. שָׁמְעוּ עַמִּים *Audient populi.* Praeter. et hic, pro Fut. poni, docet res ipsa. Sequitur Fut. יִרְגָּזוּן *tremebunt;* sed tum redit ad Praeteritum: חִיל אָחַז יֹשְׁבֵי פְלָשֶׁת *timor apprehendit incolas Palaestinae.* Famam brevi spargendam ejusque effectum quasi jam sparsam describit.

15. 16. De אַלּוּף vid. ad Gen. 36, 15. — 16. בִּגְדֹל זְרוֹעֲךָ *Magnitudine brachii tui*, potentiae tuae. גֹּדֶל hic sumitur neutraliter et substantive, quasi *magnum*, i. e. magnitudo. יִדְמוּ כָאָבֶן *Quiescent instar lapides*, i. e. non audebunt Israelitis armata manu obviam ire, sed patientur juxta suos fines transire. LXX. ἀπολιθωθήτωσαν *lapidescant*, i. e. metu rigeant, immobilesque sint. Sed orationis series suadet Verbum in Fut. usurpari. עַד־יַעֲבֹר וגו *Donec transierit populus tuus*, *Jova*, *donec transierit populus*, *quem acquisivisti*, liberatione videlicet ex Aegyptiaca servitute. עַד־יַעֲבֹר *donec transierit*, i. e. per eorum fines in Cananaeam ingressus fuerit. Ista eorundem verborum repetitio concitatum affectum exprimit, qualis in cantantibus et triumphantibus esse solet. Cf. Ps. 47, 7. 68, 16. 75, 2.

17. תְּבִאֵמוֹ וְתִטָּעֵמוֹ בְּהַר נַחֲלָתְךָ *Duces eos et plantabis eos in monte haereditatis* s. *possessionis tuae.* Metaphora ab arboribus desumta. Innuit igitur firmam et certam sedem, cui opponitur habitatio vaga et incerta. Cf. Am. 9, 15. Ps. 44, 3. 80, 9. Vel possunt verba in Fut. posita in Optativo sumi, ut sit precatio:

adducas et plantes eos. Monte possessionis Dei, i. e. quem Deus possidet, non significatur mons Zion, ut nonnulli existimant, sed terra Cananaea, quae montosa est, quae Deut. 3, 25. *mons ille bonus* dicitur. Et cf. ad Ps. 78, 54., ubi inter beneficia Dei memoratur et hoc, quod populum adduxit *ad terminum suum sanctum*, הַר־זֶה *montem illum*, *quem acquisivit dextera sua*, quo itid. Cananaea designatur, quam h. l. et vocat מָכוֹן לְשִׁבְתְּךָ פָּעַלְתָּ יְהוָה *locum quem sedi tuae parasti Jova.* פָּעַל hic vel valet *parare*, ut Ps. 58, 3. *Parasse* autem sibi sedem dicitur Deus, quod de ea capienda cogitaret. Vel, quod praeferimus, potest Praeter. פָּעַלְתָּ pro Fut. sumi: *quem sedem tibi facies.* Certe in Fut. sumendum est quod sequitur: מִקְדָּשׁ אֲדֹנָי כּוֹנְנוּ יָדֶיךָ ad *sacrarium*, *o Domine*, quod *parabunt manus tuae*, quod tibi in terra ista condendum curabis. Mosen jam tunc, cum in eo esset, ut rempublicam conderet, quae in terris sanctissima foret (19, 6.), de sacrario cogitasse, quod in terra patria quondam Deo erigendum esset, nemini mirum esse potest. Neque igitur est, cur ob sacrarii mentionem hoc loco hymnum hunc seriori Mose aetati assignemus. Dagesch forte literae ק in מִקְדָּשׁ impositum mere euphonicum est. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 87. Accentu Sakeph-gadol nomini illi apposito divellitur ab אֲדֹנָי, atque hoc in Vocativo capiendum esse innuitur.

19. 20. Aben-Esra hunc Vs. hymno accenset. In codd. rotatilibus quoque (cf. ad Vs. 1.) hic Vs. eo modo est scriptus, quo reliqua carminis sunt exarata. Verum recte alii observant, hunc Vs. nihil habere poëtici; stylum potius esse talem, qui simpliciter narranti quid conveniat. Sane illud Vs. 18. *Jova regnabit in aeternum et perpetuo!* aptam et dignam hymni sublimis clausulam facit, post quam hic Vs. languidus comparet. Apte Vs. 19. jungitur Vss. 20. 21., ut brevis nota historica, quae hymno adjecta est. Subaudiri potest illius initio: *sic igitur cecinit Moses*, aut simile quid, *cum ingressus est Pharaonis equitatus in mare.* Ita כִּי erit pro כַּאֲשֶׁר positum. — 20. Mirjam (LXX. *Μαριαμ*) vocatur נְבִיאָה, uti Debora Jud. 4, 4., ob poëticam et musicam facultatem, quae duae apud antiquos, cum Hebraeos tum exteros, semper erant conjunctae. נָבִיא enim, ut Lat. *vates*, saepe tantum poëtam designat, qui facta Dei canebat, sive id factum sit adhibitis instrumentis musicis, sive sine eis. Ita 1 Chron. 25, 1. 2. 3. cantores a Davide constituti, נְבִיאִים dicuntur, additurque eos *prophetasse*, i. e. cecinisse *in citharis*, et *prophetasse in celebrando et laudando Jova*, i. e. laudem Jovae cecinisse. Mirjam hic אֲחוֹת אַהֲרֹן *soror* tantum *Aaronis*, fratris majoris natu, vocatur, tacito, brevitatis causa, nomine fratris junioris. אֶת־הַתֹּף בְּיָדָהּ *Tympanum manu tenens.* Hoc instrumentum musicum saepe in V. T. occurrit, et fere semper ut instrumentum a feminis tractatum; Jud. 11, 34. 1 Sam. 18, 6. Ps. 68, 26. Jer. 31, 4. Etiamnum hoc unicum in Oriente est instrumentum, quod a feminis

tractari solet, Arabice dicitur דף, unde Hispanicum *Adufe*. Cf. NIEBUHR *Reisebeschr.* P. I. p. 180., ubi et Tab. 26. delineationem ejus tympani dedit. Vid. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 21. 22. וַתֵּצֶאנָ כָל־הַנָּשִׁים אַחֲרֶיהָ *Et egressae sunt omnes feminae post eam*, i. c. subsequentibus omnibus mulieribus. Ad quae verba illustranda facit quod narrat LUEDEKE in *Expositione brevi Locor. Sacr. ad Orientem sese referentium* (Hal. 1777.) §. 42. *Occasionibus solemnibus tam religiosis quam civilibus, chori sexus utriusque sed unius cujusque separatim cum saltatione vel potius processione et musica instituuntur.* וּבְמְחֹלֹת LXX. καὶ (μετὰ) χορῶν. Sed מְחֹלוֹת potius saltantium et tripudiantium chorcas significat (a חוּל *in orbem ire*), ut 32, 19. et Jer. 31, 4.

21. וַתַּעַן לָהֶם מִרְיָם וגו׳ *Et respondit iis Mirjam* rel. עָנָה, quod vulgo est *respondere*, non raro etiam *primum loqui* significat, ut Deut. 26, 5. Ubi de canticis sermo est, promiscue *praecinere* et *respondere* sonat. Sic 1 Sam. 21, 11. coll. 18, 7. Aliquando עָנָה simpliciter est *canere*, ut infra 32, 18. Pronom. masculi. לָהֶם sunt qui referant ad Mosen et Israelitas, ut virorum choro responderit, Mirjama praecinente, chorus mulierum. Nihil tamen obstat, quo minus לָהֶם referatur ad mulieres, quae proxime antea memorantur, quum nec alia ejusdem ἀνυφίας exempla desint, e. c. Ez. 13, 20. Ruth. 1, 22., et cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 791. Praeterea alternantes chori nonnisi haec, quae hic exprimuntur verba: *canite Jovae*, et quae sequuntur, e Vs. 1. repetita, singulis Versibus, quos Moses cecinit, intercinisse videntur, pro more talium canticorum. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. pag. 24.

3. *Israelitae trajecto sinu Arabico proficiscuntur per desertum Schuricum ad Maram, ubi aqua amara dulcis redditur, et hinc pergunt ad Elimos.* Cap. 15, 22 — 27.

22. 23. מִדְבַּר־שׁוּר *Desertum Schur*, inter Palaestinam et Aegyptum (vid. ad Gen. 16, 7. et *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 241.) quod Num. 33, 6. 8. *Etham* vocatur; et quum supra 13, 20. eodem nomine dicatur locus, ubi Israelitae castra metati sunt ante quam sinum Arab. transirent; nonnulli collegerunt, Israelitas e mari non recta via in adversum littus, sed semicirculo in mari facto, in littus Aegyptium rediisse. Sed recte jam monuit Clericus, verisimile esse, ab oppido Etham, ad occidentale sinus Arabici litus sito, in deserti finibus, nomen esse factum toti illi solitudini, non modo ad occidentem sinus Suesensis sitae, sed etiam ad orientem porrectae, adeoque intimum sinus recessum ambitu suo complectenti. — 23. וְלֹא יָכְלוּ לִשְׁתֹּת מַיִם מִמָּרָה *Non potuerunt bibere aquas Marae.* Fontes etiamnum ostenduntur septem horis ab urbe Sues dissiti, in littore Arabico, *Ain el Muse*, sive *Ajjoun Musa*, i. c. fontes Mosis dicti; qui, quia sunt amari, dicuntur iidem esse ac ii, de quibus hic sermo est. Eorum etiam

meminit Plinius *H. N.* 6, 29. aitque, *Ptolemaeum Philadelphum duxisse fossam a Nilo ad Erythraeum mare, usque ad fontes amaros, ut illud conjungeret cum Nilo.* Sed situs obstat, quo minus ii fontes amari hic possint intelligi. Postquam enim mare transiissent Israelitae, eo, quo supra dicimus loco, non opus fuit triduo ad absolvendum iter ad Aijoun Mousa, qui locus dimidia tantum horae parte a littore maris Erythraei abest (Niebuhr *Descript. Arab.* p. 403.). Sed magis meridiem versus in littore Arabico fons amarus in valle quadam invenitur, ubi Marah fuisse verisimilius est. Pocock *Descr. Orient.* P. I. p. 234. vers. germ. tradit, sedecim horarum iter austrum versus ab Aijoun Musa esse montem, *Marae* nomine, ad cujus occidentem haud procul a mari reperiri fontem salsuginosum, *Bir-hammer* dictum, cujus aquae forsan a Mose dulces redditae fuerint. In tota vero illa regione aqua puteorum, qui excavantur, amara sive salsa est, et ad potandum plane inutilis; fortasse ob nitrum, quo haec terra referta est, quo ejus etiam superficies lucet. Cf. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 143. et *d. a. u. n. Morgenl.* II. p. 27.

25. וַיַּשְׁלֵךְ אֶל־הַמַּיִם וַיִּמְתְּקוּ הַמָּיִם *Et projecit* (lignum) *in aquam, et dulcis est facta.* Quodnam lignum hoc fuerit, definiri non potest. Arabibus hodie in illa regione degentibus ejusmodi arbor ignota est, ut Niebuhr testatur, l. l. p. 403. Attamen ex Forskalii chartis haec adfert (Praefat. p. 43.): *Lignum pro corrigenda aqua salsa. Targum Jonath. arbor aquatica amarissimo flore magno roseo, nomine Chald.* הרדופני *(hirdophne). Karaitis in Kahira traditio, fuisse Nerium Oleander.* Id quidem certum est, plura extare ligna, quae hanc vim habent, ut aquis salsis injecta, eas dulces et potabiles reddant. Quum Hispani in Florida recens inventa dulcium aquarum penuria laborarent, Ximenes ligni Sassafras ope huic malo medebatur. Eadem virtus inest arbori cuidam in littore Coromandel nascenti, quae in lingua Tamulica Nellimaram vocatur, cujus ligno illarum regionum incolae uti solent ad aquas salsas dulces reddendas. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 28. sqq. שָׁם שָׂם לוֹ חֹק וּמִשְׁפָּט *Ibi* (Deus) *praecepta ei*, populo, *dedit.* Deum esse intelligendum, qui leges dederit, apparet ex iis, quae sequuntur. Ceterum de legum quarundam promulgatione haec verba intelligi non possunt; alioquin sensus Vs. 26. obscurus esset et imperfectus. Igitur cum Dathio haec verba intelligo tantum de ea adhortatione, quae sequitur. וְשָׁם נִסָּהוּ *Et ibi probavit eum*, populum, sc. per sitim. Exploravit fidem ac patientiam eorum deducendo in locum, ubi erant aquae potui non aptae.

26. 27. כָּל־הַמַּחֲלָה אֲשֶׁר שַׂמְתִּי בְמִצְרַיִם *Omnem morbum, quem immisi Aegyptiis, non immittam tibi.* Intelligi videntur morbi Aegypto peculiares, praesertim cutis, quorum causa aqua mala et corrupta est. רֹפְאֶךָ *Qui de curo*, i. e. qui tibi mederi

potest. Quod non modo de morbi curatione, sed de conservatione valetudinis intelligendum. — 27. וַיָּבֹאוּ — תְּמָרִים *Tum Elimos pervenerunt. Ibi* 12 *fontes erant et* 70 *palmae.* Elim in ea valle fuisse videtur, quae hodie *Gorondel* vocatur, duo milliaria germ. ab urbe Tor. Invenerunt ibi et qui recentioribus illas oras adierunt fontes et palmas plures. SHAWIUS novem fontes ibi invenit (p. 272. vers. germ.) et fere duo millia palmarum. Hanc regionem multis fontibus irriguam et ob arborum multarum umbram valde amoenam et ad castra ponenda aptissimam esse, testati etiam sunt POCOCK *Descr. Orient.* P. I. p. 234. vers. germ. et NIEBUHR *Descr. Arab.* p. 403. et *Reisebeschr.* P. I. p. 228. Qui et ipsi conjecerunt, Elim in illa fuisse regione. Cf. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 145.

4. *Israelitae ab Elimis in Sinicum desertum proficiscuntur, ubi iis coturnices et manna suppeditantur.* Cap. 16.

Cap. 16, 1—3. וַיָּבֹאוּ אֶל־מִדְבַּר־סִין וגו׳ *Et venerunt ad desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai.* POCOCK l. l. p. 235. observat, si Elim in valle Gorondel fuerit (cf. ad 15, 27.), credibile esse, Hebraeos illinc iter continuasse juxta mare in valle quadam longius protenta, et hic illic quinque vel sex milliaria (Anglica) lata, et ad austrum usque ad mare erythraeum porrecta. Eam vallem videri desertum *Sin* fuisse. Cf. *Alterthumsk.* p. 146. Ab urbe סִין (Ez. 30, 15.) hoc desertum nomen accepisse, uti putat GESENIUS in *Lex. min.* p. 448., vix est credibile. Nam urbs illa Sin, quam Graecorum Romanorumque *Pelusium* fuisse, ostendimus ad Ez. l. l., ad ultimum orientem versus Nili ostium, quod Pelusiacum dicebatur, sita fuit, quam inter et desertum hic memoratum plus quam 20 milliarium germ. iter fecerit. Ceterum antequam in desertum Sin pervenirent Israelitae, castra metati fuerant ad mare (Num. 33, 10. 11.). Hic vero ea mansio omittitur, quod nil memoratu dignum in ea accidisset. — 2. Murmurarunt Israelitae, quod vastum et incultum desertum ingressi metuebant, ne fame perirent. Neque tamen videtur omnibus cibus defuisse, quum plerique Israelitarum pecora possiderent. Sed in tanta multitudine non pauci erant egeni, qui in ipsa Aegypto pecore carnerant. Verum et pecus, inopia aquae et pascuorum minui in dies necesse fuit, coll. 17, 3. — 3. מִי־יִתֵּן — מִצְרַיִם *Utinam manu Jovae in Aegypto interiissemus.* בְּיַד יְהוָה *Per manum Dei*, i. e. plagis illis a Deo Aegyptiis immissis.

4—6. הִנְנִי — הַשָּׁמַיִם *Faciam, ut depluat vobis panis e coelo*, pluviae in modum demittam vobis ex aëre cibum. Intelligitur Manna, quae tanquam ros e coelo delabi putabatur; cf. ad Vs. 15. וְלָקְטוּ דְּבַר־יוֹם בְּיוֹמוֹ *Et colligent rem diei in die suo*, i. e. colligent quotidie quantum in diem sufficiat. לְמַעַן וגו׳ *Ut eum tentem, iturusne sit in lege mea nec ne*, i. e. ut occasionem

ipsis suppeditem pronam suam voluntatem in exsequendis praeceptis meis demonstrandi. Jarchi non incommode haec refert ad praecepta circa mannam asservandam, videlicet ne eam in crastinum reservarent, neve in Sabbatho ad eam colligendam exirent. — 5. בַּיּוֹם הַשִּׁשִּׁי *Die sexto* hebdomadis, non, ut alii volunt, a decensu mannae. וְהֵכִינוּ אֵת אֲשֶׁר־יָבִיאוּ *Et parabunt* ad usum hujus et sequentis dici septimi *quod afferunt*, quod colligunt et domum portant. וְהָיָה מִשְׁנֶה וגו׳ *Et erit duplo plus*, *quam quod colligent singulis diebus*, nempe aliis praeter diem sextum. — 6. עֶרֶב וִידַעְתֶּם וגו׳ *Vesperi tunc intelligetis*, *quod Jova eduxit vos e terra Aegypti.* Israelitae dixerant Vs. 3., Mosen et Aaronem ipsos eduxisse; Moses igitur ex adverso dicit, eis notum fore, quod Deus ipse illos eduxerit. עֶרֶב pro Accusativo absoluto et verbaliter capiendum est, quemadmodum Arabes nomina quae *tempus* notant usurpare solent; vid. Gesenii *Lehrg.* p. 686. 725.

7. וּבֹקֶר Aben-Esra non cohaerere dicit cum וּרְאִיתֶם אֶת־כְּבוֹד יְהוָה non enim altero mane, sed eo ipso die viderunt gloriam Jovae (Vs. 10.); sed esse post וּבֹקֶר repetendum וְיִדַעְתֶּם et reliqua quae Vs. 6. post עֶרֶב sequuntur, hoc sensu: *et mane tunc* item *cognoscetis*, sc. novo miraculo, *quod Jova eduxit vos e terra Aegypti.* Innuere duplex prodigium, quo, deficiente victu, Israelitis cibum suppeditaturus sit Deus, coturnices et mannam. Et tum sequitur: *et insuper videbitis gloriam Jovae*, Vs. 10. Nisi forsan כְּבוֹד יְהוָה indicet utrumque illud majestatis divinae argumentum, quo querentibus victum praebuit, quemadmodum Num. 14, 21. 22. prodigia, quae Deus in gratiam Israelitarum edidit, *gloria ejus*, כְּבוֹדוֹ, dicuntur. וְנַחְנוּ מָה *Nos vero quid?* i. e. quid possumus nos facere? Quid est igitur, quod contra *nos* murmuratis, תַּלִּינוּ עָלֵינוּ? Ita in Hiphil legi praecipitur ad marginem pro eo quod est in textu, תָּלוֹנוּ, in Cal. — 8. Vs. 4. 5. solius *panis* mentio facta est, hoc Vs. autem, tanquam ex Dei verbis, non solum *panis*, sed etiam *caro* commemoratur. Sed primum summatim narrat Moses, quid Deus de *cibo* Israelitis e coelo suppeditando sibi revelaverit; quem igitur Vs. 4. generali nomine, ut alias, לֶחֶם vocat; deinde quomodo ipse atque Aaron de voluntate hac Dei Israelitas certos reddiderint Vs. 6 — 8., postremo, quomodo Deus ea, quae dixerint Moses et Aaron, solenni apparitione confirmaverit, Vs. 10. 11. 12. 14.

9. 10. 12. קִרְבוּ לִפְנֵי יְהוָה *Appropinquate coram Jova*, qui eos in columna nubis praecedebat. — 10. Per כְּבוֹד יְהוָה vix dubium significari hic splendorem et augustum radiansque jubar, quo se quasi spectandam exhibebat majestas divina. — 12. De בֵּין הָעַרְבַּיִם vid. ad 12, 6.

13 Voce שְׂלָו quid significetur, interpretes dissentiunt. Fuerunt qui contenderent שְׂלָוִים esse *locustas*. Judaei quoque hodie in Arabia viventes putant שְׂלָוִים esse locustas, quia qui-

busdam earum speciebus vesci valde amant; adstipulaturque huic sententiae ipse NIEBUHR, *Descr. Arab.* p. 172. Sed praeter rationes philologicas huic sententiae praecipue hoc obstat, quod Lev. 11, 22. nomen שְׂלָוִים inter locustas mundas a Mose nominatas non reperiatur; deinde David Ps. 78, 27. illas vocat עוֹף כָּנָף *volucres alatas*, quod nomen nullo modo est aptum locustis. Nullis etiam idoneis rationibus nititur eorum sententia, qui intellexerunt *pisces alatos*, qui et in sinu Arab. inveniuntur, et quibus vesci solent Orientales. Sed horum piscium copia in sinu Arab. tanta non est, ut tam magnus populus eis saturari potuerit, nec illi esse ultra tres aut quatuor pedes super mare adtollere valent. Sed vix dubium est, שְׂלָוִים fuisse *coturnices*. Vertunt ita plerique veteres. LXX. habent h. l. et Num. 11, 31. ὀρτυγομήτρα, *coturnices praegrandes*, quasi ὀρτυγῶν μήτηρ, *coturnicum mater;* vid BOCHARTI *Hieroz.* T. II. p. 650. ed. Lips. Auctor libri Sapient. 16, 2. Τροφὴν ἠτοίμασας ὀρτυγομήτραν. *Philo de vita Mosis* L. I. Vol. II. p. 114. ed. Mang.: *Ortygometrarum continens nubes a mari adventantium tota castra inumbrabat.* Accedit vocis Arab. שלוי significatio. Quum FORSKAL hanc vocem aliquando Alexandriae a venatore quodam audivisset et Consulem Gallicum in illa urbe per litteras rogasset, quaenam avis vocabulo illo significetur; responsum accepit, eandem esse avem, quam Galli *Roy des Cailles* (ὀρτυγομήτρα) vocant; vid. NIEBUHR l. l. p. 176. Deinde vero, et praecipue numero plurali, nomen illud in universum *coturnices* denotat. Confirmat has rationes, ex ipso vocis usu petitas, Arabiae Petraeae historia naturalis. In hac enim regione coturnices valde frequentes esse, et usitatum Arabum cibum, tum veteres tum recentiores testantur. *Joseph. Ant.* III, 1, 5.: *Et aliquando post magna vis coturnicum, quod genus avium prae ceteris alit sinus Arabicus, advolavit, interjectum mare transgressa; et simul volandi labore fatigata, ac propius quam aliae* volucres *terram accedens, ad Hebraeos defertur.* Nec procul inde Rhinocolura, ubi magnam vim coturnicum e mari advolantem capi his verbis tradit *Diod. Sic.* L. I. p. 38. edit. Rhodom.: *Calamis ex vicina regione detonsis et fissis, longa retia parabant, quibus prope littus in multa stadia constitutis, coturnices quae per magnos greges ex mari eo se conferunt, capientes, earum colligebant, quantum ad victum sufficeret.* Prosper Alpinus *Rerum Aegyptiac.* 4, 1.: *Coturnicibus usque adeo tota ea regio abundat pinguissimis, ut rustici eas non retibus, sed propriis manibus, celeri cursu persequentes capiant easque ita vili pretio vendant, ut denario argenteo Maidin vocato viginti habeantur. Coturnices* fuisse שְׂלָוִים existimant etiam *Hasselquist* in *Itinerar.* p. 331. sqq. et SHAW p. 167. vers. germ. וַתְּכַס אֶת־הַמַּחֲנֶה *castra texerunt*, i. e. tanta copia ceciderc, ut vix per castra humus cerni posset. Plura vid. in *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 247. sqq. וּבַבֹּקֶר הָיְתָה שִׁכְבַת הַטָּל *Et mane fuit cubatio roris*, i. e. ros

stratus fuit. Onkelos: *erat descensus roris.* Quod sequutus Aben-Esra dicit Hebraeam vocem *descensum* significare. Sed h. l. verbis שִׁכְבַת הַטָּל aliquid descensu roris posterius indicari videtur, nempe cubatio ejus.

14. וַתַּעַל שִׁכְבַת הַטָּל *Et ascendit cubatio roris*, i. e. ascendit ros et super terram decubuit. Ex h. l. coll. Num. 11, 9. Hebraei fere colligunt, primo rorem descendisse, deinde mannam super rorem, et postremo alterum rorem super mannam, ut igitur manna inter duos rores tanquam in capsa fuerit reposita. Verum recte Abarbenel dicit, unum duntaxat rorem fuisse, qui primo descendit, deinde mannam super rorem descendisse; quod autem hic dicitur, *ascendisse rorem* (ad verbum *cubationem* s. stratum *roris*), non intelligendum esse de ascensione roris a terra, sed de ascensione ejus super terram, ut עָלָה non aliud hic designet quam יָרַד *descendit* (Num. 11, 9.), hoc enim dici respectu aëris, unde ros descendit, illud autem respectu terrae, super quam ascendit. Atque eo certe sensu usurpatur עָלָה Vs. 13.: וַתַּעַל הַשְּׂלָו *et ascendit coturnix*, nempe super terram, etiamsi respectu aeris descendit. Demisso igitur rore, apparuit עַל־פְּנֵי־הַמִּדְבָּר דַּק *super faciem deserti tenue*, minutum quid. Quod vero sequitur, מְחֻסְפָּס, quid significet, haud satis constat. LXX. *ὡσεὶ κόριον*, *ut coriandrum*, ex mera conjectura, quod Num. 11, 7. coriandro manna comparari memineranat. Chaldaeus, Syrus et Arabs Erpenii *decorticatum* vertunt, coll. חָשַׂף *denudavit.* Vulgatus: *quasi pilo tusum*, Saadias: *rotundum.* Recentiorum nonnulli voc. illud referentes ad Chaldaicum חַסַף, *argilla*, *lutum*, vertunt: *friabile* ut *lutum.* Rectum haud dubito vidisse J. D. Michaelem, qui in *Supplemm.* p. 869. מְחֻסְפָּס ex Arab. כשף *nix asperior leviterque concreta*, atque כְּשִׂיף *nix*, *frustum*, *glaciei* exponit *concrescens*, *nivis in morem*, *schneeförmig*, quae vera est mannae descriptio, et sequenti Versus membro congrua, ubi cum pruina comparatur. Bis ergo idem dici videtur, imagine modo mutata, *minutum*, *nivi simile*, *minutum ut pruina.*

15. Voces מָן הוּא fere vertunt *quid hoc?* et vulgaris est opinio, *Mannae* nomen ex illis vocabulis ortum esse. LXX. *Τί ἐστι τοῦτο;* Syrus: *quid est?* Vulgatus: *Manhu*, *quod significat: quod est hoc?* Consentit Joseph. *Ant.* III, 1, 10. In V. T. libris etsi de *rebus* מָה tantummodo, aut מָה interroget, possit tamen fieri, ut in lingua populari tum cum Israelitae Aegypto exierunt, מָן pro *quid?* in usu fuerit. Conveniret illud cum Syr. מנו unde usitatius מנא. Et hoc significatu ut מָן sumamus, flagitant fere verba: כִּי לֹא יָדְעוּ מַה־הוּא *nescierunt enim*, *quid esset illud.* Neque tamen improbabilis est Kimchii sententia in *Lex. etymol.* ita scribentis: *quia ignorabant nomen ejus*, *appellabant illud* Man, i. e. *donum et portio est a Deo O. M. data.* Refert nomen מָן ad מָנָה *annumeravit*, *admetitus est*, formae צָוָה a צָו,

et קָוָה a קָוַר. A qua sententia proxime abest HACKMANNUS in *Praecidaneis SS.* p. 69., qui מָנַן refert ad Arab. مَنَّ *largitus est, liberaliter contulit beneficium in aliquem.* Exclamasse igitur Israelitas: מָן הוּא *donum* sc. divinum *hoc est!* Ita et interpres Pers. reddidit; *beneficium* sc. divinum *est ipsum.* J. E. FABER quoque (*Hist. Mannae Hebraeorum*, Kilon. 1770. vid. *Reiskii et Fabri Opuscc. Medica ex Monumentis Arabum et Hebr.* Hal. 1776. p. 87.) *mannam* a *largiendo* dictam putat, quasi praecipuum sit liberalis donum naturae ac beneficium. „Unde intelligitur," inquit, „quum Hebraei campis manna superfusis ea conspecta, essetne vere *manna*, nec ne, quaesivissent, eos antea nomen quidem cognitum habuisse, rem non item; quam tum primum, praesertim uberrime fusam, oculis usurparent; et tanquam insolitam, atque, ut erat, certissimum curae divinae indicium ac documentum admirarentur." Verba מָן הוּא interrogative censet vertenda: *mannane est?* „Adjicit quidem Moses, Hebraeos, quid esset, ignorasse; quod nequaquam repugnat. Nam interrogare, esse ignorantis, quem fugit? Unde merito Moses Deut. 8, 3. mannam, ait, neque populo, neque ipsius majoribus cognitam fuisse, praesertim quum ejus esset ratio longe diversa ab ea, quae unius naturae beneficio edi solet." Fortasse Hebraeis illa solum mannae species nota fuit, quae in Aegypto invenitur et diversa est ab ea, quae in Arabia colligitur. Quam quum nondum vidissent, interrogasse videntur, *an etiam haec manna esset?* Ceterum manna hodie vulgatior est succus concretus ad saccharí aut mellis saporem accedens, odore leni ac debili et admixta aqua liquescens. Variis funditur arboribus ac plantis. Defertur ad nos potissimum Brigantio, sed nobilior ac praestantior e Calabria. Brigantina insidet laricibus (*Lerchenbäumen*) pruinae in modum, grumis constans ab initio quidem albicantibus, ac paullatim flavescentibus. Calabrina grumis majoribus at duplo debilioribus de fraxino legitur, ex hac arbore inde a die 20. Junii usque in finem Julii erumpens, punctu insecti cujusdam, *cicada* vocati. Mannae orientalis plura sunt genera; illud, quo Hebraei usi sunt, vix dubium est esse id, quod tamarix frutex, Arabice طَرْفَا dictus, praebet, qui in ea deserti montis Sinai regione, in qua Hebraei sunt commorati, frequens nascitur. Et eo stillat manna mense Junio, et ante solis ortum ab Arabibus colligi solet; nam orti solis ardore liquatur. Arabes depurgatam ab herba, ramulis et pulvere coquere, percolare et in utribus servare solent. Illinunt mannam mellis instar placentis suis non fermentatis, quibus pro pane utuntur. Vid. BURCKHARDT *Itinerar. Syr. I. Palaestin. Arab.* p. 953. vers. teut., cf. p. 1079. Orientales in ea opinione versantur, mannam roris instar de coelo super certas quasdam plantas cadere. Idque non solum plebeculae persuasum est, sed doctissimis quoque viris, Ebn-Sinae, Serapioni, Mesuaeo, aliis. Jam vero etsi Israelitarum Manna haud pauca communia habuerit cum ea, qualis in multis

Orientis regionibus reperitur; tamen sunt et alia, quae illi ita priva fuerint, ut tanquam prodigiosum quid et solitum naturae ordinem excedens appareat. Et inter Hebraeos quidem Aben-Esra, quod nunc vocatur manna duobus tantum mensibus, in Nisan, sive Martio, et Jjar, sive Aprili, dicit descendere, nec liquescere, si in sole collocetur [vid. tamen ad Vs. 21.], nec si nocte servetur putrescere (Vs. 20.), nec adeo firmum esse, ut contundi possit, quo placentae ex eo fiant (Num. 11, 8.), quin et si super linguam positum fuerit, liquescere, non autem saturare, nec bonum sanguinem procreare, sed in medicamentis duntaxat usui esse. Praeterea in manna Israelitarum et hoc prodigiosum fuisse, quod duplo plus quam aliis diebus sexto descendit, non autem omnino in Sabbatho; item quod ubicunque castra posuerint demissa est. Hino manna recensetur inter Dei *mirabilia et prodigia*, Ps. 78, 4. 24. 105, 27. 40. Deyling in *Observatt. SS.* P. III. p. 76.: „Si mannae, Israelitarum victus, fuisset naturalis et vulgaris, vix dici potuisset, eam cum iis ipsis, tum eorum patribus prorsus incognitam fuisse. Credibile enim non est, in tanta hominum multitudine vix unum alterumque fuisse, qui mannam Arabicam vulgarem, circa ea loca quotidie depluentem, numquam viderit. Si extraordinaria non fuit, cur Moses tam sollicite colorem, saporem, formamque ejus descripsit?“ Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 34. sqq.

16. 18. לְפִי אָכְלוֹ *Pro modo cibi sui*, i. e. prout edere potest, s. quantum sufficit. גֻּלְגֹּלֶת h. l. ut alias רֹאשׁ pro ipso *homine* ponitur. עֹמֶר fuit decima pars Ephae, Vs. 36. Josephi tempore עֹמֶר continebat ova 43½ (Judaei enim cum plerisque populis orientalibus mensuras ad quantitatem mediocrium ovorum gallinaceorum redigere solent); sive 202 digitos cubicos Parisienses. Sed parum probabile est, per 1500 annos a Mose usque ad Josephi aetatem mensuras Hebraeorum immutatas non esse; quum nil magis mutationibus obnoxium sit mensuris et ponderibus. — 18. וַיִּמְהֹד — הֶחְסִיר *Tum mensi sunt Gomere*, i. e. mensura Gomeris, *et non abundavit*, non ei superfuit, *qui multum fecit*, s. collegit, *nec qui minus collegit minus habuit*, vel, *defectum sensit*. Antiquiores Hebraei dixerunt, miraculo factum esse, ut sine demensione neque plus neque minus quisque auferret quam necesse erat, sive multum, sive parum is collegisset. Quae explicatio verbis hebr. bene congruit. Vel igitur cum Jarchio et priscis Hebraeis miraculum fuisse dicendum est; vel cum aliis, non singulos id quod colligebant, domum portasse, ac praecise pro unaquaque persona familiae Gomerem habuisse, quod sine miraculo fieri haud potuit; sed quicquid omnes in universum collegissent, in acervum fuisse congestum, atque inde unicuique (sive plus, sive minus colligerat), pro numero personarum familiae ipsius fuisse mensuratum. Quae quidem expositio simplicissima fuerit.

19—21. אִישׁ אַל־יוֹתֵר וגו׳ *Nemo relinquat ex ea in auroram.* Non est sensus, totam, quam habebant mannam, necessa-

rio fuisse comedendam; sed si quid relictum esset, extra tentorium fuisse projiciendam. — 20. וַיִּרְם תּוֹלָעִים וַיִּבְאַשׁ *Scatebat autem vermibus et foetebat.* Est in hisce verbis *ὕστερον πρότερον*. Prius enim foetebat manna, et deinde vermibus scatebat; unde Vs. 24. inverso verborum ordine de manna in diem Sabbathi reservata dicitur, eam non foetuisse, nec vermem in ea fuisse. — 21. Quod manna sole calescente liquefacta hic dicitur (וְחַם הַשֶּׁמֶשׁ וְנָמַס) idem in manna Arabica observarunt Niebuhr *Descr. Arab.* p. 146., Burckhardt l. l. p. 954., et R. Petachias in *Itiner.* p. 191. ed. Wagenseil. Et hujus quidem verba sunt haec: *Pleni sunt montes illi carduis et virgultis, supra quos cum rore manna quoque decidit, eaque sole incalescente liquescit; unde et nocte eam colligentibus, si tardent, idem hoc accidit.*

22. 23. וַיָּבֹאוּ כָּל־נְשִׂיאֵי וגו׳ *Et venerunt omnes principes congregationis*, populi, *et narrabant Mosi.* Populus sexto hebdomadis die duplicem mannae portionem collegit (לָקְטוּ), uti Moses Vs. 5. praeceperat. Principes igitur Mosen de eo, quod populus fecerat, certiorem fecerunt, nimirum ut quid de duplici ista portione mannae faciendum esset, instruerentur. Vetitum enim erat, ne quid in posterum diem relinqueretur (Vs. 19.); quod autem contra jussum nonnulli servaverant, id putredine corruptum videbant (Vs. 20.). Interrogatus igitur de hac re respondet Moses, sine ullo periculo alteram mannae portionem, die sexto collectam, in septimum diem s. Sabbatum posse servari, vid. Vs. 23. coll. Vs. 24. et 26. sqq. — 23. אֵת אֲשֶׁר — בַּשֵּׁלוּ *Quod coquetis*, coquere velitis, *coquite*, *et quid elixabitis*, *elixate.* Manna duplici modo coqui potest; uno, si, nulla alia adhibita materia, super modico igne liquescit; et ita similis fit saccharo hordaceo (*Gerstenzucker*), quod in nostris officinis *manna tabulata* vocatur, altero, si admixta farina frigitur, ut placentae mellitae instar fiat. Quomodo vero manna elixetur haud liquet. Fortasse admixta aqua coquebatur in potum, similem ei, quem ex aqua, melli silvestri, i. e. manna, et aromatibus ab Arabibus confici scribit Diod. Sic. 19, 104. In Persia manna admixta aqua coquitur usque ad spissationem. Apud Arabes folia, quibus adhaeret manna sole liquefacta et in massam compacta, macerantur aqua calida, qua ita dissolvitur mannae gluten, ut instar olei aquae innatet.

29. 31. רְאוּ — הַשַּׁבָּת *Videte quod Jova dedit vobis Sabbatum*, i. e. jussit vos septimo quoque die ferias agere. שְׁבוּ אִישׁ תַּחְתָּיו *Sedete quisque sub se*, quisque in tentorio suo maneat. „Phrasis videtur a more Orientalium ducta, qui sedent in solo, seu pavimento; nam *sub se manere* est proprie manere eo in loco, qui sub nobis fuit, eum primum consedimus.“ Cleric. אַל־יֵצֵא וגו׳ *Ne exeat quisquam e loco suo die septimo.* Jonathan addit: *ultra bis mille cubitorum*, tot enim, ex placitis veterum doctorum Hebraeorum, Sabbato ire licet. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I.

P. I. p. 164. Neque tamen illud, quod addit Jonathan, in textu est expressum. At latius videtur esse hoc praeceptum, quam ut (uti nonnulli opinati sunt) ad mannae collectionem restringi debeat; quemadmodum enim ob istam causam, ita et ob aliam aliquam istiusmodi causam exire prohibitos fuisse arbitror. — 31. וְהוּא כְּזֶרַע גַּד לָבָן LXX. *ἦν δὲ ὡς σπέρμα κορίου λευκόν, erat autem tanquam semen coriandri album.* Id plurimi Interpp. secuti sunt. Sed quum coriandrum non sit album, Jarchi et Kimchi mannam non nisi ob rotunditatem semini coriandri comparari ajunt, ut verba ita sint capienda: manna erat alba, et ex granis constabat instar seminis coriandri. Nescio tamen, an verba hebr. eam interpretationem admittant. Aben-Esra fatetur, se quid גַּד significet ignorare. Sane in nulla dialectorum cum Hebraea cognatarum illud aut simile nomen de planta exstat; unde J. D. Michaelis conjecit, esse Africanum. Scholiastes Cod. Vaticani hic notat, Samariticum habere: *ὡς σπέρμα ὀρύζης*, et profecto in Vers. Samar. verba כְּזֶרַע גַּד versa sunt כארז קלף *sicut oryza decorticata.* Certe *oryza* propter colorem magis convenit; flavet enim ex candido. וְטַעְמוֹ כְּצַפִּיחִית בִּדְבָשׁ *Et sapor ejus* fuit *sicut placenta in melle*, s. placenta mellita. LXX. *τὸ δὲ γεῦμα αὐτοῦ ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι, gustus autem ejus tanquam laganum in melle.* Quum autem Num. 11, 8. manna sapore similis dicatur oleo recenti, id cum hoc loco sic conciliari potest, mannam dulcem quendam ac delectabilem saporem, tanquam vel placentae mellitae, vel recentis olei habuisse. Burckhardt l. l. mannae saporem dulcem, jucundum, et paene aromaticum inesse ait.

33. 34. צִנְצֶנֶת est *ἅπαξ λεγ.* Onkelos: *scutella*, Aben-Esra vero: *vas testaceum vel aheneum.* LXX. *στάμνον χρυσοῦν urnam auream*, et praeterquam quod ea interpretatio firmatur loco Hebr. 9, 4., ratio ipsa dictat, vas aureum potius quam vel testaceum vel aeneum ad servandam mannam fuisse adhibitum. וְהַנַּח אֹתוֹ לִפְנֵי יְהוָה *Et pone illud coram Jova*, i. e. coram arca (Vs. 34.). Jarchi et Aben-Esra recte observare videntur, id post tabernaculi sacri exstructionem factum fuisse, etiamsi h. l., ubi de manna texitur historia, scriptum sit. — 34. וַיַּנִּיחֵהוּ אַהֲרֹן לִפְנֵי הָעֵדֻת *Posuitque illud Aaron coram lege*, i. e. coram arca, in qua erant tabulae lapideae. Ponitur הָעֵדֻת hic pro אֲרוֹן הָעֵדֻת, cf. 25, 21. 22. Sunt qui עֵדָה *testimonii* significatu sumant, quae vox tamen, ubicunque legitur (si Ps. 60, 1. et 80, 1. excipias, ubi nomen instrumenti musici est) notat *praeceptum*, *legem*, cf. Ps. 19, 8. et ibi not., et 119, 14. 26. Deut. 4, 15. 6, 20. rel.

35. 36. וּבְנֵי — שָׁנָה *Filii Israel autem comedebant mannam quadraginta annis.* Non plene tot annis, sed uno mense minus; nam mense secundo post exitum ex Aegypto primo comedebat mannam; statim autem a celebratione paschatis, i. e. circa medium mensis Nisan, sive Martii, cessavit manna (Jos. 5, 10 — 12.).

Unde post obitum demum Mosis mannam cessasse liquet. Id vero arguit, a Mose posse hunc Vs. non scriptum esse. Nec quod hic legimus *praedicitur*, sed *narratur*. Quare recte Interpp. monuisse videntur, haec ab alio, fortassis a Josua, inserta esse, ut narratio de manna perficeretur. Alii putant, hunc Vs. scriptum esse prope mortem Mosis. — 36. וְהָעֹמֶר וגו׳ *Omer autem est decima pars Ephae.* LXX. *τὸ δεκατὸν τῶν τριῶν μέτρων ἦν.* Eadem forsan mens erat Onkelosi et Jonathanis, qui pro אֵיפָה ponunt *tria sata.* Similiter Jarchi ait, Epham continere *tria sata;* satum autem continere 6 cabos, cabum vero 4 logos, logum denique 6 ova; ita ut decima pars Ephae 43⅕ ova contineat. Cf. ad Vs. 16. Ceterum et hoc comma plures a Mose abjudicant, quod dum mensura quaepiam in usu est non ita definiri soleat. Similia occurrunt de numo Num. 3, 47. 18, 16. „Verum," reponit Clericus, „non constat unquam, Judaeos inter se aliis mensuris in Palaestina usos esse, ut ea de causa veteres mensuras definiri oporteret; neque notior fuisse videtur Epha quam Gomer. Attamen Moses, qui Remp. Hebraicam condidit, dedita opera hic illic de mensuris et numis aliquid inserere potuit, occasione data, ne in posterum mutarentur."

5. *Discessus Israelitarum e Sinico deserto ad Rephidimos, ubi aquam e rupe egressam accipiunt. Cap.* 17, 1—7.

Cap. 17, 1—4. וַיִּסְעוּ — יְהוָה *Deinde profecti sunt omnis coetus filiorum Israelis e deserto Sin per profectiones suas ad os s. secundum os Jovae*, i. e. Jovae jussu, cf. Gen. 41, 40. — וַיַּחֲנוּ בִּרְפִידִם *Et castra metati sunt in Rephidim.* A deserto Sin profecti sunt ad Dophca, a Dophca ad Alusch, et inde demum ad Rephidim (Num. 33, 12—14.); omissae stationes innuuntur per לְמַסְעֵיהֶם. Moses hoc libro nonnisi eas mansiones commemorat, in quibus aliquid novi contigit. Cf. ad 16, 1. et *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 131. sqq. Pro וְאֵין מַיִם לְשְׁתּוֹת ponendum fuisset וְאֵין מַיִם לָעָם לִשְׁתּוֹת *et nulla aqua aderat populo ad bibendum.* Sed usurpatur Infinit. pro Nomine, quasi sit: *aderatque nulla aqua ad potum populi*, uti Gen. 16, 9. *Post decem annos* לְשֶׁבֶת אַבְרָם pro לישיבת אברם *habitationis Abrami.* — 2. מַה־תְּנַסּוֹן אֶת־יְהוָה *Quid tentatis Jovam?* „h. e. quare de divina potentia aut voluntate dubitatis? nam qui *tentant* quempiam, experimentumque ejus voluntatis capiunt, de ea voluntate dubitant; vid. Vs. 7." Cleric. — 3. לְהָמִית אֹתִי וגו׳ *Ad occidendum me et filios meos et pecudes meas.* Pronomina sunt 1. pers. Sing., ratione nominis הָעָם, singularis quoad formam. — 4. עוֹד מְעַט וְסָקְלֻנִי *Adhuc modicum et me lapidabunt*, i. e. prope est ut me lapident.

5—7. עֲבֹר — יִשְׂרָאֵל *Transi coram populo et sume tecum ex senioribus Israelis*, qui testes sint eorum, quae ibi fiunt, ut haud male exponit Jarchi: *in testimonium, ut videant, per te*

factum esse, ut aquae e rupe exeant. וּמַטְּךָ — הַיְאֹר *Et baculum quo percussisti fluvium*, Nilum, vid. 7, 20. 8, 5. Mentionem facit prodigii facti in fluvio, quod sicut tunc aquam convertendo in sanguinem, ejus naturam immutavit, sic hac vice adducturus sit aquam in silicem durum et siccum, contra ejus naturam. — 6. Prima hujus Vs. verba R. Moses Ben-Nachman conjungit cum וְהָלַכְתָּ in fine Vs. 5., hoc sensu: *ibis* et progredieris *donec me stantem videas coram te super petram.* Quod cum ה articuli hic ponitur עַל־הַצּוּר inde Abarbenel colligit, indigitari petram quandam Mosi jam notam, in qua Deus et alias illi appareret solcret. Et de hac eadem petra 33, 22. dici: *ponam te in caverna petrae illius*, sc. jam tibi notae. Illam igitur petram, בְּחֹרֵב *in Chorebo* monte (vid. 3, 1.) sitam percuterc Moses jubetur, quo facto ex ea proditura sit aqua. Hodie tamen Chorebum fontibus esse irriguum, et in ejus convallibus esse hortos, in quibus coluntur vites, et legumina olcraque seruntur, testantur plures, qui istas regiones invisere. Rei quae hic narratur vestigium exstat apud Tacitum *Histor.* 5, 3. Ceterum cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 44. sqq. et *Alterthumsk.* Vol. III. p. 116. sqq. — 7. מַסָּה *tentationem* significat, et מְרִיבָה *rixam*, quae nomina illis locis ideo sunt imposita, quod Israelitae ibi de Dei potentia et voluntate dubitassent, et cum Mose rixati essent, quasi suo consilio, non Dei jussu, populum per desertum duceret.

6. *Victoria de Amalekitis, precibus Mosis a Deo concessa,* 17, 8—16.

8—10. וַיָּבֹא עֲמָלֵק *Et venit Amalek*, i. e. venerunt Amalekitarum agmina. Cf. ad Gen. 14, 7. — 9. מַטֵּה הָאֱלֹהִים *Virga Dei*, i. e. virga, qua Deo jubente tot prodigia facta sunt. — 10. חוּר *Churem* Jarchi tradit fuisse filium Calebi ex Mirjama, sorore Mosis. Sed Josephus *Antiqq.* III, 2, 4. asserit eum fuisse maritum Mirjamae.

11. וְהָיָה — יִשְׂרָאֵל *Fuitque quum attolleret Moses manum suam, ut praevaleret Israel.* Creditur vulgo Moses precum caussa, et orantium ritu, manus sustulisse, eoque ipso victoriam Israelitis impetrasse, quae sententia ferri omnino potest. Sed J. G. Lackemacher in *Observatt. philol.* P. IV. Obs. 1. eo potius consilio manus a Mose in sublime levatas arbitratur, ut signum erigeret militare. Pervetustus, inquit, Hebraeorum mos fuit, ut proelii dux signum aliquod, universo conspicuum exercitui, tolleret, ut scirent omnes, quo in loco is versaretur, et quo proinde se deberent vertere. Hoc signum, נֵס appellatum, ex pertica constabat praelonga, cujus parti summae velum esset appensum; vid. Num. 21, 8. 9. Jes. 33, 23. Ez. 27, 7. Quo allusum et in nomine altaris in memoriam hujus victoriae erecti, infra Vs. 15. Phrasin *manum tollere*, ubi de bello est sermo, idem esse censet, ac *signum erigere.* Vexilli autem loco Mosen baculum suum adhibuisse, et ut ab

omnibus conspici posset, in collem quendam ascendisse. Pergit Lackemacherus: „Aaronem et Churem comites adscivisse videtur Moses, ut mandata ipsius ad exercitum, sicubi opus esset, perferrent. Hic igitur proelio commisso accidit, ut dum *manum* Moses *attolleret*, h. e. baculum s. vexillum suum erectum teneret, et mandata daret, ut, inquam, superiores essent Israelitae, dum vero demitteret, atque ita cessare de imperio videretur, ut Amalecitis cederent. Factum nempe arcana quadam Dei gubernatione, ut signum illud divinum cernentes milites Israelitici forti animo pugnarent, hostiumque sustinerent impetum, confisi, Deum ipsis adesse auxilio."

12—14. וְיָדֵי מֹשֶׁה כְּבֵדִים *Manus Mosis graves erant*, i. e. fessae, neque enim brachium erectum diu habere sine lassitudine possumus. אֱמוּנָה *firmitas*, Substant. pro Adject., *firmae fuerunt*. אֱמוּנָה est Sing., quemadmodum וַיְהִי, quum יָדָיו sit Plur., q. d. facta est unaquaeque manuum ejus firma, s. stabilis; cf. ad Gen. 49, 22. (בָּנוֹת צָעָדָה). — 13. אֶת־עֲמָלֵק וְאֶת־עַמּוֹ *Amalekum et ejus populum*, est ἓν διὰ δυοῖν pro populum Amalekitarum. — 14. זִכָּרוֹן בַּסֵּפֶר *Memoriale in libro*, sc. quem scribere incepisti. Cf. supra p. 2. וְשִׂים בְּאָזְנֵי יְהוֹשֻׁעַ *Ponito in auribus Josuae*, i. c. dic ei, manda ei.

15. 16. יְהוָה נִסִּי *Jova vexillum meum*, pro מִזְבֵּחַ לַיהוָה נִסִּי *altare Jovae signi mei*. LXX. καταφυγήν μου, Vulgatus *exaltationem meam*. Sed נֵס est signum, quod pertica adtollitur, ut copiae ad id concurrant, vid. Num. 21, 9. Ps. 60, 6. Jes. 5, 26. Alludere videtur Moses ad virgam Dei, qua, signi militaris instar, victi fuerant Amalekitae. — 16. Verba כִּי־יָד עַל־כֵּס יָהּ non satis sunt clara. Cod. Sam. pro כס יה legit כסא *thronus*, ex recepta Hebraeis interpretibus sententia, כֵּס per apocopen pro כִּסֵּא positum esse. LXX. ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ Κύριος. quasi legissent: ביד כסויה נלחם יהוה, *manu occulta pugnavit Jehova*. Vulgatus: *quia manus solii Domini et bellum Domini erit contra Amalek*, omisso עַל. Syrus: *ecce manum contra sedem. Bellum Domini contra Amalek etc.* omisso יָהּ. Verborum vero, ut in textu sunt, commodissimus sensus esse videtur, quem proposuit Clericus: *quia manus ejus*, sc. *Amalek fuit contra thronum Dei, ideo bellum Jovae contra Amalekitas, in omne aevum*, ut sequitur. Thronum Dei censebatur tum esse inter Israelitas, quia Deus illorum rex erat. Idem Clericus haud spernendam conjecturam affert, pro כֵּס legi posse נֵס (quamquam haec lectio per nullum Cod. confirmatur), ut ad nomen altari impositum Moses respiciat, quod illis temporibus plerumque facere solebant, qui rei cuipiam nomen dederunt, uti ex aliis exemplis constat, v. c. Gen. 16, 13. Facile etiam litterae כ et נ permutari possunt. Ceterum cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 52.

7. *Jethro, Mosis socer, generum in deserto invisit, ad eum uxorem cum duobus filiis adducit, et de constituendis inferioribus judicibus consilium dat, quod Moses exsequitur. Cap.* 18.

Cap. 18, 1. 2. 6. De יִתְרוֹ cf. ad 3, 1. — 2. אַחַר שִׁלּוּחֶיהָ *Post ejus dimissionem*, i. e. postquam Moses uxorem suam ad paternam domum una cum filiis remisisset. Conf. ad 4, 20. — 6. וַיֹּאמֶר אֶל־מֹשֶׁה *Dixit Mosi*, se. per praemissum nuncium, qui inducitur loquens instar ipsius Jethronis. Sic Dei instar Moses loquitur, 7, 17.

11 — 15. בַּדָּבָר אֲשֶׁר זָדוּ עֲלֵיהֶם *In re, qua proterve egerunt*, sc. Aegyptii *contra eos*, Israelitas. Vb. זיד cum עַל constructum denotat proterviam in opprimendo, ut 21, 14. Neh. 9, 10., qui locus ad hunc respicit. Re vero ea, qua Aegyptii proterve egerunt, intelligitur exercitus, quo Aegyptii Israelitas perdere sperabant. DATHIUS ex antecedentibus repetit גָּדוֹל aut הִגְדִּיל, vertitque: *nam in eo ipso, in quo illi Israelitas longe superabant, magnum sese exhibuit*, sc. Deus. — 12. לֶאֱכֹל־לֶחֶם לִפְנֵי הָאֱלֹהִים *Ad comedendum panem coram Domino;* intelligitur epulum sacrificale, apud omnes antiquos populos usitatum. — 13. וַיִּתְיַצֵּב הָעָם *Populusque adstabat*, ii videlicet ex populo, qui litigabant. — 15. כִּי־יָבֹא אֵלַי וגו׳ *Quia populus ad sciscitandum Deum ad me venit.* Sensus est: nullos alios judices adsumere possum; populus enim non me ipsum ut judicem adit, sed Deum, cujus nomine et ex cujus legibus ego judico; cf. Vs. sq.

16 — 20. כִּי־יִהְיֶה לָהֶם דָּבָר Si causam habent; seu controversiam judicio dirimendam. וְהוֹדַעְתִּי וגו׳ ut eis Dei sententiam patefaciam. — 18. נָבֹל תִּבֹּל *Marcescendo marcesces*, i. e. fatigaris. כָּבֵד מִמְּךָ הַדָּבָר *Gravior tibi est haec res*, i. e. hic modus judicii difficilior est, quam ut tu solus eum sustinere possis. — 19. וִיהִי אֱלֹהִים עִמָּךְ *Et sit Deus tecum.* Deus tibi faveat; ego tibi quidem consilium dabo, sed Deus ei favere debet. הֱיֵה אַתָּה לָעָם מוּל הָאֱלֹהִים *Esto tu huic populo interpres apud Deum.* מוּל הָאֱלֹהִים proprie *e regione Dei*, i. e. coram Deo, interpres apud Deum. Sensus: tibi tantum res graviores serva, ad quas dijudicandas Deus ipse est consulendus; res faciliores alii judices decernere possunt. — 20. וְהוֹדַעְתָּ לָהֶם אֶת־הַדֶּרֶךְ וגו׳ *Expones eis viam, qua incedant, et quae faciant, significabis.* Constituas leges, ne opus sit, te in singulis rebus consuli.

21. 23. אַנְשֵׁי־חַיִל *Viri fortitudinis.* חַיִל, quod proprie militarem virtutem significat, transfertur ad animi virtutes, et designat inprimis illius constantiam, qua neque gratia, neque timore a recto justitiae tramite deflectitur, denique in universum usurpatur illa vox *de animi integritate* et *probitate.* Sic 1 Reg. 1, 52. בֶּן־חַיִל *homo probus.* Ruth. 3, 11. אֵשֶׁת חַיִל *mulier proba*, et 1 Sam. 10, 26. 27. הַחַיִל *viri boni* opponuntur τοῖς πονηροῖς בְּלִיַּעַל *hominibus malis.* אַנְשֵׁי אֱמֶת *veri amantes.* אֱמֶת h. l. et

alias i. q. *δικαιοσύνη* et *justitia*. וְשַׂמְתָּ עֲלֵהֶם וגו׳ *Et constitues super eos chiliarchos*, rel. Quod Jethro numero plurali dicit *chiliarchos*, *centuriones*, *pentecontarchos*, *decuriones*, non videtur intellexisse, singulis hisce distributionibus praefuisse plures collegas, eadem dignitate ornatos; sed ita loquutus est propter praefectorum multitudinem. Nam in numero 600000 virorum chiliades sunt 600, hecatontades 6000, pentecatontades 12000, deeades 60000, itaque praefectorum numerus fuit 78600. Horum videntur ita fuisse distincta munera, ut quod non poterat judicio decurionum absolvi, id deferretur ad penteeontarchos, et sic porro; ita ut quae lites a chiliarchis ob difficultatem aut eontendendi studium non poterant dirimi, de iis chiliarchi ad Mosen, Moses ad Deum referret. Ceterum non est verisimile, decuriones illos 60000 omnes in publicis judiciis locum eum suffragio habuisse; ubi judices in conventibus populi Israelitici memorantur, ibi chiliarchi tantum et centuriones intelligi videntur. Haec institutio valuisse videtur dumtaxat ad tempus peregrinationis, qua populus in certos numeros, non in urbes ac pagos, ut postea, erat divisus. Deut. 16, 18. Vid. Michaelis *Mos. Recht*, P. I. §. 49. — 23. וְגַם כָּל־הָעָם וגו׳ *Et hic populus quoque salvus et incolumis ad locum suum perveniet*. Nimirum quod lites ac controversiae eorum cito diremtae erant. Fieri enim non poterat, ut vir unus, qui jus diceret trecentis myriadibus, omnibus satisfaceret.

Pars Secunda.

Leges per Mosen datae. *Cap.* 19 — 34.

1. *Cum populus ad montem Sinai venisset, Mose internuntio rogatur, num Jovae legibus parere velit? Quod quum promisisset, jubetur sese lustrare ad tertium diem, ex Jova ipso has leges auditurus. Tertio die ascendit Jova cum insigni majestate in montem, ad quem populo propius accedere interdicitur. Moses tantum et Aaron jubentur montem ascendere. Cap.* 19.

Cap. 19, 1. 3. 4. בַּיּוֹם הַזֶּה *In die isto*, i. e. die primo tertii mensis. Nam חֹדֶשׁ, quod praecessit, hic est propria sua significatione *novilunii* capiendum, ut 1 Sam. 20, 5. 2 Reg. 4, 23. — 3. עָלָה אֶל־הָאֱלֹהִים *Ascendit ad Deum*. Ascendit Moses in montem Sinai. Cf. ad Vs. 12. — 4. וָאֶשָּׂא אֶתְכֶם עַל־כַּנְפֵי נְשָׁרִים *Gestavi vos quasi in alis aquilinis*. Aquila enim, si pullos ex nido educit, sub eis volitat, ne in petras delabantur et in iis contundantur. Cf. Deut. 32, 11. וָאָבִא אֶתְכֶם אֵלָי *Adduxi vos ad me*, i. e. vos a servitio liberatos recepi in tutelam meam singularem.

5—8. וְהִיִיתֶם לִי סְגֻלָּה מִכָּל־הָעַמִּים *Estis mihi peculium ex omnibus populis*, i. e. populus quem peculiari complector fa-

vore. Ita saepius vocatur populus Israel., e. g. Deut. 7, 6. 14, 2. 26, 18. LXX. his omnibus locis vertunt λαὸς περιούσιος, *populus acquisitus*, peculiaris. Cf. Tit. 2, 14. 1 Petr. 2, 9. — 6. וְאַתֶּם — כֹּהֲנִים *Eritis mihi regnum sacerdotum.* Sensus est: ut sacerdotes, qui pie et caste rem divinam faciunt, Deo cari habentur; sic Deo earos fore Israelitas, si legum div. observantes sint. גּוֹי קָדוֹשׁ *Gens sacra*, quippe quae universa sacerdotibus constabit; separata ab aliis populis. — 7. 8. Quum universus populus Dei declarationem consensu suo approbasset, hinc factum est, ut aliorum Deorum cultus tanquam crimen laesae majestatis consideraretur. Sicuti enim omnes fere populi antiqui deos terrarum suarum peculiares simul etiam earum reges esse putabant; ita Jova etiam, huic opinioni sese accommodans, Israelitarum Deus simul et Rex esse voluit (Vs. 5. 6.): id quod vocari solet *Theocratia*, qua voce primus usus est Josephus *contra Apion.* 2, 16. Hae autem ratione sapienter prospexit Deus, ne Israelitae ad idololatriam prolaberentur. Plura de theocratica regiminis forma vid. in *d. a. u. n. M.* P. II. p. 54. sqq. et cf. Spencer, *de Legg. Hebr. Ritual.* Lib. I. p. 174. sqq. Jerusalem, *Betrachtt. üb. d. vornehmst. Wahrhh. d. Rel.* P. II. p. 587. sqq. Hess, *Gesch. Moses*, P. I. p. 196. sqq.

9—12. בְּעַב הֶעָנָן *In densitate nubis.* Intelligitur nubes tonitrua et fulgura edens, praesentiae divinae signum. בַּעֲבוּר וגו׳ *Ut audiat populus me tecum loqui, et tibi in perpetuum credat;* voce coelesti audita non poterit suspicari ea, quae nomine meo edes jussa et praecepta, esse a te conficta. — 10. קַדֵּשְׁתָּם *Sanctifica eos*, ablutionibus *(lustrationibus)* nempe corporis et vestium. Hujusmodi ablutiones, antequam sacra fierent, apud omnes antiquos populos usitatae erant. Sacra facturis illotis manibus aut sordidis vestibus ad altaria accedere religio erat. Conf. ad Genes. 35, 2. — 11. יֵרֵד יְהוָה *Descendet Jova*, i. e. per fulgura et tonitrua sese praesentem ostendet. — 12. הִשָּׁמְרוּ — בְּקָצֵהוּ *Cavete, ne in montem adscendatis finesque ejus adtingatis.* Ratio erat, ut Deus sui majorem reverentiam injiceret Israelitis, et eximio, singularique quodam honore Mosem ornaret spectantibus Israelitis, dum huic soli ascendere liceret. Sic et omnes gentes ἄδυτα habuerunt, quae nemini nisi sacerdotibus fas erat intrare. Mons Sinai tanquam Dei habitatio seu palatium considerabatur. Sicuti vero ex more Orientalium hodiernum regnante, regis palatium nemini permissum est ingredi, nisi intimis regis aut evocatis ad thronum regium; ita Dei, regis Israelitarum, palatium, nemini accedere licitum erat, nisi Mosi tanquam intimo regis.

13. 15. לֹא־תִגַּע בּוֹ יָד *Ne manus eum adtingito*, i. e. ne quisquam talem transgressorem sequatur intra consecratos terminos, ut eum inde ejiciat; sed ille aut lapidibus obruatur e longinquo, aut sagittis confodiatur, אוֹ־יָרֹה יִיָּרֶה. בְּמָשֹׁךְ הַיֹּבֵל *Cu*

trahet tuba, i. e. longiore sonitu canet; sive, si tonitruum sonus similis erit tubae elangori. הַיֹּבֵל pro קֶרֶן הַיֹּבֵל uti patet e Jos. 6, 5. Varias de nominis יֹבֵל significatu sententias recensuit et examinavit FULLERUS in *Miscell. SS.* L. IV. Cap. 8. Adde J. D. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1048., ubi tamen praetermissa est Jo. GEO. FRANKII in *Novo system. Chronolog. S.* p. 13. proposita sententia, ab הוֹבִיל ἐπάγειν, יֹבֵל esse *epactam*, *intercalationem*, et קֶרֶן הַיֹּבֵל tale cornu, cujus elangore annus ἐπαγόμενος indicebatur. Per חֲמֻדֹת videntur principes populi intelligendi, aut quidam ex iis tanquam legati a populo, cf. 24, 1. — 15. אַל־תִּגְּשׁוּ אֶל־אִשָּׁה *Neque ad uxorem accedite.* Hae re se pollui existimabant Orientales paene omnes. Id de Babyloniis et Arabibus narrat Herodot. 1, 198. et de Aegyptiis 2, 61. Aegyptii sacerdotes sacris solemnioribus instantibus multis rebus abstinebant, πρὸ δὲ πάντων ἀφροδισίων καὶ ὁμιλίας γυναικείας, ut dicit Chaeremon apud Porphyrium *de abstinentia*, 4, 7. Idem mos invaluerat apud Graecos, ut docet praeter alios MEURSIUS in *Eleusiniis* Cap. 7., et apud Romanos, ut liquet ex Tibullo, Lib. 2. Eleg. 1. Mohammedani quoque cum loca saera Meccae visitant mulieribus abstinere debent.

17—19. וַיּוֹצֵא מֹשֶׁה וגו׳ *Tum Moses populum e castris Deo obviam duxit.* Tonitrua et fulgura Deum mox descensurum significabant; itaque quum Deus in montem descenderet, dum populus it ad montem, ei obviam proceedere dici potest. — 18. וְהַר סִינַי עָשַׁן כֻּלּוֹ *Totus mons Sinai fumabat.* Nubes illae densae tonitrua edentes fumi speciem praebebant. וַיֶּחֱרַד כָּל־הָהָר מְאֹד *Et contremebat totus mons vehementer.* Nonnulli cogitarunt de motu terrae; sine necessitate, quum jam tonitrubus satis concuti mons potuerit. — 19. בְּקוֹל *In voce*, i. e. per tonitrua. Conf. Gen. 3, 8. 10.

22. 25. וְגַם הַכֹּהֲנִים *Et ipsi Sacerdotes.* Quum Aharonicum sacerdotium tum nondum institutum esset, plures putarunt significari hic primogenitos Israelitarum, qui Deo veluti consecrati fuissent, 13, 2., et quorum vice postea Levitieam tribum consecrari sibi voluisset Deus, Num. 8, 14. Sed quum 24, 5. Moses dicatur misisse ad saera facienda נַעֲרֵי בְנֵי יִשְׂרָאֵל *adolescentes filiorum Israelis;* verisimilior est Clerici sententia, signari nonnullos ex juventute, quos Moses huic rei praefecerat. Et observavit jam Abarbenel, delegisse Mosen ex Israelitis, nulla ordinis nascendi ratione habita, juvenes robore, ad sacrificia illa paranda necessario, sufficienter instructos. Robur utique requirebatur haud mediocre ad juvencos plures prosternendos, jugulandos, excoriandos, eviscerandos, et ad partes hostiarum, majores quidem illas, ad altare deportandas. Quocirca nemo vel senectute debilitatus, vel alia ex causa viribus destitutus sacrificii officio fungi rite omni ex parte poterat. Ista de causa Graeci etiam antiqui in sacrificiis apparandis juvenum opera sunt usi, id quod veterum au-

etorum testimoniis probavit LACKEMACHER in *Observatt. SS.* P. VI. p. 332. sqq. הַנִּגָּשִׁים אֶל־יְהוָה *Qui ad Jovam accedunt*, i. e. in montem Sinai, Dei palatium, ascendunt. — 25. וַיֹּאמֶר אֲלֵהֶם *Et dixit eis.* Quid dixit, non exprimitur, atque ideo exponi potest: *et alloquutus est eos*, ut וַיֹּאמֶר sit i. q. וַיְדַבֵּר, ut Gen. 4, 8., ubi cf. not. Verum et in usitata significatione licet hic accipere: *et dixit eis*, nempe quae a Deo eis dicenda acceperat Vs. 24.

2. *Promulgantur decem praecepta. Cap.* 20, 1—18.

Quae sequuntur Vs. 1—17. a Mose ipso Deut. 4, 13. dicuntur עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים *decem verba*, et a Graecis *Δεκάλογος*, quod decem complectantur praecepta. Haec vero dupliei modo dividuntur. Ex divisione Origeniana, quam sequitur ecclesia Reformata, ad primam tabulam, quae praecepta amoris in Deum complectitur, quatuor referuntur praecepta: *prim.* Vs. 3., *sec.* Vs. 4. 5., *tert.* Vs. 7. et *quart.* Vs. 8.; tabula igitur secunda, quae de officiis erga homines agit, sex praecepta numerat ita, ut praeceptum decimum Vs. 17. generatim de concupiscentia vetita agat. Secundum Augustini divisionem, quam Lutherani maxime sequuntur, prima tabula tria praecepta, et secunda septem continet, ita ut Vs. 3—5. unum praeceptum comprehendant, et Vs. 17. duo diversa praecepta complectatur, quorum prius domum alterius concupiscere vetat. Ad summam caussae nil refert, utra divisio assumatur. Ceterum quod attinet ad haec decem praecepta omnimoque ad totum legum Mos. corpus, manifestum est, ea solis Israelitis data et eis peculiari quodam modo imposita esse, Christianos vero eis non obstringi, nisi quatenus earum nonnullas ipsa natura praescribit, quales eae sunt, quas Christus ejusque Apostoli nobis injunxerunt. Illud enim, quod lex Mosaica multis praeceptis caret perfectioris virtutis, et ea tantummodo continet, quae necessaria sunt ad jus hominum in societate servandum; multos contra Israelitis imponebat ritus, ad cultum Dei externum spectantes, illud, inquam, satis arguit, leges illas esse destinatas populo adhuc rudi et tantum per res sub sensus cadentes edocendo. Sic cavet quidem illa lex, ne nexium quid fiat proximo, sed qui erga eum debeat esse amor, quae beneficentia, quae injuriarum patientia, id non docet, aliaque id genus omittit. Multa etiam praecepta accommodata sunt regioni et coelo orientali, et spectant modo ad Palaestinae naturam et situm. Porro quum Israelitae agriculturam magis exercere debuerint, quam mercaturam, leges Mosaicae ad id compositae sunt, ut illam magis promoverent. Nonnulla etiam majorum instituta ac patrios mores retinere debuit Moses. Ita jura Goelis permanebant, licet restricta essent. Levirale matrimonium magis confirmabatur, quam instituebatur. Ex ipsa autem hac ratione legis Mosaicae satis apparet, eam non omni aetati omnibusque populis convenire. Nec formula ista חֻקַּת עוֹלָם לְדֹרֹתֵיכֶם perennitatem legis innuit,

quum Moses ea uteretur in talis legis promulgatione, quam ipse postea abrogavit, Levit. 17, 5 — 7. coll. Deut. 12, 15. 20 — 22. Cf. de hac re JERUSALEM l. l. P. II. p. 351. sqq. HERDER *Geist d. hebr. Poesie*, P. I. p. 353. sqq.

2 — 4. אָנֹכִי יְהוָה וגו׳ *Ego sum Jova Deus tuus, qui te ex ergastulo Aegypti eduxi.* Haec praefatio necessaria erat, tum ut intelligerent Israelitae, cujus nomine lex daretur, tum ut commemoratione beneficiorum suorum Deus Israelitas ad obsequium sibi praestandum adduceret. — 3. לֹא־יִהְיֶה וגו׳ *Non erit tibi Deus alius coram me.* אֱלֹהִים אֲחֵרִים *Deus alius.* Est enim אֱלֹהִים pluralis majestaticus, cui jungitur verbum singulare יִהְיֶה; vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 704. 10. עַל־פָּנַי nusquam *praeter* significat (ita LXX. πλὴν ἐμοῦ), verum semper *coram*, *prae conspectu.* Deus alius vero *coram Deo* esse dicitur, quod Israelitae, si aliorum Deorum cultum adscivissent, hos Deo tanquam inspectante culturi fuissent. Hac lege ostendere voluit Deus Israelitis, se variarum religionum misturam nullo modo probare. Erat enim haec vulgatissima illorum temporum superstitio, ut homines praeter ejus terrae, quam habitabant, Deum, etiam aliarum Deos coli posse ac debere putarent. — 4. לֹא־תַעֲשֶׂה־לְךָ פֶסֶל וגו׳ *Ne facias tibi sculptam imaginem aut simulacrum ullius rei, sive sit in coelo sive in terra, sive in aqua sub terra.* Facile intelligitur, non omnes vetari imagines, ut quidam Interpp. voluerunt, sed tantum imagines tum ipsius Dei veri, tum aliorum Deorum; erant enim in ipso templo imagines, c. c. Cheruborum. Joseph. *Antiqq.* III, 5, 5.: *secundum praeceptum docet nullius animalis simulacrum adorandum.* Et sane hoc Vs. praecipue innui videtur animalium cultus inter Aegyptios usitatissimus. Triplicem, ut ita dicam, Aegyptiorum idololatriam paucis verbis complexus est PHILO in libro de *Decalogo*, Vol. II. p. 193. edit. Mang. ubi, postquam dixisset, non modo tauros, hircos, arietes ab Aegyptiis coli, sed etiam crocodilos, leones, aspides, addit, haec omnia animalia *honorari templis, fanis, sacrificiis, ludorum festis diebus, pompis, et id genus aliis. — Nam et in terra et in aquis, quae duo elementa magno usui esse voluit mortalibus Deus, perscrutati immanissima quaeque, nihil in terra invenerunt leone efferatius, nihil in aqua crocodilo atrocius, quorum tamen utrumque divinis prosequuntur honoribus. Quia et alias consecrarunt animantes, canes, feles, lupos, et ex volucrum genere ibides et accipitres.* מִמַּתַּחַת לָאָרֶץ *Sub terra*, quia aquae littoribus sunt inferiores.

5. לֹא תִשְׁתַּחֲוֶה לָהֶם *Non incurvaberis iis*, i. e. nullo cultu eos adficies. Non modo inflexionem corporis; sed omnem imaginum cultum Deus vetuit. אָנֹכִי — קַנָּא *Ego sum Jova Deus tuus, Deus perfidiae in ipsum commissae impatiens.* Ut קַנָּא de marito dicitur, qui rivalem pati nequit; sic Deus socium in cultu, quem ab hominibus postulat, ferre non potest. פֹּקֵד עֲוֹן אָבוֹת עַל־

בָּנִים *Visitans*, animadvertens, puniens, *delictum patrum in filios.* פָּקַד, ubi de peccatis sermo est significat *animadvertere in aliquem.* עַל־שִׁלֵּשִׁים וְעַל־רִבֵּעִים *In tertiam usque quartamque aetatem.* Adjectiva, quae hic habentur, nonnisi de majorum progenie, nec nisi in forma plur. masc., nec nisi elliptice frequentantur. Substantivum subaudiendum vel בָּנִים, vel דוֹרִים *aetates* esse potest. לְשֹׂנְאָי *Iis qui oderunt me*, quibus designantur ii, qui divina praecepta vilipendunt nec custodiunt. Onkelos addit: *quando pergunt filii peccare post parentes*, i. e. parentes imitando. Nam Deut. 24, 16. Ez. 18, 20. dicitur, non esse filiis parentum scelera luenda. Et nostratium plerique haec verba non esse ita intelligenda dicunt, quasi Deus a liberis innocentibus, quorum parentes peccarunt, poenas repetere velit; sed hunc esse sensum: poenae, quibus adfecti sunt parentes, cerni poterunt adhuc in quarta generatione. Attamen quum aliis locis eadem, quae hic habentur, repetantur (34, 7. Lev. 26, 39. Num. 14, 18.), et exemplis constet, punitos esse liberos propter peccata parentum (2 Sam. 12, 14. 1 Reg. 13, 34. 14, 10. 17.); haec dici videntur e more principum Orientalium, et antiquiorum et recentiorum, qui non tantum eos ipsos, qui deliquissent, verum una cum illis totas eorum familias haud raro capite plectunt. Ejusmodi totius familiae ob patris delictum e medio sublatae exemplum habemus Jos. 7, 24. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 59. sqq.

6. 7. וְעֹשֶׂה חֶסֶד לַאֲלָפִים *Millibus vero benignum me exhibeo*, i. e. ad paucos ira mea porrigitur, ad multos misericordia. Ostendit Deus, largiorem se esse benefaciendo, quam puniendo. לַאֲלָפִים *in millia* sc. דוֹרִים *generationum* s. *aetatum*, i. e. absque fine, in aeternum. — 7. לֹא־תִשָּׂא אֶת־שֵׁם יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא *Non proferes*, i. e. noli enunciare *nomen Jova Dei tui ad falsum* sc. comprobandum. לַשָּׁוְא h. l. i. q. לַשָּׁקֶר, cf. Vs. 13.: עֵד שָׁקֶר et Deut. 5, 11.: עֵד שָׁוְא, apud LXX. utroque loco *μαρτυρία ψευδής*. Item Ez. 12, 24.: חֲזוֹן שָׁוְא, *ὅρασις ψευδης*, cf. Hos. 10, 4. 12, 12. Jon. 2, 9. Agitur hic de jurejurando, in quo proferebatur nomen Dei. Solebant multae gentes temere jurare et Deorum nomina adhibere etiam in rebus falsis. LXX. verterunt *ἐπὶ ματαίῳ, de re inani.* Sed quum hic gravissima quaeque scelera vetet Deus, credibilius est, perjurium intelligi. Ita et Philo l. l. haec verba interpretatur. כִּי לֹא יְנַקֶּה *Non enim innocentem habebit.* In his verbis est *λιτότης*. Deus enim non modo innocuos non habet perjuros, sed graviter etiam eos plectit. Videtur autem hic adhibita *λιτότης*, quia homines perjuri, cum interdum nullas peculiares luerunt poenas in hac vita, existimabantur forsan a nonnullis et dicebantur נְקִיִּים *innocui*, ac immunes poenae לִפְנֵי יְהוָה *coram Deo;* quasi Deus hoc non curaret, et omnis ab hominibus poena esset metuenda; cui opinioni opponuntur haec verba. *Jova perjuros innocentes non habebit;* quamvis fortasse illico non plectat.

8. 10. זָכוֹר וגו׳ *Memor esto diei Sabbati, ut eum sacrum habeas;* i. e. hoc die Deum sancte colas. Id fiebat laeta grataque recordatione mundi a Deo conditi, cf. 31, 13. 17. sacrificiis, Num. 33, 9. 10., epulis sacrificalibus aliisque laetis conviviis, cf. Luc. 14, 1. Pro זָכוֹר in parallelo loco Deut. 5, 12. est שָׁמוֹר, quod ipsum et h. l. cod. Sam. exhibet. Sensus utrobique idem est. Ceterum septimum cujusque hebdomadis diem jam ante Mosen ab Hebraeis sacrum habitum fuisse, collegerunt plures inde, quod 16, 23. Sabbati, ut diei cuique Israelitarum noti, mentio fiat. Vid. IKENII *Dissertatt. theoll. philoll.* Vol. II. p. 25. sqq. Sed pluribus argumentis alii illam sententiam impugnarunt. Vid. c. e. EICHHORNII *Urgesch.*, herausg. von GABLER P. I. p. 58. sqq. 234. sqq. — 10. וְיוֹם הַשְּׁבִיעִי וגו׳ *Septimus autem dies quies est*, i. e. dies feriatus, *Jovae Deo tuo* sc. sacer, *quo ab omni labore debes abstinere, neque solum tu, sed etiam filius tuus et filia, servus et ancilla, jumentum tuum et peregrinus, qui apud te commoratur.* מְלָאכָה a prisca radice לָאַךְ *misit*, proprie notat opera, ad quae mittebantur servi, quae Graeci vocant ἔργον λατρευτόν, Cicero *famula opera;* deinde voce illa signatur humanum opus quotidianum, quod quisque ex artificio vel negotio suo exsequitur. Hac lege igitur cavebat Deus, ne labore perpetuo nimium premerentur servi, atque hinc etiam intelligere oportuit Hebraeos, Deo servos curae esse adeoque clementer habendos. Attamen non est putandum, veteres Hebraeos ab omni plane manuum opere, etiam ab eo, quod omissum noceret, abstinuisse; quamvis posterioribus temporibus superstitiosiores etiam opera necessaria omittebant. *Jumentum* vero a laboribus immune esse debebat septimo die, tum, quia jumenta opus facere non possunt, nisi regantur a servis, tum ut Hebraei intelligerent, etiam in animantia aliquam bonitatem esse exercendam. וְגֵרְךָ אֲשֶׁר בִּשְׁעָרֶיךָ *Et peregrinus tuus qui in portis tuis*, LXX. ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοί. Urbes passim dicuntur portae, ut Deut. 12, 15. 17. 21. Intelliguntur peregrini, qui servi erant apud Israelitas.

11 — 13. כִּי שֵׁשֶׁת יָמִים וגו׳ *Etenim sex diebus Jova fecit coelum et terram, mare et quae in eo sunt.* Haec est altera ratio, ob quam Sabbatum observari jussit Deus. Volebat septimae diei feriis memoriam creationis mundi conservari, et Israelitas ea re testatos omnibus gentibus facere, ab ipsis coli id numen, quod omnia creavit. — 12. כַּבֵּד אֶת־אָבִיךָ וגו׳ *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam Jova Deus tuus tibi dat.* Verbo כַּבֵּד *honora* comprehenditur etiam gratiae relatio, quoad ea fieri potest; quam significationem etiam habet Graec. τιμᾶν, quo LXX. usi sunt; cf. 1 Tim. 5, 3. 17. Proximi Deo sunt parentes, igitur et honori Dei secundus est honos, qui parentibus debetur, et merito cetera inter homines officia antecedit, quum sit totius prope humanae societatis coagulum haec lex. Nam qui pa-

rentes reveretur amatque, is fratres amat, ut iisdem ortos parentibus; alios propinquos ob avos proavosque communes, unde tota illa fluit necessitudinum series. Cf. Michaelis *Jus Mos.* P. VI. §. 293. — 13. לֹא תִרְצָח *Ne homicidium committito.* רָצַח h. l. sensu strictiore de eo, qui trucidandi studio alium interficit. Cf. ad 21, 14. sqq. et vid. Michaelis l. l. P. V. §. 273. לֹא תִנְאָף *Ne adulteres.* Plures Interpp. per voc. נָאַף omnem venerem illicitam, etiam scortationem significari putant. Sed haec vox ubique apud Hebraeos in solo sensu adulterii sumitur, et sic transfertur hoc aliisque locis a Graecis, Latinis aliisque interpretibus. Nam in hoc decalogo ea tantummodo crimina attinguntur, quae aut pietatem aut societatem humanam maxime laedant. Ceterum in Codd. Graecis h. l. praeceptum de adulterio prius legitur, quam praeceptum de caede. Ita etiam legit Philo in libro de decalogo. Sed Codd. Samar. consentiunt cum Masorethicis, quorum ordinem LXX. ipsi Deut. 5. sequuntur. לֹא תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁקֶר *Ne falsum testimonium perhibeas in alterum.* Vetatur testimonium falsum coram judice.

14—16. Vs. 14. non solum mala concupiscentia intra animum latens vetatur, sed etiam externa significatio cupiditatis, quae sita est in adhibendis malis artibus ad consequendum, quod concupiscimus. Postquam adulterium, furtum, et falsum testimonium vetuit, tandem ita claudit hanc suam ad populum adloquutionem, ut omnem artem qua damnum proximo, prae cupiditate eorum, quae is habet, creari potest, damnet. Non modo illicitum est, vi aut falsis testimoniis alium domo sua ejicere, cum uxore ejus concumbere, mancipia et pecudes ejus furari aut abigere; sed ne ea quidem fieri debent, quae eo tendunt. — 15. *Videbant tonitrua et flammas et clangorem tubae et montem fumantem*, h. e. *videbant* flammas et montem fumantem, et *audiebant* tonitrua et tubae clangorem. Saepius occurrit haec constructio, qua verbum aliquod pluribus nominibus jungi solet, licet ejus notio ad eorum partem pertineat, ita ut supplendum sit alterum verbum. Ita Esth. 4, 1. *induebat cilicium et cinerem* sc. substernebat sibi, vid. et Jes. 58, 5. 1 Sam. 10, 9. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 853. — 16. פֶּן־נָמוּת *Ne moriamur.* Cf. ad Gen. 16, 13.

3. *Lex de altari terreo exstruendo. Cap.* 20, 19—23.

19—21. אַתֶּם רְאִיתֶם וגו׳ *Me vobiscum e coelis locutum esse vidistis*, i. e. flammam, nubem fulguraque vidistis, e quibus prodiit vox mea; oculis auribusque vestris Deum legislatorem esse vestrum cognovistis. — 20. אִתִּי *Mecum*, i. e. quos una mecum colatis. — 21. מִזְבַּח אֲדָמָה תַּעֲשֶׂה־לִּי *Altare mihi facies e terra*, s. e cespite. Olim etiam apud alios populos in more erat iter facientibus, aras tales subitarias *cespite de viridi* struere, uti loquuntur Ovidius, Silius, aliique veterum. Respiciuntur vero h. l. altaria, quae ubivis exstruere licuit, antequam tabernaculum sacrum erige-

retur. Talis ara erat illa in qua sacra fceisse narratur Moses infra 24, 5. De eo altari in quo ad Tabernaculum offerri oportebat victimas, praecipitur infra 27, 1. sqq. וְזָבַחְתָּ שְׁלָמֶיךָ *Ut mactes super eo holocausta tua et salutaria tua* sc. sacrificia, quae duae sacrificiorum species omnis generis sacrificia complecti videntur; nisi forsan tunc nonnisi quae hic memorantur sacrificia Israelitis in usu fuerint. בְּכָל־הַמָּקוֹם וגו׳ *Quocunque in loco celebrari jussero nominis mei memoriam, ad te veniam tibique benedicam.* In omnibus locis, quae cultui mihi exhibendo destinabo, preces invocantium exaudiam et me iis benignum praebebo. Ubi אַזְכִּיר אֶת־שְׁמִי *commemorare faciam nomen meum*, i. e. ubi cultum mihi exhiberi jubebo, nam cultus non potest Deo exhiberi, sine multa nominis ejus commemoratione. Hinc formulâ הַזְכִּיר אֶת־אֱלֹהִים interdum cultus divinus significatur, ut 1 Chr. 16, 4.

22. 23. וְאִם־מִזְבַּח — גָּזִית *Si vero altare lapidum mihi feceris, non strues eos abscissione*, i. e. illud ex caeso lapide non exstrues. Varias, quas afferunt, hujus praecepti rationes recensuit et expendit SPENCERUS *de Legg. Hebr. rituall.* L. II. c. 6. sect. 1., et ipse quidem rationem satis probabilem proponit hanc, quod lapides impoliti, statum suum nativum et integrum retinentes, puritate quadam nativa donati, et altaris sanctitati maxime consentanei viderentur. Addit, seculis antiquioribus in legem abiisse, ut pleraque Deorum symbola et insignia rudia essent, et ornatu omni destituta, id quod pluribus scriptorum veterum locis probat. כִּי חַרְבְּךָ וגו׳ *Si scalprum tuum super eum* (lapidem) *extuleris, eum pollueris.* Lapides multo opere caesi et elaborati *polluti* habiti videntur, quasi eo, quod a manibus hominum tractati erant sordidi quid et impuri contraxerint. חֶרֶב, proprie *gladium*, tum quodvis instrumentum ferreum, quo quidpiam expolitur aut scinditur, ut h. l. — 23. וְלֹא־תַעֲלֶה וגו׳ *Ne ascendes in scala ad altare meum, ne tua ad hoc retegatur nuditas*, i. e. ne partes corporis verendae retegantur. מַעֲלוֹת sunt *scalae pluribus gradibus*, gradus enim *(eine Treppe)* ipsum habuit altare in templo Hierosolymitano (Ez. 43, 17.). Quum autem, priusquam inter praecepta de vestimentis sacerdotum et femoralia confici praescriberentur (Ex. 28, 42.), sacerdotes, aut qui eorum munia obirent (19, 22.), sine subligaculis, sive femoralibus, laxioribus tantum tunicis induti, sacra facerent; sublatis pedibus laciniae vestis adtollebantur, ita ut nuda femora conspicerentur. Jam quia denudatio verendarum partium corporis ab omnibus paene gentibus antiquis valde probrosa habebatur (Nah. 3, 5. 6.); Deus hac lege sacerdotum honori et reverentiae prospexit. Eadem ratio, ab honestate ducta, eandem peperierat apud Romanos legem. Servius ad *Aeneid.* 4, 646. *Apud veteres, Flaminicum plus tribus gradibus, nisi Graecas scalas, scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumve subter conspiceretur; eoque nec pluribus gradibus, sed tribus ut adscensu duplices nisus non paterentur adtolli*

vestem, aut nudari crura; nam ideo et scalae Graecae dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausae sint, ne adspectum ad corporis aliquam partem admittant. Cf. et Gellium *Noct. Att.* 10, 15.

4. *Variae Leges civiles. Cap.* 21—23, 19.

1) *Leges de servorum manumissione.* Cap. 21, 1—11. — Vs. 2—4. כִּי תִקְנֶה עֶבֶד וגו׳ *Si quis emerit servum Hebraeum, sex annos eum in servitio retineat, septimo anno gratis manumittatur.* Nomen עִבְרִי h. l. sunt qui capiant significatione propria, ut intelligatur aliquis e populis transeuphratensibus oriundus, Ismaelita, vel Ammonita, vel Moabita. Sed vix dubium est, significari hic Israelitam; Moses enim Lev. 25, 44. praecipit, servos, quibus Israelitae in perpetuum uti vellent, emendos esse a gentibus finitimis; sub his autem nullae aliae intelligi possunt quam Ismaelitae, Midianitae, et alii ex Abrahamo orti, quum servos Cananaeos habere Israelitis non esset licitum. חָפְשִׁי proprie (coll. Arab. חפשׁ *jecit*) *projectum, prostratum*, ut Ps. 88, 6., tum vero *abjectum*, tanquam rem nullius, arbitrioque uniuscujusque commissam, hinc *sibi permissum, manumissum, liberum*, denotat. Ceterum Israelita servus fiebat, 1) si paupertate adactus se ipse vendebat, Lev. 25, 39. Deut. 15, 12.; 2) si aere alieno oppressus addicebatur creditori, 2 Reg. 4, 1. Matth. 18, 25.; 3) fur, qui non poterat restituere, quantum lex jubebat, vendebatur a judice, Ex. 22, 3.; 4) liberi ex contubernio servi et ancillae geniti, mancipia fiebant. Septimus annus dupliciter intelligi potest, vel ut sit annus sabbaticus, qui post sextum quemque annum redit, vel ut ab eo tempore numeretur, quo quis servire incepit; et hoc verisimillimum est. Moses enim nusquam, ubi de hac re loquitur, hunc manumissionis annum *sabbaticum* vocat, sed semper *septimum;* et ubi de anno sabbatico agit, Lev. 25, 1—7. nil dicit de manumissione servorum. Etiam ante Mosis tempora servitii tempus septimo quoque anno absolutum erat, coll. Gen. 29. Sed si annus jubilaeus, qui quinquagesimus quisque fuit, in annos caderet servitutis, servus, licet vel uno is anno ante Jubilaeum esset emtus, tamen dimittebatur. Vid. Mich. *Jus Mos.* P. II. §. 127. — 3. בְּגַפּוֹ *Cum suo* (solo) *corpore*, i. e. caelebs, LXX. μόνος, opponitur enim בַּעַל אִשָּׁה *vir uxoris*, i. e. maritus. גֶּפֶת est i. q. גּוּף *corpus*, quod et alterum Vs. membrum suadet. — 4. אִם־אֲדֹנָיו יִתֶּן־לוֹ אִשָּׁה *Si dominus ei dederit uxorem*, sc. ancillam, ut ex ea susciperet liberos, qui deinde ipsius domino servirent. הָאִשָּׁה וִילָדֶיהָ וגו׳ *Uxor et liberi ejus maneant domino, ipse solus manumittatur.* Serviles enim nuptiae voluntate domini solvebantur.

6. 7. Sensum voce. אֶל־הָאֱלֹהִים LXX. bene expresserunt: πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ, *ad tribunal Dei* i. e. a Deo consti-

tutum. Non enim per se *judices* s. *magistratus* Hebraeorum אֱלֹהִים vocabantur (uti plerique putant), sed respectu tantum loci judicii, quod ibi judicia Dei exerceant; uti dicitur Deut. 19. 17.: *Sistant sese duo viri, quibus lis erit, coram Jova, coram sacerdotibus et judicibus, qui illis diebus erunt.* Unde colligi potest, judicia in loco sacro habita fuisse, ubi Deus peculiari quodam modo praesens existimabatur. Cf. et loca Ex. 22, 8. 28. Deut. 1, 17. Ps. 22, 1. — וְרָצַע אֲדֹנָיו וגו׳ *Et perfŏret dominus aurem illius subulà, et sic maneat is ejus servus quamdiu vivet.* לְעֹלָם enim h. l. significat per totam vitam, ut 1 Sam. 1, 22. Ceterum illa aurium perforatio etiam apud alios populos Orientales servitutis signum fuit. Petronius Arbiter *Satyr.* cap. 63. (al. 102.): *Ita tanquam servi Aethiopes, et praesto tibi erimus in tormentorum injuria hilares, et permutato colore imponemus inimicis. Quin tu, inquit Giton, et circumcide nos, ut Judaei videamur, et pertunde aures, ut imitemur Arabes.* Similiter in India et Persia perforabantur aures puerorum, qui quorundam Deorum ministerio sacri erant, tanquam illorum mancipia. Vid. Xenoph. *de Expedit. Cyri*, 3, 1, 21. Plutarchi *Sympos.* 2, 1. Confirmantur haec veterum testimonia a recentioribus Itinerariorum scriptoribus. Cf. not. ad Ps. 40, 7. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. pag. 69. sqq. Ceterum notat Mich. *Jus Mos.* P. II. §. 127. lege illa perforationem aurium ingenuo quodammodo ignominiosam factam esse; signum enim erat, quo alicujus servitus sempiternus indicabatur. Videtur Mosis consilium fuisse, Israelitas hac re movere, ut consuetudinem illam aures perforandi prorsus abrogarent, praesertim quum inaurium gestatio simul superstitionibus occasionem praeberet. Cf. et ad Gen. 35, 4. — 7. וְכִי־יִמְכֹּר וגו׳ *Si quis filiam suam vendiderit in servitutem, ea non, ut servi debent, manumittenda est*, sc. septimo anno. Sed haec lex post 40 annos mitigata est, et ancillis idem jus, quod servis concessum, cf. Deut. 15, 12. Jer. 34, 9. 10. 11. 16. Vid. Michaelis l. l.

8. אִם־רָעָה — וְהִפְדָּהּ *Si mala fuerit in oculis domini ejus*, si displicuerit domino suo, *qui non desponsaverit eam, tum faciet redimi eam.* Sed notabilis in hisce verbis scripturae varietas reperitur. Nam pro לֹא, negandi Particula, ad marginem legi jubetur לוֹ, Pron. 3. pers. masc., quo e sensu negativo fit affirmativus: *si illam sibi desponsaverit.* Istud לוֹ in textu habere 5 Codd. observavit Kennicottus, paucos sane inter 700 fere ab eo collatos Codd. Ex de Rossii Codd. nonnisi unicus לוֹ exhibet, ceteri omnes maxime antiquiores et accuratiores, legunt לֹא in textu. In LXX. eadem varietas, dantibus aliis Codd.: ἣν οὐ κατωμολογήσατο αὐτὴν, aliis: ᾗ αὐτῷ καθωμολογήσατο, *quae ei adnominata*, s. *desponsata sit.* Contra in Samar. textu est לֹא, hujusque pariter in versione; similiter in Syro, in Graecis, Aquila, Symmacho, Theodotione, et Arabe Erpeniano. Chaldaea paraphrasis Jonathani tributa de uxore, sive ducta, sive non ducta,

nihil habet. Negativum sensum et exprimit Saadias: *si incommodum videatur domino, ut conjugem eam ducat*, i. e. si non duxerit. Onkelos, qui suo לֵיהּ marginalem scripturam prodit, et Vulgatus, qui vertit: *cui tradita fuerat*, τὸ קרי putentur praetulisse. Testes igitur pro vindicanda textuali in antiquis multo sunt plures et valentiores, quam pro altera. Sed ipsa etiam comparatio duplicis conditionis, quam lex memorat, textualem adserit, uti observat Aurivillius in Diss. *de varietate lectionis vocum* לֹא *et* לוֹ *in cod. bibl.* §. 3., in Ejus *Dissertt. junctim editt. a* J. D. Michaelis p. 470. „Saneit lex Vs. 10. 11., si servam pater dedisset filio uxorem, et hic deiu debita ei jura connubii negaret, oportere חִנָּם אֵין כֶּסֶף *gratis, nulla data pecunia*, eam dimitti liberam. Qua igitur aequitatis specie erederetur, patri tamen, si quam ipsi sibi servam junxisset uxorem, sienbi displiceret, licuisse, ut, nisi accepto redemtionis pretio, liberam non dimitteret?“ Verbum יָעַר, propr. *praedicere*, *promittere*, *locum et tempus constituere*, h. l. de connubio cum ancilla usurpatum denotat *eam destinare sibi concubinam.* Sensus est: si herus ancillam suam Israelitieam, nec sibi nec filio coneubinam destinavit; is non tam iniquus esse debet, ut illam ad omne tempus vitae iunuptam retineat in servitio, sed curare debet, ut ea redimatur. עַם נָכְרִי intelligitur quilibet alius Israelita, qui non sit de domo emtoris, non ejus propinquus. Nam aliis gentibus ne poterat quidem per legem servus Hebraeus vendi, ut notat Joseph. *Antiqq.* 16, 1, 1. בִּבְגִדּוֹ בָהּ *Si adspernatur illam;* hae enim notione בָּגַד etiam occurrit Ps. 25, 3. Jes. 33, 1. Ita et LXX. verterunt, voce *καταφρονεῖν* utentes, Hos. 6, 7. Habae. 1, 5. 13. Zeph. 3, 5. Prov. 13, 16. Job. 6, 15. Sensus est: si herus ancillam suam aspernatur, sive ea concubina uti non vult, non habet potestatem vendendi eam viro ex alia familia.

9—11. וְאִם־לִבְנוֹ וגו׳ *Si filio suo eam destinarit, eodem modo cum ea agat, quo cum filia.* לִבְנוֹ *filio suo*, sc. adhue caelibi et in familia paterna viventi. In Lusitania quoque adhue seculo 18. moris fuisse, ut nobilium filii puberes concubinas haberent a parentibus concessas, donec uxorem ducerent, qua ducta concubinae liberi in paternis aedibus educarentur, ipsa vero in monasterium abdueeretur, refert Michaelis l. l. §. 87. In calidioribus Asiae regionibus, ubi pubertas mature adesse solet, frequentior hic mos est, ut pater filio puberi concubinam tradat. Moses igitur cavet, ne talis concubina duriter tractetur, sed vult potius, ut ea filiae loco habeatur, et, si filius aliam uxorem duxerit, is illi victum, vestitum et congressum maritalem non minuat. — 10. שְׁאֵרָהּ *Carnem*, i. e. alimentum *ejus*. Bene LXX. *τὰ δέοντα.* עֹנָתָהּ *Cohabitatio maritalis.* LXX. *τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς*, id quod 1 Cor. 7, 3. significatur vocibus *ὀφειλομένη εὔνοια.* — 11. שְׁלֹשׁ־אֵלֶּה *Haec tria*, se. victum, vestitum et debitum coniugale. וְיָצְאָה חִנָּם אֵין כָּסֶף *Manumitti debet gratis sine pretio.*

2) *Leges de homicidio* Vs. 12 — 14. — Vs. 13. אֲשֶׁר לֹא צָדָה *Qui autem non est insidiatus.* צָדָה cognatum est cum צוּד *venari*, notatque proprie *instar venatoris insidias struere.* וְהָאֱלֹהִים אִנָּה לְיָדוֹ *Sed si Deus objecerit eum manui ejus*, i. e. si casu eum occiderit. Quemadmodum Graeci *fortunae* aut *fato* ejusmodi eventus adscripserunt, ita Hebraei eosdem Deo tribuerunt, non tam ut significarent, Deum eorum auctorem fuisse, quam humanum nullum ea in re fuisse consilium. וְשַׂמְתִּי לְךָ וגו׳ *Constituam tibi locum, in quem confugiat.* Intelliguntur urbes asyli, de quibus specialiores leges Num. 35, 6. Fugere debebat talis homicida, ne a Goele arriperetur. Notum enim est, homicidia apud Hebraeos cognatasque gentes ab eis vindicata esse, qui caesum proximo cognationis gradu attingebant; id non sola in caesum pietas, sed et avita consuetudo, ac, qui plurimum valet, honor familiae postulabat; ita ut summae quisque sibi ignominiae duceret, caedem cognati non ulcisci. Idem est in hunc diem mos Mohammedanorum. Coran Sur. 17, 35.: *si quis injuste caesus fuerit, dedimus heredi ejus potestatem: sed ne justo crudelior sit in caede.* Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 286. sqq. Similiter Moses, quum hanc consuetudinem, ut multas alias, ob ruditatem sive cordis duritiem populi Israelitici abrogare non ausus sit, cavebat, ne jus illud Goelis humanitatis et aequitatis fines excederet. Licebat enim Goeli ex consuetudine gentium orientalium homicidam vel indicta causa nec salutatis judicibus trucidare, si illum obvium sibi haberet; nec poena Goeli statuta erat, si homicidam fortuitum atque etiam sententiis populi absolutum extra asylum interfecisset. Hac autem lege, qua asyla constituebat Moses, in quibus ab impetu Goelis tutus esse posset homicida, donec populus de eo judicasset, multae prohibebantur injuriae: si enim ille populi sententia homicidium fortuitum commisisse censebatur, usque ad mortem summi sacerdotis ei in asylo suo manendum erat, nec antea licebat ad agros laresque suos revertere, Num. 35, 9 — 35. Id quod tamen simul etiam poena fuit, Num. 35, 32., nec enim prorsus impunitum ferri debebat, si quis casu hominem interemisset. — 14. וְכִי־יָזִד אִישׁ וגו׳ *At qui de industria dolose alium interfecerit, is vel ab ara mea ad supplicium trahatur.* (Exemplum vid. 2 Sam. 2, 19 — 23. 3, 26. 27. coll. 1 Reg. 2, 28. 32.) הָזִיד בְּצִרְמָה *proaeretice agere cum calliditate.* Vb. זוּד enim, propr. *superbire*, adhibetur etiam de eo, qui sciens peccat, quia is existimatur superbia legi, quam sciat, obedire nolle, coll. Deut. 17, 12. et Ps. 119, 21. זֵדִים sunt *proaeretici peccatores*, ac Ps. 19, 14. erratis illisque, quae nos ipsos latent, opponuntur זְדִים *proaeretica peccata.*

3) *Leges de verberibus ac contumeliis parentibus illatis, de plagio, atque de verberibus libero homini aut servo inflictis* Vs. 15 — 27. — Vs. 15. LXX. Vs. 15. et 17. conjunxerunt

quum in utroque de parentibus sermo sit. Sed non semper in his legibus accuratus ordo servatur. Ut vero melius hic Vs. intelligatur, adhibenda est ipsa Mosis explicatio, Deut. 21, 18. sqq. Liberi nempe, qui aut contumeliis parentes affecissent, aut iis impias manus intulissent, non primo statim peccato admisso ad supplicium rapti sunt, sed tum demum, si saepius a parentibus admoniti nullam emendationis spem dedissent. Ceterum notatu dignum est, quod Moses nullam parricidii mentionem fecit; hujus enim delicti poenam constituere superfluum videbatur, quum jam contumelias iteratas aut verbera parentibus illata, quibus gradus fit ad ipsum parricidium, capitali supplicio plecti jusserit. Etiam alii veteres legislatores nullam hujus facinoris poenam constituerunt. Cicero *pro Roscio Am.* 25.: *Is* (Solon) *cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere quam admonere videretur.*

16. 17. וְגֹנֵב אִישׁ וגו׳ *Qui furatus fuerit hominem, sive vendiderit eum, sive is apud ipsum inveniatur, capitis poenam luat.* Ex Deut. 24, 7., apparet, sub אִישׁ intelligendum esse Israelitam, unde et LXX. ὃς ἐὰν κλέψῃ τὶς τινὰ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Merito Moses supplicium capitale constituit in eum, qui hominem furaretur, sive, ut Juris periti talem vocant, in plagiarium (vid. Philo *de specialibus Legg.* T. II. p. 338. ed. Mang.). Ii enim, qui furto hominem rapiunt, eum plerumque vendunt in servitutem. Libertas autem non minoris aestimanda est, quam vita, et servitus, praesertim apud alios populos, saepe ipsa morte durior est. Accedit, quod Palaestina, primaria illis temporibus mercaturae sedes, magis plagio favebat, quam ulla alia terra, et nemo tutus fuisset, nisi Moses tam grave supplicium in illud constituisset; muleta enim vix absterruisset ab hoc facinore. Plagium autem jam illis temporibus non insolitum fuisse, apparet ex Josephi historia, quem ipsi fratres vendiderunt. Cf. Michaelis l. c. P. VI. §. 288. Athenis fuit lex: Ἐάν τὶς φανερὸς γένηται ἀνδραποδιζόμενος, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν (Xen. *Mem. Socr.* 1, 2, 62.). Similiter in Jure Rom., Digest. L. XLVIII. Tom. XV. Leg. I. *Si liberum hominem emtor sciens emerit, capitale crimen adversus eum ex Lege Fabia de Plagio nascitur; quo venditor quoque sit obnoxius, si sciens liberum esse vendiderit.* — 17. קֹבֵל hic sensu latiore sumendum est, de imprecationibus, diris, convitiis, negatis alimentis etc. Talis maledictionis exemplum affertur Matth. 15, 5. coll. Marc. 7, 11.

18—20. Sensus Vss. 18. 19.: Si quis rixa oborta in ipso irae aestu hominem vulnerasset, vulneratus vero post decubitum ex lecto surrexisset, atque baculo nixus extra domum in platea ambulasset, is qui eum vulneraverat a capitali poena immunis erat;

tenebatur tamen argento illud damnum compensare, quod ille labores suos negligens, dum vulneratus decumberet, passus erat. אָגְרוֹף alii vertunt *pugnum* (LXX. πυγμὴ), alii *baculum*, ut h. l. Syrus, Chaldaeus et Arabs. Et Michaelis quidem in *Supplemm.* p. 362. significari putat instrumentum rusticum, quod optime cum lapide componi possit. Attamen *pugni* significatum אָגְרוֹף et in seriore Hebraismo obtinet. שִׁבְתּוֹ יִתֵּן *Cessationem ejus det*, i. e. jacturam sarciat, quam vulneratus decumbendo fecit, quod agrorum curam gerere non potuerit aut artem suam exercere. וְרַפֵּא יְרַפֵּא *Sanandum eum curet*, medicationis sumtus ferat. Solvat, ait Josephus, ὅσα τοῖς ἰατροῖς ἔδωκεν. — 20. וְכִי־יַכֶּה וגו׳ *Si quis servum suum aut ancillam baculo percusserit, ut in ipsa castigatione moriatur, ultio sumatur.* Sed non liquet, quae domino poena statuta fuerit. Nam phrasis emphatica נָקֹם יִנָּקֵם nil nisi certitudinem vindictae significat. Si ex moribus Arabum judicari liceret, non capitis poenam dedisse videtur dominus, qui vel uno ictu servum interfecerat. *Poenam enim talionis in caede facta* ita restringit Mohammedes Sur. 2, 173. *si liberum liber interfecerit, aut servus servum.* Atqui uterque legislator plurimas leges ex moribus suae gentis tulit. Vid. Michaelis *de poena homicidii*, p. 52. P. I. *Synt. Commentatt.* et ejus *Jus Mos.* P. II. §. 127. P. VI. §. 277.

21. 22. אַךְ אִם־יוֹם וגו׳ *Sed si unum aut alterum diem superstes fuerit, non poenam dabit, est enim pecunia sua*, i. e. sua pecunia cum acquisivit. Nempe id spectabat legislator, esse domino jus servum verberandi, atque accidere posse, ut vel ipso nolente ictus mortiferi fiant; quod si prae ira modum excesserit, aliquid jam poenae illum pendere, dum servum argento emtum amittat. Ceterum quae hic edicit Moses, ad solos servos ex aliis gentibus coemtos videntur pertinuisse, quod hi soli possint קִנְיָן *possessio* herorum dici, quippe in perpetuum emti, non autem servi Hebraei post sex annos liberi futuri. — 22. וְכִי־יִנָּצוּ וגו׳ *Si qui pugnis inter se contendant et vulneraverint mulierem gravidam, ut haec abortiat, nec aliud damnum insequatur, mulctam solvant ad aestimationem mariti mulieris coram arbitris constitutis.* Videtur apud Israelitas temporibus antiquissimis moris fuisse, ut feminae rixas et pugnas virorum sedaturae inter eos se inferrent et ita eos dimoverent; qui mos etiamnum apud nonnullas Africae gentes viget. Nemo autem apud illos populos talem feminam laedit. Si idem mos apud Israelitas erat, ut cum aliqua veri specie ex h. l. et ex Deut. 25, 11. 12. colligi potest, facilius est cogitatu, quomodo femina laedi potuerit, si coorto inter viros certamine res ad manum venisset.

24—26. עַיִן תַּחַת עַיִן וגו׳ *Oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede.* Videtur haec talionis poena ex antiqua gentis consuetudine retenta fuisse. Similis fuit

lex apud Athenienses, quam refert Diog. Laert. *in Solone*, 1, 57.: *ἐὰν μὲν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχοντος ἐκκόψῃ τις, ἀντεκκόπτειν τοὺς δύο.* Verisimile tamen est, hanc minorum injuriarum talionem potuisse pecunia redimi, si vulneratus vellet; quum ante Mosis tempora vel homicidia pecuniariis muletis expiari potuerint; hoc posterius quidem vetatur Num. 35, 31., sed prius illud nusquam. Ita erat quoque in Legibus XII. Tabularum, *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio est.* Et in *Institt.* 4, 4, 7. *Poena injuriarum ex lege duodecim tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os vero fractum nummariae poenae erant constitutae, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea praetores permittebant ipsis, qui injuriam passi erant, eam aestimare, ut judex vel tanti reum condemnet, quantum injuriam passus aestimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit.* Eadem etiam fuit sententia Josephi *Ant.* 4, 9, 35., ubi illam Mosis legem explicat. Copiose de hac lege disputavit Mich. l. c. P. V. §. 240 — 242. — 25. כְּוִיָּה est *nota inusta stigmate* sive *cauterio.* — 26. Libertas id erat, quod in pretium amissi oculi servus accipiebat. Ceterum *oculi* ac *dentes* videntur esse exempla maximae et minimae mutilationis, ad quae exempla de ceteris mutilationibus sententia ferenda esset. Digiti enim aliusve membri jactura gravior erat quam dentis, levior quam oculi.

4) *Leges in eos, quorum incuria aliis caussa mortis fuit;* Vs. 28 — 36. — Vs. 28. וְכִי־יִגַּח שׁוֹר וגו׳ *Si bos cornu ferierit virum aut feminam et mors insequatur, bos lapidetur, nec de carne ejus edatur, dominus autem bovis nullae sit poenae obnoxius.* Haec lex in majorem homicidii detestationem data est. Quum enim brutum animal, quod hominem occidit, damnet legislator, quanto magis hominem? Bestiae quidem, quum ratione careant, proprie poenas non luunt. Possunt tamen exempli caussa, atque ad horrorem delicti incutiendum plebi, quae oculis et auribus magis quam rationi paret, in bestia ea peragi, quae in homines simile quid patrantes poenae loco statuenda essent. Ita et Solon, ut refert Plutarchus in ejus vita, canem, qui momordisset, quatuor cubitorum numella vinctum dedi praecepit. Immo etiam inanima caedis instrumenta veteres legumlatores damnarunt. Pausanias in *Atticis*, p. 43. 53. describit accusationem institutam in securim, eo qui illa contra leges usus erat in exsilium profecto. Draco etiam non solum de hominibus et brutis, sed etiam de rebus inanimatis, quibus homo occisus fuerit, sanxit, ut extorres patria et finibus fierent. וְלֹא יֵאָכֵל אֶת־בְּשָׂרוֹ *Nec ejus caro comedatur.* Hoc quoque ad augendum homicidii horrorem pertinet. Ceterum monent Rabbini, hanc legem non ad solos boves pertinere, sed in exemplo bovis poni, quid in omnes bestias, quae hominem occiderunt, statuendum sit. Plura vide in Michaelis *Commentat. priori de poena homicidii* §. 16. et in *J. Mos.* P. VI. §. 274.

29—32. הוּעַד בְּבְעָלָיו *Monitus fuerit ejus dominus*, ut eum custodiat. גַּם־בְּעָלָיו יוּמָת *Dominus ejus etiam morte plectetur.* Acquissima lege, quia neglexit cavere, ne ipsius bos alteri noceret. — 30. אִם־כֹּפֶר יוּשַׁת עָלָיו *Si ei mulcta, qua se redimat, imponitur*, sc. ex decreto judicum. כֹּפֶר est pretium, quo soluto quispiam a poena aut molestia liberatur. Huic legi non refragatur locus Dent. 35, 31., ubi sermo est de homicida perfecto s. completo. — 31. אוֹ בֵן־יִגַּח אוֹ בַת־יִגַּח *Sive filium cornu petierit, sive filiam.* Per *filium* et *filiam* hic juniores, sive caelibes sunt intelligendi, ne quis suspicaretur, Legem de grandiusculis duntaxat loqui, quum Vs. 28. dictum sit; *si bos cornu petierit virum vel feminam.* — 32. Pro ingenuo potuerunt eligere, utrum mallent, mortemne rei an mulctam, sed pro servo occiso, herus non plus poscere potuit, quam lege definitam pecuniam. Jonathan et Rabbini non servum Israeliticum, sed extraneum intelligunt; sed Mose tacente, id definiri non potest. כֶּסֶף שְׁלֹשִׁים שְׁקָלִים, *triginta argentei sicli* sunt ex Michaelis computatione 7, ex aliorum 30 floreni Hanoverani, quorum 4 unum Ducatum faciunt.

33—35. וְכִי־יִפְתַּח וגו׳ *Si quis cisternam vel aperuerit vel effoderit, neque eam obtexerit, et eo deciderit bos aut asinus.* Ut haec intelligantur sciendum est, quales fuerint in illa regione cisternae. Describit eas Diod. Sic. *Biblioth.* L. 19.: *Magnas cavernas faciunt, quarum orificia minima sunt; prout profundius fodiunt, cavernas ampliores facientes, tandem ad eam magnitudinem deveniunt, ut unumquodque latus plethrum pateat.* Cf. et ad Gen. 21, 19. 37, 20. Erant autem cisternae tectae lapidibus magnis superinjecta terra, quae non aperiebantur nisi gregibus eo compulsis: ergo si alio deductis gregibus apertae manebant, facile in eas jumenta cadere potuerunt. De homine in puteum lapso nihil dicitur, quia homo sibi providere potest, ne in apertam cisternam decidat, animal non item. — 34. בַּעַל הַבּוֹר יְשַׁלֵּם *Dominus putei rependet*, restituet damnum, quod dominus bovis aut asini fecit. — 35. וְחָצוּ אֶת־כַּסְפּוֹ *Et dividant pecuniam* s. pretium ejus. Quod, uti vere monet Jarchi, intelligi necesse est, cum boves aequalis sint pretii; alioquin enim fieri posse, ut qui damnum dedit, quaestum faciat.

5) *Leges in fures*, 21, 37. — 22, 1—3. — Cap. 21, 37. De voc. שֶׂה cf. ad Gen. 30, 32. — חֲמִשָּׁה בָקָר יְשַׁלֵּם תַּחַת הַשּׁוֹר *Pro bove rependat quinque boves.* Quum furtum aliarum rerum duplione tantum damnaretur, major est poena abactoris pecudum, duabus potissimum de causis. Primum enim, facilius hoc furtum committi potuit quam aliud. Noctu enim dormiente pastore, aut interdiu etiam, alia quapiam re alibi occupato, facillimum fuit abigere pecudem. Nisi ergo gravior fuisset poena, sceleris facilitas multos ad id audendum adduxisset. Deinde bovis raptus apud gentem, quae pene solum agricultura et re pecuaria vive-

bat, majus est damnum, quam alius rei furtum. Sic etiam apud Scythas, ut narrat Justinus 2, 2., *nullum scelus furto gravius, quippe sine tecto munimentoque pecora et armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret?* Cf. Michaelis l. c. P. VI. §. 282—84.

Cap. 22, 1—3. אִם־בַּמַּחְתֶּרֶת וגו׳ *Si fur in ipso delicto deprehensus et percussus fuerit, ut moriatur*, (percussor) *homicidii reus non est.* Nocturnum furtum spectari apparet e Vs. sq. בַּמַּחְתֶּרֶת proprie *in perfossione*, LXX. *διορύγματι*, Vulg. *perfodiens.* Spectari debet parietum in Oriente perfodiendorum facilitas; videntur enim olim ut hodie aedes constitisse duntaxat argilla inter trabes transversas posita. Cf. Job. 4, 19. — אֵין לוֹ דָמִים *Non ei sanguis* sc. יֵחָשֵׁב *imputabitur.* — 2. אִם־זָרְחָה הַשֶּׁמֶשׁ עָלָיו *Si sol exortus fuerit super eum.* Onkelos: *Si oculus testium ceciderit super eum.* Atque haec quidem vera videtur ratio, quare nocturnus fur interfici potuit, quod incertum esset, utrum duntaxat ad furandum, an etiam ad caedem faciendam venerit. שַׁלֵּם יְשַׁלֵּם *Rependendo rependet*, nempe diurnus fur, atque ideo occidi non debet. אִם־אֵין לוֹ וגו׳ *Si nihil ei*, i. e. si non habeat quod solvat, *vendetur pro furto suo*, i. e. vendi debet in compensationem rei ablatae. — 3. אִם־הַגָּנֹבָה *Si certo inventum fuerit furtum in manu ejus*, i. e. in potestate ejus, ita ut non mactaverit, nec vendiderit. מִשּׁוֹר עַד־חֲמוֹר עַד־שֶׂה *A bove ad asinum, ad ovem*, i. e. sive sit bos, s. asinus, s. ovis. חַיִּים *Viventes*, si adhuc vixerint. שְׁנַיִם יְשַׁלֵּם *Duo*, duplum *dependet;* videlicet id quod furto abstulit, et aliud ejus generis, vel saltem valorem ejus. Jarchi ait, hanc legem etiam ad inanimata pertinere, quae quis furatus est.

6) *Leges de damno alterius agris et pascuis illato*, Vs. 4. 5. כִּי יַבְעֵר־אִישׁ וגו׳ *Si quis immisso pecore depaverit agrum aut vineam alterius, optimum agri aut vineae rependet.* מֵיטַב *optimum*, ut 1 Sam. 15, 9. 15. Docte Hieronymus vertit: *quicquid optimum habebit in agro vel vinea pro damni aestimatione restituet.* Agri post messem, et vineae post vindemiam, non ut communia pascua sed possessori propria considerabantur. Ceterum notandum est, in Cod. Sam. post voc. אחר aliter legi quam in Hebraeo. Nempe in illo hic locus ita se habet: *reddendo reddet ex agro suo pro ejus proventu, si omnem agrum depaverit, optimum agri sui et optimum vineae suae reddet.* Sic quoque LXX. *ἀποτίσει ἐκ τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ, κατὰ τὸ γέννημα αὐτοῦ· ἐαν πάντα τὸν ἀγρὸν καταβοσκήσῃ, τὰ βελτιστατοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ καὶ τὰ βέλτιστα τοῦ ἀμπελῶνος αὐτοῦ ἀποτίσει.* — 5. כִּי תֵצֵא־אֵשׁ וּמָצְאָה קִצִּים *Si egressus ignis invenerit spinam*, i. e. si ignis ad comburendas spinas inecnditur; quod ideo fieri solebat, ut ager spinis obsitus coli posset et seri. Plura vid. in *d. a. u. n. M.* P. II. p. 77. גָּדִישׁ, *acervus frugum*, quae in area jacent antequam triturentur;

areae autem in Oriente non sub tecto, sed sub dio sunt. Hinc LXX. ἅλωνας, *areas*, verterunt. קָמָה est *seges* in ipso agro stans, nondum demessa. Sic Vulg. *stantes segetes*, a radicis קום significatione. אוֹ הַשָּׂדֶה *Aut ager*, i. e. quivis ager cultus et consitus plantis frugiferis, s. sint olera, s. arbores, s. aliud quidvis. הַמַּבְעֵר אֶת־הַבְּעֵרָה *Qui incenderit illud incendium.* Qui in fundo proprio incendium fecerit, si ignis ulterius vagatus fuerit, ita ut vicini rem absumat, tenetur hujusmodi etiam damnum praestare.

7) *Leges de deposito*, Vs. 6 — 12. — 7. אֶל־הָאֱלֹהִים *Ad Deum*, i. e. magistratus, vid. ad 21, 6. Post הָאֱלֹהִים subaud. יִשָּׁבַע *jurabit.* Depositarius enim coram magistratibus *jurare* debebat, cf. Vs. 10. De אִם, in jurisjurandi formulis negante, vid. Gesen. *Lehrg.* p. 844. sqq. — 8. עַל־כָּל־דְּבַר־פֶּשַׁע *Super omni verbo doli mali*, i. e. quod attinet ad omne dolum malum. פֶּשַׁע h. l. eam fraudem significare videtur, cum quis periisse ait, quod sibi servandum commissum est, nec tamen id periit, sed dolo interversum est et occultatum. יְשַׁלֵּם שְׁנַיִם *Duplum reddat*, sc. pars condemnata, quae esse potuit sive depositarius, si hic dolum malum adhibuerit, sive depositor, si iniquam actionem intenderit. — 9. כִּי־יִתֵּן — לְשָׁמֹר *Quum dederit quis socio suo asinum, aut bovem, aut ovem, aut ullum* aliud *jumentum ad custodiendum.* Jarchi tradit, ex mente Doctorum superiorem legem pertinere ad eum, qui gratis, hanc autem ad eum, qui ob mercedem aliquid custodit. Rationem addit Chaskuni, non solere homines pro custodienda pecunia aut suppellectili mercedem accipere, quum ea absque labore aut sumtu custodiantur; de bestiis autem rem aliter se habere, quippe quae pastum agi et curari debeant atque ideo non solere eas gratis custodiri. — 10. שְׁבֻעַת — שְׁנֵיהֶם *Jusjurandum Jovae inter ambo erit*, i. e. jusjurandum litem dirimat. וְלָקַח בְּעָלָיו *Et accipiet dominus ejus*, sc. rei deperditae, jusjurandum ab altero praestitum, et contentus erit, nec ulteriorem ab eo compensationem exspectabit. — 11. וְאִם־גָּנֹב וגו׳ *Et si furto ei surreptum fuerit, rependet domino suo.* Jarchi ad Vs 10. ait, id quod praecessit Vs. 7. sqq. intelligi de eo, qui aliquid sibi traditum gratis custodit, ac propterea si furto ablatum sit, ad restituendum non tenetur, hic autem, Vs. 10 — 12., de eo agi, qui ob rem custodiendam mercedem accipit, ac propterea, si surreptum fuerit ab eo, restitui debet. Quodsi autem ex se ipso moriatur, vel conteratur, vel per vim a latronibus abducatur, nec sit, qui testimonio hoc comprobare possit, custodem jurare debere, se fraudem non fecisse. Atqui haec quidem expositio verborum seriei conformis videtur. — 12. יְבִיאֵהוּ עֵד *Afferet illud testem*, s. *in testimonium.* Illud יְבִיאֵהוּ potest exponi vel *afferet illud*, nempe quod discerptum est, aliquam sc. ejus partem; vel *afferet ei*, nempe pecoris discerpti domino, ut יְבִיאֵהוּ sit pro יְבִיא אֵלָיו. Bene Hierosolymitanus: *afferet ei ex membris ejus*

testem, membrum aliquod animalis discerpti, quod discerptum fuisse testetur (cf. Amos 3, 12.). Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 148. LXX. ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θήραν, quod sequutus Hieronymus: *deferat ad eum quod occisum est.* Pro עֵד legerunt עֲדָ, quod *praedae* significatu ceperunt, quomodo occurrit Gen. 49, 27. Zeph. 3, 8. Jes. 33, 23. — הַטְּרֵפָה לֹא יְשַׁלֵּם *Raptum illud non restituet.* Jarchi observat, non dici טְרֵפָה, sed הַטְּרֵפָה *raptum illud*; interdum enim id quod raptum est, restitui debere, interdum vero non item. Quod a fele raptum est, vel a vulpe, vel a marte, reddendum esse, non autem quod a lupo, leone, urso, serpente, nempe quia in his humana diligentia nihil valeat.

8) *Leges de mutuo*, Vs. 13. 14. בְּעָלָיו אֵין־עִמּוֹ *Dominus ejus non cum eo*, i. e. absente domino. Tunc damnum praestare debebat conductor. Absens enim possessor non potuit jumentum suum aut rem suam curare, aut dolum cavere; ideoque ab alio damnum praestari oportuit, qui eorum curam gerere debuit. — 14. אִם־שָׂכִיר הוּא בָּא בִּשְׂכָרוֹ *Si mercede conductum fuerit, pro mercede venerit.* Merces damnum compensat; si nempe dolus et culpa absint.

9) *Lex de stupro*, Vs. 15. 16. מָהֹר יְמָהֲרֶנָּה לוֹ לְאִשָּׁה *Dotando dotabit eam sibi in uxorem*, i. e. constituat ei dotem, eamque in uxorem accipiat. — 16. מֹהַר est *dos*, qua uxor quasi emitur. Cf. ad Gen. 29, 18. 34, 12. — כֶּסֶף כְּמֹהַר הַבְּתוּלֹת est *ea pecuniae summa, quae doti virginis aequipollet.* Moses Deut. 22, 28. pro tali stupro 50 sielos solvere jubet.

10) *Lex de praestigiatricibus*, Vs. 17. מְכַשֵּׁפָה *incantatrix, praestigiatrix*, est ea, quae artes magicas nosse perhibet. Cf. ad 11, 7. In Gemara Sanhedrin ratio redditur, quare hic in feminino dictum sit מְכַשֵּׁפָה, propterea quod plerumque mulieres magiae deditae reperiantur. Similiter Jarchi ait, eandem rationem, quod hanc rem spectat, esse viri ac feminae, utrumque nimirum ex aequo, si magiae convictus fuerit, morte plectandum; sed scriptorem feminino genere hic uti, quia feminae magiam frequentius exercere solent. Ceterum haec contra venefieas lex perquam necessaria erat, quia impostores, qui artes magicas tenere simulant, plebis superstitione saepe ad mala consilia consequenda uti solent. Accedebat, quod isti homines id, quod ipsi per artes suas magicas efficiebant, aliorum Deorum adjumento adscribebant; hae autem re magia pars idololatriae, sub gravissima poena inter Israelitas vetitae fiebat. Vid. Mich. *Jus Mos.* P. V. §. 255. לֹא תְחַיֶּה *Ne vivam serves*, se. sagam; supplicio est afficienda.

11) *Lex contra crimen bestialitatis*, Vs. 18. Cf. ad Lev. 18, 22.

12) *Lex contra sacrificia idolis offerenda*, Vs. 19. זֹבֵחַ *Mactans*, i. e. qui sacra facit; quum enim victimarum mactatio po-

tissima pars esset cultus divini, hac specie cultus illiciti reliquae omnes continentur. Post אֱלֹהִים in Cod. Sam. legitur אחרים *aliis*, et sic etiam LXX. in Cod. Alex. ἑτέροις, יחרם h. l. *extinguatur* valet. חָרַם enim, ut cognatum Verb. Arab., sonat: *vetitum, illicitum est*, hinc in Hiph. הֶחֱרִים *rem* vel *personam usu communi eximere*, quod fit vel consecrando, vel cum diris *devovendo ad exterminium*, atque adeo *excindere, delere;* ut h. l. LXX. bene: θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται.

13) *Leges de peregrinis, viduis et pupillis benigne habendis*, Vs. 20 — 23. — 20. Voce גֵּר h. l. non solum ii peregrini videntur intelligi, qui iter faciebant per Hebr. agros, sed etiam inquilini, qui domicilium fixerant in Hebraeorum solo, nullam autem domum aut agrum possidebant. Nemini supervacanea videbitur haec lex, qui cogitat, quam contemti apud multos populos antiquos peregrini fuerint, ut apud Aegyptios, qui exterum quemquam ut communi secum mensa cibos sumeret, prorsus indignum duxerunt. כִּי גֵרִים וגו׳ *Nam vos quoque peregrini in Aegypto fuistis.* Efficacissima est haec ratio, ne aliis fecerint, quod ipsis fieri aegerrime tulissent. Repetita est haec lex Lev. 19, 34. Deut. 10, 19.

14) *Leges de usura et pignore*, Vs. 24 — 26. אִם־כֶּסֶף וגו׳ *Si pecuniam mutuam dederis alicui de populo meo, pauperi qui tecum est, non agas cum eo ut foenerator.* נֹשֶׁה proprie denotat eum, qui longum in tempus credit, coll. Arab. نشأ *distulit, tardavit, morâ produxit*, tum, *credidit rem venditam postea solvendam*, unde نشأة *dilationem debiti ac moram debitori concessam* denotat. Quum vero rarissime fiat, ut creditor debitori misericordiae caussa moram concedat; multos in annos credentes vix alii erunt, quam qui lucri caussa pecuniam elocant. Hi autem et fructum aeris sui exspectabunt, et si stato tempore non reddatur debitum, omni suo jure in urgendo debitore utentur. Igitur נֹשֶׁה erit *foenerator*, sive, ut alii volunt, *argentarius, qui debitum severius exigit.* Cf. J. D. Michaelis Commentat. *de mente ac ratione Legis Mosaicae, usuram prohibentis* §. VI. p. 10. Ejusdem *Syntagmat. Commentatt.* p. 11. לֹא תְשִׂימוּן עָלָיו נֶשֶׁךְ *Non impones ei usuram.* נֶשֶׁךְ significat *foenus pecuniarum*, id quod pro pecunia mutuo accepta solvitur, coll. Arab. نشيك *aurum et argentum*, unde نشيكة est *crassior auri argentive lamina.* Hebraei, et post eos plures Christiani interpretes, נֶשֶׁךְ a *mordendo* ductum putant, quod pecuniaria usura quasi mordeat debitores, sanguinemque illis exsugat. Hac lege Moses a solis pauperibus usuram accipere vetat, non autem a ditioribus, quadraginta vero annos post, omnibus omnino usuris, quae a fratre, sive paupere sive divite, exigerentur, populo Israelitico interdixit. Cf. ad Lev. 25, 35. sqq. — 25. שַׂלְמָה et Vs. sq. שִׂמְלָה sunt synonyma. Utroque nomine vestis significatur superior, etiamnum in Oriente

usitatus, cui corpus involvunt, quo pauperes inprimis noctu utuntur pro tegumento. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 79.

15) *Lex de honorando Magistratu*, V. 27. אֱלֹהִים לֹא וגו׳ *Magistratibus non maledices, neque principem in populo tuo diris devovebis.* אֱלֹהִים *magistratus*, ut 21, 6. Non addit Moses, qua poena affici debeat is, qui magistratui malediceat, nec poterat constitui generalis poena; delictum enim in magistratum majorem commissum severius ulciscendum erat, quam delictum in minorem. Igitur Moses poenas permittit judicio magistratuum, qui eas pro magnitudine delicti constituebant. Alii hunc Vs. ita intellexerunt, quasi vetaretur aliorum populorum diis maledicere. Philo *de vita Mosis*, L. 3. T. II. p. 166. ed. Mang.: *Simulacrorum enim et statuarum similiumque signorum orbis terrarum refertus est, quorum contumelia abstinendum est, ne quis e Mosis sectatoribus consuescat, appellationem Dei aliqua ex parte contemnere.* Et in L. I. *de Monarchia*, T. II. p. 219.: *Non permittit effreni linguae petulantia conviciari diis creditis falsa aliorum persuasione, ne et illi irritati prorumpant in voces nefarias contra Deum optimum maximum.* Similiter Joseph. *Ant.* 4, 8, 10.; et *contra Ap.* 2, 33.: *Et ridere eos, quos gentium aliorum opinio deos confinxit, iisque maledicere, id expresse legislator noster vetuit ob ipsam Dei appellationem.* Idem sequutus Mendelii fil. vertit: *ein göttliches Wesen sollst du nicht schelten.* Neque haec sententia improbanda foret, nisi id, quod additum est, *nec principem populi tui diris devoveas*, argueret, sermonem hic esse de magistratibus. Philo et Josephus haud dubie ita protulerunt gentilium causa, sub quibus vivebant, ut ii intelligerent, Judaeos non usque adeo petulantes esse in Deos alienos, ut vulgo habebantur. Vid. plura in Michaelis *J. M.* P. V. §. 251. P. VI. §. 295.

16) *Lex de primitiis*, Vs. 28. 29. מְלֵאָתְךָ וְדִמְעֲךָ לֹא תְאַחֵר *Primitias areae tuae et torcularis tui offerre ne tardes.* מְלֵאָה propr. *plenitudo*, deinde *fructus plenae maturitatis*, et h. l. ii fructus maturi, qui Deo offerebantur, illorum primitiae. LXX. bene ἀπαρχὰς ἅλωος. דִּמְעָה proprie est *lachryma*, et metaph. *liquor stillans* instar lachrymarum, qualis stillat ex uvis et olivis, quando calcantur, hinc h. l. oblationem de vino et oleo denotat. LXX. ἀπαρχὰς ληνοῦ, *primitias torcularis.* Alii sub דִּמְעָה intelligunt *optimam et praestantissimam partem* cujusque rei, quia humor sive succus ex arboribus, vitibus et oleis sponte fluens praestantissimus est. De primitiarum oblatione fusius Lev. 2, 12. sqq. בְּכוֹר בָּנֶיךָ תִּתֶּן־לִי *Primogenitum filiorum tuorum mihi dabis*, vid. 13, 15. Num. 18, 15. 16.

17) *Lex de morticiniis*, Vs. 30. וְאַנְשֵׁי־קֹדֶשׁ וגו׳ *Homines mihi consecrati esse debetis*, (igitur) *carnem discerptam in agris non comedetis, sed eam canibus projicietis.* אַנְשֵׁי־קֹדֶשׁ

viri sanctitatis, i. e. mihi consecrati, sacerdotes, vid. ad 19, 6. Sicuti vero apud alias gentes soli sacerdotes a mortieiniis, tanquam a cibis immundis, abstinebant; ita omnes Israelitae iis perpetuo abstinere debebant. Ratio hujus legis facile perspicitur. Insalubris sine dubio est caro pecudis sponte mortuae, quippe quae aegra erat, qua ex caussa etiam nos talem carnem edere non solemus. Sed nititur illa lex etiam natura regionum, quibus Israelitae vivebant. Nempe in Arabia et Palaestina haud raro inveniuntur lupi rabiosi, et hinc etiam vulpes et canes rabiosi, ad quos hydrophobia per morsum propagatur. Animal igitur mortuum et discerptum in agro jacens, vel a lupo, vel vulpe vel cane rabioso morsum esse, et morbus ille ad hominem, qui tali carne vescitur, propagari potest. Etiam Mohammedes Arabibus suis esu carnium mortieinarum interdixit, vid. Corani Sur. 5, 4. 2, 175. 16, 115. ex edit. Marraccii. Vid. Mich. *J. M.* P. IV. §. 205. et *d. a. u. n. M.* P. II. p. 82.

18) *Leges de delationibus et justitiae observatione.* Cap. 23, 1 — 3. לֹא תִשָּׂא שֵׁמַע שָׁוְא *Non tolles*, vel, *non recipies rumorem falsum*, vel *vanum*. נָשָׂא est *tollere, elevare;* item *accipere, suscipere;* et שָׁוְא *vanitatem* simul ac *falsitatem* significat. Sermo vero h. l. non est de iis, qui rumorem falsum tollunt, s. proferunt, sed, uti recte observat Jarchius, admonentur ii, qui delatori aurem praebent. Ita jam LXX. *οὐ παραδέξῃ ἀκοὴν ματαίαν*, et Hieron.: *non suscipies vocem mendacii.* אַל־תָּשֶׁת וגו *Ne ponas manum tuam cum impio, ut sis testis injuriae*, i. e. cujus testimonio innocens damnatur. Sensus: Ne te eum impio conjungas in dicendo falso testimonio, quo innocenti fit injuria. רָשָׁע hic is esse videtur, cujus pejor est caussa, ut supra 2, 13. Prov. 17, 15. — 2. לֹא־תִהְיֶה אַחֲרֵי רַבִּים לְרָעֹת *Noli sequi multos ad male faciendum.* Si quis innocens tibi videatur, quamquam a plerisque damnabitur, seu judex sedeas, seu privatus, ejus innocentiae intrepido animo aderis, eumque contra multos defendes. Sunt, qui רַבִּים hic *magnos*, potentes denotare existiment, ut Job. 35, 10. al., ut sensus hic sit: ne insistito vestigiis potentiorum ad mala. Verum רַבִּים hic *multos* esse, suadet quod additur: וְלֹא־ תַעֲנֶה וגו *nec respondebis de lite declinando post multos ad declinare faciendum*, i. e. pervertendum. Vult, non esse in judicio sententiam plurimorum sequendam, sed ex vero judicandum. — 3. וְדָל לֹא תֶהְדַּר בְּרִיבוֹ *Pauperem non ornabis in lite sua*, i. e. ut utar verbis Terentianis (*Phorm.* 2, 1, 46.), nil addere debes propter misericordiam pauperi. Cavet Moses, ne judices misericordia erga pauperes permoti a recta justitiae via deflectant. Quintil. *Inst. orat.* 12, 7.: *Summovendum vero utrumque est ambitus genus, vel potentibus contra humiles venditando operam, vel illud etiam jactantius, minores utique contra dignitatem adtollendi. Non enim fortuna causas vel justas vel injustas fecit.*

19) *Leges de humanitate in juvandis aliis*, Vs. 4—9. — Vs. 4. Cf. Deut. 22, 1. — Vs. 5. Hic Vs. ad verbum ita sonat: *Cum videbis asinum inimici tui sub onere suo jacentem, desines a relinquendo ipsi; relinquendo relinques cum eo.* Quae quia in speciem contraria sunt, interpretes, ut haec concilient, in omnes partes se vertunt. LXX. verba וְחָדַלְתָּ מֵעֲזֹב וגו׳ sic vertunt: *Οὐ παρελεύσῃ αὐτὸ, ἀλλὰ συναρεῖς αὐτὸ μετ' αὐτοῦ*, et Hieron.: *non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Pro *συναρεῖς* alii codd. habent *συνεγερεῖς*, *una eriges.* Apparet, illos, de verbis non admodum sollicitos sensum eum, quem res et contextus suadent, utcumque expressisse. Onkelos: *tunc cessabis ab eo derelinquendo*, i. e. cave derelinquas eum, *relinquendo relinquas id, quod habes in corde tuo contra eum, et solvas cum eo.* In qua interpretatione tamen id displicet, quod עָזַב in eadem periodo diverso significatu sumitur. Recentiores quoque Interpp. varie hunc locum torserunt; quorum tamen opiniones in hoc Scholl. nostrr. Compendio praetermittendas censemus. Interpretationem autem ceteris longe probabiliorem attulit Henr. Sypkens in *Observatt. Miscell. ad selecta V. T. loca* (in *Sylloge Diss. sub* Schultensii et Schroederi *praes. defens.* P. II. p. 925. sqq.). Atque primum quidem observat, חָדַל hic dici de eo, *qui socium destituit auxilio*, ut Job. 19, 14. Alterum verbum, עָזַב, *laxare, relaxare*, atque ita *missum facere*, dici primo de rebus, quae ita relaxantur, ut nulla earum habeatur cura, ut Job. 9, 27. Prov. 4, 6., deinde vero illam *relaxandi* notionem praesertim quoque frequentari de iis, qui pecora *elaxatis vinculis*, quibus constricta tenebantur, *dimittunt*, ut libera quaquaversum queant vagari, coll. Zach. 11, 17. Job. 10, 1. Quare hunc Vs. ita reddit: *Quando videris osoris tui asinum, succumbentem sub onere suo, et volueris eum auxilio destituere, quominus vincula ei relaxes, relaxando relaxabis cum eo*, sc. osore tuo. Particula ו enim nexum arctissimum indicat inter verba תִּרְאֶה et חָדַלְתָּ, et verti commode potest *et tum*, ut Gen. 21, 15. Ez. 39, 15. Sensus igitur hic erit: si quando contingat, ut videas asinum ejus, quocum tibi inimicitiae intercedunt, gravioribus pressum sarcinis, ita ut suis viribus surgere nequeat, et si tu, pristinae inimicitiae memor, promtum auxilium pro illo erigendo praestare recuses; cave, ne ejusmodi criminis fias reus; e contrario, tum, una cum inimico tuo omnem adhibebis operam, ut vincula oneris, quibus constrictus et pressus haeret, dissolvas et elaxes, ut sic surgere atque libere procedere possit.

6. 7. לֹא תַטֶּה וגו׳ *Ne inclines*, pervertas, *jus egeni in lite ejus.* Uti praeter jus et fas pauperi favendum non est, ita idem nec injuria propter paupertatem adficiendus. — 7. מִדְּבַר־שֶׁקֶר תִּרְחָק *A mendacio procul absis.* Quum hic sermo de officio judicis sit, horum verborum haec significatio esse videtur, judici cavendum esse, ne falsa rei expositione deceptus innocentem damnet, aut nocentem absolvat. וְנָקִי וְצַדִּיק אַל־תַּהֲרֹג *Item inno-*

centem et justum ne occidas. Vocc. נָקִי *innocens* et צַדִּיק *justus* sunt synonyma. כִּי לֹא־אַצְדִּיק רָשָׁע *Neque enim justificabo improbum*, i. e. nolo improbum immunem exire; talem igitur qui debita poena absolvit, sanctam legem meam contemnit. Cod. Sam. pro אצדיק habet הצדיק, ita ut subaudiri debeat אלהים. LXX. *οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ ἕνεκα δώρων*, quasi legissent: לא הצדיק רשע למען שחדים.

8. 9. וְשֹׁחַד יְעַוֵּר פִּקֵּחִים *Munus excoecat videntes.* Judices, qui munera a reis acceperunt, usque adeo occoecantur, ut jus cum injuria, munus judicis cum latrocinio misceant. וַיְסַלֵּף דִּבְרֵי צַדִּיקִים *Perplexa reddit*, sive pervertit *verba justorum*, sc. judicum, i. e. eorum, qui justi habiti sunt, quique alios juste judicare solebant. Qui donis corrupti sunt, si ingenio pollent, omnes nervos intendunt, ut injuriam specie juris obvelent, quod non potest fieri plana et simplici oratione, qua recta ad scopum tendimus, sed dumtaxat per ambages et contortis rationibus. Hebraei ejusmodi ambages vocant סֶלֶף, Prov. 11, 3., Latini *tortiloquium.* — 9. וְאַתֶּם יְדַעְתֶּם אֶת־נֶפֶשׁ הַגֵּר *Et vos nostis peregrini animum*, i. e. nostis, quanta animi anxietate sit peregrinus, cum injustitiam eorum, apud quos peregrinatur, experitur. Conf. 22, 20.

20) *Lex de anno et die Sabbatico*, Vs. 10—12. Cf. ad Lev. 25, 2. sqq.

21) *Lex de diis alienis non commemorandis*, Vs. 13. וְשֵׁם אֱלֹהִים וגו׳ *Alienorum Deorum nomina ne commemoretis quidem:* super *ore vestro*, sc. prolatum *ne audiatur.* Quae phrasis videtur proverbialis, significans, Israelitis plane esse negligendam vicinorum populorum theologiam. Quae summopere contemnimus, de iis ne loqui quidem solemus, ideoque hic summus alienarum opinionum contemtus indicatur.

22) *Lex de tribus festis majoribus*, Vs. 14—16. שָׁלֹשׁ רְגָלִים *Tribus vicibus*, ter, ut Vs. 17. שָׁלֹשׁ פְּעָמִים. — 15. De festo azymorum vid. ad 12, 2. — וְלֹא־יֵרָאֶה פָנַי רֵיקָם *Ne vacui coram me comparent.* רֵיקָם, *vacue*, i. e. sine oblatione quapiam. Hac lege Israelitae monebantur, ut in animum sibi revocarent, Deum esse regem suum, coram quo in Oriente nemini sine donis comparere licitum est. Cf. ad Gen. 33, 8. — 16. וְחַג הַקָּצִיר *Festum messis.* Id 34, 22. dicitur festum שָׁבֻעוֹת *hebdomadum*, quod septem hebdomadibus post pascha celebraretur, Lev. 23, 16—18., unde *Pentecoste* Graece dictum fuit, quod in diem 50. a Paschate incideret, sive in diem 5. vel 6. mensis tertii, i. e. in medium Junium ex nostri anni ratione. Quum enim festo illo offerri debuerint panis novi primitiae, messis jam peracta esse debebat, haec vero in illis regionibus mense Junio plane absolvitur. בִּכּוּרֵי מַעֲשֶׂיךָ (Festum) *primitiarum laborum tuorum.* Fullerus in *Miscell.*

L. 3. c. 11. notat, Pentecosten non *festum messis* simpliciter dici, sed addi: *primitiarum laborum tuorum, quas severis in agro tuo*, h. e. festum illud anniversarium, quo offerendae erant primitiae frugum, messis jam absolutae exantlatis laboribus, pereeptarum; et repetendum esse nomen חַג, atque verba posteriora accipienda, ut per ἐπεξήγησιν adjecta. Monet autem Aben-Esra, de primitiis messis triticeae hic esse sermonem; primitias enim messis hordaceae in paschate fuisse oblatas, inter primitias autem hordei, et primitias tritici septem hebdomadum intervallum fuisse, coll. Deut. 16, 9. — וְחַג הָאָסִף וגו׳ *Et festum collectionis sub finem anni, quum fructus agrorum collegistis.* Intelligitur festum tabernaeulorum, quod die 14. septimi mensis celebrari incipiebat Lev. 24, 34. In hoc festo proeul dubio praecipue pro vindemia Deo gratiae agi debebant, quum Palaestinae praecipuus fructus vitis fuisse videatur. Illud vero ipsum arguit, festum hoc non potuisse cadere in Septembrem, quo mense Judaei hodierni id celebrant. Nam in Palaestina non ante finem Septembris vindemia plane absolvitur. Accedit, quod Joseph., testis αὐτόπτης, refert *Antiqq.* 3, 10, 4., festum tabernaeulorum celebratum esse vergente jam in hyemem anno, ideoque et Mosen jussisse per domos tuguria construi, quod frigus metuendum illo anni tempore esset. Quae Josephus de frigore incipiente habet, Octobri sunt aptissima: illo enim mense et pluviae aliquando incipiunt et frigidiores jam aliqui dies incidunt. Ceterum festa illa ab omnibus Israelitis uno tempore et uno in loco celebranda, sine dubio quasi vincula esse debebant, quibus aretius jungerentur singulae illius populi tribus. Qui enim saera communia habent, et ea communiter eodem in loco celebrant, ii vix divelli possunt in plures respublicas, sed foedus inter se coguntur servare. Hanc rationem etiam adtingit Joseph. *Ant.* 4, 8, 7. Cf. et Mich. *Jus Mos.* P. 4. §. 198.

23) *Nonnullae aliae leges rituales*, Vs. 17 — 19. שָׁלֹשׁ פְּעָמִים וגו׳ *Ter quotannis sistant se omnes mares coram me domino Jova.* Hoc pertinebat ad Theocratiam. Deus describitur tanquam rex, quem subditi ter quotannis salutatum irent. — 18. לֹא־תִזְבַּח עַל־חָמֵץ דַּם זִבְחִי *Non effundes ad fermentatum sanguinem victimae meae*, i. e. in sacrificiis fermentum ne adhibeatis. Sermo est de agno et saerificio paschali, quod κατ᾽ ἐξοχήν Hebraei vocant זֶבַח, quia praecipuum hoc eorum saerificium est. Cf. ad 12, 8. — וְלֹא־יָלִין *Nec pernoctabit*, i. e. non servari debet in diem sequentem. חֵלֶב־חַגִּי, *adeps festi mei*, i. e. adeps agni paschalis festo paschatis offerendus. Alii חַג h. l. pro ipsa victima poni volunt, ut Jes. 29, 1. Mal. 2, 3. Ps. 118, 7. — 19. רֵאשִׁית אֲדָמָתְךָ — *Primitias terrae tuae domum Jehovae Dei tui adferes.* Intelligendae sunt primitiae praecocium fructuum postridie sabbati paschalis Deo dicandae, coll. Lev. 23, 9—14. Secundae enim primitiae festo pentecostes offerendae erant. לֹא־תְבַשֵּׁל גְּדִי בַּחֲלֵב אִמּוֹ *Ne coquas haedum in lacte matris suae.* De hujus interdicti

ratione interpretes inter se dissentiunt. Quidam verba legis propria significatione accipiunt, ut Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 727. ed. Lips., qui putat, populos Israelitis vicinos haedum in lacte matris suae coquere consuevisse (Arabes etiamnum carnes ovillas in lacte coquere solent; vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. VI. p. 258.); Mosen autem Israelitis hac consuetudine interdixisse, quod crudele esset, si lac matris, quod haedo in nutrimentum datum est, adhibeatur ad carnis ipsius consumtionem. Alii, ut Lutherus, *hoedum in matris lacte* dici putant, quamdiu a matre lactatur; talem igitur, ut immundum, comedere interdici. Hoc vero si voluisset Moses, ita obscure expressisset, ut sensum ejus vix quisquam assequutus esset. Hoedum lactentem גְּדִי חָלָב, illum dicturum fuisse verisimile est; ut 1 Sam. 7, 9. טְלֵה חָלָב *agnus lactis* est lactens. Talem vero immundum haud fuisse, inde patet, quod hoedos et agnos nondum ablactatos, statim ab octavo die, Lex in sacrificiis admittebat, Ex. 32, 30. Lev. 22, 27. Quidquid autem sacrificare licuit, licuit etiam comedere. Spencerus *de Legg. rituall.* P. I. L. 2. c. 8., superstitionem quandam gentilem h. l. interdici existimat; auctores enim esse ipsos Hebraeorum doctiores, Zabios, astrorum cultores, in iis sacris, quae post messem celebrare solebant, haedum in lacte matris coxisse et deinde ritibus magicis adhibitis eo lacte adspersisse arbores, agros et hortos, quod crederent, eos feraciores sequenti anno futuros esse. Quod confirmat Spencerus verbis anonymi Karaitae, quae ex codice quodam antiquo primus in lucem protulit Cudworthus in *Libro de vera notione coenae dominicae*, Cap. II. §. 7. Quam sententiam tamen pluribus impugnavit J. D. Michaelis *de legg. Mosis Israelitis Palaestinam caram facturis*, §. 10. in *Commentatt. Societ. Reg. Goetting.* Tom. IV. *Partis Histor. Phil.* et in *Jur. Mos.* P. IV. p. 20. Ipse vero proponit novam hanc sententiam, Mosem *coquendi* (בַּשֵּׁל) verbo latiore uti significatione, ut et ad assata pertineat, coll. Deut. 16, 7. 2 Chr. 35, 13. In nostra autem lege adhiberi eadem significationis latitudine, vel ex conjuncta paschalis solemnitatis mentione apparere; lustralem enim illum agnum non elixandum, sed igne assandum fuisse. *Matrem haedi* non ipsam ejusdem haedi matrem intelligit, sed quameumque capram, quae haedi alicujus mater fuerit. *Lac matris haedi* ei est *butyrum*, quoniam butyrum primitus lac sit. In haedi autem exemplo poni existimat interdictum latius interpretandum, ut ad reliqua etiam animalia pertinuerit; sic alias Mosem de uno tantum genere, e. c. de bove aut asino loqui solere, cetera intelligi velle. Ita jam R. Isaacidem putasse, גְּדִי non significare *haedum*, sed pullum ex omni animalium genere. Quod autem attinet ad rationem legis, putat Michaelis, illam, ut plures alias, eo consilio a Mose latam esse, ut Israelitis animum adimeret, revertendi in Aegyptum, caramque iis et dulcem faceret novam patriam, Palaestinam, quam oleo praestantissimo abundare, Aegyptum vero eo carere, constat.

Ceterum verisimile illi est, Mosen ex more gentis, in qua educatus, praeceptisque philosophiae imbutus erat, ita verba legis concepisse, ut indulgentiam erga ipsa quoque animalia suadere, crudelitatis omnem speciem vetare, humanitatisque praeceptum pulcra imagine expressum culinis etiam et mensis inscribere videretur. At enim vero, si hic sensus aut ratio legis hic traditae fuit, mirandum sane est, Mosen, qui alias in legibus consignandis ea perspicuitate utitur, quam sapiens legislator semper solet adhibere, legem ex Michaelis sententia gravissimam verbis adeo obscuris concepisse. Acquieseimus itaque in Spenceri sententia, donec certiora et meliora afferantur. Neque obstare videtur, quod contra illam Michaelis monet, Mosen loqui de hoedo ideo coeto, ut comederetur, non ut ejus lacte arbores et agri conspergerentur. Nihil enim impedit, quo minus in illis sacris carne istius hacdi vescerentur sacrificantes, lac vero ad illum sacrum usum adhiberent. Hinc Moses fortasse hac lege omnem istam superstitionem cavere voluit. Cf. quae diximus ad Bochartum l. l. p. 731. not. 4.

5. *Promittit Deus Hebraeis, se, si ipsius monitis obtemperaturi fuerint, in Cananaea expugnanda iis adjumento fore, additque praecepta de vitando idolorum cultu, item de Cananaeis paullatim pellendis, iisdemque omni foedere excludendis. Cap.* 23, 20 — 33.

20. 21. הִנֵּה אָנֹכִי וגו׳ *En! mitto ante te legatum, qui in itinere te tueatur, teque perducat ad locum, quem paravi*, i. e. destinavi tibi occupandum. Legato, quem Jova hic promittit Hebraeis praemittendum, superioris aetatis interpretes plerique significari existimant angelum, quem dicunt, increatum, id est, filium Dei, qui missus sit a patre, ut populum Israeliticum ducat et tueatur, eique optime consulat. Cf. ad 3, 2. At Herder *vom Geist d. Ebr. Poesie*, P. II. p. 46. sqq. argumentis minime spernendis evincere studuit, *omne symbolum, sive rem visibilem, sub qua Deus invisibilis* apparet, vocari מַלְאַךְ יְהוָה *nuncium*, s. *legatum Jovae*. Eodem nomine appellatur rubus ille ardens, e quo Moses vocem loquentem audiebat, 3, 2. Porro 14, 19. (coll. 13, 21.) columna illa ignea et nebulosa vocatur *angelus Dei*. Quae ipsa columna et h. l. intelligenda videtur. — 21. הִשָּׁמֶר — תְּמַר בּוֹ *Cave tibi ab eo, audi vocem ejus, neve illi rebellis esto*, i. e. obtemperate mihi vos ducenti, me revereamini, nec me irritetis. לֹא יִשָּׂא לְפִשְׁעֲכֶם *Non feret defectionem vestram*, i. e. non impune feram, si mihi reluctamini. כִּי שְׁמִי בְּקִרְבּוֹ *Nomen enim meum in eo est*, i. e. ego ipse ei perpetuo adero. *Nomen Dei* est Deus ipse, ut saepe alias, e. c. Lev. 24, 11. 16. Deut. 28, 58., ubi textus Sam. pro שם habet יהוה, Ps. 20, 3. 72, 9.

25 — 28. וּבֵרַךְ אֶת־לַחְמְךָ וְאֶת־מֵימֶיךָ *Benedicet pani tuo et aquae tuae*, curabit, ut iis abundes, h. e. omnibus alimentis, *panis* enim cibum quemvis, *aqua*, quemlibet potum significat, 1 Sam. 21, 11. — 26. אֶת־מִסְפַּר יָמֶיךָ אֲמַלֵּא *Numerum dierum*

tuorum complebo, i. e. efficiam, ut ad senectutem usque vivas, ut ad eos annos pervenias, quos fert corporis constitutio, nec bello aut clade alia pereas. — 27. וְהַמֹּתִי Hieronymus vertit *et occidam*, quasi esset Hiph. verbi מוּת; cujus tamen 1. pers. Praeter. Hiph. est הֲמִתִי, coll. Hos. 9, 16. Verum הַמֹּתִי valet *perturbabo*, ab הָמַם. LXX. ἐκστήσω *amentes reddam*, et similiter Saadias: *attonitos eos reddam.* Ingentem quandam perturbationem, quae mentem adimit, et consilii inopem reddit, significare voluerunt. וְנָתַתִּי וגו׳ *Et faciam omnes hostes tuos tibi cervicem*, i. e. fugientes eos faciam, quia fugientes cervicem ostendunt, Ps. 18, 41. — 28. וְשִׁלַּחְתִּי אֶת־הַצִּרְעָה לְפָנֶיךָ *Mittam ante te crabrones*, nam צִרְעָה esse collective sumendum vix monitu opus. Verba haec non videntur intelligenda esse proprie. Nam Jos. 24, 11. 12. eadem phrasis adhibetur de expulsione duorum regum Amoritarum. Jos. 10. autem, ubi haec historia narratur, nil dicitur de crabronibus, sed de terrore Cananaeis immisso et de grandine magna inter fulgura et tonitrua delapsa. Nec satisfacit, quod ii, qui verba illa proprie intelligunt, et vere per crabrones Cananitas expulsos esse putant (quemadmodum Julianus ob musearum et culicum multitudinem e Parthorum regione eadem via regredi non poterat, vid. Ammian. Marcell. 24, 8.), respondent, a sacris scriptoribus multa obiter referri, loci et temporis circumstantiis plane suppressis, quae tamen eo modo, quo narrantur, gesta essent: majoris enim momenti fuit haec res, si evenerit, quam ut tantum obiter adtingeretur. Igitur sub crabronibus *varii generis mala* intelligenda esse videntur, quae aptissime per haec insecta indicari poterunt, quum eorum punctus acerbissimos dolores concitet, et magna eorum multitudo homines necare valeat.

31 — 33. יָם פְּלִשְׁתִּים *Mare Philistaeorum* est mare mediterraneum, cujus littora tenebant Philistaei. מִמִּדְבָּר *A deserto*, Arabico, in quo Israelitae tum versabantur. עַד־הַנָּהָר, *usque ad fluvium* sc. Euphratem, qui in illis regionibus κατ᾽ ἐξοχήν ita vocatur. Hos vere fines Israelitarum fuisse, vidimus Gen. 15, 18. — 32. לֹא־תִכְרֹת וגו׳ *Non cum iis aut eorum diis foedus inire debes.* Cum diis foedus sancitur, si ii honore divino adficiuntur, et pro eo illorum auxilium expectatur. — 33. פֶּן־יַחֲטִיאוּ אֹתְךָ לִי *Ne te ad peccandum adversus me seducant.* כִּי־יִהְיֶה לְךָ לְמוֹקֵשׁ *Nam erit tibi in laqueum*, i. e. perniciosum. Quam necessaria fuerit haec cautio, ostendit historia Num. 25, 1. 2. Jud. 2, 2. sqq.

6. *Moses a Deo e monte dimissus refert ad populum leges a Deo acceptas. Quibus unanimi consensu populus obedire pollicetur. Quo facto scriptis illas mandat Moses, foederisque inter Deum et populum solennes ritus celebrat. Tum, tradita Aaroni et Churi populi cura, in montem solus redit. Cap.* 24.

Cap. 24, 1 — 4. וְאֶל־מֹשֶׁה אָמַר *Ad Mosen vero dixit*, sc. Deus. Quae Vs. 1. 2. traduntur pertinent ad Mosen solum. עֲלֵה

Ascende, nempe, postquam superiora jura populo proposueris, et foederis inter Deum populumque ieti ritus celebraveris; repetitur enim hoc mandatum Vs. 12. Cap. 20, 18. dictum fuerat, Mosen ad Deum accessisse, a quo leges acceepit ad populum referendas; eae serie non interrupta narrantur usque ad initium hujus Cap. Jam quum dimitteretur Moses a Deo ad populum, dicit ei, quid facere deberet, si iterum ascenderet. שִׁבְעִים מִזִּקְנֵי יִשְׂרָאֵל *Et septuaginta e senibus Israelis*. Quod hic jam 70 seniorum mentio fit, quum ii tamen aliquod tempus post (Num. 11, 16.) constituti essent, nihil habet difficultatis. Nam qui postea constituebantur seniores, senatum faciebant, qui autem hic constituuntur, eligebantur a Mose tantum eo consilio, ut ipsum in montem adscendentem comitarentur. וְהִשְׁתַּחֲוִיתֶם מֵרָחֹק *Adorabitis procul*, h. e. procul a summo montis jugo, ad quod solus Moses accessurus erat. Mons Sinai (de quo vid. ad 3, 1.) duo habet caeumina, unum, humilius, vocatur Horeb, et in eo seniores mansisse videntur, alterum, quod vocatur Sinai, hodie *Dsjaebbel Musa*, *mons S. Catharinae*, difficile est adscensu et exsuperat nubes; in id Moses solus adscendit. Vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 114. — 2. וְנִגַּשׁ מֹשֶׁה לְבַדּוֹ *Accedatque Moses solus*. Latini dicerent: *accedasque tu solus*. Sed solent Hebraei 3. pers. uti, eum de eo agunt, quem alloquuntur. — 3. כָּל־דִּבְרֵי יְהוָה וְאֵת כָּל־הַמִּשְׁפָּטִים *Omnia verba omniaque jura*, sc. leges 20, 22. — 23, 33. recensitas. — 4. כָּל־דִּבְרֵי יְהוָה sunt omnes leges, de quibus Vs. 3. De מַצֵּבָה vid. ad Gen. 28, 18. Ritus hic fuit foederum, uti liquet ex Gen. 31, 46.

6—9. De juvenibus, qui hic sacrificia obtulisse dicuntur, loco sacerdotum, vid. ad 19, 22. אֲגַנוֹת hic denotat *phialas*, quibus sanguis victimarum spargendus excipiebatur. — 7. סֵפֶר הַבְּרִית *Liber foederis* est liber legum, in quas Deus cum Israelitis foedus facturus erat. Quid vero ille liber complexus fuerit, ex iis, quae c. 20, 2 — 14. et c. 21 — 23. praecessernnt, haud obscurum esse potest. וַיִּקְרָא בְּאָזְנֵי הָעָם *Legit audiente populo*, ut leges veluti rogarentur, velletne ae juberet populus eas sanciri. — 8. דַּם הַבְּרִית *Sanguis foederis* est sanguis quo effuso sancitur foedus. Effusionis autem haec videtur fuisse significatio, ut, prout sanguis victimae effusus fuerat, et quaquaversum adspersus: ita quicunque foedus frangeret, intelligeret simili modo etiam suum sanguinem effundendum esse. Cf. ad Gen. 15, 10. Similis ritus apud Romanos in foederibus pangendis usitatus erat. Vid. Liv. *Histor.* 1, 24. — 9. וַיַּעַל מֹשֶׁה וְאַהֲרֹן *Ascenditque Moses una cum Aarone*. „Mirum est, omitti Josuam, qui, ut liquet e Vs. 13., ascendit cum Mose. Forsan haec causa fuit, quod neque nomine populi, nec suo interesset, sed tanquam Mosis minister, paratus exsequi, si quid juberet.“ Cleric.

10. 11. וַיִּרְאוּ אֵת אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *Et viderunt Deum Israelis*, id est, ut Onkelos explicavit, *gloriam Dei*, phaenomenon quod-

dam, s. symbolum divinae praesentiae, et quidem e propinquo, quum antea nonnisi procul vidissent. LXX., ne Graecis lectoribus ludibrio esset Moses, verterunt: *εἶδον τὸν τόπον οὗ ἑστήκει ἐκεῖ ὁ Θεὸς*, *viderunt locum, quo stabat Deus.* Verba כְּמַעֲשֵׂה לִבְנַת הַסַּפִּיר varie explicantur. Vocem לִבְנָה alii vertunt *laterculos*, *tabulas*, a לְבֵנָה *later*, alii *albedinem* a לְבָנָה, datur enim genus sapphiri candidum, a colore coeruleo ad *album* vergens. Sed vix dubium est, לִבְנָה significare *candorem* s. *pelluciditatem.* Vocem סַפִּיר alii indicare volunt *lapidem lazuli*, alii *Chrystallum*, alii *rubinum*, alii aliter. Sed non est, cur dubitemus, significari nomine Hebraeo *sapphirum*, quem nos ita appellamus. Ita enim vertunt LXX., Syrus, Vulgatus. Est Sapphirus pellucidus, coloris coerulei, qualis est facies coeli sereni, de quo h. l. sermo est. Igitur sic erit vertendum: *sub pedibus ejus* (viderunt quidquam simile) *operi* (tessulato) *pellucido Sapphirino.* Unde tamen non debet colligi, ut nonnulli fecerunt, pavimenta Orientalium olim fuisse sapphirina; de eo enim nusquam vestigium reperitur. — 11. אֲצִילֵי Onkelos recte *magnates*, Arabs Erpenii *nobiles*, et Saadias *duces* s. *principes* reddiderunt. Ad eos לֹא שָׁלַח יָדוֹ *non mittebat manum suum*, i. e. ii non laedebantur, vel fulmine tangebantur quod putabatur iis accidere, qui Deum viderent. Vid. Gen. 16, 13. — וַיֶּחֱזוּ וגו׳ *Viderunt Deum*, *ederunt et biberunt.* tantum abfuit, ut mortui essent, ut contra convivium sacrificale hilares celebrarint.

12. 14. 17. עֲלֵה אֵלַי הָהָרָה *Ascende ad me in montem*, h. e. in summum juguni, ad quod aliis accedere non licebat. — 14. מִי־בַעַל דְּבָרִים *Quis dominus verborum*, i. e. si quis litem habeat. דָּבָר haud raro *causam* aut *litem* denotat, cf. 18, 26. *Dominus* autem *litis* pro *litigante* est notus Hebraismus. — 17. וּמַרְאֵה כְּבוֹד יְהוָה כְּאֵשׁ אֹכֶלֶת *Species autem gloriae Jovae* erat *ignis absumentis instar.* Indicari videtur, nubem illam, divinae praesentiae symbolum, frequentia fulgura emisisse.

7. Moses a Deo jubetur ad tabernaculi sacri structuram et apparatum spontanea Israelitarum dona accipere, et formam simul accipit arcae, mensae et candelabri, quibus instructum esse oportebat tabernaculum, cujus partes omnes describuntur. Cap. 25. 26. 27.

1) *Describitur apparatus tabernaculi*, Cap. 25, 1—9. — Vs. 2. 3. וְיִקְחוּ־לִי תְּרוּמָה *Accipiant*, capiant *mihi*, i. e. in honorem meum, *oblationem.* תְּרוּמָה ab הֵרִים *sustulit*, *abstulit*, Hebraei, Onkeloso praeeunte, recte explicant *separationem.* Significatur enim eo nomine quicquid aliquis de bonis suis seponit in sacros usus, et a profano usu quasi separat. אֲשֶׁר יִדְּבֶנּוּ לִבּוֹ *Cujus cor eam spontaneum reddit*, i. e. cujus cor benevole affectum fuerit. Quod ad rem, cf. 35, 22. sqq. — 3. Nomine נְחֹשֶׁת alii intelligunt *chalybem* (sed non est verisimile, eum jam illis temporibus notum fuisse), alii *aurichalcum.* Verisimilior tamen est

sententia LUNDII (*Jüd. Heiligthümer*, L. I. c. 5.), נְחֹשֶׁת esse *cuprum* et quidem optimum. Nam Esr. 8, 27. inter alias res ex captivitate Babylonica reportatas etiam memorantur duo vasa נְחֹשֶׁת, et de iis dicitur habere מְצֻהָב טוֹבָה *splendorem eximium*, חֲמוּדוֹת כַּזָּהָב *pulchrum sicuti* (splendorem) *auri*. Quod optime cupro convenit.

4. Nomine תְּכֵלֶת signari colorem quendam, nulla est dubitatio, sed non aeque consentiunt interpretes, quis color significetur. LXX., Josephus, Philo, Aquila, Symmachus, Theodotion, Vulgatus, Hieronymus vertunt *ὑάκινθον*, *hyacinthum*. Sed quum duo reperiantur in rerum natura, quibus illud nomen convenit, et lapis et flos, quaeritur, cujus color hic intelligatur? Quem nos enim dicimus lapidem hyacinthum, is rutilat instar ignis, et cocci colorem refert, minii nativi, aut sanguinis admodum biliosi instar; est etiam qui rubore croci flavescit, alius, qui succini flavi colorem ostendit; alius, qui fulvum et caeruleum mixtum habere dicitur. Sed veterum *hyacinthus* lapis fuit colore violaceo et caeruleo. Cf. Plin. *H. N.* lib. 37. (al. 9.). Isidorus in *Originibus*, 16, 9.: *Hyacinthus ex nominis sui flore vocatur. Hic in Aethiopia invenitur, caeruleum colorem habens.* Coeli color ei adscribitur. Hieronymus ad Ez. 1, 16.: *Aquila hyacinthum posuit, qui lapis coeli habet similitudinem.* Ambrosius in Apocalyps. 21, 20.: *Hyacinthus, cujus species hyacinthino colori nomen imposuit, pretiosissimus est, coeli sereni colorem habens, sicut sapphirus.* Haec confirmantur testimoniis Josephi, Philonis, et Judaeorum magistrorum. Duo enim priores, quatuor colores, hyacinthinum, purpureum, coccinum et byssinum in tabernaculo et in sacro vestitu ad quatuor elementa referentes, hyacinthum dicunt *aëra*, i. e. coelum serenum significare. Hos sequuntur Origenes, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Theodoretus, alii. Kimchius interpretatur *Ultramarinum* et *Azur*, quae eximie sunt caerulea. Recte igitur Arabs uterque usus est h. l. Persico אסמנגון *coelestis color (himmelblau)*. Observandum autem est, hunc colorem dici similem coelo sereno, ad indicandum, non fuisse colorem remissum sive dilutum *(hellblau)*, sed intensissimum, exsaturatum et nigricantem *(dunkelblau)*; nam quo magis coelum est serenum, eo intensior est ipsius color, ut quasi in nigricantem abyssum introspiciamus. J. D. MICHAELIS colorem illum (תְּכֵלֶת) desumtum existimat e pisce quodam, *sepia loligo (Blackfisch; Dintenfisch)* dicto, qui succum coeruleo-nigricantem edit. Cui tamen sententiae hoc potissimum obstat, quod nullo, neque veteri neque recentiori testimonio constat, fuisse piscis illius suecum unquam ad tingendum adhibitum. Hebraei colorem תְּכֵלֶת tradunt e concha quadam, חִלָּזוֹן sive חִלְזוֹן dicta, sumtum fuisse. Illo nomine appellari cochleam purpurariam, pluribus ostendit BOCHARTUS *Hieroz.* T. III. p. 656. ed. Lips. MAIMONIDES, *Hilch. Zizith.* Cap. 2. Sect. 2. describens rationem tingendi fimbrias in vestitu sacro, qui,

ut ipse praecipit Moses, colore תְּכֵלֶת esse debebat: *His peractis adferunt sanguinem Chilzon, qui est piscis colore similis* תכלת, *est autem sanguis ejus ater instar atramenti, et reperitur in mari salso* (intelligit fortasse mare mediterraneum, quia id, ut omnia maria, salsum est; idem enim scriptor si de mari mortuo loquitur, id vocat *mare Sodomiticum*, nusquam *salsum*). *Sanguine in cortinam effuso, cum variis pigmentis, cimolia aliisque rebus pro more infecto, satisque elixato, lanam in eum immergunt, donec fiat color firmamenti, et hic est* תכלת. Pluribus de hac re egerunt Bochartus l. l., Braunius *de Vestitu Sacerdot. Hebr.* P. I. Cap. 13. p. 187. sqq. et Hartmann *d. Hebräerin am Putztische*, P. III. p. 128. sqq. — אַרְגָּמָן esse *purpuram*, nulla est dubitatio. Vertunt ita veteres omnes. Consentiunt Philo, Josephus et Rabbini. Quamquam varia fuerunt genera purpurarum, *violacea*, *caerulea* et *rubra*, tamen plerumque haec posterior intelligitur, si de purpura sermo est. Est vero succus s. sanguis muricis (*Purpurschnecke*), cochleae cujusdam in mari mediterraneo, et praecipue in littore Phoeniciae frequentis. Plin. *H. N.* 9, 60. *Purpurae florem illum tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi est in candida vena, unde pretiosus ille bibitur, nigrantis rosae colore sublucens. Reliquum corpus sterile.* Etiamnum has conchas circa Tyrum reperiri testatur Shaw *Itinerar.* p. 410. vers. germ. Succus ille nigricantis rosae instar, rubore austero, saturo, et simul grato lumine micantem colorem habuit. Ita quidem purpuram Tyriam genuinam describit Plin. *H. H.* 9, 62. *Laus ei summa, color Sanguinis concreti, nigricanti adspectu, idemque suspectu refulgens, unde et Homero purpureus dicitur sanguis.* Plura vid. apud Bochartum l. l. p. 678. sqq. — תּוֹלַעַת שָׁנִי *Vermis cocci*, seu proprie, *splendoris*; cf. not. nostr. ad Bochartum l. l. p. 527. Crescit vermis ille in planta quadam, artis herbariae peritis *ilex Aquifolium*, *ilex aculeata cocci glandifera*, *ilex coccigera* dicta (*Stechpalme*). Est genus quercus, sed non exsurgit supra duos cubitos, ita ut frutex vocari possit, habet folia parva, aculeata, utrobique laevia; fert flores nucamentis similes, glandes haud parvos. Coccus autem est fructus rotundus instar lentis aut exigui pisi, qui crescit circa illum fruticem; aut potius excrescentia quaedam est quam verus fructus: nullum enim habet florem, ut reliqui arborum fructus, nullum pediculum, nec ejusmodi alias partes, sed ipsis ramis arctissime adhaeret, qua parte exiguum habet foramen. In hac excrescentia est vermis quidam, primo colorem album, deinde cineritium habens, ex quo, nisi morte praeveniatur, volucre fit culici simile. Arabes hoc animal קִרְמֵז *Kermes* vocant. Color autem, qui ex hoc insecto parari solebat, erat rubore florido et acuto lumine splendens, instar micantis rosae. Rosae enim splendorem et gratum admodum nitorem cocco adscribit Plin. *H. N.* 21, 22. Igneus color dicitur ab aliis, quod instar candentis ferri

aut ardentissimi ignis rubeat ac splendeat. Apud nos hic color dicitur *carmosin*, Gall. *carmoisy*. Ceterum cavendum est, ne hic color misceatur cum eo, quem nos *Scharlach* vocamus. Hic enim provenit ex *cocenilla*, scarabaeo quodam nigricante, qui colligitur ex *opuntia*, genere ficus, in Persia et India Occidentali frequenti. De hoc colore apud veteres nullum extat vestigium, quum vel apud nos ex eo demum tempore, quo America detecta est, color ille innotuerit. שֵׁשׁ esse *byssum*, s. *Aegyptiacum gossypium* vidimus ad Gen. 41, 42. Prosper Alpinus *de plantis Aegypti*, p. 28. b. de Gossypio arboreo loquens, dicit: *In Arabia ex hac xylini lanugine telas illas tenuissimas, quas Sessa illi appellant, atque multis byssum antiquorum esse persuasum est, parant, quae utique ob pulchritudinem ab omnibus commendantur. Sessa* autem est Arab. שאש, quod ex alia pronunciatione Niebuhr in *Descript. Arab.* p. 62. scribit *Sasch*, et vertit *feines Nesseltuch*. שאש enim proprie est *tenuis*, *fein*. Sicuti vero Arab. שמש, *sol*, est i. q. Hebr. שֶׁמֶשׁ, ita etiam Arab. שאש et Hebr. שֵׁשׁ una eademque est vox. Bene h. l. LXX. *βύσσον κεκλωσμένην*. Gossypium in Arabia nasci, apparet ex Forskalii *Flora Aegyptiaco-Arabica*, p. 125. — עִזִּים proprie *caprae*, i. e. caprarum pili. LXX. *τρίχας αἰγείας*. Ita saepius caprae pro carum pilis ponuntur, ut Ex. 26, 7. 35, 26. Cant. 4, 1. Ex pilis autem caprinis nebantur aulaea, quibus tegebatur tabernaculum, cf. ad 26, 7.

5. עֹרֹת אֵילִם מְאָדָּמִים *Pelles arietum rubrae;* ad verbum: pelles arietum rubrorum. Adjectivum, quod ad primum Subst. pertinet, ad secundum refertur, ut saepius, e. c. 1 Sam. 2, 4. קֶשֶׁת גִּבּוֹרִים חַתִּים *Arcus fortium fractorum*, h. e. arcus fractus vid. et Act. 5, 20. Bene LXX. *δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα*. Ceterum nos *pelles rubricatas* uno verbo vocamus *Saffian*. Conficiuntur illae etiamnum frequentes et pulchrae in Turcia Asiatica et Maroccana Africae provincia, unde Francogalli eas vocant *maroquin rouge*. — תְּחָשִׁים varie exponitur. *Colorem* intelligunt Bochartus in *Hieroz.* T. II. p. 387. sqq. et Bynaeus *de calceis Hebraeorum*, Lib. I. c. 3., sequuti Samar. interpretem, qui vertit *nigras*, LXX. (*δέρματα ὑακινθίνα*), Josephum (*Ant.* 3, 6, 1. *τὰς*, sc. *δορὰς*, *ὑακίνθῳ βεβαμμένας*), Aquilam et Symmachum (*ἰάνθινα*), Syrum (*hysginum*), Chaldaeum (סַסְגּוֹנָא). Alii animal quoddam intellexerunt. Ac nonnulli quidem putarunt, תָּחָשׁ esse *taxum*. Ita Lutherus et plures superioris aetatis interpretes. Praeterquam autem, quod soli soni similitudini sententia illa originem debet; vox *taxus* de animali sumta est vox novitia, ejus vero in pelliceis rarus aut nullus paene est usus. Nec invenitur animal illud in regionibus Orientalibus. Nil denique in ejus pellibus est, unde tantopere commendentur Ez. 16, 10. Eodem fere soni argumento moti, nonnulli cogitarunt de animali quodam ex luporum genere, Graecis dicto *Θώς*, Persis Arabibusque *Scha-*

gal. Alii תַּחַשׁ nomen Hebr. *Trichechi Manati* Linn. opinati sunt, quod animal aquatile aliis *vacca marina*, aliis *homo marinus* sonat, Gallis *Lamantin*, Hispanis *Donna*, quod imitatus Michaelis in versione vernacula posuit *Meerfräulein*. Est animal 8 — 17 pedes longitudine, 6 — 7 latitudine, 500 — 800 libras pondere aequans. Caput habet bovinum duasque mammas pectorales. Pedes posteriores coadunati in pinnam. Cutis ex atro cinerea, ea duritie, ut a scutis ex ea praeparatis sagittae, globuli sclopetarii, gladiique ictus resiliant, soleaeque ex illa confectae per plures annos durent. Historiae naturalis scriptores Arabum *hominis aquatici* nomine id animal appellant. Sed earum linguarum, quae cum Hebraea sunt cognatae, nulla Trichechum tali nomine appellat, quod cum Hebr. תַּחַשׁ conveniat. Deinde ad tabernaculi tegumentum (26, 14.) trichechi cutem potuisse adhiberi, vix est credibile, quum ob duritiem et crassitudinem animalis hujus pellis nec satis possit flecti et extendi, nec tentorium ejus pondus possit sustinere. Alii Hebr. תַּחַשׁ *phocam vitulinam* Linn. *(den Seehund)* significare putant. Pellibus phocarum veteres sua texisse tabernacula, ut a fulminum radiis tuta praestarentur, tradit Plin. *H. N.* 2, 56. et cf. Sueton. *Octav. Aug.* c. 90. Neque nos hanc sententiam nostram facere dubitaremus, modo solidis argumentis demonstrari possit, תַּחַשׁ esse *phocae* (sive, ut ex alia conjectura volunt, *delphini)* nomen. Quae quum ita sint, tutius fuerit, in veterum auctoritate acquiescere, et תַּחַשׁ pro coloris nomine habere. Bynacus תַּחַשׁ eundem colorem putat, quem לַבָּא vocant Talmudici, quod voc. Jarchi exposuit: *colorem corii rubrum, quem vocant* סרלקא *sarlaca.* Cf. Hartmann l. c. P. III. p. 230. — Dissensus quoque est de עֲצֵי שִׁטִּים. LXX. vertunt ξύλα ἀσήπτα, *ligna imputribilia.* Secutus eos est Josephus l. c. ξύλα τῆς καλλίστης ὕλης, καὶ μηδὲν ὑπὸ σήψεως παθεῖν δυνάμενα. Sed ex hac interpretatione non intelligitur, quasnam arbores vox שִׁטִּים significet. Ceteri veteres interpp. retinuerunt nom. hebr. Hebraei, quos multi secuti sunt Christiani, intelligunt *cedrum,* vel ejus arboris speciem quandam. Sed praeterquam quod nulla appareat inter utrasque denominationes convenientiae species, manifeste etiam distinguuntur cedri ab arboribus שִׁטִּים Jes. 41, 19. Meliora autem docet et viam ad veram sententiam monstrat Hieronymus ad hunc Jesaiae locum. *De Setta tantum*, inquit, *Hebraica edisseramus. Est autem genus arboris nascentis in eremo, spinae albae habens similitudinem, unde omnia lignea arcae et tabernaculi facta sunt instrumenta, quae appellantur Settim; quod lignum imputribile et levissimum omnium lignorum, tam in fortitudine, quam in nitore, soliditatem superat et pulcritudinem.* Quod confirmatur lingua Arab., in qua haec arbor vocatur *Sant*, cum media radicali *Nun*, quae in Hebraea voce, pro more, cum sequenti consonante, quae duplicatur, coalescit. Illud vero Arab. nomen ortu esse Aegyptiacum, ostendit Jablonskius in *Opusc.*

P. I. p. 261. Est illud *Schont*, qua voce appellantur *spinae* in Coptica librorum sacrorum versione. Jam vero *acaciam* esse arborem spinosam, apparet ex ejus descriptione, quam dedit Prosper Alpinus *de plantis Aegypt.* Cap. 4. p. 4. sqq. *Acacia, quam Sant Aegyptii appellant, in Aegypti locis a mare remotis nascitur: hujusque arbores copiosissimae in montibus Sinai, pene rubrum mare positis proveniunt. Crescuntque ad mori magnitudinem ramosque sursum latius expandentes. Caudex quanta est, pruni magnitudo cernitur, corticemque habet nigrum, asperum, multis acutissimis spinis munitum. — Folia oblonga, parva, minutissime incisa habet, et flores parvos, pallidos subflavos. Ex floribus siliquae lupinorum aemulae proferuntur, ipsis veruntamen minores, in primis virides, et mox nigrae apparent.* Hujus igitur arboris lignum leve quidem, sed firmum et durabile, aptissimum certe fuit ad exstruendum portatile sacrarium, quod toties ex loco in locum transferri debebat. Accedit, quod arbores illae in iis tractibus, in quibus Israelitae tabernaculum condituri degebant, frequentes nascuntur, et solae fere sunt omnium illic arborum tectis idoneae. Bellonius *Observatt.* 2, 56. testatur, *per sterilem Arabiae solitudinem nullas se arbores reperisse praeter acacias.* Petrus Vallensis *Itiner.* P. I. p. 114. scribit, *in illa via, qua ex Aegypto ad desertum Sinai itur, regionem esse infrugiferam, sed tamen in vallibus quibusdam arbores illas, ex quibus Gummi Arabicum effluit* (spinas nostras puta) *inveniri.* Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 95. sqq.

6. 7. De oleis et unguentis hic memoratis conf. 27, 20. 30, 22. sqq. — 7. שֹׁהַם satis probabiliter sumitur esse *onychem*, aut *sardonychem*, ita dictum vel a *striis*, quae ipsi sunt, vel a *pallore*, quo unguem humanum refert. Ob eam similitudinem et nomen Graecum ὄνυξ acceptit, quod ipsum nomen LXX. pro שֹׁהַם posuerunt Job. 28, 16. Cf. Plin. *H. N.* 37, 6. Lapis ille vocatur etiam *Sardonix*, quomodo et Josephus, Hieron. et Vulgatus verterunt. Sed Bellermanno in libro: *die Urim u. Thummim die ältesten Gemmen* (Berol. 1824.) p. 64. sqq. שֹׁהַם est auctoribus Onkeloso, Jonathane, Hierosolymitano, Syro, Arabe, *beryllus*, lapis subviridis, pellucidus, striatus. אַבְנֵי מִלֻּאִים *Lapides impletionum*, s. *insitionum*, i. e. insitii, quia implebant eae gemmae palas, quibus insertae erant. De אֵפֹד et חֹשֶׁן vid. ad 28, 6. 15.

8. 9. מִקְדָּשׁ *Locus Deo sacer*, hic intelligitur tabernaculum. Verba וְעָשׂוּ לִי מִקְדָּשׁ cohaerent cum Vs. 9., hoc sensu: *facient mihi Sanctuarium, prout omnia tibi ostendero.* Per parenthesin inserta sunt verba וְשָׁכַנְתִּי בְּתוֹכָם *habitabo enim inter eos*, i. e. singulari quadam ratione inter eos versari volo. Qua in re sistitur Deus Israelitarum ingenio sese accommodans; illi enim Aegyptiis ritibus adsueti sine Deo se vivere existimassent, nisi locum

habuissent, in quo Deum crederent esse praesentiorem. Aegyptios illis temporibus jam templa habuisse, non est in dubio, quum inter populos antiquos primi fuerint, qui Diis suis habitationes s. templa exstruerent. Tabernaculum vero et pertinuit ad theocraticam regiminis formam, a Mose introductam. Quum enim Deus Israelitarum *rex* esset, voluit etiam proprium sibi habitaculum constitui, atque in eo, pro istorum temporum oeconomia omnia ad pompam magnificentiamque regiam comparata esse. Populo autem Nomadum vitam agenti sacrarium conveniebat vix aliud, nisi tabernaculum, quod facili negotio de loco in locum migrare potuit. Ejusmodi ambulatoria sacraria hodienum habent Mogoli et Calmucci, qui Asiae septentrionalis deserta cum suis pecudibus pererrant; vid. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 108. Cf. et Hess *Gesch. Moses*, P. I. p. 265. et 335. sqq. Jerusalem *Betrachtt. üb. d. vornehmst. Wahrhh. d. Rel.* P. II. p. 565. — 9. כְּכֹל אֲשֶׁר אֲנִי מַרְאֶה אֹתְךָ *Secundum omne quod ego videre faciens te*, i. e. quod tibi ostendam. תַּבְנִית est *exemplar*, *πρωτότυπον (ein Modell)*. LXX. τὸ *παράδειγμα*. Phrasis וְכֵן תַּעֲשׂוּ, *ita igitur facietis*, repetitio est, qualis in praeceptis diligenter inculcandis et alias reperitur, e. c. 39, 32. Num. 1, 54.

2) *Describitur Arca foederis*, Vs. 10 — 22. — 10. וְיַעֲשׂוּ אָרוֹן *Facient arcam.* In hac arca foederis, quam dicunt, tabulae legis, tanquam litterae foedus Dei cum Israelitis testantes, Hebraeorum religionis monimenta sanctissima, repositae erant, Vs. 16. Simul haec arca symbolum visibile praesentiae divinae esse debebat, valde necessarium illi populo, qui solis fere sensibus ducebatur, et omnia iis metiebatur. Praecipue digna sunt legi ea, quae de hac re monuit Jerusalem l. c. p. 563. sqq. Notatu dignum est, etiam in aliarum veterum gentium sacris arcas inveniri. Erat apud Aegyptios arca Osiridi sacra, de qua Plutarch. *de Iside et Osiride*, p. 366.: *Sacram cistam proferunt stolistae et sacerdotes, quae continet arculam, in quam sumtam aquam potabilem infundunt.* Similiter Apulejus *de Asino aureo* Lib. 11. in descriptione pompae Isidis: *Ferebatur ab alio cista, secretorum capax, penitus celans operta magnifica.* Hujusmodi cistae etiam in sacris Phoenicum, Trojanorum, Graecorum usitatae fuerunt. Cf. *d. a. u n. M.* P. II. p. 97. sqq. אַמָּתַיִם וגו׳ *Duos cubitos cum dimidio longitudo ejus* rel. Michaelis in notis ad h. l. et in *Jur. Mos.* P. IV. §. 226. 227. hac accurata determinatione mensurarum in aedificando tabernaculo Mosem cavisse existimat, ne eae in vita communi adulterarentur. Si enim tabernaculum et vasa sacra ad mensuras praescriptas adcurate confecta erant, semper exemplum habebant, ad quod mensurae in vita communi usitatae accommodari et examinari possent.

11 — 13. זֵר זָהָב LXX. reddunt *κυμάτια χρυσᾶ στρεπτά*, *cymatia aurea tortilia.* Quam interpretationem Augustinus in

Quaest. c. 4. ita illustrat: *Cymatia dixit quae in quadratura exstant per quatuor partes, sicut mensae quadrae fieri solent. Nec quod ait versatilia* [ita vetus Latinus interpres vertit στρεπτά] *mobilia debemus accipere. Fixa sunt enim, sicut dixi mensas habere solitas, sed versatilia dixit tortilia, quae Graece vocantur στρεπτὰ, vel canalibus, sicut sunt columnae tortiles, vel implicatis duobus virgulis in modum vestis, sicut etiam torques fieri solent. Κυμάτιον* proprie *parvam undam* denotat. Sed in columnis eo nomine vocatur suprema pars epistylii sive capitelli (vid. Vitruv. 3, 3.); item Hesychius *κυμάτια* interpretatur *τὰς ὑπεροχὰς prominentias*, et *τὰ χείλη labia.* Voluit igitur Graec. Interp. h. l. haud dubie oram, seu coronamentum prominens significare, ita dictum quod sinuoso flexu undas fluctuantes referret. Hieronymus *coronam* interpretatur; nam supremam arcae oram circum quaque coronae ad modum cingebat. Unde et Hierosolym. interpres et Syrus *coronam*, verterunt. Hebraici זֵר etymon etsi obscurius sit, tamen res ipsa suadet, indicari illo limbum arcae labiis ita circumductum, ut simul emineret superne, et impositi operculi crassitudinem cingeret. — 12. וְיָצַקְתָּ *Et fundes.* Sed LXX. ἐλάσεις, ab *ἐλαύνω duco*, ductile opus facio. לוֹ *Ei*, arcae. פַּעֲמֹת, quibus annuli aurei apponendi erant, Onkelos reddit *angulos*, quales et LXX. videntur intellexisse, qui verterunt *ἐπὶ τὰ τέσσαρα κλίτα, super quatuor latera.* Jarchi Onkeloso adstipulatur, et ad Vs. 10. ait, arcam pedibus caruisse. At Aben-Esra ait, se nusquam פַּעַם pro *angulo* positum reperisse, sed denotare id nomen ubique *pedem* vel *gressum*, ac propterea פַּעֲמֹתָיו *pedes ejus* sc. arcae interpretandum esse; vile scilicet et contemtibile fuisset, si arcae fundus terram tangeret. Annulorum, pedibus applicatorum usus hic erat, ut iis insererentur vectes, quibus humeris sacerdotum impositis arca portaretur, vid. Vs. 14. — 13. בַּדִּים *vectes.* LXX. bene reddunt *ἀναφορεῖς, gestatoria.*

15—17. לֹא יָסֻרוּ מִמֶּנּוּ *Non recedent* vectes *ex ea*, arca. Huic praecepto refragari videtur, quod Num. 4, 6. vectes, cum castra moverentur, *poni* dicantur (וְשָׂמוּ בַּדָּיו). Sed Aben-Esra ait his verbis vectes non esse annulis inditos dici, sed humeris Cahathitarum impositos, quo arcam portarent. Nescio tamen annon praeferenda sit sententia auctoris Commentarii *Chascuni* (חזקוני) dicti, in vectibus fuisse incisuras, quibus annuli firmiter inhaererent, ne arca alioquin huc illuc inter portandum ac deponendum inclinaret. Cum igitur hic dicantur vectes numquam amovendi, sensum esse, nunquam ex annulis eximi debere; at Num. 4, 6. per positionem vectium innui, annulos iis incisuris fuisse aptandos. — 16. עֵדוּת est *constitutio*, *praeceptum*, a יעד *constituit.* Intelliguntur hic tabulae legis. — 17. כַּפֹּרֶת significare *tectum*, *operimentum*, *operculum*, a *tegendi*, *operiendi* significatu, quem כָּפַר apud Hebraeos et Arabes obtinet, non est dubium. Sed quum idem verbum et *crimen expiare* denotet, item *placare*, *propitium red-*

dere, LXX. utramque nominis *ἐτυμολογίαν* conjunctim exprimentes, hic verterunt *ἱλαστήριον ἐπίθεμα propitiatorium operculum*, quod Deus illic se propitium et placatum populo suo ostenderet. Alias fere *ἱλαστήριον* solum ponere solent.

18. 22. Nomen כְּרֻבִים Aben-Esra dicit in genere significare צוּרוֹת, *formas*, idque, uti videtur recte. Nam Syris כרב est *aravit*. Primaria significatio vero videtur *incidit* esse, uti חָרַשׁ, חָרַת, *aravit*, *sculpsit*. Quemadmodum vero idem verbum et *expressit*, *insculpsit*, *fabricatus est* denotat, ita et in verbo כָּרַב et inde derivatis eandem significationum seriem extitisse colligi potest inde, quod Syr. כַּרוּבָא non solum *aratorem* notat, verum et *formatorem imaginum*. Hinc verisimile, כְּרֻבִים speciatim ad figuras e certis animantium formis mixtas, symbolicas et hieroglyphicas, designandas translatas fuisse. Erant enim Cherubi animalia fictitia ex hominis, leonis, bovis et aquilae forma composita, uti eos describit Ezech. 1, 6. sqq. Traditio illa vetustissima, a Mose Gen. 3, servata, Cherubos ante Paradisum tanquam ejus custodes a Deo collocatos narrabat. Hinc fiebant Cherubi imagines (symbola) rerum arcanarum et locorum, quae adire non licebat. Hebraeorum Cherubis tam forma quam significatione similes sunt Sphinges Aegyptiorum, dracones Graecorum, et gryphes Indorum atque gentium Asiae septentrionalium. Describuntur enim etiam haec tanquam animalia fictitia alata, ex variorum animalium formis composita, rerum vel locorum, quorum aditu interdictum erat, custodes; adscribitur eis saepe magna sapientia. Praecipue id valet de Sphingibus, animalibus vultum hominis, corpus leonis vel bovis, alas aquilae habentibus (vid. Tacitus *Hist.* 5, 5. Clem. Alex. *Strom.* lib. 4.). Moses, hanc similitudinem inter Sphinges et Cherubos, quales eos gens sua cogitabat, deprehendens, illos imposuit arcae sacrae tanquam custodes sanctissimorum religionis Hebraeae monimentorum et veluti imagines sive symbola magnae sapientiae; ad exemplum Aegyptiorum, quorum in sacris aureae Deorum imagines, duo nempe canes, unus accipiter et Ibis una in cistis sacris supra descriptis circumferebantur. Plura vid. ad Ez. 1, 10. Cf. et HERDER *v. Geist d. Ebr. Poes.* P. I. p. 177. sqq. P. II. p. 18. sq. מִקְשָׁה LXX. hanc verterunt *τορευτὰ, caelata*, torno dolata. — 22. וְנוֹעַדְתִּי לְךָ שָׁם וְדִבַּרְתִּי אִתְּךָ *Ibi conveniam te*, *tecum collocuturus*, tibique mandata et responsa daturus. Sic Neh. 6, 2. וְנִוָּעֲדָה בַּכְּפִרִים *conveniamus in Cephirim*. Ita Syrus nostro loco servato verbo et harmoniee: אֶתְוְעֵד *locum tibi statuo*, *quo conveniamus*. Saadias: *praesens tibi ero*; Arabs Erpenii: *veniam ad te*. Samaritanus: *stato tempore et loco adero tibi*, *paratus ero tibi*, eodem sensu et Onkelos: *parabo tibi verbum meum*. LXX. qui *καὶ γνωσθήσομαί σοι et cognitus tibi ero* reddiderunt, literis inversis וְנוֹדַעְתִּי לְךָ legisse, aut saltem eam lectionem in animo habuisse oportet.

3) *Mensa sacra*, Vs. 23—30. — 23. 25. שֻׁלְחָן est *mensa*, a שָׁלַח sic dicta, quod *extendatur et distentatur*, dum instruitur; quomodo et Homerus *τανύειν τράπεζαν* aliquoties dixit, veluti *Odyss.* 1, 138. Similes sacrae mensae et apud alias gentes antiquas fuerunt. Hoc ex ipsis locis nonnullis V. T. apparet, Jes. 35, 11. Jer. 7, 18. 44, 17. Josephus confert mensam Hebraeorum saeram cum mensis Delphieis. *Ἐν δὲ τῷ ναῷ*, inquit *Ant.* 3, 6, 6., *τράπεζαν ἱδρύεται Δελφικαῖς παραπλησίαν.* Hieron. ad Jes. 65, 11.: *Est in cunctis urbibus et maxime in Aegypto et in Alexandria idololatriae vetus consuetudo, ut ultimo die anni et mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis et poculum mulso mistum, vel praeteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes.* Mensae etiam erant in Graecorum et Romanorum fanis. Aristophanes *Plut.* Act. 3. Sect. 2. describit sacerdotem Aesculapii *rapientem liba et ficus ex mensa sacra.* Ad quem locum Scholiastes: *Εἰσὶ γὰρ τράπεζαι ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἐν αἷς τιθέασι τὰ ἐπιφερόμενα.* De mensa Delphica Juvenal. *Satyr.* 3, 203.: *Urceoli sex Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra Cantharus.* — 25. טֶפַח est nomen mensurae naturalis et civilis, *quatuor digitorum*, quam Latini vocant *palmum*, Germani *eine Handbreit.* Quod apparet ex ipso codice Hebr.; crassities enim maris aenei 1 Reg. 7, 26. 2 Chr. 4, 5. טֶפַח dicitur, eademque Jer. 52, 21. *quatuor digitorum.* LXX. vertunt *παλαιστη*, quod ex usu linguae est *palmus*, et in Etymologico magno refertur ad *πέλας prope*, quod quatuor digiti proximi juncti palmum faciunt.

29. 30. קְעָרוֹת sunt *lances* s. *vascula planiora, flache Schüsseln*, quibus panes sacri imponendi erant. LXX. *τρυβλία. Τρυβλίον* autem est *lanx*, s. *catinus*, in quo cibi mensae imponebantur. כַּפּוֹת sunt vascula concava, *acerrae*, thuri ferendo et adolendo aptae. LXX. *θυίσκας*, quod Scholiastes quidam vetus interpretatur *θυμιάματος σκεῦος.* קְשָׂוֹת erant vasa superius lata, inferius angusta, *phialae, Schaalen*, in quibus vinum libabatur. LXX. *σπονδεῖα, libatorii calices.* מְנַקִּיוֹת LXX. *κύαθοι, cyathi.* Est autem *κύαθος* vas vinarium s. poculum, quo vinum hauritur. Tantum vini capiebant quantum quis uno haustu exhaurire potest. Imponebantur cum cratere mensis. Similia fuerunt haec vasecula eis, quae nos vocamus *Tassen.* Quidam Hebraeorum nomine מְנַקִּיוֹת, a נָקָה *purus est*, dedueto, instrumenta purgatoria, seopulas, significari existimant, quibus furnus a cinere purgabatur, aut mensa, priusquam ei imponerentur panes. Verba quae sequuntur, אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֵן *in quibus libabitur*, Aben-Esra monet non referri ad מְנַקִּיּוֹתָיו, etiamsi id proxime praecessit, sed ad קְשָׂוֹתָיו, idque patere ex Num. 4, 7., ubi קְשׂוֹת הַנֶּסֶךְ *cyathi libaminis* memorantur. Observat huic esse simile illud Ps. 99, 6. 7.: *Moses et Aaron inter ejus Sacerdotes, Samuel inter eos, qui nomen ejus invocant, ... in columna nubis alloquebatur eos,*

quod non ad Samuelem, sed ad Mosen et Aaronem refertur. — 30. לֶחֶם פָּנִים לְפָנַי תָּמִיד *panes facierum coram me jugiter.* Ideo, quod semper coram Jova, i. e. arca sacra, cui columna ignis et nubis, praesentis numinis symbolum, insidebat, positi essent, *panes facierum* appellati sunt. LXX. ἄρτους ἐνωπίους, q. d. panes praesentes et propositos. Symmachus ἄρτους τῆς προθέσεως, *panes propositionis*, uti Hieronymus vertit. Ita etiam LXX. infra 40, 23., eodemque modo panes isti appellantur Matth. 12, 4. Marc. 2, 26. Luc. 6, 4.

4) *Candelabrum*, Vs. 31—40. — 31. De מְנוֹרָה vid. Vs. 18. תֵּיעָשֶׂה *fiet*, cum Jod epenthetico, praeter morem. Forsan olim lectionem juvabat. Nam sine ea legi etiam potest תַּעֲשֶׂה, ut LXX., qui ποιήσεις reddiderunt. יָרֵךְ proprie est *femur*, deinde omne *rectum*, ut h. l. *scapus* candelabri. Jarchius: *Scapus fuit pes inferior, qui factus erat ad instar arcae, ac tres pedes egrediebantur ex illo (scapo) in partem inferiorem.* קָנֶה *calamus*, *die Hauptstange.* Jarchius: *Is fuit calamus ejus* (candelabri) *medius, qui egrediebatur in medio femore* (scapo) *erectus sursum versus.* גְּבִיעַ proprie *calicem* significare constat, ex quo bibitur; sed haec significatio h. l. et Vs. 33. 34. 37, 17. 19. 20., in quibus de ornamentis candelabri sermo est, non est apta. Intelligi videntur calices sensu botanico, ex quibus flores crumpunt, ab eorum, ex quibus bibitur, similitudine sic dicti. מִמֶּנָּה, *ex illa* sc. lucerna. Debebant ex eadem auri massa omnia conflari.

33. 34. מְשֻׁקָּדִים *Amygdalorum in formam facti.* Onkelos: *figurati.* Jonathan: *depressi in figuris eorum*, profunda impressione figurati. LXX. ἐκτετυπωμένοι καρύϊσκους, sive, ut in aliis libris est, καρυΐσκοις, *facti in forma nucum.* Ita et Vulgatus: *nucis in modum.* Id prope ab Hebraeo abest. Sed accuratius voc. Hebr. expressit Aquila suo ἐξημυγδαλωμένην, quod Scholiastes interpretatur ἐκτετορευμένην ἀμυγδαλοῦ, *sculptum in modum amygdalae.* הַיֹּצְאִים מִן־הַמְּנוֹרָה *Qui exeunt e candelabro*, i. e. hastili s. scapo candelabri. — 34. וּבַמְּנוֹרָה אַרְבָּעָה גְבִעִים *Et in candelabro* erant *quatuor calices.* In unoquoque calamo erant tres calices, uti dictum est Vs. 33.; in ipso autem corpore s. hastili candelabri quatuor calices erant, ut ad h. l. notat Jarchi, qui tamen addit, unum duntaxat calicem fuisse in ea parte hastilis, quae infra calamos s. ramos ex eo egredientes erat, reliquos autem tres supra eam partem hastilis, ex qua calami egressi sunt, fuisse. Quae sane descriptio ad formae candelabri concinnitatem atque elegantiam commodissima esse videtur.

37—39. עַל־עֵבֶר פָּנֶיהָ *Super* s. *versus latus faciei ejus*, i. e. versus plagam anteriori ejus parti oppositam. — 38. מַלְקָחֶיהָ Vulgatus recte *emunctoria ejus* vertit, sequutus τοὺς LXX., nisi quod ii in Singulari τὸν ἐπαρύστηρα αὐτῆς reddiderunt. Onkelos: *forcipes ejus.* Emunctorium non inepte forceps dici potest.

מַחְתֹּת, a חָתָה *prunas* vel *ignem a foco abstulit*, videntur vasa quaedam fuisse, in quae cineres et adustae partes ellychniorum, quae forcipibus seu emunctoriis praecisae erant, reponebantur. — 39. כִּכַּר זָהָב טָהוֹר יַעֲשֶׂה *Talentum*, i. e. pondere talenti *auri faciet* sc. faciens, s. aurifaber. Quia in iis quae praecedunt adhibita fuit persona secunda, hic vero tertia, ideo, ne quis existimet, per errorem librariorum id accidisse, hic annotat Masora, videri alicui posse, legendum esse תַּעֲשֶׂה *facies;* quo innuit recte sese habere, quae in codicibus exstat, personam tertiam. כִּכַּר quasi *rotundum pondus*, quia pondera majora orbiculari forma esse solent, LXX. et Vulgatus reddunt *talentum.* Erat Hebraeorum maximum pondus, triginta minas continens, ex Michaelis ratione, si ad pondera Coloniensia retuleris Hebraica, 65 marcarum et 10 semunciarum: si ad pondera Parisiensia, 30 librarum, 1 unciae, 20 gross. Quo ex computo talentum auri facit 4397½ *ducatorum aureorum.* Ex Eisenschmidii computo vero talentum est 182 Marc. 10 semunc. 1 drachm. $17\frac{62}{100}$ moment. Ergo talentum auri ei est 12237 ducatorum.

5) *Aulaea Tabernaculi*, Cap. 26, 1—14. — 1. 2. מִשְׁכָּן *Habitaculum* distinguit Moses ab אֹהֶל, intelligitque sub illo postes et tabulas tabernaculi, sub hoc, operimentum illud, quod iis superponitur, duodecim aulaea ex pilis caprarum contexta; cf. Vs. 7. et 40, 19. יְרִיעוֹת sunt *cortinae*, collato Arab. يرع, in Conjug. 2. *cohibuit*, *prohibuit*, et in Conjug. 4. *intercessit inter duos*, *disjungens eos*, quod vela tabernaculorum curiosos oculos arcebant. שֵׁשׁ מָשְׁזָר sunt *byssina fila retorta (gezwirnte Baumwolle).* מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב *Opus artificis*, quo hic speciatim intelligitur polymitarius, qui varietate liciorum intercurrente in tela ipsa texturaque quascunque figuras exprimit aut fingit. Sicut aliae artes, ita etiam haec innotuit procul dubio Israelitis in Aegypto. Hac arte enim Aegyptios inclaruisse et inventores ejus habitos, appareret ex Plin. *H. N.* 8, 48.: *Colores diversos picturae intexere Babylon maxime celebravit et nomen imposuit: plurimis vero liciis texere*, *quae polymita adpellant*, *Alexandria instituit.* Alexandria autem hic posita est pro Aegypto. Antequam enim nasceretur Alexander, talia elaborabantur in illa terra, ut liquet ex descriptione thoracis, quem ad Lacedaemonios miserat Amasis, rex Aegypti, quem thoracem dicit Herodotus 3, 47.: *lineum quidem ex xylo*, i. e. *byssinum*, *frequentibus animalibus intertextis*, *ornatum vero auro et lanis.* — 2. הַיְרִיעָה הָאַחַת *Aulaei unius*, i. e. uniuscujusque, אֹרֶךְ שְׁמֹנֶה וְעֶשְׂרִים בָּאַמָּה *longitudo sit duodetriginta cubito*, s. *mensura cubitali* sc. mensurata. Si igitur haec aulaea tabernaculo imposita erant, non attingebant terram seu bases argenteas (Vs. 19.), sed distabant ab eis unum cubitum singulis lateribus: latitudo enim tabernaculi erat 10, et totidem cubitorum altitudo ejus singulis lateribus meridiem et septemtrionem

versus; aulaei igitur, terram attingentis longitudo, 30 cubitorum esse debuisset. Tantum duo cubiti extremarum tabernaculi stragularum redundantes in terra jacebant, Vs. 12.

4—6. לֻלָאֹת sunt *laqueoli*, *ligulae continuo in se* sive *in rotundum reflexae (Schleifen)*, a לוּל *cochlea*, *gradus in rotundum reflexus*. Iis inserebantur *uncini* s. *fibulae*, קְרָסִים, Vs. 6. מִקָּצֶה *Ab extremo*, in extremitate. בַּחֹבֶרֶת *In* ipsa *commissura*. — 5. מַקְבִּילֹת הַלֻּלָאֹת וגו׳ *Ita ut illae ligulae sibi invicem respondeant*, parique altitudine sint sitae. — 6. קְרָסִים LXX. reddunt κρίκους, *circulos* s. annulos, quibus laqueoli (Vs. 4.) inserebantur. Sunt ab *incurvando* dicti; cf. ad Jes. 46, 1.

7. 14. וְעָשִׂית יְרִיעֹת עִזִּים *Et facies cortinas caprarum*, i. e. e pilis caprarum. J. D. Michaelis hasce stragulas confectas existimat e pilis caprae Angolensis, quae non solum Angorae, sed etiam in aliis Asiae regionibus invenitur. Pili ejus subtilissimi candorem referunt argenteum. Contexitur ex eis panni genus illud subtile, quod nos vocamus *Camelot*. — 14. אֹהֶל hic dicuntur aulaea polymita et cilicina, quibus pelles geminae injiciebantur, ne aut sol aut pluvia aut pulvis intima illa tegumenta corrumperet. De מְאָדָּמִים vid. ad 25, 5.

6) *Asseres conjuncti ad sustentanda illa stragula*, Vs. 15—30. — 17. 19. יָדוֹת proprie *manus* h. l. sunt *cardines masculi* ad latera asserum, LXX. ἀγκωνίσκους, Vulgatus *incastraturas*. Intelliguntur duo veluti dentes divisi in extrema parte ligni, qui duabus baseos theeis immitterentur. Lutherus *Zapfen*, Michaelis *Kernpfähle* vertit. מְשֻׁלָּבוֹת recte videntur LXX. interpretati ἀντιπίπτουσας ἕτερον τῷ ἑτέρῳ *contracadentes unum alteri*, i. e. excipientes se mutuo commissuris. Erant igitur crenatim incisi, ut alter alteri ex opposito responderet eique inhaereret. שָׁלַב Chaldaice est *cohaerere*, *conjunctum esse*, unde שַׁלְבִּים 1 Reg. 7, 28. sunt *commissurae*. אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ *Unus* (cardo) *ad alterum*. Sensus: cardinum incisiones aequali intervallo separatae esse debent, ita ut apte tam cardinum incisiones quam concava basium sibi invicem respondeant. — 19. אֲדָנִים sunt *bases*, *stylobatae*. Quum tabernaculum in nudo solo, tentorii more collocaretur, hae bases procul dubio in terram alte adigebantur, ac fortasse, ut id fieri melius posset, in acumen desinebant. שְׁנֵי אֲדָנִים וגו׳ *Duae bases sub assere uno duobus cardinibus* rel. Praecipitur, ut sint duae sub singulis tabulis bases, geminis harum tabularum cardinibus excipiendis comparatae; sive binae bases singulis assibus pro duobus eorum cardinibus. Habebant igitur hae bases cacumina, quibus cardines asserum masculi immitterentur.

22. 24. 26. וְלִירְכָתֵי הַמִּשְׁכָּן יָמָּה *Pro extrema tabernaculi parte occidentali*. — 24. וְיִהְיוּ תוֹאֲמִם מִלְּמַטָּה *Sint gemellae ad locum inferiorem*, i. e. asseres angulares infra duo latera

habeant, quorum unum ad occidentalem, alterum ad septentrionalem sive meridionalem parietem pertineat; ita ut hi asseres sint loco tigni angularis, cum quo utriusque lateris et extremitatis tabulae committantur. וְיִהְיוּ *et conjungi debent.* יִהְיוּ תַמִּים — תָּאֳמִם *Sint perfecti supra caput ejus ad annulum primum*, i. e. parte superiore inde a primo annulo usque ad summum vertieem asseres angulares non amplius angulum rectum sive duo latera efficere, sed obtundi et ita duos angulos obtusos effieere debent. Si enim asseres angulares parte superiore acuti fuissent, stragulae eis impositae corruptae essent. — 26. בְּרִיחִם sunt *vectes*, ligna transversa ab uno latere ad alterum per annulos trajecta, quae a Latinis etiam vocantur *transtra* et *transtilla.*

7) *Partes tabernaculi distinctae per siparia*, Vs. 31—37. — Vs. 31. פָּרֹכֶת Jarehi ait significare *sepimentum* seu *parietem*, et a doctoribus vocari פרגיד (nomen Persicum, de quo vid. ad Gen. 37, 3.); ea voce Jonathan et Hierosolymitanus hic utuntur. Etymologia haud satis liquet. Chaldaeis פָּרַךְ in Pael est *frangere*, *rumpere*, *abrumpere*, *divellere.* Hinc velum illud, duo continua tabernaculi conclavia, Sanctum et Sanctum Sanctorum, a se invicem discriminans, et quasi divellens, nomen nancisci potuit. Vel est pro פָּרֻקֶת, coll. Arab. פרק *separavit*, *distinxit.* LXX. verterunt *καταπέτασμα*, quod in N. T. usurpatur, vid. Matth. 26, 51. Luc. 23, 45. Hebr. 9, 3. — 32. וָוִים sunt *uncini*, ex quibus aulaea in columnis suspendebantur. — 33. הַקְּרָסִים *Uncini*, de quibus Vs. 6. — וְהִבְדִּילָה וגו׳ *Sic velum hoc separet sanctuarium ab adyto sanctissimo.* Fortasse ad exemplum templorum Aegyptiacorum, in quibus similiter adyta peplis auro textis obvelabantur, ut testatur Clem. Alex. *Paedag.* 3, 2. Sane, quemadmodum totus ille in tabernaculo splendor et ornatus, ita etiam hoc valde sapienter a Mose institutum fuit, ne, si templum illo careret, Israelitae splendori templorum Aegyptiacorum adsueti, ad idololatriam prolaberentur. — 36. וְעָשִׂיתָ מָסָךְ לְפֶתַח הָאֹהֶל *Et facies velum ostio tentorii.* מָסָךְ a סָכַךְ *texit*, *operuit*, significat in universum *tegumentum*, *operimentum*, hic vero speciatim dicitur de velo, quod obtendebatur ostio tabernaculi aditusque Sancti claudebat. A velo interiore, פָּרֹכֶת dicto (Vs. 31.), quod Sanctum Sanctorum a Sancto separavit, velum exterius, de quo hic, in nonnullis differebat. Illud enim, interius, quatuor columnis suspensum erat, exterius, quinque; porro columnae τοῦ פָּרֹכֶת bases argenteas habebant, columnae τοῦ מָסָךְ vero aeneas; tum, velo interiori Cherubi intexti erant, exteriori non item; denique velum interius erat מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב *opus polymitarii*, exterius vero מַעֲשֵׂה רֹקֵם *opus versicolori ornatu pannos contexentis.* Nomine רֹקֵם plures *acupictorem (den Sticker)* significari existimant. Sed quum רָקַם Ps. 139, 15. de artificiosa corporis humani formatione dicatur, quod nervis, ossibus, filisque et juncturis sibi invicem intertextis, constat; verbum illud

potius *e versicoloribus liciis contexere* significare videtur. Recte Hebraei observant, מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב opus fuisse magis artificiosum, quod figuras easdem, etsi non versicolores, ab utraque parte conspiciendas praebuerit, quale sericum Damascenum *(Damast)*, sed מַעֲשֵׂה רֹקֵם opus minore artificio paratum, quodque figuras ab uno tantum latere exhibuerit. Sane res ipsa flagitabat, ut velum exterius, quod pulveri et coeli injuriis expositum esset, minus splendidum et pretiosum esset, quam velum interioris adyti.

8) *Altare holocausti*, Cap. 27, 1—8. Aram quae h. l. describitur literae H formam habuisse et in duas partes sectam fuisse, J. D. Michaelis existimat. Pars dimidia, ex cjus sententia, inferior erat cava (Vs. 8.) et reticulata, ut victimarum sanguis arae affundi posset; superior autem pars ambitus hujus portatilis, postquam venerat in locum destinatum, terra implebatur, et in hac terrea sive cespitieia arae parte ardebat ignis victimas consumturus. Plura tamen et gravia huic, quam sibi Michaelis finxit, figurae altaris opposuit J. F. von Mayer *Bibeldeutungen* (Frcof. ad M. 1812.) p. 205. et recte contendit, constitisse illud nonnisi quatuor tabulis ligneis aere obductis, ita ut intus prorsus cavum esset, extrinsecus vero deambulacro circumdatum, de quo Vs. 5. Aliud altare e cespite exstructum erat illud, de quo supra 20, 21. (al. 24.); vid. ibi not. — 2. קַרְנֹתָיו עַל אַרְבַּע פִּנֹּתָיו *Eminentias ad quatuor angulos.* קַרְנוֹת haud pauci proprie intellexerunt, et in angulis altaris revera *cornuum* figuras infixas fuisse putarunt. Sed vix dubium קַרְנוֹת fuisse *eminentias* in quatuor altaris angulis. Earum usus praecipuus fuit, ut sanguis sacrificiorum piacularium iis adspergeretur vel illinirctur, 29, 12. Lev. 4, 7. 18. 25. 30. 34. — 3. וְעָשִׂיתָ סִירֹתָיו לְדַשְּׁנוֹ *Et facies lebetes ejus ad suscipiendos cineres ejus.* LXX. nescio quid sequuti: *καὶ ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ.* Onkelos: *ollas ejus ad colligendos* s. *tollendos cineres ejus*, i. c. in quibus cineres ab altari pala ablati sunt positi. Verbum דָּשַׁן h. l. alium significatum obtinet, quam Ps. 20, 4., ubi cf. not. H. l. Aben-Esra recte exponit: *removere cineres.* יָעִים sunt *palae*, quibus removebatur cinis, ab *auferendo* ita dictae, a יָעָה. מִזְלָגוֹת LXX. reddiderunt *κρεάγρας fuscinas recurvas ad extrahendas carnes.* Indigebant sacerdotes ejusmodi instrumentis, ut si forte carnes, quae adolebantur, ex flamma decidissent, eas iterum in flammam aut prunas injicerent. מַחְתֹּת sunt prunarum receptaeula, *batilla.* לְ ante כָּל, quod sequitur, est nota Accus., ut alias saepe. — 4. מִכְבָּר esse *cribrum*, ostendit quod apponitur מַעֲשֵׂה רֶשֶׁת *opus retis* s. *reticulatum.* LXX. *ἐσχάραν ἔργῳ δικτυωτῷ χαλκῆν*, quod Hieron. reddidit *craticulam in modum retis aeneam.* Videtur sustentando ambitu, de quo mox, inservisse, nec ex aere continuo constitit, sed cratis retulit formam, quo commodius ara, nimio pondere non aggravata, humeris portaretur. — 5. כַּרְכֹּב Onkelos vertit *am-*

bitum, quod interpretes et Hebraei et Christiani fere sequuntur. Videtur a כָּרַךְ *ambivit*, *circumdedit*, verbo Aramaeis usitato, derivatum, addito in fine ב, facilioris pronunciationis causa. LXX. ὑπὸ τὴν ἐσχάραν τοῦ θυσιαστηρίου, quod Hieron. reddidit *subter arulam altaris.* וְהָיְתָה הָרֶשֶׁת עַד חֲצִי הַמִּזְבֵּחַ *Et sit rete usque ad dimidium altaris.* Jonathan de suo addit, nimirum ut usum istius reticuli ostendat: *et si ceciderit os vel pruna ab altari, cadet super reticulam* s. *cribrum, nec ad terram pertinget; atque id a cribro accipient sacerdotes, et super altare reponent.* Erat igitur כַּרְכֹּב deambulaerum; satis latum, altare ambiens, ut in eo versantes ministri obirent munia sua, sive struendo foco sive componendo membra victimae comburendae. — 8. נְבוּב לֻחוֹת תַּעֲשֶׂה אֹתוֹ *Cavum tabularum*, i. e. tabulis *facies illud.* Jonathan addit, altare intrinsecus fuisse *repletum terra.* Sic Jarchi ad 20, 24. ait exponi posse id quod istic legitur, *altare terreum facies mihi*, nempe ut sensus sit, altaris concavum, cum castra metarentur, terra fuisse implendum. LXX. κοῖλον σανιδωτὸν ποιήσεις αὐτό. Vulgatus: *non solidum, sed inane et cavum intrinsecus facies illud.* Non expressit לֻחוֹת *tabulas.*

9) *Atrium tentorii*, Vs. 9—19. — Vs. 9. חָצֵר est locus subdialis aulaeis circumdatus et quasi circumseptus. קְלָעִים LXX. ἱστία reddiderunt, quod nomen de navis velis proprie dicitur. Sane et Chaldaicum קְלַע et consonum nomen Arab. *velum navis* significat. Notatque Jarchi, haec aulaea facta fuisse *opere tortili* seu complicato, instar funium, in modum *velorum navis.* Eandem fuisse Onkelosi mentem, qui סְרָדִין vertit, qua voce Vs. 4. ad exprimendum Hebr. מִכְבָּר *cribrum* est usus, unde innui putat, cortinas hasce instar cribri foraminibus plenas fuisse. Ad illustrandum Chald. סְרָד (31, 10. שְׂרָד) cf. Arab. سرد *lorica*, et *in ea mutuus annulorum nexus;* radix sonat *contexuit.*

10. 19. וְעַמֻּדָיו *Et columnae ejus* sc. חֲצַר הַמִּשְׁכָּן *atrii habitationis* s. *tentorii*, Vs. 9. Hasce columnas commemoravit Apion (vid. Joseph. *contra Apion.* 2, 2.), sic de iis disserens: *Pro gnomonibus autem columnas statuit, quibus scaphae forma subjecta erat; ab harum summitatibus vero umbra in eam incidebat, ita ut eundem cursum, quem sol in aethere, absolveret. Scaphae* nomine significari vas quoddam, ovatam seu elliptieam formam referens, quod horologii usum praestaret, ostendit F. Guil. Beer in Commentat., qua illum Apionis locum docte illustravit, simulque de tabernaculi structura quaedam lectu digna observavit, in *den Abhandll. zur Erläuter. d. alt. Gesch. u. Zeitrechn.* P. I. p. 243. sqq. חֲשֻׁקִים videntur esse virgae sive pertieae conscrentes columnas et aulaea sustinentes. Onkelos vertit כֵּיבוּשִׁים, quo ipso nomine utitur Chaldacus interpres 1 Reg. 7, 33. ad exprimendum nom. Hebr., nostro cognatum, חִשּׁוּקִים, quo vix dubium est indicari *radios* rotarum, quibus modioli junguntur absidibus,

s. circulis exterioribus rotarum. Radix חָשַׁק *conjungendi conserendique* notionem habet, unde Vs. 17. dicitur: *omnes columnae atrii sint* מְחֻשָּׁקִים כֶּסֶף *consertae argento*, i. e. perticis argenteis, ut nostro loco dicitur. — 19. יְתֵדֹתָיו *Clavosque ejus.* Intelliguntur clavi terrae infixi, ad quos funes revincti ad summas columnas aut tabulas pertinebant, et hinc inde eas erectas ex aequo trahebant, ne a vento dejicerentur. Haec a Mose non describuntur accuratius, quia tentoriorum statuendorum periti erant Israelitae.

10) *Oleum in candelabri usum*, Vs. 20. 21. שֶׁמֶן זַיִת *Oleum olivae.* Ita illud oleum vocatur, ut ab aliis oleorum speciebus, veluti oleo nucum, vel olco sesamorum, distinguatur *(Baumöl).* Plinius et alii veterum *oleum κατ' ἐξοχήν* vocant. Additur *tusum* (כָּתִית), ut indicetur, olivas tudicula tundendas esse in mortario, non mola conterendas, ne quid impuri traherent ex faecibus. לְהַעֲלוֹת נֵר תָּמִיד *Ad ascendere faciendum*, i. e. accendendum *lucernam jugiter*, id est, unaquaque nocte; nam interdiu non lucebat, uti multorum est opinio. — 21. בְּאֹהֶל מוֹעֵד *In tentorio conventus.* LXX. *ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου*, unde Vulgatus: *in tabernaculo testimonii.* Quasi מוֹעֵד esset a rad. עוּד, unde עֵד *testis*, et עֵדוּת *lex*, et *praeceptum*, *testimonium.* Sed radix est יָעַד *locum* vel *tempus constituere*, item *loco* vel *tempore constituto praesto esse*, *convenire*, cf. ad 25, 22. Ratio autem nominis, quare nimirum tabernaculum, de quo hic agitur, dictum est אֹהֶל מוֹעֵד, clare redditur 29, 42. 43. 30, 36., quod scil. Deus eum locum constituit, quo se Mosen et Israelitas convenire velle promisit. Onkelos et Jonathan interpretantur *tabernaculum temporis*, quasi sic dictum esset, quod ibi statis temporibus Israelitae convenire solebant. Ps. 74, 8. מוֹעֲדֵי־אֵל sunt *synagogae*, conf. not. ad eum loc.

8. *Describuntur vestes sacerdotales Aaronis et filiorum ejus. Cap.* 28.

Cap. 28, 1—3. הַקְרֵב אֵלֶיךָ *Accedere jube ad te.* Non de loco, sed de dignitate sermo est, et significatur, fore Aaronem ejusque filios Mosi proximos dignitate; sequitur enim מִתּוֹךְ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *e ceteris Israelitis.* לְכַהֲנוֹ־לִי *Ut sacerdotes sint mihi.* לְכַהֲנוֹ (uti et Vs. 2. 4. legitur) posset Pronom. affix. esse, τοῦ et ad Aaronem pertinere, ita ut כָּהַן hic in Piel sit transitivum, h. s.: ad *constituendum eum mihi sacerdotem.* Sed rectius illud ו pro additicio s. paragogico habetur (quemadmodum ו in חַיְתוֹ שָׂדַי Ps. 102, 11. et בְּנוֹ בְעוֹר Num. 24, 3. 15., pro חַיַּת שָׂדַי *bestia agri*, et בֶּן־בְּעוֹר *filius Beori.)*; tum quod hic de Aarone pariter ac filiis ejus sit sermo; tum quod postea כָּהַן in ista ipsa Conjugatione absolute ac intransitive usurpatur, ut Vs. 41. וְכִהֲנוּ־לִי *et sacerdotes sint mihi*; vid. et 29, 1. 44. — 2. בִּגְדֵי־קֹדֶשׁ *Vestes sacrae*, i. e. quibus induti sacra facere debebant. לְכָבוֹד וּלְתִפְאָרֶת *Ornatus et decoris causa.* כָּבוֹד ad vestes translatum

significat *ornatum*, qui Sacris reverentiam crect. — 3. חַכְמֵי־לֵב *Sapientes corde*, i. e. periti, egregii opifices, quales in tanto populo, qui per tot annos inter Aegyptios, artium omnium callentissimos vixerat, nonnulli profecto esse potuerunt. חָכָם, ut σοφός, peritum cujusvis rei et qui res solide et cum judicio agit, significat. אֲשֶׁר מִלֵּאתִיו רוּחַ חָכְמָה *Quos implevi spiritu sapientiae*, i. e. peritia instructos. Non intelligitur adflatus ullus divinus, quo prophetae impulsi vaticinati sunt, sed ingenium vel indoles illis nascentibus a Deo data, qua factum erat, ut artes ad hoc negotium necessarios discerent.

4. חֹשֶׁן *pectorale* pluribus describitur Vs. 15 — 30., אֵפוֹד *pallium superius*, Vs. 6 — 12., מְעִיל *pallium longius*, Vs. 31 — 35. — כְּתֹנֶת *Tunica adstrictior* erat vestimentum byssinum, rotundum, undique clausum, manicatum, totum corpus a collo ad talos usque tegens; simile ei vestimento, quod nos vocamus *Hemde*. Ita quidem illud describit Joseph. *Ant.* 3, 7, 2.: *Super hoc autem* (femorale) *lineam interulam induit duplicis sindonis byssinae; quae chitone vocatur. — Est autem hoc indumentum tunica usque ad talos demissa, corpus arcte ambiens, et manicas circa brachia adstrictas habens. — Haec vero tunica sinum nusquam habet, sed amplam circa collum aperturam, quae certis quibusdam funiculis ex ora et a pectore dependentibus super utramque scapulam adstringitur.* חֵשֶׁב significat vestem, quae intextas habuit figuras quadratas, instar tessellarum pavimentorum, sed ita, ut figurae illae planae et aequales fuerint, nulla apparente profunditate aut eminentia filamentorum in textura. מִצְנֶפֶת *Tiara*, *cidaris*, nomen habet ab *involvendo*, quia ea constabat ex fasciis, quae capiti obvolvebantur, prorsus ut ea capitis tegumenta, quae Turcae et Persae hodienum gestare solent, ab eis *Dulband* (unde *Turban*) dicta. Joseph. *Ant.* 3, 7, 3. *Super caput gestat pileum non fastigiatum neque totum caput incingentem, sed paulo plus quam medio super impositum; nominatur Masnaemphthes. Tali autem modo adornatur, ut corona esse videatur ex lineo texto instar fasciae crassae concinnata: etenim in orbem saepius replicatur atque consuitur.* אַבְנֵט est *cingulum*, *balteum*. Fuit longa fascia ex lana et lino contexta et opere phrygionico acu picta variisque floribus ornata (Vs. 8.) ad stringendam et cohibendam tunicam illam interiorem, כְּתֹנֶת dictam. Joseph. l. l. §. 2.: *Quam* (tunicam) *accinctam gerunt et constrictam paulo supra axillas zona lata digitos ferme quatuor, textu vero subinani, ut serpentis exuviae videretur. Flores autem intextos habet cocco et purpura, hyacintho atque bysso variegatos; at stamen ejus ex sola bysso. Et a pectore incipiens, atque semel ac iterum circumducta illic ligatur; et multa quidem defluit usque ad talos, quamdiu sacris non operatur sacerdos. — Cum vero sacrificare oportet, et altaris ministerium peragere,*

ne ab ea mota in opere impediatur, super humerum laevum eam rejicit.

6 — 8. אֵפוֹד fuit vestimentum breve *σχιστόν* et *ἀμάσχαλον* (manicis carens), constans duabus plagulis, quae in utroque humero fibulis aureis gemmatis nexae inde ad dimidias nates dependebant, quarum posterior tergum, anterior pectus et ventrem tegebat; infra axillas attexta erant duo lora, in utroque latere unum, quibus corpori tanquam cingulo adstringerentur plagulae. Joseph. §. 5.: *Super has* (vestes) *tertiam induit, vocatam Ephodem, epomidi Graecae similem. Fit enim hoc modo: texta est in profunditatem cubitalem ex variis coloribus auro intermixto, atque ita, ut medium pectoris intectum relinquat*, ut pectorale adponeretur ei loco. — 7. שְׁתֵּי כְתֵפֹת חֹבְרֹת *Duo humeralia juncta.* — 8. De verbis וְחֵשֶׁב אֲפַדָּתוֹ אֲשֶׁר עָלָיו dissentiunt interpretes, maxime ob vocem חֵשֶׁב. E veteribus Chaldaeus et Syrus eam septem iis locis, quibus occurrit, constanter verterunt *cingulum, taeniam;* Arabs Erpenii: *taenia;* Josephus §. 6. *ζώνη.* Eos plures e recentioribus sequuntur, et genuinum quidem sensum expressisse videntur, qui verba וְחֵשֶׁב — יִהְיֶה sic vertunt: *et cingulum amiculi ejusdem operis erit, ex ipso amiculo progrediens.* Nam אֲפַדָּה haud diversum ab אֵפוֹד putamus. Clericus putat vocem חֵשֶׁב semper significare *opus polymitarium*, hinc h. l. *texturam;* vocabula אֲפַדָּתוֹ אֲשֶׁר עָלָיו proprie sic esse reddenda: *Aphudae ejus quae praeter illud*, particulam enim עַל h. l. *praeter* notare, ut Gen. 31, 50. Lev. 18, 8. Num. 6, 20. Deut. 19, 9. אֵפוֹד hic dici *anteriorem partem*, quae pectus, אֲפַדָּה *posteriorem*, quae dorsum tegebat. Unde sic vertit: *Textura etiam partis oppositae, quae adjicietur, ex ipso erit ejusdemque operis.* Ita h. l. LXX. *Καὶ τὸ ὕφασμα τῶν ἐπωμίδων ὅ ἐστιν ἐπ᾽ αὐτῷ κατὰ τὴν ποίησιν ἐξ αὐτοῦ ἐστὶ ἐκ χρυσίου.* Et Vulgatus: *Ipsa quoque textura et ipsa operis varietas erit ex auro.*

9. 10. 14. וּפִתַּחְתָּ עֲלֵיהֶם שְׁמוֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Tum incides eis nomina Israelitarum.* Monet Michaelis, gemmarum sigillarium caelaturam mature in Aegypto inventam et jam diu ante Mosis aetatem in usu fuisse. Cf. Gen. 38, 18. 41, 44. Ab Aegyptiis hanc artem didicisse Israelitas; Mosem igitur etiam hoc loco aetati, qua scripsit, convenienter scripsisse apparere. — 10. כְּתוֹלְדֹתָם *Pro generationibus eorum*, i. e. pro ratione aetatis eorum. תּוֹלְדֹת hic notat ordinem nascendi. — 14. מִגְבָּלֹת plerique vertunt *determinationes* a גָּבַל *terminavit, fines descripsit*, intelliguntque catenas *determinatas et aptae longitudinis*, vel *aequalis longitudinis.* LXX. *κατεμεμιγμένα ἐν ἄνθεσιν admixta floribus*, quos sequitur Vulgatus, *sibi invicem cohaerentes.* Michaelis in *Suppll.* p. 251. putat מִגְבָּלֹת significare *crassitudinem*, ut catenae crassitudinis essent *catenae crassiores.* Verum vidisse Jarchium arbitror, qui catenulas illas מִגְבָּלֹת appellatas dicit, quod conjunctae essent ter-

mino, seu extremitati pectoralis: *ad finem termini pectoralis facies eas.* מַעֲשֵׂה עֲבֹת est *opus tortile*, *geflochtene Arbeit.* LXX. ἔργον πλοκῆς, quod eodem redit. עֲבֹת notat proprie *funem* torto cannabi constantem; quomodo solent argenteae aureaeque catenae fieri. וְנָתַתָּה וגו׳ *Adnectes catenas tortiles palis.*

15. 16. חֹשֶׁן *Ornamentum pectorale*, coll. Arab. حسن, *elegans*, *pulcher fuit*, in Conjug. 2. et 5. *ornavit.* חֹשֶׁן מִשְׁפָּט *judicii* vocatur pectorale, quia Pontifex maximus in dijudicandis gravioribus causis eo indutus esse solebat. — 16. כָּפוּל *Duplicatum.* Fuit igitur pectorale intus cavum instar marsupii. Videtur ideo duplicatum fuisse, ne facile laceraretur, quod fieri alias potuisset propter onus, quum ei tot lapides pretiosi, et tot fundae aureae, tot annuli et catenulae adhaererent. זֶרֶת est *spithama*, spatium maximum ab exporrecto pollice ad exporrectum digitum minimum *(eine Spanne)*, a זָרָה *spargere*, ut זֶרֶת proprie sit *sparsa*, i. e. *dispersis digitis*, *expansa manus.* Vulgatus habet *palmus.* Sed monet Michaelis *Suppll.* p. 654., Vulgatum *palmi* nomine latius usum fuisse, et spithamam quoque palmum vocasse videri, quum duplex sit latinorum palmus, minor, quatuor digitorum, major, spithamae aequalis, duodecim.

17 — 20. Quum harum gemmarum nomina linguae cognatae prorsus ignorent, incerta etiam sunt, quae eis substituantur. Antiquorum interpretum dissensus satis probat, eos tantum divinasse, hinc eorum versiones aeque incertae sunt ac recentiorum interpretum explicationes ex originatione tantum petitae. Copiose de his gemmis egerunt Braunius in libro laudato, Lib. II. c. 8. p. 627. sqq., et J. J. Bellermann *die Urim und Thummim*, *die ältesten Gemmen*, p. 36. sqq. אֹדֶם videtur esse *Sardius (Carniol)*, a rubore ita dictus, quia hic lapis est ruber. Consentiunt in hoc lapide veteres omnes. פִּטְדָה esse *topazium* satis probabile est. Quum autem duplex ejus species exstet, altera virens, altera flava (vid. Bellermann p. 38.), utra h. l. intelligenda sit, definiri haud potest. בָּרֶקֶת LXX. Josephus et Vulgatus *smaragdum* interpretantur. Habet ille lapis splendorem jucundum viridem; cf. Bellermann p. 40. — 18. נֹפֶךְ vetustissimi interpretes, LXX., Josephus, Epiphanius vertunt ἄνθραξ, *carbunculus*, quo veteres *rubinum* intellexisse videntur; cf. ad Ez. 27, 16. et Bellermann pag. 43. — De סַפִּיר cf. ad 24, 10. Michaelis tamen h. l. mavult intelligere *lapidem lazuli*, quod huic facilius quam Sapphiro nomina insculpi possent. יַהֲלֹם fuerunt, qui putarent, esse *adamantem.* Quod negat Michaelis, quamvis se non rectiora dare posse fateatur. Id tamen pro certo habet, quum adamas propter duritiem scalpturam non admittat, hanc gemmam plane non posse locum habere in numero harum gemmarum, quibus singulis singularum tribuum nomina insculpi debebant. Veterum interprr. pleriquc consentiunt in *onyche*, vid. Bellerm. p. 47. LXX. eo loco,

ubi jam in codicibus et exemplaribus nostris יַהֲלֹם legitur, יַשְׁפֵּה (ἴασπις) legisse videntur. — 19. לֶשֶׁם LXX., Josephus, Epiphanius, Hieronymus, Vulgatus reddunt *λιγύριον*, *λυγκούριον*, *lyncurium*, i. e. hyacinthum, qui colore variat., vid. Bellerm. p. 50. שְׁבוֹ esse *achatem*, satis probabile est, quum mirus in hoc lapide interpretum sit consensus. אַחְלָמָה est *amethystus*, consentientibus h. l. LXX., Epiph., Vulg., Hieron. Est lapis violacei coloris, et facilis scalpturis, vid. Bellerm. p. 55. — 20. תַּרְשִׁישׁ vetustissimi interpp. vertunt *χρυσόλιθον*, quem recentiores *topasum* vocant. Colore est e flavo viridi; vid. Bellerm. p. 60. sqq. Frequens est in Hispania, et ab hac patria sua nomen Hebraeum habet. Hujus gemmae color est viridis. Cf. ad Ez. 1, 16. — De שֹׁהַם vid. ad 25. 7. — יַשְׁפֵּה *jaspidem* esse, vix dubitare sinit nominis concentus. Haec gemma habet varios colores. Quae in Oriente invenitur, plerumque est lucida caerulea seu viridis, maculis sanguineis adspersa, et omnibus bonitate praefertur. Cf. Bellerm. p. 69. sqq.

25. 26. 28. אֶל־מוּל פָּנָיו *E regione faciei ejus*, i. e. parte anteriore. — 26. עַל־שְׂפָתוֹ וְגוֹ׳ *In ora, quae ad ipsum Ephodum vergit inferius.* Intelliguntur annuli ad Pectoralis inferiores angulos positi, ut ex iis pendens funiculus hyacinthinus a tergo sacerdotis reductus et humeralium annulis insertus contineret etiam illic pectorale, ut colligimus ex Vs. 28. — 28. וְלֹא־יָזוּחַ הַחֹשֶׁן מֵעַל הָאֵפוֹד *Ne dimoveatur pectorale ab Ephodo.* זָחַח enim coll. Arab. زح est 1) *impulit*, 2) *dimovit*, *removit loco.*

30. De *Urim* et *Thummim* multae et variae sunt sententiae, quas diligenter recensuit sciteque dijudicavit Jos. Lev. Saalschütz in Commentat., quae legitur in *den Historisch-theolog. Abhandll., Dritte Denkschrift* etc. editt. a C. F. Illgen p. 31. sqq. Nos opiniones notatu dignissimas breviter recensebimus. Spenzerus (*de Legg. Hebrr. rituall.* L. 3. Diss. 7.) multis probare studuit, Urim et Thummim idem fuisse ac Theraphim (cf. ad Gen. 31, 19.), id est, duas imagunculas diversas, sive idola, quae ad interrogata responderint; quum enim mos iste simulacra fatidica in dubiis consulendi longe lateque per gentes invaluisset, Deum, cui res fuisset cum populo contumacis ingenii, reliquisse ei veterem hunc ritum a Theraphim oracula petendi, et ipsum haec vere per illos edidisse. Braunius (*de vestitu sacerdotum Hebrr.* Amstel. 1698. 4. p. 606. 613. ed. 2.), cui adsentitur Jo. Joach. Schroeder (in Diss. erudita *de Urim et Thummim*, Marburg. 1744. 4.) et Dathius, ipsos illos lapides pretiosos nomine Urim et Thummim insigniri putat; praecipi enim in hoc Vs., ut lapides illi sint lucidissimi et perfectissimi, quum in antecedentibus iidem descripti essent secundum nomina sua et ordinem, quo in pectorali essent collocandi. Ex hac igitur sententia vox אור h. l. significat *splendorem*, et verba אוּרִים וְתֻמִּים vertenda *splendor perfectissimus.*

Maxime huic sententiae favere loca parallela, in quibus Moses promiscue utitur nomine *τῶν Urim* et *Thummim* et lapidum pretiosorum. Sic 39, 8. sqq. ubi tota illa structura pectoralis, quae fecerit, repetitur, nullam injici mentionem *τῶν Urim* et *Thummim*, et Lev. 8, 8. loqui Moscn de Urim et Thummim et silere de lapidibus. Quod ad modum attinet, quo Deus per haec Urim et Thummim responsa dederit, existimant illi, Deum summo pontifici Ephodo et hoc pectorali ornato, suam voluntatem revelasse ad eundem modum, quo prophetis, ita ut ille non minus atque hi de veritate responsi divini certi esse potuerint. J. D. Michaelis in notis ad h. l. et in *Jure Mos.* P. I. §. 52. P. VI. §. 304. inde, quod non describitur Urim et Thummim, colligi posse existimat, eam rem Israelitis jam notam fuisse, Urimque et Thummim fuisse tres sortes inde ab antiquis temporibus apud Hebraeos asservatas, quarum una affirmandi, altera negandi et tertia in neutram partem decidendi vim notamque habuerit; pectorale ideo instar marsupii comparatum fuisse, ut ei sortes illae injici possent. Sanctas has sortes potissimum in causis forensibus majoribus vel ad detegendum nontem vel ad dirimendam litem adhibitas fuisse, ut colligi possit ex Jos. 7, 13 — 21. 1 Sam. 14, 40 — 43. et in primis Vs. 41. in textu Hebraeo, Prov. 16, 33. 18, 18. Fuisse igitur Urim et Thummim mirabile *συγκαταβάσεως* divinae exemplum. Nobis quidem verisimile, Urim et Thummim nomen fuisse monilis sive gemmae diversae a ecteris pectoralis gemmis. Id enim postulare videntur verba: וְנָתַתָּ אֶל־חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט אֶת־הָאוּרִים וְאֶת־הַתֻּמִּים *pones ad* s. *super pectorale judicii Urim et Thummim.* Adpensa autem fuisse videtur ista gemma lapidibus illis, quibus nomina duodecim tribuum Israelitarum insculpta erant, ut indicetur, Pontificem Max. simul esse populi Israelitici supremum judicem, qui in rebus et causis gravioribus nomine Dei et ab eo edoctus decerneret. Hinc illa gemma sive illud monile nomen *lucis* et *integritatis*, i. e. perfectae veritatis, s. justitiae videtur habuisse. Philo *de vita Mosis* L. 3. p. 152. T. II. edit. Mang. simile quid videtur innuere: *Pectorale*, inquit, *quadratum*, *duplexque velut basis quaedam conficiebatur*, *ut duarum simulachrum virtutum gereret*, *declarationis et veritatis.* Gesenius quoque in *Lexico hebr. teuton. min.* s. v. אור, et De Wette *Lehrb. d. hebr. Archäol.* p. 237. arbitrantur, haec signa imagunculas fuisse inter duplicem (Exod. 28, 16.) pectoralis pannum insertas, quarum altera *doctrinam divinitus patefactam*, altera *veritatem* repraesentaret. *Deum per Urim et Thummim interrogare* significare videtur, qui Urim et Thummim gestabat, et qui hoc ipso, quod hoc judicis supremi signum gestabat, jus potestatemque habebat Deum consulendi, et ejus nomine decernendi. In pluribus antiquis rebus publicis sacerdotes simul fuisse magistratus constat, qui in omnibus gravibus et magni momenti rebus consulerentur. Eadem res adhuc hodie invenitur apud nondum satis exeultas gentes, ut apud Turcas, ubi

Pontifex Max. *Mufti* dictus in omnibus rebus gravibus consuli solet, et cujus responsum judicium proximum a lege loeum habet. Tota autem illa res a Mose ad exemplum Aegyptiorum instituta esse videtur. Apud hos Pontifex Max. simul fuit judex supremus, in cujus rei signum in pectore gestabat gemmam, cui erat justitiae imago inseulpta. Aeliánus *Var. Histor.* 14, 34: *Judices apud Aegyptios iidem quondam fuerunt qui et sacerdotes. In his princeps erat maximus natu, et in omnes statuendi jus habebat. Eum omnium hominum esse justissimum et sincerissimum oportebat, qui circa collum imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quae vocabatur Veritas.* Hine forsan faetum, quod LXX., homines Alexandrini, vocem תֻּמִּים h. l. vertunt *ἀλήθειαν*. Diod. Sic. 1, 3., ubi de Saeerdotibus Aegyptiorum disserit: *Ferebat praeses judicum circa collum ex aurea catena pendens signum pretiosorum lapidum, quod vocabant Veritatem. Inchoabant autem disceptationes, cum Veritatis imaginem adposuerat sibi judicum praeses.* Hebraei suo Urim et Thummim arcanum quoddam seriptum, peetorali inditum, cui nomen divinum fuerit insculptum fuisse judicant; vid. Saalschütz l. l. p. 91. Certe rem non ignotam tum temporis fuisse, colligi potest inde, quod Moses non deseribat pluribus Urim et Thummim. Quomodo vero Pontifex Max. eonsuluerit Deum, et quanam ratione is responsa dederit, eerto quidem diei vix poterit, haud tamen plane improbabilis est Saalsehützii (p. 104.) et Bellermanni (p. 22.) sententia, Pontifieem Max., hoe peetorali ornatum adytumque ingressum, se mentis viribus exeitatum et quasi divino quodam spiritu afflatum sensisse, ut quae ipsi tune oborientur eogitationes pro divinitus sibi impertitis haberet. עַל־לֵב אַהֲרֹן *Ad cor Aaronis*, i. e. ante peetus, e regione eordis, ut Vs. 29. — בְּבֹאוֹ לִפְנֵי יְהוָה *quando in conspectum Jovae venit*, i. e. si Sanctum Sanctorum ingreditur. וְנָשָׂא — עַל־לִבּוֹ *Et portet Aaron judicium filiorum Israelis supra cor*, i. e. peetus *suum*. Urim et Thummim vocatur מִשְׁפַּט *judicium* Israelitarum, quia Pontifex in gravibus eaussis non respondebat de jure aut jus diebat litigantibus, nisi indutus saeerdotali pallio et pretioso monili, de quo diximus. Sie *ζώδιον Ἀληθείας* apud Aegyptios ex Sacerdotis collo pendere debuit, antequam eognoseeret et jus diceret. „Belzonius nuperrime primum judieis supremi insigne in mumiae peetore inventum eum permultis aliis rebus antiquitatem Aegyptiorum illustrantibus in patriam suam duxit, quod Gesenius, eui in itinere ante aliquot annos in Galliam et Angliam faeto, omnia a Belzonio diligentissime congesta videre eontigit, hoe modo deseribit: est simillimum seutulo peetorali, quo militibus praefeeti solent ornari, duabus instructum ansis, quibus seutuli collo anneetendi eausa eatellae, ut videtur, aptae fuerant; non autem metallo quodam est confeetum, sed lapide viridi eodemque pretioso.“ Haec Hoffmann in *Observatt. in difficiliora V. T. loca* P. I. (Jenae 1813.) p. 23.

31. 32. מְעִיל, *Pallium*, erat tunica exterior talaris ex lana hyacinthini coloris, contexta, undique elausa et rotunda sine manicis, habens aperturam tantum, per quam caput immitteretur, cui limbus attextus erat ob firmitatem, et in lateribus duo foramina ad exerenda brachia; Joseph. *Ant.* 3, 7, 4. — 32. פִּי־רֹאשׁוֹ *Os capitis ejus* est foramen per quod caput immitteretur. LXX. *τὸ περιστόμιον ἐξ αὐτοῦ μέσον.* שְׂפַת יִהְיֶה לְפִיו סָבִיב מַעֲשֵׂה אֹרֵג לֹא יִקָּרֵעַ Foramen illud s. apertura *circumdetur limbo ex opere textoria, ne laceretur.* Limbus autem hic introrsum spectabat, ne exterius ulla eminentia apparerent, quod deforme fuisset. כְּפִי תַחְרָא יִהְיֶה־לּוֹ *Quemadmodum foramen loricae.* Intelligenda est loriea *linea*, quales in Aegypto fieri solebant. Ejusmodi fuit Aegyptii regis Amasis thorax, qui in Rhodiorum insula ostendebatur in templo Minervae, et cujus singula fila 365 filis constabant, ut auctor est Plin. *H. N.* 19, 1. Eundem ita describit Herod. 3, 47.; *Admiratione dignum reddunt* (hunc thoracem) *singula ejus fila, quae quum exilia sint, tamen singula in se tricena ac sexagena fila, et quidem evidentia singula habent.* Proxime antecedentia verba adtulimus ad 26, 1.

33. 34. עַל־שׁוּלָיו *Ad imam ejus partem.* רִמּוֹן esse *malum punicum*, s. *malum granatum*, nulla est dubitatio. Arboris genus est, foliis saturate viridibus, flore rosaceo, plurimis scilicet petalis in orbem positis constante, cujus calix campanae similis, multifidus abit deinde in fructum fere globosum, coronatum, in plura loculamenta divisum, acinis succi plenis foeta, placentae affixis, membranis tenuissimis distinctis, turgentibus semine oblongo. Radicibus innititur brevibus summae telluri adhaerentibus nec admodum numerosis. Nascitur frequens haec arbor in Aegypto, Palaestina et Arabia. Ad illorum malorum formam confecta esse debebant רִמֹּנִים in pallio Pontificis. פַּעֲמֹנֵי זָהָב בְּתוֹכָם סָבִיב *Tintinnabula aurea inter ea in orbem.* MICHAELIS conjicit, reges Orientis illis temporibus vestes eum tintinnabulis gestare solitos fuisse, ut eorum tinnitu significarent, se esse in propinquo, populumque recedere debere (vid. Vs. 35.); hinc fortasse ejusmodi tintinnabula facta esse symbola reverentiae locis sacris debitae. In tractatu Rabbinico (Targum Scheni Esth. 6, 10.) dicitur, reges Persarum ejusmodi vestes eum tintinnabulis habuisse. Praeterea usus tintinnabulorum in veste Pontificis et hic erat, coll. Sirac. 45, 11., ut populus prope atrium, vel in illo congregatus, de Pontificis introitu in Sanctum admoneretur, suasque preces cum precibus Pontificis conjungeret. — 34. Repetito פַּעֲמֹן זָהָב וְרִמֹּן *Tintinnabulum aureum et malogranatum*, significatur alternatim ponenda esse malogranata et aurea tintinnabula.

36. 37. צִיץ h. l. non est *flos*, ut Job. 14, 2., quomodo et hic quidam vertunt. Est potius proprie *micatio*. Dicebatur ita antiquissimis temporibus *diadema* illud, quale regum in Oriente

esse solebat, constans lamina aurea et ad eximium fulgorem expolita. Hoc diadema impositum cidari *cum splendore emicabat*, tanquam praeclarum eminentis dignitatis insigne. Pleniore phrasi dixerunt צִיץ נֵזֶר *micationem diadematis*, pro *diademate* in summo capite *emicante*, coll. 39, 30. Hinc נֵזֶר pro צִיץ pontificis substituitur 29, 6. Et Lev. 8, 9. haec vocabula ita conjunguntur, ut se invicem explicent. Sicuti Urim et Thummim significabat, Pontificem Max. etiam esse supremum judicem; ita illud diadema illius dignitatem regiam indicare debuit. — 37. אֶל־מוּל וגו׳ *Parti anteriori cidaris applicabis* (illam laminam); ad formam diadematis. Incubuit igitur lamina tiarae, ne illa ipsam frontem tangeret.

38. 40. קָדְשֵׁיהֶם — וְנָשָׂא *Et portabit Aaron iniquitatem sanctificationum, quas sanctificabunt filii Israel in omnibus donis sanctificationum eorum.* Sensus est: si quid in offerendo aut immolando minus rite factum sit, hoc quoque ab Aharone expiabitur. לְרָצוֹן לָהֶם לִפְנֵי יְהוָה *In benevolentiam ipsis coram Jova*, i. e. ut preces Pontificis et oblationes pro populo sint acceptae Deo, et ut populus, pro quo accedit sacerdos ad Deum, sit acceptus coram ipso. Loco primogenitorum Israelis consecrata erat Deo tota tribus Levis, atque hujus princeps quum esset Pontifex M., hic pro tribulibus suis etiam sacra facere censebatur. Itaque dum se Pontifex *Deo Sacrum* offerret, totus Israelis populus, *Sacerdotale regnum*, cujus ad Deum legatus erat Pontifex, sese numini veluti sistebat, et assiduitate in sacris faciendis gratiam ejus promerebatur. Tota autem haec res dijudicanda est ex notionibus tenuibus et imperfectis, quas de Deo habebat populus, qui omnia e sensibus metiebatur. — 40. בְּנֵי אַהֲרֹן sunt *reliqui sacerdotes*, quorum caput fuit Aaron, Pont. Max. מִגְבָּעוֹת LXX. hic vertunt κιδάρεις, Vulgatus *tiaras*. Joseph. *Ant.* 3, 7, 7. non distinguit מִגְבָּעוֹת a מִצְנֶפֶת ad formam quod attinet, sed tantum hyacinthino involuero. Non liquet satis, quomodo duo haec capitis tegumenta diversa fuerint. Hoc tantum est certum, מִצְנֶפֶת fuisse *tiaram* Pontificis, מִגְבָּעוֹת reliquorum sacerdotum.

41 — 43. מִלֵּאתָ אֶת־יָדָם *Implebis manus eorum*, i. e. trades eis muneris potestatem. Solemnis est illa phrasis Mosi ad significandam delationem muneris. Haud male conjicit Clericus, hanc phrasin fortasse petitam esse ab aliquo ritu antiquo Orientis, quo insignia muneris in manum eorum, quibus illud conferebatur, tradebantur. Apparet etiam ex 29, 24. sacerdotibus in eorum inauguratione instrumenta sacra a Mose in manus esse tradita. — 42. מִכְנְסֵי sunt *femoralia*, *braccae*, a כָּנַס *collegit*, quod circa corpus colligerentur femoralia, non diffluerent laxe ut tunica. LXX. περισκελῆ. Vulg. *feminalia*. Hieronymus dicit ea usque ad genua pertigisse, et superiorem partem sub umbilico vehementer fuisse adstrictam. Josephus l. c. §. 1.: *Primo quidem induit*

Manachasen, uti vocatur; idem enim denotat ac constrictorium. Est autem subligar circa verenda subtile ex bysso retorta contextum, pedibus in illud ingredientibus veluti in brachas. Scinditur autem supra dimidiam partem, et ad ilia desinens ligaminibus suis stringitur. — 43. וְלֹא־יִשְׂאוּ עָוֹן *Ne ferant peccatum*, i. e. ne poenas violatae legis luant.

9. *Ritus in sacerdotum consecratione observandi. Cap.* 29, 1—37.

Cap. 29, 1. 2. 5. דָּבָר h. l. sunt *ceremoniae*, quibus sacerdotes inaugurabantur. תְּמִימִם *integri*, *perfecti*, sine vitio, τελειοὶ, uti hac in re loquuntur Graeci. — 2. חַלֹּת sunt *placentae*, et quidem, uti videtur, *crassiores*; opponuntur enim רְקִיקִים *tenues*. מַצּוֹת בְּלוּלֹת בַּשָּׁמֶן significant placentas *oleo perfusas*, quae opponuntur placentis מְשֻׁחִים בַּשֶּׁמֶן *unctis oleo*, quibus manu et digitis infricatur oleum. Etiamnum Orientales placentas suas tenues oleo tingere et ita iis vesci solent. רְקִיקִים sunt *placentae tenues*, LXX. λάγανα. Legem hanc de placentis oleo perfundendis et ungendis J. D. Michaelis statuit pertinere inter eas, quas Moses eo consilio dederit, ut Israelitae culturam olearum summa exercerent industria, cf. ad 23, 19. Attamen quum nullo non tempore terrarum, quae ad Austrum et Orientem sitae sunt, incolae ad cibos parandos oleo uti solerent, nil mirum est, et ad placentas, quae inter sacrificia offerendae erant, oleum adhibitum fuisse. Oleum inter optimas Palaestinae dotes et olim erat et adhuc est. Vid. Ez. 27, 17. Salomo Regi Tyriorum quotannis viginti coros expressi olei misit, 1 Reg. 5, 11. Praestantiam illius laudat Hasselquist, oleum Palaestinense jucunditate saporis superare omnia olea aliarum regionum, et illi quoque, quod in *Provincia* nascitur, multo esse praeferendum affirmans. — 5. מְעִיל הָאֵפֹד *Pallium Ephodi* est pallium illud caeruleum, de quo 28, 41.

10. 13. וְסָמַךְ אַהֲרֹן וגו׳ *Imponent Aaron ejusque filii capiti juvenci manus suas.* Signum hoc erat, victimam locum subire offerentis. — 13. הַחֵלֶב הַמְכַסֶּה אֶת־הַקֶּרֶב *Adeps intestina tegens*, significatur id, quod Latini vocant *omentum*, Graeci ἐπίπλοόν. Est textura adiposa, quae involucri aut vestis instar tegit omnia abdominis viscera eorumque calorem conservat. יוֹתֶרֶת est *major hepatis lobus*, proprie *id quod superest*, *abundantia*, *additamentum*, coll. Arab. وتر *excedit*, *superfluit*. Idem est quod Arabes vocant زيادة *augmentum*, qua voce h. l. usos esse quatuor Pentateuchi interpretes Arabicos, testatur Bochartus, *Hieroz.* T. I. p. 562. Optime illud describit Avicenna, cujus verba ex versione latina sunt haec: *Et hepar*, inquit, *quaedam habet augmenta, quibus amplectitur stomachum et adhaeret ei. Quorum augmentorum maximum illud est, quod speciali nomine vocatur siada* (زيادة). *Huic autem fel incumbit, unde ad inferiora extenditur.* Hic adeps sive lobus est יוֹתֶרֶת, juxta renes

vel cum renibus auferendus et offerendus cum reliqua pinguedine. Hunc majorem lobum LXX. κατ' ἐξοχήν vocant τὸν λόβον τοῦ ἥπατος. — עַל h. l. non significare *super*, sed *ad*, res ipsa docet.

20. 22. Observant interpretes, sanguine sacrificii, de quo hic agitur, eas corporis partes expiatas esse, per quas plurima et maxima peccata patrari Hebraei putabant: auris, quae praecepta divina non admittit, manus, quae vetitum exequitur, et pes, qui viam malam ingreditur. Quod et innuit Philo *de vita Mosis*, L. 3. p. 157. T. II. ed. Mang.: *Ex hoc sanguine tres corporis partes eorum, qui sacerdotes inaugurantur, tangit ungens, summam aurem, summam manum, summum pedem, dextra omnia, quo denunciat eum, qui perfectus sit, et re et verbo et tota vita purum esse oportere; nam orationem auris dijudicat, manus nota est factorum, omnis in vita ingressionis pes.* — 22. אַלְיָה est *cauda crassa et adiposa ovis* vel *arietis*. Cognato voc. Arab., ut notat Golius in *Lexico* p. 145., non intelliguntur vulgares ovium caudae, ut in Europa nos habemus, sed quales in Orientis ovibus spectare est, quarum minimae 10 vel 12 libras pendent, nonnullae autem 40 libras pondere excedunt. Eas autem minutatim concisas liquant, et adipem in usus suos servant, vel ad condiendum inprimis frumentaceum cibum, vel etiam, ut in Persia et alibi, ad conficiendas candelas. Haec Golii descriptio firmatur pluribus antiquiorum et recentiorum testimoniis. Russel in *Historia Naturali Aleppensi* narrat, praeter oves nostris similes in Palaestina etiam esse ovium genus, quod caudam crassam 15—20 librarum habet; materiam hujus caudae inter adipem et medullam mediam esse, orientales solere eam vel carni macrae immiscere vel pani ut butyrum illinere. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 118. Hinc neminī erit mirum, quod Moses, qui in bovum et hircorum sacrificiis de cauda nil dicit, de ovilla tamen praecipit, quae apud nos tam parvi aestimatur. Vocem אַלְיָה LXX. nunc omittunt, nunc reddunt ὀσφύν, *lumbum*, quum tamen in Aegypto nec vox nec res ipsa ignota esse potuerit. Sed videntur interpretes illi existimasse vocabula Graeca οὐρὰ et κερκὸς, quae tantum caudam vulgarem denotant, non respondere voci אַלְיָה.

24. 29. Verba וְהֵנַפְתָּ אֹתָם תְּנוּפָה *et agitabis ea agitatione* Vulgatus vertit: *sanctificabis eos elevans coram Domino.* In qua interpretatione duplex peccatum; alterum, quod אֹתָם ad Aaronem ejusque filios retulit, quum tamen ad res antea memoratas sit referendum; alterum, quod הֵנַפְתָּ *sanctificabis* reddidit, quum הֵנִיף extra omne dubium sit *agitare*, et quidem, uti Hebraei observant, dextrorsum et laevorsum, antrorsum et retrorsum. Alia motionis species erat תְּרוּמָה, quae fiebat sursum deorsum (Vs. 27.), ita ut partes sacrificii Deo offerendae elevarentur, priusquam imponerentur arae. — 29. וּבְגָדֵי — אַחֲרָיו *Et vestes sacrae, quae*

sunt Aaronis, erunt filiorum ejus post eum, ejus nempe ex filiis, qui Aaroni in dignitate sacerdotali successerit (Vs. 30.). אַחֲרָיו hic valet i. q. בְּמוֹתוֹ *cum mortuus fuerit.*

31. 33. 36. בְּמָקוֹם קָדֹשׁ *In loco sacro*, i. e. in atrio tabernaculi. — 33. זָר h. l. denotat eum, qui non est sacerdos, ut Lev. 22, 10. Num. 17, 5. — 36. Verbum חִטֵּא in Pihel significat *expiare*, ubi de personis sermo est; *purgare* autem, *mundare*, *consecrare*, ubi de rebus, ut hic. Hinc LXX. *καθαριεῖς*. Immundum enim censebatur altare ex opificum manibus veniens; itaque plurimis victimis purgari et ita consecrari debebat.

10. *Sacrificium quotidianum. Deus promittit, se in hoc sanctuario gratiose affuturum esse Israelitis; Vs.* 38 — 46

40. 42. 43. עִשָּׂרוֹן *Decima pars;* nomen mensurae, fortasse עֹמֶר, cf. ad 16, 36. Ita et habent LXX. Num. 15, 4. *δέκατον τοῦ οἰφί.* הִין est mensura liquidorum continens 12 logos, *log* autem habet ova *sex*, ergo 72 *ova.* Sic Kimchius. Simonis in Lexico putat הִין fuisse *vasis* genus mensuram illam continens; sic apud Romanos *amphora*, *urna*, *congius*, *cyathus etc.* nomina *vasorum* fuisse et *mensurarum.* Joseph. *Ant.* 3, 9. ait הִין habere *δύο χοᾶς Ἀττικοῦς. Χοεὺς* autem, vel *χοῦς*, erat nomen vasis et mensurae liquidorum, aequalis congio; capiebat sextarios sex i. e. libras septem et sedecim semuncias. Ex Eisenschmidii computo הִין faciebat 337 digitos cubicos Parisienses. — 42. אֲשֶׁר אִוָּעֵד לָכֶם שָׁמָּה *Ubi vos conveniam*, i. e. hic erit locus statutus, ex quo oracula edam, et ad quem ad me concurratis. LXX. *ἐν οἷς γνωσθήσομαί σοι ἐκεῖθεν*, *in quibus innotescam tibi inde.* Pro לָכֶם videntur legisse לְךָ *tibi;* vel ita de industria posuerunt, propterea quod sequitur לְדַבֵּר אֵלֶיךָ שָׁם *ut loquar ad te ibi.* Praeterea pro אִוָּעֵד vel legisse, vel in animo habuisse videntur אִוָּדַע *cognitus ero.* At Vs 43. ubi in Hebraeo est; וְנֶעְבַּד שָׁמָּה לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל recte verterunt: *καὶ τάξομαι ἐκεῖ τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ*, *et praecipiam illic filiis Israel.* — 43. נִקְדָּשׁ בִּכְבֹדִי *Consecrabitur* ille locus *praesentia majestatis meae.*

11. *De ara suffitus, Cap* 30, 1 — 10.

Cap. 30, 1. 7. 9. Ara suffitus constabat ex asseribus, qui ita conjungebantur, ut formam altaris haberent. Imponebantur huic altari prunae ex vasculo effusae cum suffitu adolendo. Hinc illius focus, i. e. superficies arcae altaris (גַּג Vs. 3.) auro erat obducta. — 7. Duplici ex caussa suffimenta in sacris videntur adolita esse, tum ad reverentiam sacris conciliandam inter homines hujusmodi ritibus adsuetos; tum ad abigendum aut saltem minuendum tetrum nidoris odorem. Iisdem ex caussis, uti videtur, etiam apud alios populos ritus in sacris ille suffimentorum adolendorum erat institutus. Ita Aegyptii, quorum exemplum fortasse etiam

hac in re imitati Israelitae, in sacris suis quotidie utebantur suffimentis, ut testatur Plutarch. *de Iside et Osiride*, pag. 372. בְּהֵיטִיבוֹ אֶת־הַנֵּרֹת *Cum bonas fecerit lucernas*, i. e. si eas aptabit. LXX. ὅταν ἐπισκευάζει τοὺς λύχνους. Intelligitur adfusio olei et compositio ellychnii. — 9. קְטֹרֶת זָרָה *Peregrinum suffitum*, i. e. diversum ab eo, qui Vs. 34. sqq. describitur.

12. *De semisiclo in numeratione populi a singulis maribus in usum sacrarii solvendo*, *Vs.* 11 — 16.

12. 13. 15. 16. כִּי תִשָּׂא — לִפְקֻדֵיהֶם *Cum levabis caput filiorum Israelis secundum numeratos eorum*, i. e. cum recensucris summam Israelitarum. Haec recensio, uti Jarchi notat, non fiebat per capita, sed singuli dabant dimidium sicli, sive didrachmum, qui deinde numerabantur, atque ita e numero didrachmorum cognoscebant numerum civium. De phrasi שְׂאֵת אֶת־רֹאשׁ cf. ad Gen. 40, 13. — 13. כָּל־הָעֹבֵר עַל־הַפְּקֻדִים *Unusquisque qui transit inter eos*, *qui recensentur*. Jarchi ait moris esse, ut, qui numerant, eos, qui numerantur, alios post alios transire faciant; in hanc rem citat Lev. 27, 32. Jer. 33, 13. שֶׁקֶל *Siclus* ex Eisenschmidii computo erat aequalis 3 *drachmis* $68\frac{13}{100}$ *momentis* ponderis Coloniensis, i. e. floreno Saxonico. Sed ex computo Michaelis, qui omnia pondera Hebraica multo minora, quam vulgo dicuntur, fuisse putat, siclus acqualis fuit 6 grossis Saxonicis. Dimidia igitur pars Sicli faciebat 3 grossos Saxonicos. בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ *In siclo* secundum siclum *sanctuarii*. Indicatur siclus justi ponderis et puri argenti, qualis in Sanctuario servabatur, ut ceterorum norma esset. Vid. ad 38, 10. — גֵּרָה, quod proprie *fabam siliquae* videtur significare (coll. Arab. et Chald. גַּרְגַּר *granum*, *faba*), deinde indicat pondus minimum Hebraeorum aequale $5\frac{11}{100}$ *momentis* ponderis Coloniensis, sive $4\frac{62}{100}$ gran. ponderis Parisiensis. Quum pluribus antiquis gentibus *siliqua* (Graecis κεράτιον) fuerit ponderis minuti exemplar naturale (ad id enim egregie apta est siliquae faba, quippe magnitudine et ponderc semper prope eadem); Michaelis (*Supplemm.* p. 366.) conjicit, eadem ex re etiam Hebraeorum minimum pondus nomen accepisse, praesertim quum faba siliquae in Palaestina valde frequens esset. Plura vide in Michaelis l. c. et in Eisenschmidii *de mensuris et ponderibus* libro, p. 22. — 15, לֹא יַרְבֶּה *Nihil amplius dabit*, eo nempe nomine; alioqui nihil vetabat divites alia donaria ampliora offerre. — 16. וְהָיָה לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל לְזִכָּרוֹן לִפְנֵי יְהוָה *Et sit filiis Israel in memoriam coram Jova*, i. e. ut causa sit quamobrem recordetur Jova Israelitarum, iis propitius sit.

13. *Labrum aeneum in usum sacerdotum*, *Vs.* 17 — 21.

18. 19. כִּיּוֹר *Labrum* a figura rotunda sic dictum videtur, est enim Arabibus כור *quicquid rotundum est*. כַּנּוֹ interpretes fere vertunt *basin* aut *scapum ejus*, labri, quasi nomen כֵּן sit a

כּוּן deductum, quod in Conjugationibus derivatis *stabilire*, *firmare* significat. Sed Dagesch forte in כ, ut monet Dathius, innuit radicem mediae geminatae, non mediae quiescentis. Quare ei praeferenda videtur interpretatio Ludov. de Dieu (in *Crit. Sacr.* ad h. l.) et Clementis (*de labro aeneo*, Groeningae, 1732. Cap. 2.), qui, quum Arabibus כָּנַן *texit*, denotet, deductum inde substantivum *tegmen*, sive *operculum*, significare statuunt. Usus enim, inquiunt, cui hoc labrum destinatum fuit, necessitatem attulit, ut opercnlo tegeretur. Nam quum vas sub dio, non in loco tecto esset collocatum, aqua facile potuisset inquinari, nisi illud tectum fuisset. Deinde Moses, quoties hujus labri mentionem facit, inprimis in initiatione ejus et consecratione (Vs. 28. 31, 9. 35, 16. 38, 16. etc.), semper et τοῦ כֶּן meminit. Jam vero non apparere, cur hoc fecerit, si כֶּן *basin* vel *scapum* notat, isque scapus vel ea basis unam eum labro partem constituit. Quodsi vero separata et distincta ejus pars fuit, utique necesse erat, ut utriusque faceret mentionem. Verum utut speciose haec dicta sunt, tamen *operculi* significatio nullo modo quadrat loco Jes. 33, 23. ubi de mali navis basi כֶּן dicitur, neque illis locis, quibus *locum*, quem quis obtinet, dignitatem, indicare, dubio caret, veluti Gen. 40, 13. 41, 13. Dan. 11, 7. 20. 21. Retinenda itaque vulgo receptа illius nominis significatio, quam veteres omnes exprimunt. LXX. *βάσιν*, Chaldaei בְּסִיס, quod est ipsum Graecum *βάσις*. Nec obstat, quod כֶּן a verbo כָּנַן deducitur. Constat enim, verba geminantia mediam radicalem, et verba secundae quiescentis *Vav* significationes frequenter invicem mutuas sumere; vid. Gesenii *Lehrg.* pag. 369. et 453. — 19. *Pedes* etiam sacerdotes lavare debebant, quia nudis pedibus sacra faciebant, ac proinde sine tibialibus erant, pulveremque facile contrahebant incedendo. Nudis enim pedibus Hebraeos sacra fecisse, hinc colligi potest, quod in vestium descriptione nulla calceorum occurrit mentio. Cf. ad 3, 5.

14. *De praeparatione olei unctorii*, *Vs.* 22—33. *et suffitus aromatici*, *Vs.* 34—38.

23. מֹר est *myrrha*, ab Arab. מרר *fluxit*; manat enim ex arbore, quae in Arabia gignitur, et Acaciae est similis. Cf. Plin. *H. N.* 12, 15. מֹר־דְּרוֹר *myrrha libertatis*, s. *spontaneae fluxionis*, sponte fluens, est character naturalis myrrhae praestantissimae. Hinc bene LXX. *ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς*, et Vulgatus *primae myrrhae et electae*. חֲמֵשׁ מֵאוֹת *Quingentos*, sc. sielos. Alii, quibus hoc nimis multum videtur, intelligunt *quingentas geras*. Sed evaneseet haec difficultas, si cum Michaeli siclum accipimus minorem, quam vulgo dicitur. קִנְמוֹן esse *cinnamomum*, s. *canella Ceilanica*, multis probavit Celsius, l. l. P. II. p. 351. sqq. Nomen habet ab Arab. קנם *graviter oluit*. Est cortex arboris, quae crassitie et magnitudine aequat tiliam. Folia habet ata, instar citri semper virentia, caryophyllorum ferme odore,

trinervia et bina sibi semper opposita. Flores senis petalis albi, parvi, stellati, quibus succedunt glandes minutae olivarum forma. Radix camphoram redolet. Cinnamomum autem etiam in Arabia et Palaestina nascitur. Per בֹּשֶׂם voci קְנָמוֹן adjectum, indicatur *electum*, exquisitissimi odoris. קְנֵה־בֹשֶׂם proprie significat *calamum aromaticum*, s. *calamum κατ' ἐξοχήν* ita dictum, *Calmus*. LXX. *κάλαμον εὐώδην*. Conf. Plin. *H. N.* 12, 48. Calamum in suffitu adhibitum fuisse, refert Dioscorides L. I. c. 17. *Μίγνυται*, inquit, *μαλάγμασι καὶ θυμιάμασι πρὸς εὐωδίαν*. Plutarchus quoque (in Gryllo p. 990.) inter odoratissima, ex quibus componantur unguenta, calamum refert.

24. 25. קִדָּה plerique interpretes vertunt *casiam*, coll. Arab. קד *secuit casiam*. Virgas enim sive surculos casiae secari et longitudine 2 digitorum aut paullo ampliores *abscindi*, testatur Theophrastus *Hist. Plantar.* Lib. 9. c. 5. et Plin. *H. N.* 12, 43. Et is quidem illam plantam describit ita: *Frutex casia est, juxtaque cinnami campos nascitur: sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute verius quam cortice. Amplitudo frutici trium cubitorum. Color triplex; cum primum emicat, candidus pedali mensura: dein rubescit addito semipede, ultra nigricans. Haec pars maxime laudatur, ac deinde proxima; damnatur vero candida. — Probatur recens maxime, et quae sit odoris molissimi.* LXX. et Josephus, *Ant.* 3, 8. habent ἔρις (*Veilchenwurzel*, ut hanc vocem vertit Scheuchzer in *Physica sacra*, p. 368. epitom. Donatianae), quam plantam *nobilissimi odoris esse*, testatur Plin. 21, 19. *Iris*, pergit, *radice tantum commendatur, unguentis et medicinae nascens. — Caulem habet cubitalem, erectum. Floret diversi coloris specie, sicut arcus coelestis, unde et nomen. —* 25. רֹקַח מִרְקַחַת מַעֲשֵׂה רֹקֵחַ *Pigmentum pigmentationis, opus pigmentarii.* LXX. *μύρον μυρεψικὸν τέχνῃ μυρεψοῦ*, quod Vulgatus reddidit: *unguentum compositum opere unguentarii.* רֹקַח et מִרְקַחַת fere idem valent, nempe pigmentum ex diversis aromatibus confectum. רֹקֵחַ autem designat *pigmentarium*, artificem, qui istiusmodi pigmentum confieit. Jarchi dicit, omnem rem, quae eum altera miscetur, usque dum altera alterius odorem vel saporem attraxerit, vocari מִרְקַחַת. Ez. 24, 10. מִרְקָחָה usurpatur de mixtura aromatum, quae ad carnes condiendas adhibetur.

32. 33. עַל־בְּשַׂר אָדָם לֹא יִיסָךְ *Super carnem*, corpus, *hominis*, cujusquam, praeter sacerdotem, *non unget* scil. qui unecturus est, i. e. non ungetur. Vel intransitive capiendum: *non unget se*, ut cognatum סוּךְ (vid. Ruth. 3, 3. Dan. 10, 3.); cf. Gesenii *Lehrg.* p. 454. Neque igitur necesse est, ut cum Michaelii in *Suppll.* p. 1100. legamus יִסַּךְ, quod in 15 codicibus Kennicotianis exstat, sive, ut habet Samaritanus, יוסך, quod esset Hophal verbi נָסַךְ *effundere*, ut vertendum sit: *effundetur*. Prae-

terea יִסַּךְ 25, 29. et 38, 16. notat *obtegetur*. — 33. זָר hic, ut 29, 33.; cum denotat, qui non est sacerdos. Hebraeorum plures inde, quod qui tale unguentum imitando confecerit exscindendus dicitur, colligunt, unguentum, de quo hic agitur, semel tantum, nempe a Mose, fuisse confectum, ac in posteritatis usum asservatum. Propterea non sine miraculo accidisse volunt, ut unguentum hoc semel confectum tot per omnia secula unctionibus suffecerit. Quae sententia tamen idoneo argumento minime nititur. Quod enim Israelitae hic prohibentur istiusmodi unguentum conficere, ita intelligendum est, in profanum ac privatum usum numquam fuisse conficiendum.

34. סַמִּים sunt *aromata*, coll. Arab. שם *olfecit*. LXX. ἡδύσματα. נָטָף proprie *gutta*, deinde *κατ' ἐξοχήν* ita vocatur *liquor* aromaticus, admodum pretiosus, ex *myrrha et cinnamomo stillans*, quem Graeci vocant *στακτήν* (*στάζω stillo*). Dioscorides 1, 74. *Στακτὴν* vocari ait *pinguedinem recentis myrrhae, cum exigua aqua tusae, et origano expressae.* שְׁחֵלֶת LXX. verterunt *ὄνυχα*. Est autem ὄνυξ operculum conchylii, purpurae operculo simile; habetque odorem suavissimum. Dioscorides 2, 10.: *Unguis conchylii tegumentum est, ei simile, quo purpura integitur; quod in Indiae nardiferis lacubus invenitur; suavem ideo spirans odorem, quod conchylia inibi nardi pabulo vescantur. Colligitur posteaquam stagnantes aquae aestivis squalloribus inaruerunt. Laudatissimus qui a rubro mari defertur, candicans, pinguis. Babylonicus nigrescit, atque minor est. Ambo odoris gratia suffiuntur, sed aliquatenus castoreum olent.* Cum hac descriptione onychis prorsus consentit ea, quam dedit G. E. Rumph in *Amboinische Raritätenkammer*, p. 48. vers. germ., qui non in mari tantum Indico, verum in paludibus etiam et locis aquosis plures muricum species reperiri ait, operculis, sive unguibus, odoratis tectos. Arabes eos vocant *ungues odoratos*. Bochartо, qui (*Hieroz.* T. III. p. 798.) intelligit *bdellium*, gummi speciem, cui Plinius 12, 19. *candidos ungues* tribuit, quodque a Galeno vocatur *bdella onyx*, a Dioscoride ὄνυχι ἐοικὸς, opponit Rumphius, *bdellium* a veteribus ad unguenta non esse adhibitum; *onychem* autem *marinum* ab omnibus Orientis populis. Praeterea notat idem Rumphius, hoc conchylium in nostris officinis vocari *blattam byzantiam*. — חֶלְבְּנָה, quod in textu Samaritano scriptum הלבניה (הֶלְבְּנִיָּה enuntiandum), LXX. verterunt *χαλβάνην*, *galbanum*, quod est gummi seu resina grave olens, ferulae galbaniferae, in Syria et Arabia nascentis, initio coloris albidi, unde ex חֵלֶב *adeps*, hinc *gummi*, et לָבָן *albus* recte dici potuit. Vetus flavescit albicantibus tamen maculis distinctum. Quum autem galbanum sit mali odoris (quod et innuere videtur Hebraicum סַמִּים תּוֹ הֶלְבְּנָה adpositum, ita ut vertendum sit *acris odoris*, non, ut vulgo, *boni odoris*, Arab. שם enim de quovis odore ponitur); plures quaesivere, cur hoc suffitui sacro admixtum fuerit? Haud

improbabile est, hoc ideo factum esse, ut aromatum aliorum odorem acueret. Saepe enim accidere solet, ut gravcolentia eum suavcolentibus mixta suavissimum praebeant odorem. Cujus rei exempla attulit HILLERUS *Hierophyt.* P. I. p. 450., qui aliam praeterea attulit causam, cur suffitui admistum fuerit galbanum: videlicet quum galbanum sit medium inter resinarum et gummi genera, et aliorum aromatum odorem diutius continuisse; tradere enim Plinium *H. N.* 13, 1., adjici unguentis resinam et gummi ad continendum odorem in corpore; celerrime eum evanescere, si non sit haec addita; hinc galbanum etiam Mendosio, laudatissimo unguento, adjectum esse. Plura de galbano dabunt CELSIUS *Hierobot.* P. I. p. 267. sqq. et MICHAELIS in *Suppl.* p. 753. sqq. לְבֹנָה est *thus*, LXX. *λίβανον*, ita dictum a candore et albedine, optimum enim thus esse album, ipsi Arabes testantur, hinc additum h. l. זַכָּה *purum*, quod LXX. bene reddiderunt *διαφανῆ*, *pellucidum*. Vid. Plin. 12, 14. Est autem thus resina odorata stillans ex arbore quadam, cujus, quae sit facies, usque in hoc tempus ignoratur. Aliter eam veteres, aliter recentiores describunt. Pars veterum folio piri, minore duntaxat et herbidi coloris prodidere. Alii lentisco similem subrutilo folio. Quidam terebinthum esse, et hoc visum Antigono Regi allato frutice, ut tradit Plinius l. c. Garzias ab Orto humilem facit, folio lentisci, alteram montanam, a qua laudatissimum thus, alteram in planis nascentem, quae nigrum et improbum thus fundat. Patriam thuris esse Arabiam, ex multis librorum sacrorum et veterum et recentiorum scriptorum locis apparet. בַּד בְּבַד יִהְיֶה *Solum in solo erit*, quod LXX. reddunt *ἴσον ἴσῳ ἔσται*, Vulgatus: *aequalis ponderis erunt omnia*. Similiter Onkelos et Jonathan: *pondus in pondere erit*, quod Fagius sic explicat: aequalis ponderis erunt. Alios autem sic accipere ait, ut sensus sit: uniuscujusque pondus sit seorsim. Nescio tamen, annon praeferenda sit Aben-Esrae sententia, verba Hebraea hoc velle, unumquodque aromatum seorsim comminuendum, ac postea omnia inter se miscenda fuisse. Ceterum notatu haud indignum est, consuevisse et Aegyptios sacerdotes speciem aliquam aromatis, ex pluribus rebus compositi, quotidie circa occasum solis magno huic lumini mundi adolere, teste Plutarcho *de Iside*, p. 372.

35. 36. מְמֻלָּח *salitum*. LXX. *μεμιγμένον mixtum*, Vulgatus: *mistum diligenter*. Onkelos et Jonathan: *mixtum*. Sunt qui putent, interpretes illos subaudisse *sale*, quum *salire* et *miscere sale* idem sint. Recte vero Moses Mendelii fil. observat, voce מְמֻלָּח *salitum* denotante innui, suffitui sal Sodomiticum admiscendum fuisse, uti tradunt Talmudici, in *Cerithuth* fol. 6. col. a., ubi de praeparatione illius sacri suffitus agitur. J. D. MICHAELIS *de nitro Hebraeorum* §. 7. (in *Commentatt. per annos* 1758. *sqq. praelectt.* Brem. 1774.) verba מְמֻלָּח טָהוֹר קֹדֶשׁ vertit *salitum pure*, *sanctum*, statuitque, Hebraeos distinxisse, ut Aegyptii,

salem purum et impurum. Impurus eis sal *marinus*, purus autem *nitrum* (s. *Salpeter*), quod Aegyptii in sacrificiis adhibebant, teste Arriano *de Expedit. Alexandri M.* Lib. 3. p. 161. edit. Blancardi. De hoc nitro et nostro loco Mosen loqui putat Michaelis, et Lev. 2, 13., ad quem loc. vid. tamen not. Esse autem nitrum saliendo suffimento aptissimum, quippe cujus dissultu et ignis celerius et fumus latius spargitur. — 36. לִפְנֵי הָעֵדוּת *Coram lege*, i. e. arcae, in qua tabulae legis repositae erant, ex adverso.

15. *Opifices tabernaculi*, *Cap.* 31, 1 — 11.

Cap. 31, 3 — 5. De sensu phraseos רוּחַ אֱלֹהִים vid. ad 28, 3. בְּחָכְמָה וּבִתְבוּנָה וּבְדַעַת *Sapientia, et intelligentia et scientia.* Per hanc nominum synonymorum congeriem maxima dotum, quibus a Deo instructus fuit Bazaleel, copia significatur. — 4. לַחְשֹׁב מַחֲשָׁבֹת *Ad excogitandum excogitationes.* LXX. διανοεῖσθαι καὶ ἀρχιτεκτονῆσαι. Onkelos: *ad docendum artifices.* Jonathan: *ad excogitandum in cogitationibus suis quemadmodum operentur* rel. Vulgatus: *ad excogitandum quicquid fabrefieri potest.* Conjunxerunt nempe haec cum iis, quae sequuntur, לַעֲשׂוֹת וגו׳. Sed quum verba לַחְשֹׁב מַחֲשָׁבֹת accentu Athnach discernantur a sequentibus, res diversas significari apparet, nempe primo excogitare, et deinde quod excogitatum est exsequi. חָשַׁב hic est *solerter excogitare*, et מַחֲשָׁבָה *solers excogitatio*, seu *res solerter excogitata.* Ita etiam ista vocabula usurpantur Jer. 18, 18. Dan. 11, 24. 25., nisi quod iis locis in malam partem accipiantur. — 5. וּבַחֲרֹשֶׁת אֶבֶן לְמַלֹּאת *Et in artificio* s. *in sculptura lapidis ad implendum*, vel *inserendum*, i. e. in sculptura gemmarum insitivarum, de quibus 28, 17. sqq.

8. 10. וְאֶת־הַמְּנֹרָה הַטְּהֹרָה *Et candelabrum purum*, id sic appellatur, quod ex auro puro confectum esset, coll. 25, 31. — 10. וְאֶת־בִּגְדֵי הַשָּׂרָד LXX. explicant καὶ τὰς στολὰς τὰς λειτουργικὰς Ἀαρών, et eodem sensu Onkelos et Jonathan: *et vestes ministerii.* Videntur שָׂרָד significatione non diversum credidisse a שָׂרַת, quod ipsum h. l. legitur in textus Samar. libris editis, sed invitis octo codd. manu scriptis, nec in reliquis locis, quibus שָׂרַד occurrit, 35, 19. 39, 1. 41., textus Sam. ab Hebraeo discedit. Sed vestes, quibus dum sacra ministrabat Aaron, indutus esset, statim vocantur בִּגְדֵי הַקֹּדֶשׁ *vestes sacrae*, et a בִּגְדֵי הַשָּׂרָד disserte discernuntur. Rectum vidisse non dubito Jarchium, שָׂרַד esse vocem Aramaeam, et בִּגְדֵי הַשָּׂרָד eadem esse, quae סַרְדִין apud Onkelosum 27, 9. (ubi cf. not.), pro Hebraico קְלָעִים *aulaea*, et significari tam Tabernaculi aulaea, quam vela, quibus utebantur Levitae ad tegenda vasa sacra, dum ea bajulabant; cf. Num. 4, 7. 13.

16. *Interdicit Deus laborem sabbato suscipiendum. Tradit Mosi legis tabulas, Vs.* 12—18.

13—15. אַךְ אֶת־שַׁבְּתֹתַי תִּשְׁמֹרוּ *Attamen sabbatha mea custodietis.* Post descriptionem Sacrarii exstruendi repetitur praeceptum de sabbato diligenter observando, ne Israelitae existimarent, labores, quos rebus sacris impenderent, septimo die esse licitos. Sed his quoque abstinendum erat die sabbati. Hinc אַךְ h. l. est vertendum *verumtamen*, ut Gen. 34, 15. 2Sam. 3, 13. 2Reg. 23, 26. — 14. De phrasi וְנִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא מִקֶּרֶב עַמֶּיהָ cf. ad Gen. 17, 14. H. l. mortis poenam significari, vix dubitare sinit parallelum מוֹת יוּמַת Vs. sq. — 15. שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן *Sabbathum sabbathi* s. *quietis.* Additum שַׁבָּתוֹן vim intensivam habere videtur, ut innuatur die septimo maxime sabbathum esse, et plane nihil operis in eo faciendum.

16. 18. „In hoc Vs. difficultatem aliquam parit לַעֲשׂוֹת, quod alii vertunt *observando*, alii *celebrando;* ac בְּרִית עוֹלָם vertunt per Ablativum, *foedere perpetuo*, id est, לִבְרִית עוֹלָם, quod legitur Gen. 17, 7. 13, 18. et alibi. Nos cum Onkeloso et Arabe Erpen. לַעֲשׂוֹת propria significatione accipimus, ac עוֹלָם eodem Casu, quo אֶת־הַשַּׁבָּת, nempe Accusativo, vertimus: *Et observabunt filii Israel Sabbathum, faciendo Sabbathum in generationibus suis esse foedus perpetuum*, id est, faciendo ut numquam interrumpatur, sed sit alternum foedus per omnes ipsorum generationes.“ Ludov. de Dieu. — 18. לֻחֹת אֶבֶן *Tabulae lapidis*, i. e. lapideae. Antiquissimis temporibus leges perennitatis causa insculpi solebant tabulis aeneis, lapideis, ligneis etc. Cf. Iob. 19, 24. Arabes antiquissimis temporibus lapidibus inseulpsisse, quae ad posteritatem transmitti voluerunt, apparet ex hoc adagio apud Meidanium in *Proverbior. Arab. parte* edit. ab H. A. Schultens, p. 45.: *perennius quam quod lapidi inscribitur.* Ad quod adagium Ibn Mocri haec notavit: *Solebant Arabes Jemanenses sapientiae praecepta, uti longius conservarentur, lapidibus inscribere.* כְּתֻבִים בְּאֶצְבַּע אֱלֹהִים *Dei digito exaratas.* Quibus verbis indicatur legum sanctitas, atque adaugetur erga illas reverentia.

17. *Mose per tot dies absente populus ab Aarone postulat, ut imaginem Dei fingat, sub qua eum colat. Ille vitulum aureum fundit, cujus sacra celebrat. Moses hac de re certior factus a Deo redit e monte in castra, tabulas legis prae ira frangit, vitulum comminuit, et per Levitas de populo poenam sumit; tum vero pro eo apud Deum intercedit.*

Cap. 32.

Cap. 32, 1. 2. קוּם עֲשֵׂה לָנוּ אֱלֹהִים *Surge! fac nobis Deum.* Observat Clericus, quum abiisset Moses neque usquam cerneretur nubes, nisi fortasse in aliquo Sinais jugo, Israelitas sine dubio putasse, Mosem interiisse, neque Deum eis amplius velle leges ferre, sed eas ipsorum arbitrio relinquere; igitur sibi

jus esse credidisse, religionis formam constituere. Ante omnia Deum Israelis simulaero quopiam effingere voluerunt, ut viderant ab Aegyptiis numina omnia sub certis imaginibus coli. Cf. Deut. 29, 16. 17. Cum voc. אֱלֹהִים ob terminationem pluralem verbum (יֵלְכוּ) in plur. jungitur, ut Gen. 20, 13. 35, 7., ubi de verò Deo sermo est. Neque igitur h. l. *plures dii* intelligendi sunt, Aaron enim unum duntaxat vitulum fecit. אֲשֶׁר יֵלְכוּ לְפָנֵינוּ *Qui praecedat nos*, i. e. qui tanquam signum castris Israelitarum praeferatur, sicuti nubes praecedebat. — 2. פָּרְקוּ — וּבְנֹתֵיכֶם *Abrumpite inaures aureas, quae in auribus uxorum vestrarum, filiorum vestrorum et filiarum vestrarum.* Haud improbabilis est Jarchii conjectura, Aaronem, qui flagitantibus Israelitis non auderet resistere palam, existimasse, mulieres et pueros ornamentis suis haud libenter carere voluisse, ac interea, dum res protraheretur, Mosen adventurum fuisse; eos autem confestim, nulla interposita mora, ornamenta sua abrupisse.

4. Verba וַיִּצַר אֹתוֹ בְּחֶרֶט modo non uno exponuntur. Vel sic: *et formavit illum*, vitulum, *stilo* s. *caelo*, ut וַיִּצַר sit a צוּר *formare*, quemadmodum 1 Reg. 7, 15.: וַיָּצַר *et formavit (duas columnas aeneas)*; חֶרֶט vero eandem, vel non multo absimilem, gerat notionem ab ea, quam habet Jes. 8, 1., ubi *stilum*, γραφεῖον notat. Hoc sensu LXX. καὶ ἔπλασεν αὐτα ἐν γραφίδι, sequiturque magna interpretum pars. Obstat tamen huic interpretationi primum, quod Pron. אֹתוֹ (etsi Hebraei haud raro Pronomen nomini praemittant, vid. Jes. 8, 1.) vix possit ad עֵגֶל referri, quum Pronomen proxime sequentis וַיַּעֲשֵׂהוּ ad זָהָב, quod Vs. 3. praecessit, referendum esse, dubio careat, et ad idem illud nomen et אֹתוֹ referendum esse, nemini, verba מַסֵּכָה — וַיִּצַּק legenti obscurum esse potest. Quaenam enim narrationis series haec foret: *sumsit e manibus eorum* sc. aurum, *formavitque eum*, sc. vitulum, *stilo*, *fecitque illud*, sc. aurum, *vitulum fusum?* Alii quidem אֹתוֹ referunt ad זָהָב, et particulam ו ante וַיַּעֲשֵׂהוּ vertunt *postquam*, ita ut sensus sit: *formavit aurum* (tenuiora ejus lineamenta) *caelo*, *postquam vitulum fusum ex illo fecerat.* Verum caelo aut stilo, instrumento tenui et acuto, pro vitulo expoliendo et complanando nequaquam uti potuit Aaron, nam id lima fieri debet, vel scobina; caelo autem contrarium potius effecisset, ejusque cuspide vituli superficiem reddidisset inaequalem et fistulosam. Alii indicari volunt, Aaronem stilo vel caelo notas hieroglyphicas inculpsisse. Sed neque צוּר, neque cognatum יָצַר in V. T. notat *signa* quaedam, aut *characteres*, vel *figuras*, in aliqua materia *exarare*, sed constanter usurpatur pro *dare alicui materiae rudi formam quandam externam:* ut 1 Reg. 7, 15. Ps. 139, 5.: *Retro et ante* צַרְתָּנִי *formasti me.* Et Jes. 45, 9.: *An dicet lutum* לְיֹצְרוֹ *ei qui format ipsum?* Ut et 44, 9.: יֹצְרֵי־פֶסֶל *efformantes idolum omnes sunt vani.* Quod ipsum obstat inter-

pretationi MICHAELIS in vers. germ., vertentis *delineavit* stilo *(er machte mit dem Grîffel eine Zeichnung)*. Tamen idem Michaelis in *Suppl.* p. 917. mavult eos sequi, qui חֶרֶט vertunt *formam*. Ita Syrus *typus*, Arabs uterque *forma*, *in quâ*, s. *ad quam aliquid effingitur*. Hinc vertit Michaelis: *formavit formam* ligneam, *fecitque eam vitulum fusilem (Er machte ein Modell, und goss dieses ab)*. Sed merito BOCHARTUS *(Hieroz.* T. I. p. 342. edit. Lips.) illam *formae* notionem voci חֶרֶט tributam, *novam* vocat et *inauditam*. Additque, nihil necesse fuisse, ut de *typo* s. *forma* Moses ageret, quia ex hoc ipso, quod vitulum vocet *fusilem*, illum satis evidenter constat ex typo fuisse expressum. HEZEL (in Bibliis vernaculis a se Notis illustratis) vertit: *formavit*, s. *scalpsit id*, idolum, *caelo* vel *scalpro (er bildete, schnitzte es mit dem Meissel)*, scil. e ligno. Verbis autem, quae sequuntur, וַיַּעֲשֵׂהוּ עֵגֶל מַסֵּכָה, *fecit illud*, sc. quod e ligno scalptum fuit, *vitulum fusionis*, hoc significari ait: obducebat vitulum e ligno scalptum fusione auri, i. e. auro liquefacto. Verum simulacrum ligneum auro obductum Mosen vocare עֵגֶל מַסֵּכָה, ob radicis נָסַךְ significationem haud est verisimile. Ubi de ligno auro obducendo loquitur, utitur verbo צָפָה addito בַּזָּהָב, 30, 3. 5. — Probabillimam hujus loci explicationem proposuit BOCHARTUS, et commendavit SCHROEDERUS *de vestitu mulier. Hebr.* p. 288. חֶרֶט hic idem denotare sumunt, quod cognatum חָרִיט, 2 Reg. 5, 23., nempe *marsupium;* צוּר vero, uti et cognatum צָרַר, quoque notat *ligare*, vel *colligare*, in specie *in marsupio*, ut 2 Reg. 12, 11. Deut. 14, 25. Prov. 30, 4. Unde haec prodit loci interpretatio: *et sumsit a manibus eorum*, *et colligavit illud*, sc. aurum, quod ab *Israelitis acceperat*, *in loculo*, *et fecit illud vitulum fusilem*. In hunc sensum vertit Jonathan: *et colligavit illud in linteo* s. *sudario*. Eadem, quam hic Moses usurpat, phrasis habetur 2 Reg. 5, 23.: וַיִּצֹר *et colligavit duo talenta argenti* בִּשְׁנֵי חֲרִיטִים *in duobus loculis*. Hac interpretatione admissa totus textus facillime fluit, et Pron. אֹתוֹ ad verum suum subjectum (זָהָב) redit. Mirum quidem videri possit, idem voc. חֶרֶט res admodum diversas, *stilum* s. *graphium* Jes. 8, 1., et h. l. *marsupium* denotare, praesertim quum ad id designandum proprium nomen, חָרִיט habeant, 2 Reg. 5, 23. Jes. 3, 22. Sed fieri potuit, ut Mosis aevo חֶרֶט de *marsupio* usurpari soleret, quod serioribus temporibus nomine חָרִיט designaretur. — אֵלֶּה אֱלֹהֶיךָ וגו׳ *Hic est Deus vester*, i. e. simulacrum Dei, s. Jovae, *Israelitae*, *qui vos ex Aegypto eduxit*. Nomen et verbum in plurali posita h. l. rursus intelligenda esse de uno Deo, apparet e loco Neh. 9, 18. Israelitae non ipsum simulacrum pro Deo habebant, sed peccabant in eo, quod violabant legem illam 20, 4. Quare autem Aaron simulacrum Jovae vitulinum formaverit, non consentiunt interpretes. Satis verisimile est, Israelitarum simulacrum factum fuisse ad similitudinem Aegyptiaci alicujus idoli. Certe vitulos a Jeroboamo erectos

Aegyptiacae originis fuisse, apparet inde, quod rex ille, quum multos annos in Aegypto transegisset, Sesaco regi familiaris atque necessarius, 1 Reg. 11, 40., vitulis Aegyptiacis adsuetus, eosdem in Israelitarum sacra transferre animum induxit. Plures statuerunt, vitulum aureum, quem Aaron fudit, factum fuisse ad exemplum Apidis, qui erat bos, sub cujus specie Aegyptii sanctissime colebant Osiridem. Alii putant fuisse Typhonis simulacrum. Quae jam fuit sententia Philonis, et Hebraeorum quorundam recentiorum. Ita enim ille in libro *de temulentia*, T. I. p. 371. ed. Mang. *Praevaricari ausus est* (populus Hebraeus), *ut corpus Deum sibi fingeret, et Typhum Aegyptio more coleret, cujus signum erat juvencus aureus; circa quem choreas ducendo insani carmen concinunt.* Plura loca e Philone attulit Bochartus. Verum enimvero Typhonem, numen maleficum et odiosum, cui animalia impura et invisa dicata essent, symbolo bovis Aegyptios coluisse haud credibile est. Bovis imagine vero colebatur *Mnevis*, i. e. sol, ejusque cultum exitum Israelitarum ex Aegypto, ipsiusque Mosis aetatem antevertisse, probavit Jablonskius in *Panth. Aegypt.* L. 4. Cap. 2. §. 16., et refutavit eorum sententiam, qui vitulum aureum Apidis imaginem opinantur.

5. 6. 9. 10. חַג לַיהוָה מָחָר *Festum* erit *Jovae cras.* Diem festum Jovae celebrandum indixit Aaron, ne Israelitae sub vituli imagine numen quoddam fictitium colerent. — 6. וַיָּשֶׁב הָעָם וגו׳ *Dein populus sedit ad convivandum et surrexit ad ludendem*, i. e. ad choreas agendum, et ludieris se oblectandum, ut fieri solet diebus festis. Hoc festum vituli aurei eodem modo celebrabatur, quo festum Jovae. Nam etiam illud epulis sacrificalibus et saltationibus solebat celebrari; ex communi antiquorum populorum more. — 9. עַם־קְשֵׁה־עֹרֶף *Populus durae cervicis est.* Proverbiale de iis, qui non audiunt monentem. — 10. וְעַתָּה הַנִּיחָה לִי וגו׳ *Nunc vero sine me, ardente ira mea eos consumam; ex te autem magnam gentem orituram faciam.* Sistitur Deus, qui haud obscure innuit magnam deprecationis Mosaicae vim fore, tentare Mosem, utrum populi salutem magis appetat, an privati sui commodi studiosior sit.

16 — 18. וְהַלֻּחֹת וגו׳ *Et tabulae erant opus Dei, et scriptura erat Dei scriptura insculpta tabulis.* Quorum verborum sensus videtur esse hic, tam tabulas ipsas earumque formam, quam earum inscribendarum rationem provenisse ex divina institutione, qua usus sit Moses. חָרוּת pro חָרוּשׁ (cf. Jer. 17, 1.) Chaldaica forma. — 17. וַיִּשְׁמַע יְהוֹשֻׁעַ *Et audivit Josua*, qui paullo inferior in aliquo montis Sinai loco steterat, אֶת־קוֹל הָעָם בְּרֵעָה *vocem populi in vociferatione ejus.* ה in בְּרֵעָה est *loco* ו, ut Gen. 49, 11. עִירָה et סוּתָהּ pro עִירוֹ et סוּתוֹ. *Et dixit Mosi* e montis summo caeumine redeunti: קוֹל מִלְחָמָה בַּמַּחֲנֶה *belli clamor in castris* sc. auditur. In pugnis enim ad incutiendum hosti terrorem ab utro-

que exercitu clamores solebant edi. — 18. אֵין קוֹל — חֲלוּשָׁה *Non est vox clamandi fortitudinem, nec vox clamandi stragem*, i. e. non est strepitus, qualis esse solet vincentium, qui ob victoriam ovant, neque eorum, qui vincuntur, quae est vox calamitosa et tristitiae plena. קוֹל עַנּוֹת אָנֹכִי שֹׁמֵעַ sed *vocem cantandi ego audio*, i. e. vocem eorum, qui in honorem idoli cantant, qui laudem idoli celebrant.

20. וַיִּשְׂרֹף בָּאֵשׁ וַיִּטְחַן עַד אֲשֶׁר־דָּק *Et combussit* sc. vitulum *igne et contrivit, donec comminutum esset.* Pari ratione id exprimit Moses de se ipso loquens Deut. 9, 21. Quaeritur vero, primo quidem, quomodo Moses vitulum aureum combusserit, quum aurum posse comburi negent rei metallicae periti; deinde, quomodo in pulverem molendo contriverit, quum aurum molendo, vel atterendo, ab iisdem negetur in pulverem posse redigi. Quas quidem quaestiones R. Salomo Ben-Melech in *Michlal Jophi* ad h. l. hac interpretatione dissolvere studuit: *Verba* et combussit igne *explicanda sunt de liquefactione vituli ope ignis ad abolendam formam ejus, et posthaec contrivit lima incisuris plena; aurum enim comburi nequit, sed tamen liquari potest. Verbo* טָחַן *vero id ipsum, quod vitulum lima incisuris plena contriverit, significatur.* Ita et Saadias וַיִּטְחַן *limavit eum*, et Syrus *limavit eum lima* vertit. Bochartus quoque l. l. p. 362. „Verissimum est," inquit, „hunc vitulum a Mose non aliter combustum dici, quam auri illius fusione, ex quo conflatum fuerat. Quamvis enim vituli materia, id est, aurum, in igne non pericrit, tamen forma et species externa sic abolita est, ut hoc haberi potuerit pro vera combustione." De molitura autem vituli post pauca ita disserit: „Mosen verisimile est hac eadem ratione [sc. arte elimandi aurum] vitulum paulatim attrivisse, atque in scobem sic contudisse. Hinc *moluisse* dicitur, quia auri ramenta tam minuta fuere, quam quae in pistrino sunt commolita." Verum istam interpretationem, a recentioribus interpretibus fere receptam, Mosis verba vix admittant, qui si indicare voluisset, vitulum liquefactione dissolutum fuisse, procul dubio verbo נָסַךְ sive צָרַף usus esset, non verbo שָׂרַף, *comburere.* Et quum addatur בָּאֵשׁ *igne*, non aliud quid intelligi potest, quam aurum igne *calcinatum*, ut artifices loqui solent. Deinde טָחַן *molere* est, adeoque de ista comminutione, quae lima fit, exponi nequit. Quodsi vel maxime concedatur, contusionem ea voce innui, nihil tamen inde, quod illorum causam juvet, sequitur, quum, quo pacto aurum, nisi in calcem antea redactum ita contundi possit, ut in pulverem tenuissimum abeat, intelligi nequeat. Atque haec quum manifesta sint, simul vero et illud constet, solo igne, absque chemico quodam subsidio, liquefieri quidem aurum posse, nullo autem modo in pulverem redigi, artis hujus qualiscunque usum hic accessisse ut fateamur necesse est. Accedit, si alia quacunque ratione, limando, terendo, tundendo, aurum in particulas minutissimas redactum fuisset, non tamen im-

pediri potuisse, quo minus particulae istae statim fundum petiissent, adeoque non potuissent aquae inspergi, populoque ad bibendum exhiberi. Nihil vero obstat, quo minus apud Aegyptios jam tum usus aliquis artis chemicae esse potuerit, a quibus eam didicerit Moses. וַיִּזֶּר עַל־פְּנֵי וגו *Sparsitque in superficie aquae et bibendum praebuit Israelitis.* Sparsit pulverem in torrentem ex monte Chorebo defluentem, coll. Deut. 9, 21. Moses, uti videtur, coegit Israelitas combusti vituli cinerem bibere, ut illi ea re significarent, se prorsus abominari et damnare illius idoli cultum. Uti enim Aegyptii non potuissent majorem idololatriae suae detestationem significare, quam si animalia, quae adorabant, mactassent et comedissent; sic Israelitae, quum illud idolum comedere non possent, aquas pulvere ejus adspersas bibere debebant, atque ita cultum, quem ei exhibuerant, damnare.

22. 24. *Nosti hunc populum* כִּי בְרָע הוּא *quod in malo est*, i. e. pessimae esse naturae et conditionis, pronum ad malum. — 24. וָאַשְׁלִכֵהוּ וגו *Conjeci* (aurum) *in ignem et fiebat hic vitulus.* Haec tantum negligentius et crassius ab Aarone narrantur, quia modus, quo factus erat vitulus, nihil ad ipsum excusandum faciebat, et accuratior narratio fuisset fratris animum offensura.

25. *Vidit Moses populum* כִּי פָרֻעַ הוּא. Ad quae verba plerique interpp. substantivum aliquod (e. c. *gratiam*, *praesidium Dei*, alii *legem*) subaudiendum putant, quoniam פָּרֻעַ *nudatum* aut *spoliatum* vertunt, ut intelligatur, quanam re populus dicatur nudatus aut spoliatus. Praeferenda videtur interpretatio Dathii, intelligentis voc. פָּרֻעַ de populo *dissoluto*, qui frenis quasi detractis feriis istis celebrandis sese dedit; quod bene convenit iis, quae sequuntur, כִּי פְרָעָה אַהֲרֹן, *nam laxavit eum*, frena ei remisit, *Aaron*, qui populo concessit hunc festum *celebrare*, Vs. 5. Verba לְשִׁמְצָה בְּקָמֵיהֶם recentiores fere ita vertunt: *ad stragem per insurgentes in ipsos*, i. e. ut caedi posset, si qui contra eum surgerent; ut significetur, populum effrenatum, disgregatum et saltationes agentem, fuisse facilem in fugam verti et occidi, si qui in eum impetum facerent. Nomini שִׁמְצָה tribuunt *stragis* significatum ex Arab. שמץ *propellere*, *abigere violento impulsu*, hinc *percutere*, *verberare*. Veterum tamen nullus de *strage* cogitavit; sed consentiunt in *opprobrii*, *infamiae*, *ludibrii* notione, qua שִׁמְצָה capiunt. LXX. ἐπίχαρμα, *gaudium*, praesertim, quod quis ex inimicorum calamitatibus percipit (ut Sir. 18, 31. ποιήσει σε ἐπίχαρμα τῶν ἐχθρῶν σου), *ludibrium*, *irrisionem*. Hieronymus: *propter ignominiam sordis*, i. e. sordidi cultus, quasi compositum putarit ex שֵׁם *nomen* et צֵאָה *sordes*. Oukelos: *contaminando eos nomine pessimo*. Jonathan: *exiit fama eorum mala in populos terrae, et compararunt sibi nomen malum.* Syrus: *ut sint nomen foetidum*, i. e. ignominiae. Arabs Erpenii: *ignominiae*. Saadias: *infames* (eos reddidit Aaron).

Probabilis et cum interpretatione τῶν LXX. congrua est A. Schultensii sententia, שִׁמְצָה *ludibrium* notare, coll. Arab. שׁמע *lusit, risit, jocatus est*, in Conjug. 2. *ludibrio exposuit, risui habuit.* Hanc significationem potuit שָׁמַץ apud Hebraeos obtinuisse, unde Arabes שׁמע formaverint, uti pro חָלַץ *exuere*, חלע; literas צ et ע esse permutabiles, satis notum est. Irrisuri enim erant alii populi, populum antea idolorum spretorem, et mox a Numine inconspicuo leges accepturum, jam Aegyptiacam superstitionem revocare. Posset quoque hic esse sensus, Deum, qui praesidium et decus Israelitarum fuerat, effeceratque, ut fama et terror Israelis late spargeretur; jam vitulino simulacro alienatum, passurum a finitimis vinci fugarique, et omnibus ludibrio esse.

26. 27. מִי לַיהוָה *Qui est Jovae*, i. e. quicunque Jovae legem ab omnibus vult sancte servari. אָלַי *Ad me*, scil. veniat. וַיֵּאָסְפוּ אֵלָיו כָּל־בְּנֵי לֵוִי *Et congregati sunt ad eum omnes filii Levi.* Non ad unum omnes, sed *plerique* videntur intelligendi, uti et alias quandoque id quod maximae parti competit, in universum omnibus tribuitur. Neque enim *familia Aaronis*, ut credibile est, ad hoc facinus conjunxit manus; et quum tria tantum millia occubuerint gladio, quis putaret non multo plures fuisse interfectos, si *omnes filii Levi* arma corripuissent, et quisque fratrem suum occidissent, ut Vs. 27. jubentur. — 27. וְהִרְגוּ אִישׁ־אֶת־אָחִיו וגו׳ *Occidite quisque fratrem, amicum aut propinquum.* Videtur Moses velle hoc, oportere Levitas nemini ob consanguinitatem aut amicitiam parcere. Neque enim jubentur abstinere ab aliis, et solos consanguineos et amicos trucidare, quod injustum et crudele fuisset. Interficiebantur procul dubio tantum illi, qui ne per Mosis quidem praesentiam revocari poterant ab illis feriis.

29. 32. וַיֹּאמֶר in Plusquamp. vertendum: *dixerat* Moses. מִלְאוּ יֶדְכֶם הַיּוֹם לַיהוָה *Implete manum vestram hodie Jovae*, quae verba Jarchius bene exponit: *vos, qui interficitis illos in hac causa, initiabitis vosmet ipsos, ut sitis sacerdotes Deo.* Id Moses videtur voluisse, interfectionem illam idololatrarum quasi oblationem Deo gratissimam esse, ac Levitas ministerio isto Deo fore consecratos. Quae sequuntur, כִּי אִישׁ בְּבְנוֹ וּבְאָחִיו, recte exponit Aben-Esra: *etiamsi cultor ille* vituli *sit filius vel frater ipsius, eum tamen interficiat.* — 32. וְעַתָּה אִם־תִּשָּׂא חַטָּאתָם *Et nunc, si condonabis peccatum eorum*, הרי טוב איני אומר לך מחני *ecce! bene est, non dico tibi, dele me*, s. tunc vivere non recuso, uti recte Jarchi supplevit hanc ellipsin, quali nil est tritius Arabibus. Vid. de Sacy *Mémoire sur la version Arabe des livres de Moise à l' usage des Samaritains* in *Mémoire de l' Academie des Inscript. et belles lettres.* T. XLIX. p. 96. not., ubi pluribus de hoc loco egit, et similis ellipseos exemplum attulit e *Vita Timuri* T. I. p. 126. ed. Mang. Nec est illa ellipsis Grae-

cis inusitata, neque sacris (Luc. 13, 9.), neque profanis (*Il.* 1, 135.). מְחֵנִי נָא מִסִּפְרְךָ אֲשֶׁר כָּתָבְתָּ *Dele me ex libro, quem consignasti*, h. e. trade me morti. Deus nomina omnium viventium in libro scripta habere sistitur. Qui igitur ex hoc libro delebatur, is extinguebatur e numero viventium, i. e. moriebatur. Conf. ad Ps. 69, 29. Igitur Moses mori se potius optat, quam Israelitarum exitium videre.

34. 35. נְחֵה אֶת־הָעָם *Duc populum istum*, esto dux populi hujus ut haetenus fuisti. אֶל־אֲשֶׁר־דִּבַּרְתִּי לָךְ *Quo loquutus sum tibi*, eam in terram, in quam illum ducere tibi mandavi. מַלְאָכִי יֵלֵךְ לְפָנֶיךָ *Meus angelus te praecedet.* Conf. ad 23, 21. Promittit Deus, se velle rursus propitium esse Israelitis, eosque providentia sua tutos in Cananaeam perducere. וּבְיוֹם וגו׳ *Et in die visitationis meae*, i. e. cum animadvertam in scelera, quae patrabunt, *visitabo contra eos*, puniam, *peccatum eorum.* Recte videtur Jarchi hunc locum exponere, quasi dicat Deus, nunc tibi auscultavi, ne eos simul ac semel consumam; sed quotiescunque animadvertero in eorum scelera, poenas simul nonnihil sumam ob hoc eorum delictum. — 35. וַיִּגֹּף יְהוָה אֶת־הָעָם *Percussit Deus populum.* Sine dubio morte repentina multi sunt sublati. Nonnulli interpp. hanc eladem non diversam esse volunt ab ea, de qua antea narratum est. עָשָׂה in posteriore Vs. parte bis occurrens, priore in loco explicandum est de populi voluntate.

18. *Minatur Jova, non ipsum, sed angelum, ducem populi in posterum futurum esse. Quod luget populus, et Moses precibus avertere studet, tandemque a Deo impetrat. Optat Deum videre. Cap.* 33.

Cap. 33, 4. 5. 7. הַדָּבָר הָרָע est *tristis rei nunciatio.* — 5. רֶגַע אֶחָד אֶעֱלֶה בְּקִרְבְּךָ וְכִלִּיתִיךְ *Uno momento ascendam in te et te consumam*, i. e. parum abest, quin in te irruam et te deleam. — 7. וּמֹשֶׁה — כּוֹ אֹהֶל מוֹעֵד *Moses autem cepit tentorium et tetendit illud extra castra procul a castris, vocavitque illud tentorium conventus.* Sermo non est de tabernaculo a Jova imperato, quum id nondum exstructum esset. Mosis vero tentorium ideo non potest intelligi, quia Moses ipse e castris ad hoc conventus tabernaculum egrediebatur (Vs. 8.) et post habitum enim Deo colloquium rursus in castra redibat; itaque in castris habitasse intelligitur. Verisimile igitur est, quod Hebraeorum quidam statuerunt, Israelitas jam antea habuisse tentorium sacrum, s. templum portatile a majoribus traditum, quod Moses jam e castris per idoli cultum profanatis jussit efferri. Respicit ad illud, quod Vs. 3. dixerat Deus, se non amplius in medio castrorum commoraturum.

11—14. וְדִבֶּר יְהוָה — אֶל־רֵעֵהוּ *Loquebatur Jova cum Mose facie ad faciem versa, quemadmodum loquitur vir ad proximum suum*, alter cum altero. Indicat Moses his verbis familiarem con-

suetudinem, qua Deus cum est dignatus. נַעַר h. l. est famulus, administer. Dicitur enim 24, 12. מְשָׁרֵת. — 12. יָדַעְתִּיךָ בְשֵׁם *Novi de nomine tuo.* Locutio desumta a principibus, qui non omnes suos cives, sed paucos duntaxat norunt, qui ad interiorem familiaritatem admitti et apud eos gratiosi esse solent. Hinc LXX. οἶδά σε παρὰ πάντας, *prae omnibus te novi*, i. e. singulari benevolentia te prosequor. — 13. Sensus: si me gratia tua dignaris, indica mihi, quae sit tua circa hunc populum (qui certe tuus est) voluntas. Sic enim intelligam, te mihi favere. — 14. פָּנַי *Facies meae*, i. e. ego ipse. LXX. αὐτὸς προπορεύσομαί σου. *Facies* Regis interdum ipsum regem, prout a legatis distinguitur, significat, ut 2 Sam. 17, 11.

18. 19. הַרְאֵנִי נָא אֶת־כְּבֹדֶךָ *Ostende mihi gloriam tuam.* Quemadmodum כָּבוֹד saepius de *anima*, nobilissima hominis parte dicitur (cf. ad Gen. 49, 6.); ita et h. l. *gloria Dei* pro ipsa Dei *substantia* s. essentia satis probabiliter sumitur; ex more Orientalium, qui plura ejusmodi ex nominibus factitia pronomina pro *ipse* habent. Splendidam nubem, Dei imaginem, Schechinam, dudum viderat Moses. Jam vero, postquam a Deo petiisset cognitionem attributorum Dei, et ut populo propitius esse velit, responsumque a Deo de gratia populo exhibenda accepisset Vs. 13. sqq., ulterius progressus est et petiit: *Ostende mihi te ipsum* (LXX. quoque: ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν). Quod tamen fieri posse Deus negat, quamdiu Moses in vivis sit, Vs. 20. — 19. אֲנִי אַעֲבִיר כָּל־טוּבִי עַל־פָּנֶיךָ *Transgredi faciam omnem meam bonitatem ante te*, manifestabo tibi cognomina mea, ex quibus perspicue intelliges, quem animum, quos affectus erga homines geram; cf. 34, 6. Audita est vox, laudans Dei beneficentiam et misericordiam. וְקָרָאתִי בְשֵׁם יְהוָה לְפָנֶיךָ *Clamabo nomine Jova coram te*, i. e. dum te praeteribo, clamabo nominatim Jova, ut scias me eum esse, qui ante te transibit. Similis loquendi formula 31, 2. 35, 10. Jes. 43, 1. Ne te non animadvertentem transeam, monebo te clamore meo (34, 6.). וְחַנֹּתִי וְגו׳ *Ei faveo, cui favebo, et cujus me miseret, ejus misereor.* His verbis respondet ad verba Mosis Vs. 16., ubi gratiam Dei confirmari petierat, non solum erga se, verum etiam erga populum. Significat igitur, se non singulos e populo gratia sua dignari, et quod Moses petiit pro toto populo, restringit Deus ad beneplacitum suum.

20—23. כִּי לֹא־יִרְאַנִי הָאָדָם וָחָי *Neque enim videbit me homo et vivet.* Negativum adverbium quandoque priori propositionis connexae membro additur, quum posteriori addi deberet, et in priori simul est ellipsis particulae *si*, q. d. si conspexerit me homo, vivere amplius non potest. Conf. ad Genes. 16, 13. — 21. הִנֵּה מָקוֹם אִתִּי *En! locus* est *mecum*, i. e. habeo locum paratum in hac rupe, sive monte Sinai. — 22. וְשַׂכֹּתִי כַפִּי עָלֶיךָ עַד־עָבְרִי *Tegam te manu mea, donec transiero*; h. e. objecta nube, ne

splendore praefulgido excaeceris. — 23. וְרָאִיתָ אֶת־אֲחֹרָי *Et conspicies posticam meam partem*, qua videtur intelligi ea, quae nube erat obumbrata, ut a Mose posset spectari; פָּנַי autem, *facie*, anterior, qua splendor sine nube purus emicabat. לֹא יֵרָאוּ *Non conspicientur*, i. e. non possunt conspici. Si enim Futuro adjecta est negatio, saepe significatur id, quod non debet aut non potest fieri; ut Gen. 20, 9. 34, 7. Ceterum cf. illud *Iliad.* 13, 71. sq. de Neptuno discedente: *Vestigia quippe retro pedum et tibiarum facile cognovi abeuntis; facile utique dignoscuntur dii.* Et *Aeneid.* 1, 401. de Venere: *avertens rosea cervice refulsit.* Cf. C. G. Heynii *Excurs. ad Aeneid.* L. 1.

19. *Jubetur Moses novas parare legis tabulas et montem denuo ascendere. Videt ibi Deum, sed a tergo. Repetuntur leges nonnullae populo inprimis injungendae. Post illud cum Deo colloquium facies Mosis lucebat, quam propterea tegere solebat, si ad populum loquebatur.*

Cap. 34.

Cap. 34, 7. 9. 12. וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *Et impunitum dimittendo non dimittet impunitum*, i. e. qui quamvis clemens sit, et peccatorum poenas remittat, tamen non semper peccatorem impunitum dimittat; hunc enim sensum importat Infinitivus verbo finito junctus, ut Jes. 30, 19.: *flendo non flebis*, i. e. non *semper flebis.* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 779. נָקָה est *poena vacuum dimittere*, ut Jer. 25, 29. 30, 11. Loquitur Moses h. l. uti et Num. 14, 18. de justitia Dei puniente. — 9. Moses in hoc Vs. argumentum, ut solet dici, invertit: eam ipsam ob causam, quod populus pertinacissimus est, ei non angelo, sed ipso benignissimo Deo duce opus est. — 12. כָּרַת בְּרִית sequente לְ, ut hic, notat *precibus alicujus aequas pacis conditiones facere (einem Capitulation bewilligen).* Vid. Michaelis *Jus Mos.* P. I. §. 52.

13. 15. Templa Cananaeorum non memorat Moses. Cananaei enim illis temporibus nondum templa videntur habuisse. Id quod est indicium summae antiquitatis librorum Mosaicorum. — 15. וְזָנוּ אַחֲרֵי אֱלֹהֵיהֶם *Et ne scortentur post deos eorum.* Hac phrasi quidam proprie indicari putant impudicum cultum, quem Cananaei nonnullis deorum suorum exhibebant, ut Astartae, vid. 1 Reg. 14, 23. 2 Reg. 23, 7., unde זָנָה ad omnem idolorum cultum translatum fuerit, si etiam sine cultu impudico est. Sed rectius alii statuunt, idololatriam ideo scortationi comparari (cf. Hos. 1, 2. 3. Ez. 23. et in Apocalypsi saepius), quia Deus impatiens sit socii (20, 5.), atque sincerum amorem puramque ac intemeratam fiduciam et reverentiam postulet.

18—21. אֲשֶׁר pro כַּאֲשֶׁר. Hinc LXX. καθάπερ. — 20. Lex de asinis, quos ditiores Israelitae magna copia alebant, videtur etiam valere de camelis, quorum greges itidem a ditioribus ali solebant. Ad alia vero animalia impura, quorum greges non ale-

bantur, ut feles, canes etc. lex non videtur extendi posse. — 21. בֶּחָרִישׁ וּבַקָּצִיר תִּשְׁבֹּת *Etiam messis et sementis tempore septimo die feriemini.* Ejusmodi lex in nostris regionibus iniqua et perniciosa esset. Sed non item in Palaestina, ubi per septem hebdomades messi destinatas continua est coeli serenitas, collectioni frugum perquam opportuna, quae Jer. 5, 2. 4. ut insigne Dei beneficium memoratur. Quam inaudita et plane singularis tempestas ac pluvia messis tempore in Palaestina fuerit, apparet ex 1 Sam. 12, 17.

22—26. Cf. ad 23, 16—19. Pro תְּקוּפַת הַשָּׁנָה in *revolutione anni* (Vs. 22.), supra 23, 16. est בְּצֵאת הַשָּׁנָה *in exitu anni.* Sive principium anni sequentis intelliges, sive finem praesentis, idem est; nam finis unius anni est principium alterius.

24. וְלֹא־יַחְמֹד אִישׁ וגו׳ *Neque concupiscet quisquam terram tuam, quum ascendes, ut compareas coram Jova Deo tuo tribus vicibus in anno.* Quae J. D. Michaelis in *Jure Mos.* P. I. §. 65., non ita existimat intelligenda, quasi per miraculum hostes Israelitarum fuerint impediti, quo minus illorum agros invaderent eo tempore, quo omnes mares Israelitae Hierosolymae convenire debebant; sed videri vicinorum Israelitis populorum morem fuisse, ut illo tempore inducias observarent, quemadmodum priscis Arabibus certi quidam menses erant *vetiti* sive *sacri* vocati, quibus excursionibus abstinerent, et hastis spicula eximerent. Plura tamen illi sententiae opposuit KANNE in *den bibl. Untersuchungen* P. II. p. 191. sqq. Aben-Esra ait, Deum verbis illis promittere Israelitis, se tantum terrorem immissurum esse vicinis, ut ne quidem sint expetituri terram Hebraeorum, etiamsi belli faciundi cupido eos incesserit. Similiter auctor Commentarii, חזקוני *Chaskuni* dicti, putat, fore, ut gentes vicinae, quo minus Hebraeos in festis suis celebrandis occupatos adorirentur, hac prohibeantur cogitatione, quum Hebraeorum Deus expulisset incolas priores, qu fortissimi fuerant, multo minus se illud consequuturos, ut Hebraeos expellant eorumque terram subigant, dum in cultu Deo suo praestando sint occupati.

29. לֹא־יָדַע כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו *Ignorabat, quod splenderet cutis faciei ejus.* Vulgatus: *ignorabat quod cornuta esset facies sua*, quia קָרַן denominativum nominis קֶרֶן *cornu*, opinatus est denotare, *cornua habere;* hinc nata opinio, Mosis faciem fuisse cornutam. Sed קָרַן ob similitudinem et ad *radios* transferri, docet locus Habac. 3, 4., ubi קַרְנַיִם de fulminibus dicitur. Arabes quoque solis exorientis radios قَرْن الشَّمْس *cornu dorcadis* vocant, vid. ad Ps. 22, 1. Hinc קָרַן hic denotat, *emisit radios*, i. e. splenduit. Quod et additum עוֹר *cutis* suadet. Recte LXX. *οὐκ ᾔδει, ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ.* Hoc indicatur, Mosis vultum ex familiari eum Deo consuetudine, et divinae lucis adflatu splendidum factum fuisse, ad convincendos

Israelitas de colloquio Mosis cum Deo. Tribuunt quidem et Judaei Mosi cornua, sed loquuntur figurate, eaque appellant *cornua gloriae* ad indicandam Mosis auctoritatem; cf. Job. 16, 15. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 85.

33. וַיְכַל מֹשֶׁה וגו׳ *Quum autem absolvisset Moses cum iis loqui, posuit super faciem suam velamen.* מַסְוֶה veteres omnes raro consensu *velamen, operimentum faciei* interpretantur, quem significatum et res ipsa flagitat, etsi etymon obscurius sit, et nomen ipsum praeter hunc Versum et eos, qui proxime sequuntur, in V. T. non recurrat. Jarchi ait, מַסְוֶה esse vocem Aramaeam, quod et in Gemara *velaminis faciei obducti* significatu occurrat. Ceterum nonnulli hunc locum male sic reddiderunt: *quando Moses ad eos loquebatur, velamen faciei suae imposuit:* quum tamen ex hac narratione manifestum sit, Mosen dum cum Israelitis loqueretur, velamen deposuisse, quod utique necesse erat, ut loquentis verba percipere possent. Neque, quod illi putarunt, in loco Paulino 2 Cor. 3, 13. dicitur, Mosen, *dum loqueretur cum Israelitis*, vultum velasse, sed in universum, faciei suae velamen impositum habuisse, quod, uti e nostro loco liquet, non removit nisi tum, cum vel tabernaculum ingrederetur, cum Deo colloquuturus, vel quae ab eo mandata accepisset ad populum referret. Cf. Vs. 35. Quod vero Moses, nisi illorum alterutrum fieret, semper capitis involucro tectus suis se conspiciendum praebuit, forsan minus insoliti quid fuerit, quum et multis post Mosen seculis primae dignitatis in Oriente viros vultu velato prodire et conspici solitos esse, discimus e libro Arabico, qui *Rihhan-olalbabi*, i. e. ocimum cordium inscribitur. Ex eo Reiskius in *Annotatt. historicis ad Abilfedae Annales Moslemm.* T. II. p. 639. haec attulit, quae ex Reiskii versione huc transscribere operae pretium duco. „Solebat Salama dhu-Faieseh (quidam Arabiae felicis quondam regulus), singulis annis semel se suo populo monstrare, sed et tunc in *Kenaa*, vel in *Letham*. Est vero *Kenaa* tegmen capitis (verticis et frontis) et vultus (oculorum, oris et menti) simul, viris in usu. *Letham* autem est velamen oris tantum. Ait Amru Bahhri fil., Laithita: *Kenaa* est insigne praecipuorum virorum. Luculentum argumentum est, quod apostolus Dei conspectus numquam fuerit nisi cum Kenaa. Legitur in Traditionibus (tantum fuisse fulgorem lucis propheticae, quae ex ejus capite emanaret), ut ea pars vestis ejus, quae caput ejus (verticem et frontem) attingeret, esset ut corium rubrum olco nitens. Ita quoque illi duo celebres Jemanenses, Mokanna [i. e. *qui involucro capitis Kenaa dicto indutus est*] Kendita, et Vadach-el-Jemen [i. e. lampas Arabiae felicis] nunquam conspiciebantur in conventibus populorum, nisi Kenaa velati."

34. 35. וּבְבֹא מֹשֶׁה לִפְנֵי יְהוָה *Et cum veniret Moses coram Jova*, i. e. cum tabernaculum sacrum ingrederetur, illud videlicet,

de quo 33, 7. — 35. וְרָאוּ—עוֹר פְּנֵי מֹשֶׁה *Et viderunt filii Israel faciem Mosis* sc. apertam, dum ad eos referret, quae Deus ipsi mandasset (Vs. 34.), *quod splenderet cutis faciei Mosis.* וְהֵשִׁיב וגו׳ *Tunc*, cum loqui desiisset (Vs. 33.), *reducebat velamen super faciem suam*, *donec ingrederetur* tabernaculum *ad loquendum cum eo*, Jova, ubi auferebat velamen, Vs. 34.

Pars Tertia.

Exponitur Tabernaculi sacri ejusque vasorum fabricatio. Cap. 35—40.

1. *De observanda feriatione die septimo, et quae ad Sanctuarium exstruendum a populo sint offerenda. Ea certatim conferuntur. Duo potissimum rerum sacrarum opifices nomine appellantur. Cap.* 35.

Cap. 35, 2. 3. 11. Recte Jarchi et Aben-Esra observant, Mosen, antequam de exstruendo Tabernaculo praeciperet, repetere legem de Sabbato observando, ut indicaret, *opus istud haudquaquam Sabbathum pellere*, uti Jarchi loquitur, id est, ob opus istud Sabbathum minime esse violandum. Conf. ad 31, 13. — 3. *Ignem in aedibus vestris die Sabbati ne accendite*, se. ad cibos parandos. Quae lex, ut aliae a Mose traditae, Palaestinae tantum nec omnibus regionibus est apta. Scilicet in regionibus calidioribus *coena* ordinarium epulum esse solet. Judaei igitur, qui diem a vespera ad vesperam numerabant, die hebdomadis sexto paullo ante sabbati initium cibos parare adeoque coena frui, statimque post sabbati finem novam coenam instruere poterant igne accenso. Non videtur haec lex vetare ignem ad frigus depellendum incendere. Vid. Michaelis *Jus Mos.* P. IV. §. 187. Ex hac igitur quoque lege, sicut ex ea, quae 34, 21. est data, satis apparet, leges Mosaicas non esse datas omnibus populis et regionibus. Cf. ad 20, 1. — 11. אֶת־הַמִּשְׁכָּן אֶת־אָהֳלוֹ *Tabernaculum*, *tentorium ejus.* Notat Jarchi, per מִשְׁכָּן intelligi cortinas interiores, quae intra tabernaculum conspiciebantur, per אֹהֶל vero cortinas ex pilis caprinis confectas, quae alteras tegebant. Vide et 36, 14. — וְאֶת־מִכְסֵהוּ *Et tegumentum ejus*, sc. exterius, quod e pellibus arietum et τῶν תְּחָשִׁים constabat; vid. 36, 19.

22. חַח est annulus, quem ornatus caussa Arabes aliique Asiatici, feminae praecipue, ex naribus perforatis pendentem gestare solebant; cf. ad Gen. 24, 22. — כּוּמָז, coll. Arab. كمذة *conglobata massa*, videtur fuisse genus ornamenti muliebris, habens continuos globulos; quale ornamentum Romani vocabant *bullas*, et Virgilius *baccatum monile*. „Videntur Israelitis non pauca

superfuisse de prisca majorum eaque haud exigua opulentia, quam identidem auxerint in Aegypto, ubi vexabantur quidem posterioribus temporibus, non vero excutiebantur, aut ad paupertatem redigebantur, imo in re satis lauta vivebant, Ex. 16, 3. Num. 11, 5. Iidem abitum parantes multas magni pretii res ab Aegyptiis impetraverant (3, 21. 22. 11, 2. 3. 12, 35. 36.), quas probabile est Israelitas non mutuo quidem petiisse, sed ita petiisse ut eas se reddituros esse non diserte promitterent, Aegyptios vero haud reeusasse, sive hospites absolutis sacrificiis redire velle existimarent, seu semel liberos nunquam reversuros esse suspicarentur; dedisse autem alios ob contractam amicitiae consuetudinem, alios ut benevolentiae, quam sibi constantissima diuturnae servitutis patientia conciliassent Hebraei, documenta quaedam praeberent, plurimos vero ob metum potentissimi Numinis illis propitii, sed sibi valde infensi, quod istis muneribus quodammodo placaretur, eumque multa in Aegypto relinquerent Israelitae, quae secum in itinere ferre non possent, ac domos praesertim, quas condidissent, his rebus satis compensata fuisse dona, quae iis rogantibus dedissent Aegyptii. Neque incredibile est, Israelitas multa ex Aegyptiorum mari submersorum spoliis, quae ad litus impellerentur, petiisse. Denique haud defuisse iis videntur, quae institutis commereiis cum gentibus quibusdam ad sacros usus converterent.“ J. H. Pareau *Antiquitas Hebr. breviter descripta* (Traj. ad Rhen. 1817.) pag. 93. et p. 14. 15.

2. *Opifices operas suas partiuntur, et absolvitur Tabernaculum, quod iisdem verbis, quibus Cap.* 26. *hic iterum describitur Cap.* 36.

Cap. 36, 8. Inde ab hoc Vs. usque ad Cap. finem, atque Capp. 37. 38. 39. partes in Graeca Alex. versione inter se ita sunt permixtae et hic illic mutilatae, ut Hebraei textus ordini plane non respondeant. De qua confusione disseruit et de illius causa inquisivit J. E. Grabe in Diss. *de vitiis LXX. interpp. versioni ante Origenis aevum illatis* (Oxon. 1710. 4.) Cap. 1. §. 6. 7. Conf. Grabii Notas ad h. l. in editione sua Vers. Graecae T. I. p. 173. ed. Breitinger.

3. *Describuntur iterum, quae supra Capp* 25. 30. *et* 27. *descripta erant, arca sacra, mensa, candelabrum, altare suffitus, oleum suffitus, et altare holocaustorum. Cap.* 37 — 38, 7.

4. *Describuntur iterum labrum aeneum et atrium aulaeis cinctum, Capp.* 30. *et* 27. *descripta; item auri, argenti et aeris pondus in sacra instrumenta absumtum. Cap.* 38, 8 — 31.

Cap. 38, 8. *Fecit quoque labrum aeneum basinque ejus aeneam ex speculis mulierum per vices ministrantium ad ostium tabernaculi conventus.* ב ante מִרְאֹת valet מִן *ex*, quomodo eadem illa Praepos. usurpatur Lev. 8, 32.: *et quod reliquum est*

in carne et in pane, i. e. ex carne et ex pane, uti exprimitur Lev. 7, 17.; vid. et Lev. 14, 18. coll. cum Vs. 29. Recte igitur LXX. verterunt ἐκ τῶν κατόπτρων, et Jonathan *ex speculis*. Ex omnibus fere metallis speccula olim facta sunt. Moris autem fuisse Aegyptiarum feminarum, quas imitatae sint Israelitides, speculum gestare cum templum adirent, probavit Clericus hoc Cyrilli loco in ejus *de adorat. in spir. et verit.* L. 2. p. 64. ed. Paris.: *Mos ergo erat Aegyptiorum praesertim mulieribus, si templa adirent, linea veste ornari, speculo sinistram, et sistro dextram, religiose decorari; quae omnium electissimae erant, et sacris initiatae vix hunc honorem obtinebant.* Ad הַצֹּבְאֹת subaudiendum esse הַנָּשִׁים apparet e 1 Sam. 2, 22., ubi, ut hic memorantur הַנָּשִׁים הַצֹּבְאֹת פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד *mulieres quae veniebant ad obeundam vicem ad ostium tentorii conventus.* צָבָא non simpliciter *agminatim convenire* notat, sed per vices advenire ad ministeria obeunda, coll. Num. 4, 23. 8, 24., ubi dicitur de Levitis in tabernaculo sacro ministeria obeuntibus, quia perinde ut milites certum ordinem et tempus observare tenebantur. Onkelos: *mulieres quae veniebant ad orandum.* Expressit sensum, qui hic ei subesse videbatur, et צָבָא cepit hoc significatu: *turmatim* (instar צָבָא *exercitus*), *cultus divini causa.* Ejus praecipua pars est oratio, hinc ejus faecre voluit mentionem. Eadem est ratio versionis τῶν LXX., qui νηστευσασῶν αἳ ἐνήστευσαν, *jejunantium quae jejunabant*, non quod צָמוֹת אֲשֶׁר צָמוּ legerunt, sed quod pro oratione substituerunt jejunium, alteram divini cultus speciem. Hinc de Hanna legitur Luc. 2, 37., *eam non discessisse a templo, et jejuniis ac deprecationibus Deo serviisse.* Verum ob usum verbi צָבָא supra indicatum, probabile est, צֹבְאֹת fuisse mulieres ministrantes, quae per vices ad tabernaculum venerunt, ut manuali opere, nendo, texendo, acu pingendo, lavando, verrendo, juvarent eum opifices, tum etiam tabernaculi ministros. Istae igitur mulieres speccula, quae, pro more seculi, secum gerebant, vel ultro, vel a Mose monitae, conferebant ad labrum aeneum conficiendum.

24. 25. 28. *Talentum* habebat 3000 siclos (vid. ad 25, 39.); hinc tota summa faciebat 87730 siclos. Hi aequales erant circiter 300,000 ducatis, ex Eisenschmidii computo, ex Michaelis, 127520 ducatis. — 25. מְאַת שֶׁקֶל *Centum talenta et* 1775 *sicli* fere aequales erant 300000 Thaleris, ex Eisenschmidii computo; ex Michaelis, fere 80000 Thaleris. — 28. Facile quisque intelligit, pertieas non constitisse ex solido argento, tum enim non sufficeissent 1775 sicli argentei. Fuerunt igitur hae pertieae ligneae et tantum obductae argento. Ita saepe *argenteus* et *aureus* apud Mosem est *argento* vel *auro obductus.* Vid. 40, 5., ubi ara suffitus voeatur *aurea*, et conf. 30, 1. 3. Vid. et 39, 39. coll. 27, 1. 2.

5. *Brevius describuntur vestes sacrae Cap.* 28. *descriptae. Cap.* 39, 1—39.

Cap. 39, 3. 9. Pro קָצַץ *incidit* s. *abscidit* Hubigantius pluralem קָצְצוּ ponendum pronunciat, quia וַיִּרְקְעוּ praecessit. Sed apparent in toto hoc Capite verba singularia pluralibus permixta, cujus rei causam Seb. Ravius in *Exercitatt. philologg. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 79. sq. repetit ex eo, quod 36, 1. 2. Moses dicitur *vocasse Bezaleelem et Oholiabum et omnem virum industrium, cujus animo Jova indiderat peritiam.* „Horum unumquemque propriam sibi operis partem habuisse, eamque, ubi perfecta erat, in commune contulisse, patet ex 36, 4. coll. Vs. 8. sqq.; quemadmodum et Bezalcelis scientiam in eo diversam fuisse colligitur a scientia Oholiabi, ut ille quaecunque auro, argento et aere, nec non ligno et gemmis parari debebant, excogitaverit, hic vero quae sculptura vel figuris in opere textili, artificioso et acupicto constabant, ita tamen, ut ambo sociata parte laboris fruerentur, et uterque sui operis haberet socios, vid. 35, 30—35. Itaque sicubi Mosi sermo est singulari numero, unus horum artificum subauditur; sin pluraliter effertur, vel de ambobus accipiendus est, vel de his, quorum opera illi artifices utebantur ad tabernaculum et quae eo pertinebant, fabricandum. Pressius dico, eum nostro in loco dicitur וַיִּרְקְעוּ אֶת־פַּחֵי הַזָּהָב, numero multitudinis, et deinde וַיִּקְצֹץ פְּתִילִים, numero singulari, docetur, aurum in tenues laminas ab aliis quidem expansum atque deductum, ab uno vero horum artificum, ejus rei pro ceteris gnaro, peritissima manu in ejusmodi filamenta dissectum fuisse, quae inseri, et adhiberi cum filis hyacinthinis, purpureis aliisque byssinis potuerint.“ — 9. Post זֶרֶת אָרְכּוֹ וְזֶרֶת רָחְבּוֹ *spithama longitudo ejus et spithama latitudo ejus*, perspicuitatis causa repetitur כָּפוּל *duplicatum.* Supra quidem 28, 16., ubi pectorale confici jubetur, כָּפוּל in fine abest. H. l. autem traditur modus pectorale illud conficiendi, et qua ratione illud mandatum exsecutioni datum sit. Non sufficiebat ergo dicere, pectorale quadratum factum et compositum habuisse longitudinem et latitudinem spithamae, sed etiam referebat adjungere, quod hanc mensuram habuerit duplicatum, atque adeo duas spithamas longum fuerit.

27. 30. וַיַּעֲשׂוּ וגו׳ *Fecerunt et tunicas byssinas opere tortili, Aaroni et filiis ejus.* Quem in usum parabantur ejusmodi vestes byssinae, docetur Lev. 6, 10., ut nimirum iis induti Aaron et filii ejus circa altare Dei ministrarent. Vestibus byssinis seu lintcis et Aegyptios sacerdotes sacra officia tractantes indutos fuisse, tradit Herodot. 2, 38. — 30. נֵזֶר־הַקֹּדֶשׁ Onkelos vertit *coronam sanctam;* cf. 2 Sam. 1, 10. Sacerdotes et apud alios populos corona uti solebant, seu diademate fasciis constante.

6. *Perfecto Tabernaculo omnibusque ejus supellectilibus, id statuere certo ordine jubetur Moses a Jova. Inaugurantur omnes ejus partes et sacerdotes. Nubes, praesentiae divinae symbolum, sacrarium implet.* Cap. 39, 32. — 40, 38.

Cap. 40, 2. 3. בְּיוֹם חֹדֶשׁ הָרִאשׁוֹן *In die mensis primi*, i. e. cum advenerit mensis primus. Nam pertinet הָרִאשׁוֹן ad חֹדֶשׁ, non ad בְּיוֹם, quod pro adverbio est, et significat *cum primum*. Id perspicuum fit ex eo, quod deinde *primus dies* mensis notatur his verbis: בְּאֶחָד לַחֹדֶשׁ. — 3. וְסַכֹּתָ עַל־הָאָרֹן אֶת־הַפָּרֹכֶת *Et operies arcam velo*, i. e. obtendes quasi sepem et intergerinum parietem. Innuit velum, quod inter Sanctum et Sanctum Sanctorum, ubi arca erat. Pro הַפָּרֹכֶת in Cod. Sam. est הַכַּפֹּרֶת *operculum*, quod ipsum et Targum Jonathanis exhibet, nisi in eo mendum librariorum fuerit. Samaritanorum scriptioni adversatur 1) ipsum verbum וְסַכֹּתָ, quod de opercule areae non usurpatur; de eo usus perpetuus est verbi נָתַן; 2) Vs. 21., qui huic est parallelus, in quo de *velo* agitur, non de opercule, et usurpatur verbum יָסָךְ, ut hic; 3) ordo narrationis, qui servatur Vss. 21. 22., in quibus velum primum, seu interius, antea suspensum dicitur, quam mensa panum in atrio secundo collocetur, 4) si hic de operculo ageretur, omitteret Deus de velo priore mandare, quanquam non omiserit de posteriore, vid. Vs. 5.

5. 15. וְשַׂמְתָּ אֶת־מָסַךְ הַפֶּתַח לַמִּשְׁכָּן *Et pones velum ad ostium Tabernaculi.* Agitur de velo exteriore. Nam post veniunt mandata de altari holocaustorum, quod erat extra Tabernaculum; et idem ordo servatur Vs. 28. sqq., ubi Moses velum Tabernaculi ponit, postquam mensam, altare suffitus, et candelabrum in Sancto posuit, et antequam statuat altare holocaustorum extra velum, et in ipso atrio. — 15. וְהָיְתָה וגו׳ Hoc *autem* ita *fiet*, *ut sit eis haec sacerdotalis inunctio in perpetuum eorumque aetates futuras.* Nimirum semel tantum sacerdotalis generis γενεάρχαι inuncti sunt, eaque unctio ad eorum posteros pertinuit; sed Pontifex Max. semper inungebatur, antequam decessoris sui munere fungi posset. Vid. Lev. 8, 2. 12.

17. 19. בַּשָּׁנָה הַשֵּׁנִית *Anno secundo*, nempe לְצֵאתָם מִמִּצְרַיִם *postquam egressi essent ex Aegypto*, ut habet Cod. Samar., et LXX. πορευομένων αὐτῶν ἐξ Αἰγύπτου. Quod si non est Mosaicae orationi adsuendum, saltem intelligi hic necesse est. — 19. וַיִּפְרֹשׂ אֶת־הָאֹהֶל עַל־הַמִּשְׁכָּן *Extenditque cortinas supra Tabernaculum*, seu, Tabernaculi parietes induit cortinis. Significat הָאֹהֶל generatim id, quod קְלָעִים, seu יְרִיעוֹת speciatim, nempe universas cortinas simul junctas, quibus constabat אֹהֶל, ex multis cortinis confectum. Nec אֹהֶל idem est ac *tegumentum*; nam subditur: וַיָּשֶׂם אֶת־מִכְסֵה הָאֹהֶל *et posuit tegumentum tentorii.* Tegebat Tabernaculi tegumentum ipsas cortinas; quia cortinae, quibus tentorium constabat, non modo latera vestiebant, sed etiam

pro tecto erant inferiore, cui tecto impositae erant arietinae pelles.

34. 37. 38. וַיְכַס הֶעָנָן וגו׳ *Tum nubes tabernaculum conventus obtexit, et Jovae splendor illud implevit.* Ex Vss. 36. 37. 38. apparet, hanc nubem eandem fuisse ac eam, quae Israelitas in itinere ducebat; 13, 21. Exstructo tabernaculo haec nubes supra illud consedit, in signum, Jovam singulari quadam ratione ibi esse praesentem. Sane necessarium erat, ut Israelitae hujusmodi signum aspectabile praesentiae divinae haberent. Populus enim adhuc rudis et omnia e sensibus metiens, mox potuisset numinis imaginem e lapide, ligno etc. formare, atque ita ad idololatriam prolabi, nisi Deus illa re sapienter cavisset ne hoc fieret. כְּבוֹד יְהוָה videtur fuisse splendor eximius, quem nubes illa emisit. Vulgaris erat opinio multarum veterum gentium, praecipue Orientalium, Deum habitare in luce et splendore, cui nullus alius possit comparari. — 37. וְאִם־לֹא יֵעָלֶה הֶעָנָן *Si vero non attolleretur nubes*, i. e. non discederet. Vid. Num. 9, 17. — 38. בְּכֹל־מַסְּעֵיהֶם *In omnibus profectionibus eorum.* Haec vox proprie profectionem denotat, deinde etiam *stathmum*, sive locum, in quo post diuturnum iter consistunt viatores. Cf. Num. 33, 1.

SCHOLIA
IN
LEVITICUM.

Tertius hic Mosis liber ab Hebraeis a prima voce vocatur וַיִּקְרָא, Graeci vero Latinique scriptores ecclesiastici hunc librum dixerunt *Leviticum*, quod in eo officia filiorum *Levi*, sive sacerdotum exponuntur. Ideo Rabbini hunc librum appellare solent תּוֹרַת הַכֹּהֲנִים *legem sacerdotum* et תּוֹרַת הַקָּרְבָּנוֹת *legem oblationum*.

Quo *tempore* et *loco* hic liber conscriptus fuerit, cognoscitur verbis, quae in ejus fine, 27, 34, leguntur: *Hae sunt leges, quas Jova per Mosen populo Israelitico in monte Sinai dedit.* Haec verba autem non tantum de ea, quae ore fiebat, illarum legum promulgatione, sed et de earum consignatione interpretanda esse, colligi potest ex verbis similibus, quae in fine Num. 36, 13. scripta sunt: *Haec sunt praecepta et jura, quae Deus per Mosen populo Israelitico dedit in planitie Moab ad Jordanem e regione Hierichuntis.* His verbis indicari consignationem horum praeceptorum apparet ex eo, quod Moses in illa planitie ultimum diem obiit, atque illa nec ante nec post hoc tempus litteris tradere potuit. Si igitur haec verba in Numeris de consignatione legum intelligi debent, et illis similia in Levitico ita interpretanda videntur. Itaque satis est verisimile, hunc librum, sacerdotibus destinatum, conscriptum esse in castris Israelitarum ad montem Sinai. Loca 4, 11. 12. 21. 13, 46. 14, 2. 3. 8. 33. sqq. 16, 10. 21. 22. 26—28. tempus produnt, quo Hebraei nondum Cananaeam occupaverant, sed in castris adhuc vitam erraticam per deserta degebant.

Quod attinet ad *ritus*, qui in hoc libro praescribuntur, multi eorum ad Aegyptiorum exemplum videntur instituti esse, rejectis tamen et commutatis iis, qui vel idololatriam saperent, vel populi Israelitici statui et terrae, quam habitaturi erant, apti non essent. Ita vestes sacerdotum lineae, Naziraeorum consecratio capillorum, festorum celebratio, oblatio primitiarum et alia hujus generis, originem Aegyptiacam satis manifeste prae se ferunt, ut in explicatione locorum, in quibus singula eorum praecipiuntur, ostendetur. Qua quidem in re sapientiam legislatoris cognoscas. Israelitae enim in Aegypto nati, et Aegyptiorum moribus tum in vita communi, tum in rebus ad cultum religionis pertinentibus, adsueti, sane aegre tulissent, si eis ritus praescripti essent, plane ab illius gentis ritibus diversi. Nam plebs rudis et inculta, moribus et consuetudinibus, quibus ab ineunte aetate erat innutrita, pertinaciter solet adhaerere, praesertim si eae religionis auctoritate sancitae sunt. Nec quidquam tot rixas et motus civiles peperit quam praeceps aliqua mutatio in legibus et ceremoniis religionis facta. Si Moses Israelitis praescripsisset leges prorsus singulares et novas, vix eas observaturi fuissent.

Ceterum hujus libri argumentum tam est domesticum et huic genti proprium, ut facile pateat hunc librum illi genti tantum esse destinatum, ut publicae religionis exercendae jus et modum sic praeciperet, uti societati huic civili maxime conveniebat; nil quidquam autem spectare ad alios homines, qui non fuerunt hujus societatis cives. Nihilominus tamen hic liber Christianis minime est negligendus. Nam et in ipsis V. T. reliquis libris saepe fit mentio rerum ad cultum Leviticum pertinentium, et in N. T. multa occurrunt loca, quae sine cultus Levitici cognitione intelligi plane non possunt, id quod praesertim valet de epistola ad Hebraeos, quae paene tota in comparatione institutorum cultus Levitici cum Christianorum sacris versatur.

Cap. 1.

Praescribuntur oblationes spontaneae e pecudibus et avibus, ritusque in iis offerendis servandi.

1. 2. Quod vocis וַיִּקְרָא litera ultima in nostris exemplaribus minor reliquis scribi solet, variasse olim codices in eo vocabulo arguit. In aliis enim codd. וַיִּקְרָא, in aliis vero וַיִּקָּר extitisse videtur, quod est Fut. apocopat. Niph. verbi קָרָה, *occurrere, obviam fieri*, ut vertendum sit: *apparuit Mosi* Jova, quae ipsa loquendi formula occurrit Num. 23, 4. 16., nec non Vs. 3. atque Ex. 3, 18. — מֵאֹהֶל מוֹעֵד *E tabernaculo conventus*, i. e. ex adyto, unde in posterum oracula sua proditura promiserat Deus Ex. 25, 22. — 2. לַיהוָה — אָדָם *Homo si offeret ex vobis.* Sermo est de *sacrificio privato*, quod aliquis offert suapte voluntate, non ex praecepto legis. כִּי h. l. *si*, ut Ex. 20, 22. Num. 5, 20. — קָרְבָּן (a קָרַב *appropinquavit*) proprie est *omne quod admovetur*, hinc *donum*, quia, quae dantur, accipientium manibus admoventur; tum in genere omne quod Deo offertur, sive sit de pecoribus sive de terrae frugibus (cf. Marc. 7, 11.). Talia sacra jam primos mortales Deo obtulisse feruntur, Gen. 4, 4. sqq. Porro cf. Gen. 8, 20. 15, 9. 21, 27. Quum igitur jam prisca aetas talia tulisset sacra, Moses ea ex avita religione retinuisse censendus est. Retinenda autem legibus circumscribenda erant, ne Hebraei, talibus sacris adsueti, ad superstitiosa omnisque libidinis plena aliarum gentium sacrificia prolabereutur. Ad sacrificiorum naturam autem rite explicandam omnino tenuisse juvabit, primaevos homines pro rudi suo ingenio ea, quibus tanquam cibo uterentur, et quae ipsis acceptissima essent, Deo ceu suo parenti in gratae mentis testificationem in altari apposuisse. Hinc altare *Dei mensa*, sacrificium *Dei cibus* vocatur (Mal. 1, 12.). מִן הַבְּהֵמָה וגו׳ *De animalibus quadrupedibus*, et quidem *de bobus et ovibus munus vestrum offeratis.* בְּהֵמָה *omne animal quadrupes* designat; opponuntur *reptilia*, רֶמֶשׂ, Gen. 1, 24. 25., ubi vid. not. De voc. צֹאן cf. ad Gen. 30, 32. Victimae tantum ex animalibus domesticis, iisque, quae frequentissimo vietui apud omnes fuere, Deo offerebantur. Homines enim quidquid sibi ipsis usui esset, Deo etiam gratum futurum existimabant. Videbatur etiam veneratioui Deo debitae contrarium, si quis Deo mactaret id animal, quo ipse vesci nollet. Quare pisces nullos, nec gallinas aut gallos oblatos videmus (e volatilibus tantum turtures et pulli columbarum offerebantur). Haec enim volatilia aut nullum aut saltim non primum loeum occupabant in veterum mensis; neque etiam natatilia inter cupedias atque dapes relata esse videntur.

3. עֹלָה est *holocaustum*, apud LXX. *ὁλοκαύτωμα*, ab עָלָה *ascendere*, quod totum in altare ascenderet et ibi conremaretur, unde etiam vocatur כָּלִיל *totum*, se. sacrificium, Deut. 33, 10. Ps. 51, 21. זָכָר *masculum*, hoc enim genus in buccra, ovilla et caprina pecude pluris aestimatur, quam femininum. Hinc in excellentissimo sacrificiorum genere, quod erat holocaustum, praescribitur masculum, quum in eucharistico sacrificio et nonnullis sacrificiis pro peccato, generis feminei hostiam offerre fas esset. תָּמִים *perfectum*, i. e. sine vitio et defectu corporis, sine aegritudine et membrorum debilitate; i. q. Graec. *ἄμωμον*, quod LXX. hic habent. אֶל־פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד *Ad ostium tabernaculi conventus*, i. e. Sancti, nam ibi erat altare holocaumatum sub dio, cf. Vs. 5. Quod rursus jubetur sub poena mortis 17, 3—9., hac addita ratione, ne animal, secreto aut in campis occisum, aut ejus sanguinem partenive, Daemoni vel Deo alieno sacrum voverent. לִרְצֹנוֹ לִפְנֵי יְהוָה *Ut acceptus sit Deo*, Dei favorem sibi conciliet. Ad holocausta quod attinet et sacrificia pro peccatis oblata (חַטָּאוֹת cap. 4. 5, 1—13. 6, 20, 21. et אֲשָׁמִים 5, 14—26. 7, 1—10.), vulgaris est opinio, victimas vicem hominis vel populi offerentis gessisse, et illarum mactatione in sacrificiis poenas peccatorum offerentis esse sublatas: simul haec sacrificia fuisse adumbrationem futurae per Messiae mortem expiationis. Sed per sacrificia veniam peccatorum vel sperari vel impetrari potuisse nulla probabili ratione effici poterit, quum id Moses nullo loco dicat. Verba enim נִסְלַח לָהֶם 4, 20. 26. (ubi cf. not.) hac de re non explicanda sunt. Si autem imagines rerum futurarum in cultu Levitico fuissent, non est credibile, homines Mosis aetate de hoc consilio cogitare potuisse, atque quid illae imagines praefigurarent intellexisse, nisi a Deo admoniti. Jam nec Moses quicquam de sensu sacrificiorum arcano admonuit; nec in prophetarum libris aliquid legimus, quod significationem illorum typicam, aut certis indiciis ostendat, aut creditam talem tum ab Israelitis et intellectam admoneat. Verum autem *holocaustorum* atque *oblationum farrearum* consilium nullum aliud fuisse videtur, quam ut is, qui illa obtulerit, Deo sese commendaret, atque cum per illa propitium sibi redderet. Quum enim hominum favor conciliari possit per dona; homines illi antiquissimi, quorum notiones de Deo ejusque natura tenues adhuc erant et nondum satis exeultae, putabant, eadem re Dei etiam favorem se posse consequi. Hanc autem vim holocaustis et oblationibus farreis a legislatore adscriptam fuisse, satis apparet ex eo, quod de iis dicitur, *hominem per ea acceptum fieri Deo*, h. l. coll. Vs. 4.; esse illa sacrificia *Deo odori grato*, Lev. 1, 9. 13. 17. 2, 2. 9. 12. etc. Cf. et Ps. 50, 8. Jes. 1, 11. Jer. 6, 20. Am. 5, 22. Quibus tamen ipsis in locis Israelitae monentur, per sola holocausta nentiquam conciliari posse favorem divinum, nisi ipsi conjungerent cum illis rectos animi sensus, et vitam his sensibus consentaneam. Videntur igitur hujusmodi sa-

crificia simul etiam fuisse symbolicae significationes interni doloris de peccatis commissis.

4. וְסָמַךְ יָדוֹ עַל־רֹאשׁ הָעֹלָה *Manum imponat capiti holocausti.* Idem ritus obtinuit etiam in sacrificiis eucharisticis. Significabat is, qui sacrificium offerret, se id ritu illo solenniter Deo tradere, et quasi manumittere, professus se renunciare juri, quod in istud animal habebat, idque cultui divino dicare. Ita prisci Romani servum, quem libertate donabant, in hujus rei signum tenebant manu, dicentes: *hunc hominem liberum esse volo.* לְכַפֵּר *Ut aboleat* se, peccata sua. כָּפַר notat 1) *tegere, obtegere.* Sic de arca Noae *obducenda* pice dicitur Gen. 6, 14. Hinc כַּפֹּרֶת *operculum*, Ex. 25, 17. 18. 2) *tegendi* significatio transfertur ad alias res, de quibus proprie non potest dici, eas obtegi. Sic Gen. 32, 21. de Jacobo dicitur, *se velle fratris iram donis obtegere*, i. e. iram sedare, placare (פָּנִים *ira*, vid. 17, 10.). Cf. et 2 Sam. 21, 3. Prov. 16, 14. 3) Frequentissima in V. T. phrasis est *peccatum tegere*, quod nihil aliud potest significare, quam, *peccatum abscondere, ejus memoriam delere, id abolere.* Exempla vid. in Lexx. 4) Ex hac phrasi explicanda est alia, כִּפֶּר עָלָיו in Lev., ubi de sacrificiis pro peccatis commissionis est sermo, 4, 20. 26. 31. 35. 5, 6. 10. 13. 16. 18. 26. Positum autem videtur כִּפֶּר עָלָיו pro כִּפֶּר עַל־נַפְשׁוֹ (17, 11.) et hoc elliptice pro כִּפֶּר עַל־חַטָּאתוֹ עַל־חַטָּא נַפְשׁוֹ, quod idem valet ac כִּפֶּר עַל־חַטָּאתוֹ (Ps. 79, 9.) *peccatum obtegere*, i. e. abolere. Phrases similes, quae occurrunt Lev. 4, 26. 35. 5, 18. pleonasticae sunt, et significant nihil aliud quam simplex כִּפֶּר עָלָיו. 5) Huc et nostro loco referendum לְכַפֵּר עָלָיו, quae locutio supplenda videtur לְכַפֵּר עַל חַטָּאי נַפְשׁוֹ *ut aboleat peccata sua*, nam pro certo aliquo peccato sacrificium illud non offerebatur. Voluit homo, qui id obtulit, movere Deum, ut memoriam peccatorum ipsius deleret, propitiumque sese erga cum exhiberet; *voluit sese Deo commendare.* Huc etiam pertinet כַּפֵּר simpliciter cum ל personae constructum, Deut. 21, 8. ubi reddendum est *propitium se erga aliquem exhibere.* 6) Aliam significationem verba כִּפֶּר עָלָיו iis in locis habent, ubi de purificatione ab immunditie corporis, morbi aut domus dicuntur, Lev. 12, 7. 8. 14, 20. 53. Hic כִּפֶּר עָלָיו positum videtur pro כִּפֶּר עַל־טֻמְאָתוֹ *teget*, i. e. *aboleat immunditiem ejus*, scil. rei, de qua sermo est. 7) Hinc Verbum כִּפֶּר significationem *inaugurandi, consecrandi* videtur accepisse, Ex. 29, 36. 37. 30, 10. 12. 15. Lev. 8, 11. 12. 15. c. 16. passim. Res enim ad usus sacros destinatae ab omni immunditie purgatae esse debebant, mundae autem reddebantur inauguratione, quae deinde quotannis die expiationis repetebatur, Lev. 16. 8) A Verbo כִּפֶּר descendit nomen כֹּפֶר *pretium redemtionis, lytrum.* Lytrum consideratur tanquam res, qua debitum *tegitur*, i. e. memoria ejus deletur. Est igitur proprie *abolitio, deletio debiti.*

5. 6. וְשָׁחַט *Et mactet*, sc. *mactans*, i. e. vel is ipse, qui victimam adduxit, vel, ut alii volunt, *Levita* aliquis, quod colligi posse putant ex 2 Chr. 30, 17. et 35, 10. 11., ubi *Levitae* paschales agnos jugulant, sed sanguinem spargunt sacerdotes. Sic apud Romanos sacerdos non jugulabat victimam, sed popa, aut victimarius, ad sacerdotis nutum. לִפְנֵי יְהוָה *Coram Jova*, i. q. אֶל־פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד, i. e. ante tabernaculum conventus, ubi Dei sedes eredebatur. מוֹעֵד — וְזָרְקוּ *Adspergant sanguinem circa altare*, *quod est in tabernaculi introitu.* זָרַק non significat *fundere*, ut quidam vertunt, sed *sparsit*, coll. Arab. זرق *stillatim emisit.* סָבִיב *circum*, positum est h. l. adverbialiter per ellipsin praepositionis ב, ut saepius. — 6. וְהִפְשִׁיט אֶת־הָעֹלָה *Et excoriet holocaustum.* פָּשַׁט proprie *exuere*, hinc in Hiph. de pelle animalis usurpatum, *excoriare.* Ita et LXX. καὶ ἐκδείραντες τὸ ὁλοκαύτωμα. Pro וְהִפְשִׁיט Cod. Sam. et LXX. legerunt והפשיטו, atque ונתחו pro וְנִתַּח. Tunc esset sensus, a *sacerdotibus* (non ab offerente) victimam esse excoriandam et in frusta dividendam.

8. 9. 11. נְתָחִים *frusta*, h. l. sunt *porriciae*, quo voc. Romani appellabant partes victimae, quae adolebantur. פֶּדֶר nec est *truncus*, nec *jecur*, ut nonnulli voluerunt, sed *adeps*, ex unanimi Veterum consensu. LXX. στέαρ, quod significat *sebum* vel sevum, oleosam et pinguem substantiam adipe siccioremet concrescentem. *Hesychius: στέαρ, λίπος* (pinguedo). Significari autem videtur voce hebr. non adeps simpliciter, sed *adeps a carne sejunctus*, qui capiti, pectori et membris superponebatur, ne tabes et sanguis ex illis effluens flammam extingueret, sed eam potius aleret. De hoc adipe vid. Ex. 29, 17. Lev. 3, 9. 4, 35. 9, 20. Cf. et Hom. *Il.* 2, 423. עַל־הָעֵצִים וגו׳ *Super ligna, quae super ignem qui super altare.* Quibus verbis Moses dubio procul hoc voluit, exstrui debere struem lignorum, et sub ea ignem accendi; sed antequam strues tota arderet, in superiore ejus parte disponendas esse profieias. — 9. קִרְבּוֹ *Intimum ejus*, i. e. interiora praecordia, ut cor, jecur, pulmones etc. רֵיחַ נִיחוֹחַ לַיהוָה est *odor gratus Jovae*, cf. ad Gen. 8, 21. Intelligitur nidor ille ex adipibus adolitis ascendens, quem a diis hauriri eodemque illos placari antiquissimae gentes putabant. Cf. Hom. *Il.* 1, 39. 40. — 11. עַל יֶרֶךְ הַמִּזְבֵּחַ צָפֹנָה *Ad latus altaris septentrionale.* Si enim ad orientale, ubi erat locus cinerum (Vs. 16.), macatae fuissent victimae, impeditus esset ingressus in atrium; ad meridiem autem erat adscensus altaris, et ad occidentem Sanctum.

14. 15. מִן־הַתֹּרִים אוֹ מִן־בְּנֵי הַיּוֹנָה *De turturibus et pullis columbarum.* In uuoquoque enim genere immolari oportebat Deo optima, cujusmodi sunt in turturibus adultiores, in columbis teneriores. Ceterum *columbae* in Palaestina valde frequentes sunt. Ob quam frequentiam hae aves praescriptae erant in sacrificium pauperibus (5, 7.). — 15. וּמָלַק אֶת־רֹאשׁוֹ *Ejusque caput ungue*

elidat. מָלַק LXX. hic et 5, 8. reddunt *ἀποχνίζειν*, *ungue lacerare*, vel *abscindere.* Eodemmodo expresserunt Hierosolymitanus et Jonathan. Arab. מלק est *lubricus*, *glaber fuit*, et in Conj. 2. *laevigavit*, *complanavit.* Hinc ALB. SCHULTENSIUS in *Not. ad Harir. Consess.* I. p. 64. hebr. verbo h. l. *capitis complanationem*, et *compressionem inter digitos*, sine *jugulo scisso ruptove* indicari censet, quum ex 5, 8. appareat, caput columbarum a collo non fuisse separatum. וְנִמְצָה דָמוֹ LXX. sensum optime expressisse videntur: *στραγγιεῖ τὸ αἷμα*, *guttatim exprimet sanguinem*, מָצָה enim primo *exsugere*, *emulgere*, hinc *exprimere* sanguinem aquamque denotat, ut Syr. מְצָא in *Pahel* et *Aphel.*

16. 17. Verba וְהֵסִיר אֶת־מְרָאָתוֹ בְּנוֹצָתָהּ plerique vertunt: *et removebit ingluviem ejus cum plumis ejus.* Putant, haec duo praecipi, evellendam esse ingluviem, et totam deplumandam esse. Sed haec interpretatio (bene monente NIC. GUIL. SCHROEDERO in *Observv. ad Origg. Hebrr.* p. 178. sq.) variis premitur incommodis. „Nam 1) בְּנוֹצָתָהּ non potest reddi *cum plumis ejus*, scil. *avis.* Si enim ad *avem* rediret hoc Pron., scribendum fuisset בְּנוֹצָתוֹ. 2) Particula ב in tali vocum structura, non per *cum* exponi potest. Ea quidem hanc vim habet, quando agitur de rebus ita conjunctis, ut una alteri *insit*, vel proxime *adhaereat*, ut Ex. 8, 1. *Extende manum tuam*, בְּמַטֶּךָ *cum baculo tuo*, quem sc. *in manu tua teneas.* Sed ut *ingluvies* בְּנוֹצָה sit *cum plumis*, talis structurae nullum puto exemplum proferri posse. Moses, si ejusmodi sensum intendisset, scripsisset saltem, *ingluviem ejus*, וְנוֹצָתוֹ *et plumas ejus.* 3) Non hic simul *ingluviem*, simul *plumas avis*, removendas praecipi, docent verba: וְהִשְׁלִיךְ אֹתָהּ *et projiciet eam juxta altare*, sc. *eam unam rem*, quae מְרָאָתוֹ בְּנוֹצָתָהּ dicta erat. 4) Quid causae fuit, cur ex avibus *ingluvies* evellenda fuerit, non item *ventriculus* et *intestina*, cum *sordibus*, quae in his haerent? cf. Vs. 9 et 13. — Ob has, puto, rationes complures tam veterum, quam recentiorum interpp. נוֹצָה hic non per *plumas*, sed per *sordes*, vel *fimum* exposuerunt. Mihi locus ita reddendus videtur: *amovebit ventriculum ejus cum sordibus ejus.* Vox מְרָאָה commode sumitur pro *ventriculo*, et reliquis *visceribus*, quae *cibo concoquendo* et *digerendo* inserviunt ipsa *ingluvie* non exclusa. Descendit enim a מָרָא; quod Arabibus significat *cibum concoxit* et *digessit.* Quod autem additum בְּנוֹצָתָהּ vertam *cum sordibus ejus*, sc. *ventriculi*, id nihil habet difficultatis. Nam in cognato verbo צוא vidimus, propriam *emicandi* notionem ad *sordium excretionem* translatam esse (apud Arabes צוא vocantur *sordes*, *quae ex vulva ovis prodeunt post partum).* Addi potest צוֹאָה, pro *sordibus*, quae adhuc in *intestinis haerent*, occurrens, Jes. 4, 4. Prov. 30, 12. Quare mirum non est, etiam נוֹצָה, quod Particip. est, dicens *rem emicantem*, honeste *sordes intestinorum*, quae *emicando excernuntur*, designare." — 17. וְנָשָׂא אֹתוֹ

בִּכְנָפָיו לֹא יַבְדִּיל *Et findet eam in alis suis, non secet*, i. e. scindat eam in alis, ita tamen, ut eae a corpore non divellantur. Michaelis: *(Der Priester soll) sie oben an den Flügeln einreissen, doch so, dass der Riss nicht ganz durchgehe.*

Cap. 2.

De oblatione rerum inanimatarum, maxime quae farina constabat, seu cocta, seu incocta. Sal omnibus sacrificiis addendum praescribitur: fermentum omne et mel a sacrificiis rejicitur.

1. 2. נֶפֶשׁ *homo*, aliquis, i. q. אָדָם 1, 2. מִנְחָה proprie denotat *donum quodvis* ut Gen. 32, 14. 19. 43, 11. deinde per eminentiam ita vocatur *sacrificium farreum.* Bene Syrus: *oblatione similae.* סֹלֶת convenit cum Arab. سلت, *decorticavit, depuravit*, hinc סֹלֶת dicta *farina a furfuribus expurgatissima, farina tritici puri.* וְיָצַק עָלֶיהָ שָׁמֶן *Adfundat ei oleum.* Impersonalis loquendi forma, supplendum est particip. הַיֹּצֵק *fundens fundat*, i. e. fundatur. De olei adfusione vid. ad Exod. 29, 2. וְנָתַן עָלֶיהָ לְבֹנָה *Thus etiam imponat.* Thus accensum teterrimum ex tot combustis hostiis ortum odorem repellere debebat. — 2. Verbum קָמַץ i. q. קבץ *colligendi* notionem habet (literas ב et מ enim apud Hebraeos, Arabes et Syros frequentissime inter se commutari, notum). Arab. قمز designat: *colligit accepitque extremis digitis*, ut huic cognatum קבץ, *extremis digitis accepit.* מְלֹא קֻמְצוֹ *Plenitudinem pugilli sui*, quantum pugillus ejus capere potest. מִסָּלְתָהּ וּמִשַּׁמְנָהּ עַל כָּל־לְבֹנָתָהּ *E simila ejus, et ex oleo ejus, super omne thus ejus*, h. e. ut Aben-Esra exponit: *parum de simila, similiter modicum de oleo, ut thus solum totum adoleretur.* Particula עַל hic commode vertitur *praeter*, ut Gen. 28, 9. — אַזְכָּרָה plerique *odoramentum, suffimentum* interpretantur, Saadiani sequuti, qui פוח, *fragrantiam*, posuit; sed haec significatio neque dialectis cognatis, neque linguae usu evinci potest. Provocant quidem ad Hos. 14, 8., ubi זִכְרוֹ כְּיֵין לְבָנוֹן a multis vertitur: *odor ejus sicut vinum Libani.* Sed ibi sensus est: memoriam Israelis non minus fore gratam et jucundam, quam vinum Libani. אַזְכָּרָה autem spectat ad cultum Dei et commemorationem laudis ejus: nam Arab. ذكر, quod ejusdem est radicis et significationis cum אַזְכָּרָה, peculiari quadam et absoluta significatione denotat *celebrationem Dei*, quae sive interna sive externa commemoratione fit in cultu divino, adeoque ipsum cultum Dei. אַזְכָּרָתָהּ igitur est ea Minchae (Vs. 1.) pars, quae ad cultum et commemorationem, sive celebrationem nominis divini pertinebat; reliqua enim pars non in cultum, sed in usum sacerdotum cedebat. Sic Vs. 9. *Et tollet sacerdos de Mincha* אֶת אַזְכָּרָתָהּ *eam ejus partem, quae commemorationi nominis divini est dicata.* Similiter 24, 7. thus, quod panibus propositionis imponi jubetur, dicitur fore panibus לְאַזְכָּרָה *in celebrationem Dei*, additurque

explicationis gratia אִשֶּׁה לַיהוָה *ignitum Domino*, quia panes ipsi cedebant sacerdotibus, at thus illud adolebatur Deo, in laudem ejus. Quam interpretationem non parum fulcit, quod זָכַר in Hiphil (ex qua forma nomen אַזְכָּרָה procul dubio derivatur) pro *celebrare* accipitur, ut 1 Chr. 16, 4. ubi Levitae dicuntur constitui לְהַזְכִּיר וּלְהוֹדוֹת וּלְהַלֵּל *ad commemorandum, et ad laudandum et ad gratias agendas.* אִשֶּׁה est *incensum*, sacrificium igne absumendum.

3. 4. קֹדֶשׁ קָדָשִׁים מֵאִשֵּׁי יְהוָה *Sanctum Sanctorum ex sacrificio Jovae*, h. e. sacrosanctum est, neque ab aliis quam a Sacerdotibus comedendum. — 4. Nunc de sacrificio farinae coctae seu panum est sermo, quorum tres sunt species, et prima quidem מַאֲפֵה תַנּוּר *coctum in clibano.* Quid sit תַּנּוּר, optime intelligitur ex descriptione Golii in *Lex. Arab.* p. 398. *Fornax, clibanus, est plerumque in fundo amplior, superne, ubi orificium, angustior: in quo panem coquunt fere lateribus applicari solitum, etiam verubus affixas carnium partes assant* (sc. super hoc ureeo). Cf. Arviosii descriptionem, quae proxime sequitur. כָּלֶת *Simila* sit, i. e. conficientur e simila, simili loquendi forma, ut Ex. 28, 36. *facias laminam aurum purum*, i. e. ex auro puro; et Ex. 37, 1. fecit arcam עֲצֵי שִׁטִּים ex *lignis Sittim.* חַלּוֹת *Perforatae*, sc. placentae, quales Arabes adhue hodie solent pararc, ut narrat Arvieux in libello *de moribus Arabum Nomadum* a nobis in ling. vernac. verso, [*Die Sitten der Beduinen-Araber, Leipz.* 1789.] p. 294. Solent urceum, cujus os et venter ejusdem sunt latitudinis, dimidium implere silicibus parvis, laevibus, qui pro foco inserviant; tum, ureeo satis calefacto, massam farinae super silices illas explicant, et coquunt hoc modo placentas, quae a silicibus subjacentibus foramina habent. — Alterum placentarum genus a Mose vocatur רָקִיק *tenue*, quod, eodem Arviosio teste, hoc fere modo ab Arabibus paratur: calefaciunt magnum urceum lapideum, in cujus latere exteriore ponunt massam ex farina tantum et aqua confectam, quae, quum sit valde tenuis, sponte sese explicat et brevi percoquitur. Cet. cf. ad Ex. 29, 2.

5—7. הַמַּחֲבַת ex Jarchii sententia vas erat *non profundum, sed planum*, i. e. *sartago plana et lata*; quod hodierno illorum populorum usu confirmatur. Etenim Arabes et Cabylos tenues placentas suas in ejusmodi sartaginibus planis parare solere, narrant Niebuhr *Descr. Arab.* p. 52. et Shaw, p. 202. vers. germ. Qui etiam observat, sartagines illas vocari *Tadschen* s. *Tagen*, quod ipsum voc. habent h. l. LXX., qui *τηγανὸν* posuere. Ceterum recte monet Jarchi, *fertum, quod in eo vase pararetur, durum*, sive tostum, *fuisse; quum enim fuisset planum, oleum igne consumtum esse*; quod confirmatur eo, quod Vs. 6. legitur, esse in frusta frangendum. — 6. פָּתוֹת אֹתָהּ פְּתִתִים *Frangere illud in frusta*, frangas illas placentas in frusta, infinitum pro futuro, ut saepius;

cf. Gesenii *Lehrg.* p. 783. מַחַת, ut cognatum Verb. Arab. sonat *fregit, comminuit digitis fricando.* Hinc nomen מַחַת saepe de *frusto rei esculentae*, quantum bucca semel capere potest, usurpatur. LXX. κλάσματα, est enim κλάσμα *fragmen*, sive frustum effractum, a κλάω, *frango.* — 7. וְאִם — תִּעָשֶׂה *Si autem munus craticulae*, s. *cacabi oblatio tua, e simila cum oleo fiet.* מַרְחֶשֶׁת veterum plerique *craticulam* interpretantur. Ita LXX. ἔσχαρα, qua voce, teste Hesychio, designatur *ara solo aequalis, non ex lapide exaltata, vel ara ferrea, in qua ignis ardet, et locus ejus, quo ollae locantur, vel vas igniferum.* Hebraeorum magistri מַרְחֶשֶׁת unanimi consensu a מַחֲבַת sic distinguunt, ut dicant, fuisse *concavum et profundum.* Sic Jarchi: Marcheschetb *vas erat profundum; quare oleum coacervabatur ita, ut ab igne non posset torrefieri, atque ita fertum, quod in eo pararetur, movendo quodammodo frigebatur.* Itaque *cacabus* esset vertendum. Videtur autem haec interpretatio ex verbi רָחַשׁ *movendi* notione exsculpta esse.

11. 12. כָּל — חָמֵץ *Nullum donarium farreum Jovae oblatum, fiet cum fermento.* (cf. ad Ex. 12, 8.) Quia fermentum ex corruptione fit, Deo autem omnia sincera, integra, incorrupta offerri oportebat. Qua ex caussa etiam apud alios antiquos populos panes fermentati in Sacris vetiti erant. כָּל־שְׂאֹר — לַיהוָה *Fermentum et mel Jovae in sacrificium non debetis adolere.* Cur vetitum fuerit mel in sacrificiis, dissentiunt interpretes. Notum est, in multis ethnicorum sacrificiis oblatum esse mel aut placentas melle oblitas; quod ipsum plerique causam fuisse putant, cur legislator in sacrificiis Jovae oblatis mel offerri nolucrit. Sed si haec fuisset caussa, alii etiam ritus cultus Levitici, qui conveniunt cum aliarum gentium ritibus sacris ex illo rejici debuissent. Vera ratio videtur potius haec fuisse, quod quum omnia sacrificia in altari oblata ἄζυμα esse deberent, mella propterea admiscenda non erant, quod ea vim habent fermentandi. Hinc הִדְבִּישׁ Judaeis dicitur *fermentari*, vid. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 500. Et antequam fermentum fiebat ex farina, parabatur illud (Plin. *H. N.* 18, 11.) e musto, commisto cum milio vel tritici furfuribus minutis. — 12. קָרְבַּן — לַיהוָה *In primitiis quidem ea* (sc. fermentum et mel) *offerre licebit.* Primitiae enim rerum inanimatarum non altari imponebantur, sed cedebant in sacerdotum portiones Num. 18, 11 — 13. Ceterum sub mellis primitiis intelligenda sunt ea, quae verno tempore primum ex alvearibus colliguntur.

13. לֹא תַשְׁבִּית מֶלַח בְּרִית אֱלֹהֶיךָ *Nunquam desit sal foederis Dei tui*, i. e. sal sacrificio farreo addendus in signum foederis fuit amicitiae cum Deo tuo initae. Sal enim apud antiquas gentes signum fuit amicitiae. Ratio autem videtur repetenda inde, quod nulla amicorum epularis accubatio absque sale soleret agitari; ob idque nec decebat sacrificia, seu Dei convivia, sine eo apparari.

X — "sed de melle tantum dicitur"!
Buxt. ib.

Hinc in Graecorum etiam et Romanorum sacrificiis farinae addi solebat sal. Plin. *H. N.* 31, 7, 41.: *Maxime in sacris intelligebatur salis auctoritas; quando nulla conficiuntur sine mola salsa.* Mola autem, ut docet Festus, *vocatur far tostum et sale sparsum, quod eo molito hostiae adspergerentur.* Hom. *Il.* 1, 449. *Χερνίψαντο δ' ἔπειτα καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.* *Ulochytae* hordea erant sali admixta, quae effundebant in aram ante sacrificium (interpretante Eustathio). Cf. Heynium in *Opuscc. Acad.* P. I. p. 368. Etiamnum principes Arabum si foedus pangunt, patellam salis adponere et frustula aliquot panis sale conspersa comedere solent; foedus hoc modo pactum vocant *barat milech*, *foedus salis.* Quod ipsum esse Hebr. בְּרִית מֶלַח Num. 18, 19. quisquis intelligit. Plura vid. in *d. a. u. n. Morgenl.* II. p. 149. sqq. Sine necessitate Michaelis pro בְּרִית legendum censet בֹּרִית *puritas;* a בָּרַר *purus fuit;* ut מֶלַח בְּרִית sit *sal puritatis* (nitrum), i. e. sal purus in sacrificiis adhiberi solitus; vid. ad Ex. 30, 35. Sed quum veterum interpp. nullus de *nitro* cogitarit, et prior interpretatio sensum aptissimum efficiat, vocalia recepta voc. בְּרִית videntur retinenda esse.

14. 16. אָבִיב קָלוּי בָּאֵשׁ *Spica igne frixa.* קָלוּי explicandum ex Arab. קלי *coxit in sartagine, frixit carnem, alicam.* גֶּרֶשׁ esse *contusum, comminutum*, nulla est dubitatio. Sed eo major de voce כַּרְמֶל, quae praeter hunc locum, bis tantummodo occurrit, Lev. 23, 14. 2 Reg. 4, 43., quibus locis omnibus cum *cerealibus* jungitur. Veteres ita dissentiunt, ut jam eorum tempore vocabuli notio oblivione obruta esse pateat. LXX. h. l. pro גֶּרֶשׁ כַּרְמֶל ponunt *γίδρα ἑρικτα*, ubi tamen, ut Michaelis in *Suppll.* P. IV. p. 1356. monet, „manifestum, כַּרְמֶל non per *χίδρα* reddi, quod *spicas* vertere solent, sed per *ἔρικτα*, *comminuta;* deinde ipsa *χίδρα* in Judaici interpretamenti gratiam *spica* vertitur, cum potius *contusum*, *granum in grossiores particulas contusum*, aut *farinam grossiorem* notet.“ Hic vero animadvertendum est primo, *χίδρα* apud Graecos auctores esse *hordeum viride*, et *tostum* tusumque (vid. Heynii *Opuscc.* T. I. p. 371. not); deinde, LXX. eam vocem omnino pro כַּרְמֶל ponere, id quod patet ex Lev. 23, 14., ubi ejus vocabuli loco *χίδρα νέα* habent. Sed 2 Reg. 4, 42. כַּרְמֶל in Alex. versione *παλάθαι*, *massae ficuum* redditur. Theodotion nostro loco *πίονα ἄλφιτα* ponit, qua posteriore voce apud Graecos designatur *puls ex hordei torrefacti, et pilo vel mola tusi farina facta*, vid. Heynium, l. c. Aquila et Symmachus: *ἁπαλὰ λάχανα ὀσπριώδη*, *mollia olera, leguminosa.* Onkelos h. l. pro גֶּרֶשׁ כַּרְמֶל ponit פִּירוּכָן רַכִּיכָן *contusa tenera;* sed 23, 14. pro solo כַּרְמֶל duntaxat פִּירוּכָן; item Chaldaeus interpres 2 Reg. 4, 41. Eo ipso vocabulo duobus hisce locis posterioribus utitur Syrus, פריכתא exhibens; sed nostro loco פְּרִיכְתָא מְדַכְיְתָא *perfricata pura*, habet. Saadias h. l.: גרישא מן אלהדף *contusum de* .... ultimum vocabulum enim, quod *rem elatam*,

tumulum, *scopum*, significat, quid h. l. sibi velit, ignoro. Arabs autem Erpenii hic מהשם פריך *fractum confricatum* vertit. Sed infra 23, 14. uterque Arabs: פריך. Samaritanus קליף *decorticatum* interpretatur. Vulgatus denique nostro loco: *confringes in modum farinae*; 23, 14. *pultes*; atque 2 Reg. 4, 42. *frumentum novum*; ubi et Arabs: סנבל בלבאסה *spicae in tegumento*. Quod Hebraeorum philologi praeiverunt, qui Kimchio teste in Lexico, nomine כַּרְמֶל hoc et duobus reliquis locis *spicam teneram adhuc et succosam*, viridem, designari ajunt; verum sine idonea auctoritate, solis etymologiis, parum probabilibus, ducti. Videtur כַּרְמֶל *polentae* species fuisse, de qua vid. Plin. *H. N.* 18, 7. 14. — 16. עַל h. l. est *una cum* ut Gen. 32, 12. Exod. 35, 22. Num. 9, 11.

Cap. 3.

Eucharisticorum victimae quales esse debeant, praescribitur, ritusque in iis immolandis servandi. Vetatur omnis sanguinis et adipis esus.

1—3. De vocis שֶׁלֶם propria significatione Interpp. dissentiunt. LXX. θυσία σωτηρίου, *hostia salutis*. Vulgat. *hostia pacificorum*. Hi igitur שֶׁלֶם derivant a שָׁלוֹם *pace*, *tranquillitate*, *salute*; ut significetur sacrificium, quod quis offerat pro salute, qua fruitur, pro beneficio aliquo a Deo accepto. Non defuerunt, qui verterent *sacrificium teleticum*, ἀπὸ τῆς τελετῆς, quod puris solum eo comedere liceret (7, 20.). Equidem שֶׁלֶם referre mallem ad שָׁלַם, quod notat *retribuere*, *rependere*, ita ut שֶׁלֶם sit *sacrificium*, *quod retribuat*, sc. beneficia a Deo accepta, i. c. eucharisticum, *ein Dankopfer*. Hoc sacrificiorum genus videtur antiquissimum esse et originem traxisse ex grati animi testandi studio, quo sensu beneficiorum divinorum omnes antiquitatis populos et nunc adhuc nullo cultu expolitas nationes, tactas videmus et permotas. Ad hoc sacrificiorum genus referendae sunt Habelis et Caini oblationes (Gen. 4, 3. 4.). אִם־זָכָר אִם־נְקֵבָה *Mas sit sive femina*. Prima differentia inter sacrificium eucharisticum et holocaustum erat haec, quod in illo mares et feminae; in hoc autem nonnisi mares offerri fas esset. Deinde in holocausto praeter boves, oves et capras etiam columbae et turtures offerri poterant: in eucharistico boves tantum, oves et caprae. Causa fortasse haec fuit, quod hostiae eucharisticae in partes tres dividerentur; quarum una Deo, altera Sacerdoti, tertia offerentibus in epulum cedebat. Jam vero et molesta fuisset in exiguis volueribus ea divisio, et jejuna ex iis epulatio. — 2. De manuum impositione vid. ad 1, 4. — 3. הַחֵלֶב הַמְכַסֶּה אֶת־הַקֶּרֶב *Adeps intestina tegens*, vid. ad Ex. 29, 12. 13.

4. 9. 11. כְּסָלִים sunt eae corporis partes, quae renibus sunt proximae et adipe refertae, *ilia*, *lumbi*. Vertunt ita omnes veteres. LXX. ἐπὶ τῶν μηρίων, Aquila λαγόνας, Symmachus

ψύας vel ψύας, quae voces omnes denotant *lumbos*. Syrus ponit סְטָרָא, *latus*. Onkelos גִּסְסַיָּא, *latera*. De הַוֹתֶרֶת עַל־הַכָּבֵד vid. ad Ex. 29, 13. — 9. De אַלְיָה vid. ad Ex. 29, 22. — 11. לֶחֶם אִשֶּׁה לַיהוָה *Cibus sit ignis Jovae*, i. e. comburatur in Jovae honorem.

16. 17. כָּל־חֵלֶב לַיהוָה *Omnis adeps est Jovae.* Intelligitur is tantum adeps, qui adhuc memoratus est, et in Jovae honorem debebat comburi. — 17. כָּל־חֵלֶב וְכָל־דָּם לֹא תֹאכֵלוּ *Ne ullum adipem* (se. eum, de quo adhuc praescriptum est) *ullumve sanguinem comedatis.* Quod interdictum procul dubio respiciebat ad valetudinem in orientalibus illis regionibus, in quibus sanguis citius in putredinem abit, ideoque in cibum noxior est quam in nostris septentrionalibus regionibus. Accedebat fortasse, quod sanguinis esus in sacrificiis in foederum pactione ethnicorum usitatus esset; ita ut is, qui in sacrificiis sanguinem biberet aut ederet, sese deorum ethnicorum cultorem profiteri videretur. Vetuit igitur Moses sanguinis esum sub capitis supplicio, 17, 10—14. 19, 26. Deut. 12, 16. 23. 24. 15, 23. Conf. Michaelis *Jus Mos.* P. 4. §. 206.

Cap. 4.

Hostiae pro peccato praescribuntur Pontifici, multitudini, Principi, privato cuilibet, ritusque in his observandi.

2. 3. נֶפֶשׁ כִּי־תֶחֱטָא בִּשְׁגָגָה *Si quis peccaverit per imprudentiam*, ἐξ ἀγνοίας, uti habet Aquila, LXX. ἀκουσίως. — מִכֹּל תֵּעָשֶׂינָה *Ex omnibus praeceptis Jovae quae non facies*, i. e. aliquid, quod prohibitum est mandato Jovae, ne fiat; vetitum quidpiam admiserit. Post verba וְעָשָׂה מֵאַחַת מֵהֵנָּה *et fecerit unum ex iis*, subaudi: *sacrificio expiet delictum suum.* Nam hoc Vs. dicit Legislator, omnium peccata per errorem commissa certis sacrificiis debere expiari; tum (Vss. sqq.) quid singulis sit faciendum, docet. Ceterum solum peccatis per imprudentiam aut errorem admissis redemtio per piacula obtingere potuit; transgressio legis *voluntaria* nullo sacrificio poterat expiari, sed morte plectebatur, Num. 15, 30. — 3. הַכֹּהֵן הַמָּשִׁיחַ *Sacerdos unctus*, i. e. Pontifex. Max., LXX. ἀρχιερεύς. Quilibet enim Pont. Max. inungebatur, cum munus auspicaretur: reliquorum sacerdotum majores tantum inuncti sunt, coll. 16, 32. 21, 10. יֶחֱטָא לְאַשְׁמַת הָעָם *Peccabit ad delictum populi*, i. e. si aliquid commiserit per errorem, quod populus sequutus similiter peccaverit. פַּר בֶּן־בָּקָר *Juvencus filius bovis*, sed בֶּן־בָּקָר Hebraico more redundat. Intelligitur simpliciter *juvencus.* לַחַטָּאת *In sacrificium pro peccato.* Quod attinet חַטָּאוֹת (uti et אֲשָׁמִים, cf. ad 5, 6.) ea videntur fuisse muletae, quibus solutis poena peccati aut plane remittebatur, aut si in peccatum commissum capitis supplicium constitutum

esset, id mutabatur in poenam minus severam, ut 19, 20 — 22. Plerumque autem hacc sacrificia *abolitionem criminis* efficiebant; ut in peccatis, quae nominantur Vs. 2. 5, 1 — 4. 17. 20 — 26. Hanc sacrificiorum piacularium vim fuisse, apparet ex loquutione: כִּפֶּר עָלָיו הַכֹּהֵן וְנִסְלַח לוֹ *hoc modo sacerdos aboleat peccatum ejus, et poena ei remittatur;* infra Vss. 26. 31. 35. al. Ceterum de his sacrificiis observandum est etiam hoc, ea non pro omnibus promiscue peccatis praescripta fuisse, sed pro iis tantum, quae in aliis civitatibus solent supplicio, exilio aliisque poenis civilibus coërceri. Observat Michaelis ad h. l., haec sacrificia pro peccato divisa esse 1) in *majora*, in quibus victimarum sanguis ferebatur in sanctuarium, ipsae autem victimae, excepto adipe extra castra comburebantur, Vs. 3 — 21., et 2) in *minora*, in quibus sanguis non ferebatur in sanctuarium, et caro ab adipe separata a sacerdotibus sacrificantibus comedebatur. Quam divisionem respici putat Michaelis Hebr. 13, 10 — 12.

6. 7. אֶת־פְּנֵי פָּרֹכֶת הַקֹּדֶשׁ *Contra velum Sancti.* קֹדֶשׁ hic est Sanctum Sanctorum; פָּרֹכֶת enim significat aulaeum vel velum, quod dividebat Sanctum Sanctorum a Sancto, Ex. 20, 33. — 7. Ad כָּל־דָּם subaud. נִשְׁאָר *reliquum*, quod et 5, 9. exprimitur, nam *omnis* absolute non potest dici, quum una sanguinis pars in Sanctuario adspersa fuerit, vid. Vs. 12. Omnis sanguis in Sanctuario non effundebatur, ob hanc, uti credibile est, caussam, quod tanta sanguinis copia Sanctuarium nimis foedasset.

12. 13. 17. אֶל־שֶׁפֶךְ הַדֶּשֶׁן *Ad effusionem cineris*, i. e. ad locum, in quem cineres effunduntur. — 13. וְנֶעְלַם דָּבָר מֵעֵינֵי הַקָּהָל *Et occulta fuerit res ab oculis coetus*, i. e. resque coetui ignota fuerit. „Quorum verborum duplex esse potest sententia. Nam potuit peccatum committi incogitantia, quod moniti illico peccatum esse faterentur: aut id fieri, quod peccatumne esset, ignorarent, et moniti non agnoscerent, nisi lege demonstraretur.“ Clericus. — 17. מִן־הַדָּם i. q. Vs. 6. בַּדָּם; verbum טָבַל construitur cum מִן etiam 14, 16.

20 — 25. וְנִסְלַח לָהֶם *Et condonabitur illis.* „Si, qui moniti cognoverant, se legem violasse, aut imprudenter a se delictum esse, aliter animadverterant, nullo piaculo indigere se putassent; facile factum fuisset, ut paullatim omnes leges neglexissent, aut earum cognitionem insuper habuissent. Itaque ut legum cognoscendarum et observandarum studium apud Hebraeos Moses aleret, mulctam etiam ignorantia aut imprudenter peccantibus imponebat. Practerea observandum, peccata hic intelligi in rebus ritualibus, aliisque, in quae neque capitis supplicio sancitae fuerant, et facile poterant ignorari, aut non animadverti.“ Clericus. — 22. אֲשֶׁר נָשִׂיא יֶחֱטָא *Quodsi peccarit princeps.* אֲשֶׁר, h. l. *si, quodsi*, ut Deut. 11, 27. 28. נָשִׂיא significat proprie *hominem*

elevatum, tum, eminentem supra ceteros dignitate, uti erant Principes et capita tribuum et familiarum, qui praefecturam aliquam militarem vel judicis officium exercebant. Horum peccatorum expiatio separatur ab expiatione privatorum hominum, quod illa et majoris sint momenti et exemplo multum nocumenti afferant. — 24. הָעֹלָה — בִּמְקוֹם *In loco, ubi solet mactari holocaustum*, id vero est in atrio tabernaculi, ad partem septentrionalem, cf. ad 3, 2. — 25. וְנָתַן עַל־קַרְנוֹת מִזְבַּח הָעֹלָה *Tangat eo* (sanguine) *cornua altaris holocausti.* In omni sacrificio pro peccato altaris alicujus cornua debuerunt sanguine illini, sed hoc discrimine, quod in sacrificio pro peccatis pontificis et populi, ubi sanguis victimarum inferebatur in Sanctuarium, tingerentur cornua altaris suffitus, in aliis cornua altaris holocausti.

26. 27. 35. מֵחַטָּאתוֹ, i. q. עַל חַטָּאתוֹ אֲשֶׁר חָטָא *propter peccatum suum.* — וְנִסְלַח לוֹ *Condonetur ei* scil. peccati poena, qua a magistratu plectendus erat, nisi sacrificium obtulisset. — 27. נֶפֶשׁ אַחַת מֵעַם הָאָרֶץ *Anima una e populo terrae*, i. e. homo e populo, vir privatus. — 35. וְהִקְטִיר הַכֹּהֵן אוֹתָם *Adolebitque sacerdos ea*, quamvis חֵלֶב in singulari antecesserit, quia legislator plura intelligit membra, quibus adeps adhaerebat. Vid. c. 3. passim.

Cap. 5.

Quidam casus particulares referuntur, quibus debita erat hostia pro peccato. A Vs. 14. usque ad fin. agitur de hostia pro delicto offerenda iis casibus, quibus per ignorantiam in sacrificiis et caerimoniis divini cultus aliquis error esset admissus.

1—3. וְנֶפֶשׁ — אָלָה *Et anima si peccaverit et audierit vocem adjurationis*, cum aliquis peccaverit eo, quod audierit vocem adjurationis etc. Particula ו ante שָׁמְעָה hic usurpatur *αἰτιολογικῶς*, estque vertenda *quia*, *eo quod*, ut Gen. 26, 12. Deut. 17, 16. Apud Hebraeos jurans formulam jurandi non ipse pronunciabat, sed adjurationem audiebat. וְהוּא — עֵד *Testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est; nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.* Sensus totius sententiae est hic: si quis flagitium aliquod perpetraverit, et alius quispiam sub adjuratione advocatus in testem a judice, ut id, quod vel visu, vel aliter, de flagitio cognovit, testetur, si ferre testimonium sive metu, sive amore ejus, de cujus crimine inquiritur, sive alia ex causa subterfugerit, non erit immunis a crimine. Ceterum sententia hic pendet, usque ad Vs. 6., ad quem diversa omnia antecedentia membra referuntur, ut sensus sit: si quis horum peccatorum aliquod commiserit, debebit capram vel agnam in sui peccati expiationem offerre. — 2. Alius hic casus memoratur, de eo, qui rem immundam tetigerat, et vero non advertit rei immundae contactum, vel, postquam advertit, omisit adhibere purificationem legalem. אוֹ נֶפֶשׁ — שֶׁרֶץ טָמֵא *Vel anima, quae tetigerit ali-*

quid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile. וְנֶעְלַם מִמֶּנּוּ *Et ignotum ei fuerit*, subaud. לוֹ *et innotuerit ei*, sive יָדַע וְהוּא, ut Vs. 4. 5. habetur. וְאָשֵׁם *et reus fuerit*, i. q. Vs. 1. נָשָׂא עֲוֹנוֹ. — 3. אוֹ כִי — יִטְמָא בָּהּ *Aut qui tetigerit immunditiem hominis juxta omnem immunditiem, qua pollui solet*, i. e. quacunque tandem ratione is, qui tangitur, sit pollutus.

4. 5. אוֹ נֶפֶשׁ — לְהָרֵעַ אוֹ לְהֵיטִיב *Aut anima, quae juraverit temere effutiendo labiis suis, sive male, sive bene facere*, i. e. Quisquis jusjurandum temere effuderit sive ad nocendum, sive ad benefaciendum. Cujus loci sensum bene exposuit Clericus hoc modo: „Facile fieri potuit, ut in vehementiore affectu quisquam juraret, se alteri malefacturum, aut, ut interposito jurejurando, promitteret temere, quod dare non posset; deinde, jurisjurandi sui oblitus, nihil eorum praestaret. Ad malum quidem quod attinet, revocari jusjurandum debuit, sed propter temere effusum, mulcta delinquenti merito imponebatur. Si quid boni juratus quispiam promiserat, quod praestare non posset; mulctam quoque debuit propter temerarium jurisjurandi usum.“ לְכֹל — בִּשְׁבֻעַת *Secundum omne, quod homo temere loquitur in jurejurando*, quacunque de re homines temere jurare solent. — 5. וְהָיָה — מֵאֵלֶּה *Si quis, inquam, in ullo istorum deliquerit*, sc. eorum, quae Vss. 1—4. nominantur. וְהִתְוַדָּה וגו׳ *Tunc confitebitur, quod peccaverit in eo*, i. e. contra illud, h. e. tenebitur fateri delictum sacerdoti.

6. וְהֵבִיא אֶת־אֲשָׁמוֹ *Adducetque victimam suam pro delicto.* Quum antea (4, 3. 14. 21. 24. etc.) sacrificium pro peccato offerendum semper חַטָּאת dictum esset, hic vero, et Vs. 14. 19. 26. אָשָׁם vocetur; difficilis existit quaestio de utriusque sacrificiorum generis discrimine. Atque Clerico quidem nihil hic difficultatis occurrit; quippe qui divisionem illam existimat esse *nominis* tantummodo, non *rei:* „praeterquam enim, inquit, quod in hoc ipso Cap. manifeste confunduntur, natura ipsa Sacrorum diversa non fuit, quamvis חַטָּאוֹת et אֲשָׁמוֹת, pro varietate rerum, varia erant. Cap. 5, 2. 3. sacrificio, ad quod victima, חַטָּאת vocata, postulatur (quamquam et אָשָׁם dicitur Vs. 5.), damnantur, qui res immundas aut homines impuratos forte attigissent. Sic et Naziraeis, inopinato funere funestatis, imponitur אָשָׁם, quod et חַטָּאת dicitur Num. 6, 12. sqq. Cap. 14. leproso purgato imponitur אָשָׁם, Vs. 12., sed eadem victima dicitur חַטָּאת, Vs. 19. Ideo existimarim, quamvis חַטָּאת et אָשָׁם sint ejusdem potestatis, attamen usu factum, ut quaedam culpae frequentius solerent אֲשָׁמוֹת dici, aliae vero חַטָּאוֹת; non quod omnes, quae eodem nomine vocabantur, essent ejusdem naturae, et quae aliter ut plurimum appellebantur, diversae; sed quadam usus, penes quem arbitrium est loquendi, consuetudine, aut nulla

ratione nixa, aut saltem nobis ignota.“ Verum etsi negari nequeat, אָשָׁמוֹת et חַטָּאוֹת nonnumquam confundi, tamen manifesto ut duo diversa sacrificiorum genera discernuntur tum 7, 7., tum Ez. 40, 39. 42, 13. 44, 29. et pluribus in locis. Praeterea inter utrumque illud interfuisse constat, quod sanguis victimarum חַטָּאוֹת *altarium cornibus*, victimarum אָשָׁמוֹת vero *arae lateribus* adspergendus erat. Sed inter culpas ipsas, חַטָּאוֹת et אָשָׁמוֹת appellatas, quid interfuerit, quaeritur. Ex magna opinionum de ea re varietate, potissimae tantummodo sunt recensendae. 1) LXX. חַטָּאת ἁμαρτίαν, אָשָׁם vero πλημμελείαν vertunt. Ex quo nihil plane proficimus. Neque enim constat, quid intersit inter ἁμαρτίαν et πλημμελείαν, multo minus, idem interesse, quod inter חַטָּאת et אָשָׁם interest. 2) Haud pauci ex Judaeis interpretes אָשָׁם dictum putant *de quo dubium alicui sit, an peccatum aliquod admiserit*, חַטָּאת vero, *quod quis primo ignorasset, postea autem resciverit.* A qua sententia non multum diversus est Aben-Esra (in *Prolegg. ad Commentar. in Lev.*): *Nihil aliud interest inter sacrificium* אשם *et sacrificium* חטאת, *nisi quod hoc fieret ab homine, qui certum sciret, se per imprudentiam commisisse contra praeceptum aliquod, cujus poena erat exitium; prius illud vero* (אשם) *fieret ab eo, qui non certe sciret, sed ambigeret, utrum adversus ejusmodi praeceptum fecisset nec ne, unde vocabulum* אשם *etiam de sacrificio pro delicto dubio usurpari solet.* — 3) Aben-Esra חטאת, quod legis ignorantia, אשם vero, quod oblivione factum esset, dictum censet. 4) Herman. Venema (in *Diss. Sacr.* p. 322.) contendit, sacrificium חַטָּאת dictum, in *gravioribus* passim *delictis*, אָשָׁם in *levioribus* locum habuisse; v. g. cum Pontifex, totus coetus, aut Princeps se contaminasset, חַטָּאת obtinuisse, non אָשָׁם, Cap. 4.; porro cum quis de peccato certior esset factus, vel ejus convinci posset, חַטָּאת oblatum fuisse, ubi autem res dubia, nec juris aut facti certa esset notitia, אָשָׁם expiasse; illud in convictione per testes, hoc in spontanea peccati confessione fuisse requisitum. Sane 4, 27. 28., ubi de sacrificio חַטָּאת agitur, post indicatum peccatum ipsum illo sacrificio expiandum additur: אוֹ הוֹדַע אֵלָיו חַטָּאתוֹ אֲשֶׁר חָטָא *quando peccatum ab inscio commissum palam innotuerit.* Sed infra Vs. 17., ubi sacrificii אָשָׁם mentio fit, haec verba non adduntur. Hinc Joseph. (*Ant.* 3, 9. 3.) sacrificium pro delicto, אָשָׁם, ab illo oblatum fuisse tradit, qui peccavisset, et sui quidem peccati conscius esset, sed non ab alio redargui posset aut criminis convinci. Cum illo conspirat Philo, qui (*de Victimis* T. II. p. 247. ed. Mang.) *si quis arguente sua conscientia crimen admissum confessus fuerit, et ipse denuo sui fiat accusator*, cum sacrificium tale obtulisse ait. Consentiunt LXX., qui 5, 24. בְּיוֹם אַשְׁמָתוֹ vertunt ᾗ ἡμέρᾳ ἐλέγχθῃ, *qua die convictus fuerit*, vel, peccasse se cognoverit. Attamen et in nonnullis lustrationibus אֲשָׁמוֹת offerenda erant, coll. 14, 12. 21.

Num. 6, 11. sqq. — 5) Bernh. Sebast. Cremerus in *Antiquitt. Sacrar. Poecili*, Tom. II. p. 75. sqq. omnem quidem חַטָּאת suum אָשָׁם, *reatum*, observat habere, aeque ac reatus quovis comprehendatur peccato, quod ex 4, 13. 22. 27. et 5, 2. sqq. probare satagit, אָשָׁם tamen restrictam habere significationem, nec notare nisi violationem foederis, *sive* respectu proximi, in non servandis contractibus de deposito et mutuo, et restitutione rei perditae, accedente mendacio et perjurio; vel etiam, ex Lev. 19, 20. sqq., in violatione foederis matrimonialis, si quis vitium intulerit servae desponsatae, nec tum manu missae. Quod autem discrimen attinet utriusque sacrificii, Cremerus אָשָׁם praecise notare existimat *sacrificium*, ut vocat, *conscientiosum*, h. e. tale, quod ex solo conscientiae instinctu offerretur, cogente hominem, ut reatum suum, quem etiam hactenus habuerit, confiteretur, ejusque expeteret expiationem, quod ex Lev. c. 4. 19, 20 sqq., et Esth. 10, 18. 19. demonstrare studet. Nec hoc tamen congruit lustrationibus, de quibus 14, 12. 24. Num. 6, 11. 6) Grotius *culpam in omittendo* חַטָּאת dictam esse judicat, אָשָׁם *culpam in committendo*. Quo nihil longius a vero abesse potest, quum saepissime חַטָּאת dicatur, quod contra legem vetantem fieret. Quare 7) J. D. Michaelis in *Suppll.* P. III. p. 718. sqq. inversa vice חַטָּאת *sacrificium pro peccato commissionis*, אָשָׁם vero pro peccato *omissionis* fuisse autumat, eamque interpretationem variis, qui sub hujus capitis initio memorantur, casibus accommodare studet. Magis arridet vel 8) Guil. Outrami sententia (*de Sacrificiis* p. 135.), culpam eam praecipua quadam ratione אָשָׁם dictam fuisse, quae vel reo dubia esset, vel proximo damnum intulisset; vel 9) Jo. Gottl. Carpzovii illa (in *Mantissa de Sacrificiis*, pag. 707.), omne istud differentiae genus ex mero legislatoris arbitrio pendere, ad certas autem expiationum classes legibus esse revocatum, 1) in delicto dubio, cujus incerta esset conscientia, Lev. 5, 17. 18.; 2) in inquinatione Nazaraei, Num. 6, 12.; 3) in vi illata desponsatae, 19, 20. sqq.; 4) in incognita sacrorum defraudatione, Lev. 5, 16.; 5) in interversione rei alienae, vel concreditae, vel casu repertae, vel vi extortae, et jurato abnegatae, Lev. 5, 21. sq. De Wette in *Commentat. de morte Jesu Christi expiatoria* (Berol. 1813.) p. 14. Not. conjicit, discriminis, quod inter illa sacrificia initio intercesserat, veram rationem seriore tempore in oblivionem venisse, et neglectam fuisse, discrimine tamen ipso non prorsus abolito.

7. 10. 11. וְאִם־לֹא תַגִּיעַ יְדוֹ דֵּי שֶׂה *Quodsi non attingat manus ejus sufficientiam agni*, i. e. si adeo pauper sit, ut non suppetat ovis, quam offerat. — 10. וְאֶת־הַשֵּׁנִי *At de secundo*. כַּמִּשְׁפָּט *pro more*, secundum ritum praescriptum. — 11. אֲשֶׁר חָטָא Pro peccato, *quod peccaverit;* Vs. 6. est plena phrasis, עַל־חַטָּאתוֹ אֲשֶׁר חָטָא — לָבֹנָה לֹא־יָשִׂים *neque tamen oleum et*

thus superaddat. Oleum et thus non requirebantur, uti videtur pauperis commiseratione, ne prematur ultra id, quod satis est. Nam aliquantulum farinae nemo fuit, qui non haberet.

13. 15. וְהִיְתָה לַכֹּהֵן *Sit sacerdoti* sc. reliquum, quasi scriptum esset: וְהִיְתָה הַנּוֹתֶרֶת לַכֹּהֵן, cf. 2, 10. — 15. — נֶפֶשׁ מִקָּדְשֵׁי יְהוָה. Si quis per errorem interverterit aliquid de rebus sacris, veluti decimas aut primitias non solverit. Ante בְּעֶרְכְּךָ כֶּסֶף־שְׁקָלִים subaud. אוֹ *aut*, ut Deut. 18, 11. 1 Sam. 20, 22. Jes. 18, 6. Similiter decimam, de qua Deut. 14, 23., licuit pecunia permutare. בְּעֶרְכְּךָ *Ex aestimatione tua* sc. Mosis. Nam ad eum in Vs. 14. directus fuerat sermo. Post illius mortem haec aestimatio dubio procul concessa est magistratibus. De interpretatione vocum כֶּסֶף־שְׁקָלִים dissentiunt interpp. Plures et inter eos Vulgatus, pluralem שקלים positum putant pro duali, ut significentur *duo sicli;* adferunt exempla similis locutionis 1 Sam. 29, 3. Ez. 47, 13. Sed tum plane supervacaneum esset, quod praecedit, *ex aestimatione tua.* Equidem puto כֶּסֶף־שְׁקָלִים esse hypallagen pro שְׁקָלֵי־כֶסֶף; ut 2 Sam. 24, 24. Neh. 5, 15. Totius igitur Vs. hic erit sensus: si quis per errorem aliquid interverterit de rebus sacris; is vel offerat in sacrificium pro peccato illo arietem integrum; vel siclos argenteos recti et justi ponderis (בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ vid. ad Ex. 30, 13. coll. ib. 25, 10.), quantos sacerdos aestimabit sive constituet. Potuit enim fieri, ut res interversa tam exigui esset pretii, ut propterea nulla deberetur victima; ut si quis decimarum partem, quae sicli quartam partem non excederet, aut minoris etiam pretii esset, per errorem omisisset solvere.

16. 17. וְאֶת חֲמִישִׁתּוֹ יוֹסֵף עָלָיו *Insuper addita quinta parte.* Si exempli causa quinque Gomeros non solvisset, sex adferre ad sacerdotem oportebat; addita victima, si sacerdoti res tanti videbatur. — 17. וְאִם נֶפֶשׁ — תַּעֲשֶׂינָה *Si quis peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quae divina lege prohibentur.* Etiamsi haec verba idem videantur sonare, ac verba illa, quae leguntur 4, 27., nihilominus de diversis praeceptis uterque locus est intelligendus, ut et satis indicat hostiarum discrimen; illic enim *capella*, aut *ovis femella*, hic *aries integer* offerri praecipitur. Est autem prior ille locus c. 4. intelligendus de *praeceptis moralibus*, quae alios homines contingunt; hic vero de *praeceptis caeremonialibus*, quae sacrificia, vel res ad divinum cultum pertinentes tangerent, ut si quis, qui non sacerdos esset, res sacrosanctas ignoranter contrectasset, aut si quis per errorem victimam, quae defectu aliquo laboraret, vel feminam pro masculo in sacrificium obtulisset, si pollutus in templum ingressus fuisset, vel similia admisisset. וְלֹא יָדַע *Neque sciverit.* Horum verborum, ut recte Clericus monet, non unus sensus esse potest. Possunt enim intelligi 1) de ignorantia *juris*, de eo, qui fecerit, quod nesciret, sed factum probe norit; 2) de ignorantia *facti*, ut si quis inscius

cadaver, aut rem aliam immundam attigisset, et se quasi mundum gessisset; 3) de eo, quod ignoraretur *eo tempore, quo factum est*, sed postea est cognitum, seu ignorantia facti, seu juris spectetur; 4) de eo, quod *dubium* est, ad factum quod attinet, ut si quis, exempli gratia, dubitet, an cibus, quem ederit, contactu rei pollutae contaminatus fuerit. Videtur autem hic omnino *secundum* esse admittendum. Nam quum Moses c. 4. sacrificia imposuerit iis, qui ignorantia *juris* peccassent; quae sequuntur a Vs. 2. hujus cap., pertinent ad ignorantiam *facti*.

21—24. בַּיהוָה — נֶפֶשׁ *Si quis peccaverit et delictum commiserit in Jovam*, i. e. si quis dolo admisso contra Jovam peccaverit. תְּשׂוּמֶת־יָד proprie significat *positionem manus*, deinde in genere omnem societatem, quae injecta manu solet confirmari, *stipulationem, sponsionem*. Vide ritum jungendi dextras in societate 2 Reg. 10, 15. Jer. 50, 15. Sic et LXX. *περὶ κοινωνίας*. Alii תְּשׂוּמֶת־יָד interpretantur *traditum in manum*, depositum. Sed hoc significatur voce פִּקָּדוֹן, quae proxime praecedit; ut taceamus, tunc non יָד sed בְּיָד scribi debuisset. אוֹ עָשַׁק אֶת־עֲמִיתוֹ *Aut injuste laesit sodalem suum*. Bene LXX. ἢ ἠδίκησέ τι τὸν πλησίον. Michaelis: *oder er hat ihm sonst Unrecht gethan*. גָּזָל *Raptum*. Recte monet Clericus, hac voce significari rem vi extortam, cum nullus esset testis. Itaque quae leguntur Ex. 22, 7. sqq. videntur ad eos casus pertinere, ubi res probari poterat; hic autem locus ad eos spectare casus, in quibus laesus nihil potuit contra laedentem probare. Cf. Michaelis *Jus Mos.* P. 6. §. 289. — 22. אוֹ מָצָא אֲבֵדָה וְכִחֵשׁ בָּהּ *Aut invenerit rem amissam et de ea mentitus fuerit*, negaverit eam a se inventam. — וְנִשְׁבַּע בָּהֵנָּה *Aut falso juraverit de uno ex omnibus; quae faciet homo peccando in illis*, i. e. vel falso de ulla re, circa quam homines peccare solent, juraverit. Futurum apud Hebr. consuetudinem significat, ut saepius observatum. Hoc jusjurandum est de re praeterita, quum Vs. 4. jusjurandum de re futura memoratum esset. — 24. וְשִׁלַּם אֹתוֹ בְּרֹאשׁוֹ *Et reddat illud capite suo*. Nomen רֹאשׁ *caput*, per synecdochen saepe pro homine aut quavis re ipsa poni solet (vid. Glassii *Philol. Sacr.* p. 1271. ed. Dath.). Sensus igitur esse videtur: *reddat ipsam rem*, quam intervertit, *aut ei par* sive aequale. וַחֲמִשְׁתָּיו יֹסֵף עָלָיו *Addita insuper quinta ejus*, s. pretii *parte*. לַאֲשֶׁר הוּא לוֹ *Ei cujus est*, proprio ejus domino. בְּיוֹם אַשְׁמָתוֹ *Die delicti sui*, i. e. eo die, quo fatebitur se peccasse, et sacrificium pro delicto offeret.

Cap. 6.

Ritus traditur jugis Sacrificii, ratio item alendi ignis perpetui in altari. Additur ritus fertorum farreorum, tam quotidiani, quam ejus, quod a sacerdote in inauguratione offerendum esset. Denique Sacrificio piaculari praescribitur locus, in quo immolanda hostia, locus, in quo edenda, a quibus edi debeat, et alia ad illud spectantia.

2. 3. זֹאת תּוֹרַת הָעֹלָה *Haec est lex holocausti*, hae sunt ceremoniae observandae in holocausto, se. quotidiano, in quo mane agnus unus, alter vesperc immolabatur, de quo fuse agitur Exod. 29, 39. Num. 28, 3. מוֹקְדָה conferendum cum Arab. وقود *incendium*, *materia ignis*, hinc מוֹקְדָה erit locus, ubi aliquid incenditur, *rogus*. כָּל־הַלַּיְלָה עַד־הַבֹּקֶר *Tota nocte usque ad mane*, sc. eremabitur. Manifestum est, agi his verbis de sacrificio vespertino, quod sub occasum fiebat et tota nocte lento igne eremabatur usque ad cineres. אֵשׁ הַמִּזְבֵּחַ תּוּקַד בּוֹ *Ignis altaris aletur in eo*, h. e. ad holocausti eremationem non assumetur ignis alienus et extraneus, sed sacer, qui in altari continue lignis additis fovetur. — 3. וְלָבַשׁ הַכֹּהֵן מִדּוֹ בָד *Sacerdos induat vestimentum suum lineum.* בַּד esse *linum xylinum*, i. q. Aegyptiaco nomine שֵׁשׁ vocatur, apparet ex eo, quod eaedem vestes, quae hic intelliguntur, Ex. 28, 5. sqq. dicuntur שֵׁשׁ *bysso*, i. e. *lino xylino* confectae. בַּד i. q. Arab. بز *byssus*, permutatis literis ד et ז, quo in hisce linguis nil frequentius. Quod autem Hebraeorum sacerdotes vestes byssinas gerebant, id factum videtur ad exemplum Aegyptiorum sacerdotum. Retinuit Moses has vestes fortasse etiam ideo, quod facillime purgentur a sanguine et aliis, quibus eae in Sacris faciendis maculari solerent.

6. 7. אֵשׁ — תּוּכַד *Ignis super altari inextinctus ardere debet.* Plures Hebraeorum et Christianorum interpp. voluerunt, miraculo factum esse, ut ignis coelitus semel delapsus (vid. 9, 24.) in altari accensus manserit. Sed tale miraculum, de quo nihil habet Moses, est commentitium. Ignis perpetuus et in aliarum gentium fanis ali solebat. Persae non tantum ignem colebant, quasi Numinis imaginem, sed et accensum in altari perpetuo alebant. Curtius 3, 3. de ordine, quo Darii exercitus progrediebatur: *Ordo agminis erat talis: ignis, quem ipsi sacrum et aeternum vocabant, argenteis altaribus proferebatur.* Vid. ibid. 4, 13. 14. Amm. Marcell. 23, 6. de Magis: *Feruntque, si justum est credi, etiam ignem coelitus lapsum, apud se sempiternis foculis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam, praeisse quondam Asiaticis regibus dicunt.* Cf. Hyde *de Relig. Vett. Persar.* Cap. 8. p. 148. edit. sec. Notus est aeternus ignis aedis Vestae. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 176. Quod apud Hebraeos ignis perpetuus in ea ara servaretur, in qua quotidie Sacra fiebant, causa fortasse haec fuit, ne ex sacerdotum negligentia ignis ad sacrificia necessarius unquam deesset. — 7. Inde ab hoc Vs. usque ad 11. praecipitur de ferto, quod sacrificio quo-

tidiano solebat addi: diversum igitur est ab eo, quod abs homine privato offerebatur, et Cap. 2. describitur.

9. 11. 13. Quum ferti reliquias necessario a sacerdotibus in loco sacro comedi oporteret, Moses hac ratione simul sacerdotum victui providit. Azymos panes praefert fermentatis, quia minus puri hi habebantur. Sic et apud Romanos Flamini Diali *farinam fermento imbutam adtingere fas non erat*, auctore Gellio *Noct. Att.* 10, 15. — 11. כֹּל אֲשֶׁר־יִגַּע בָּהֶם יִקְדָּשׁ *Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur*, i. c. sacer esto; nemini licitum est haec adtingere, nisi sacerdoti. — 13. בְּיוֹם הִמָּשַׁח אֹתוֹ *Die quo ungetur* non Aaron tantum, sed omnes post eum futuri Pontifices Maximi. מִנְחָה תָּמִיד *Fertum perpetuum* i. e. quotidianum.

14. 15. מֻרְבֶּכֶת explicandum est ex Arab. رَبَكَ *commiscuit, bene paravit jusculo confractum intritumque panem.* Hinc bene MICHAELIS בַּשֶּׁמֶן מֻרְבֶּכֶת reddit: *hinlänglich in Oel umgekehrt.* Verba תֻּפִינֵי מִנְחַת פִּתִּים vulgo *coctiones muneris frustorum* vertunt. Videlicet תֻּפִינִים referunt ad אָפָה *coxit.* Hinc Jarchi exponit: *coctum multis coctionibus;* nam *post frixionem coquebat* sacerdos *in furno, dein iterum fringebat illam in sartagine.* Id sequutus Moses Mendelii fil. sic vertit: *Zwieback und in Stücken zerbrochen.* Verum תֻּפִינִים ad אָפָה referre, non admittit ratio, qua nomina a verbis formare Hebraei solent. Videtur pro תַּאֲפִינִים esse ab אָפַן, Arab. افن, *diminuit*, ut verba ita sint vertenda: *comminuta*, frustulatim concisa *muneris frustorum*, i. e. eodem modo offerri debet quo fertum supra 2, 6. מִנְחָה offerri praescribitur. LXX. recte ἐφικτὰ, *frusta* reddiderunt. — 15. כָּלִיל תֻּקְטָר *Tota adolebitur.* Ex aliorum oblationibus farreis pars tantum Jovae sacra in altare cremabatur, reliqua sacerdotibus cedebat, Vs. 9. Quum vero placenta sacerdotis tota cremaretur, perinde est ac si diceretur, eam totam Jovae esse.

19. 21. הַכֹּהֵן הַמְחַטֵּא אֹתָהּ *Sacerdos qui eam victimam piacularem offeret.* הַמְחַטֵּא LXX. recte ἀναφέρων verterunt, et Vulgatus *qui offert.* חָטָא proprie est *expiare;* sed non modo cum persona conjungitur, ut Ps. 51, 9. תְּחַטְּאֵנִי *expiabis me*, sed etiam cum re, id est, sacrificio, ut hic et 10, 15., quamvis minus proprie; neque enim expiatur victima, sed is, cujus nomine offertur. — 21. וּכְלִי־חֶרֶשׂ — בְּמוֹ *Vas testaceum, in quo coctum fuerit, frangatur, aeneum vero defricetur et aqua eluatur.* Ratio discriminis est, quod vas fictile aliquid humoris et jusculi imbibat, non item vas aeneum, aut ex alio metallo (sub *aeneo* enim cetera etiam vasa metallica intelligi debent): accedit, quod vasis fictilis exiguum sit dispendium praequam vasis aenei aut ferri. Favet autem Moses vasis aeneis magis, quam testaceis, id quod nobis periculosum videri possit, quum vasa aenea facile aerugine induci soleant. Sed hoc periculum verendum non est, ubi vasa illa frequenter defricantur et aqua eluuntur, quod sine dubio fiebat

ab Israelitis, utpote populo, jam ex legibus religionis munditiei adsueto. Cf. MICHAELIS *Jus Mos.* P. 4. §. 217.

Cap. 7.

Alii nonnulli ritus in sacrificiis piacularibus et eucharisticis observandi praescribuntur. Adipis et sanguinis esus prohibetur.

7. 10. 12. כַּחַטָּאת כָּאָשָׁם *Sicut sacrificium pro peccato, ita sacrificium pro delicto*, par est utriusque sacrificii ratio, sunt nempe sacerdotis, qui in hujusmodi expiatione ministerio fungitur, ut statim explicatur. — 10. אִישׁ כְּאָחִיו *Una mensura per singulos dividetur.* — 12. עַל־תּוֹדָה subaudi זֶבַח, *sacrificium confessionis*, sive laudationis, quo videlicet offerens confitetur, se accepisse beneficium a Deo, ac laudat commendatque gloriam bonitatis Dei.

13—18. עַל־חַלּוֹת — עַל־זֶבַח *Praeter placentas panem etiam fermentatum in altari offeret.* Mirum videri possit, quod hic jubeantur panes offerri fermentati. Sed supra tantum prohibitum erat offerre fermentum vel aliquid fermentatum, ut pars ejus adolerctur super altare, id quod manifeste dicitur 2, 4. 11. 6, 17.; non autem prohibita erant, immo discrte excipiuntur 2, 12. ea, quae primitiarum nomine afferuntur Sacerdotibus in cibum, cujusmodi hi panes fuerunt. — 14. תְּרוּמָה *Oblatio*, cf. ad Ex. 25, 2. Sensus hujus Vs. est: unam ex illis placentis Jovae esse consecrandam, eandemque placentam deinde cedere in cibum sacerdotis ejus, qui sanguinem sacrificii eucharistici sparserit. Reliqui panes redibant ad offerentes. — 16. נְדָבָה est *victima spontanea*, quae nullum ob singulare beneficium, sed impetu quodam religiosi animi offerebatur. וְהַנּוֹתָר *Reliquum quoque;* Particula ו hic notat *etiam*, ut Deut. 1, 18. Prov. 24, 27. — 17. וְהַנּוֹתָר — יִשָּׂרֵף *Quae vero tertio die adhuc supersunt, comburentur igne.* Hujus legis caussa procul dubio haec erat, ut sacra facientes ditiores carnem Levitis et pauperibus liberalius distribuere cogerentur, quod non factum esset, si licuisset illam servare. Fortasse et ideo illud jussum est, ne sacrificiorum obtentu convivia in plures dies protraherentur. — 18. לֹא יֵחָשֵׁב לוֹ *Non imputabitur illi*, h. e. non habebit hoc Deus pro sacrificio sibi debito. פִּגּוּל יִהְיֶה *Erit foetor*, i. e. impurum censetur.

19. 21. וְהַבָּשָׂר — טָמֵא *Caro*, sc. victimarum, *quae aliquid immundum attigerit.* וְהַבָּשָׂר כָּל־טָהוֹר יֹאכַל בָּשָׂר *Alioquin ad illam carnem quod attinet, cuique, si modo mundus sit, ea vesci licet.* Repetitio nominis בָּשָׂר (bene observante SEB. RAVIO in *Exercitt.* p. 57.) h. l. necessaria fuit. Nempe lex de carne sacrificiorum a puris hominibus comedenda, est generalis, coll. 22, 4—9., neque solum carnes sacrificiorum salutarium spectat, de quibus hic agitur, sed carnes quorumcumque aliorum sacrificiorum, quae comedebantur. Quodsi enim legislator pro יֹאכַל בָּשָׂר di-

xisset יֹאכַל מִמֶּנּוּ, intelligi potuisset de solis carnibus sacrificiorum salutarium loqui velle, non de aliis, per quas comedentes communionem haberent cum altari, nec canonem generalem voluisse tradere. Nunc autem apparet manifestissime, legem generalem esse, quae fertur, ansam dante carne sacrificii salutaris, et carnem, cujus hic mentio fit, non de solo hoc sacrificio intelligendam, sed etiam de sacrificiis aliis. — 21. Pro שֶׁקֶץ videtur legendum שֶׁרֶץ, *reptile*, ut habent Samaritanus, Syrus, Arabs, Chaldaeus, sex Kennicotti codices, et duo de Rossii. Illud praeferendum videtur vulgo recepto *ταυτολογικῶς* dicto שֶׁקֶץ טָמֵא *res abominanda immunda*. Ut antea hominum pecudumque immundorum mentio est facta, ita nunc commode commemorantur reptilia immunda.

24—26. יֵעָשֶׂה לְכָל־מְלָאכָה Adhiberi poterit ad varios usus. — 25. כִּי — מַעֲלִיתִי *Quisquis comederit adipem pecudis, ex qua obtulerit Jovae oblationem igne absumendam, is exscindatur e populo.* Non est sermo de omni adipe, sed de eo tantum, qui in sacrificiis eucharisticis vel piacularibus Deo immolabatur, nempe de adipe viscerum, renum et caudae crassae, de quibus c. 3. et 4. praecipitur. Ab hoc adipe debebant Israelitae abstinere etiam in bovis et ovis comestione vulgari. Quod interdictum forsan eo spectabat, ut Israelitae olivarum culturam summa industria exercerent, cf. ad Ex. 23, 19. — 26. וְכָל — מוֹשְׁבֹתֵיכֶם *Nullum sanguinem comedetis in omnibus vestris habitationibus*, i. e. ubicunque locorum habitetis. Hoc addit Moses, ut intelligatur, hac lege non solum esu sanguinis in sacrificiis vetari, sed omnino in omnibus comestionibus.

30—37. יָדָיו תְּבִיאֶינָה אֶת אִשֵּׁי יְהוָה *Manus ejus adferent ad Jovam oblationem igne absumendam.* Eundem, qui manus victimae capiti imposuerat, oportebat proficias ejus adferre ad Sacerdotem, per alium facere non licebat. De תְּנוּפָה vid. ad Exod. 29, 24. — 34. חֲזֵה הַתְּנוּפָה וְשׁוֹק הַתְּרוּמָה *Pectus agitationis et armus elevationis*, i. e. pectus, quod porriciendo, et armus, qui elevando Deo offerebatur. — 35. זֹאת מְשִׁחַת אַהֲרֹן LXX. *αὕτη ἡ χρίσις Ἀαρών*. Vulgat. *Haec est unctio Aaronis.* Quam versionem et plures e recentioribus sequuntur, et interpretantur *praemium* s. *mercedem unctionis*, sive id, quod sacerdotibus solvebatur eo, quod uncti essent. Sed huic interpretationi vocis מִשְׁחָה obstat locus Num. 18, 8., ubi dicitur, Deum sacerdotibus dedisse oblationes sibi consecratas לְמִשְׁחָה, ubi nullus est sensus, si vertitur, *ad unguendum.* Igitur h. l. procul dubio est adsciscenda significatio *dimetiendi*, quam verbum מָשַׁח in lingua Arab. et Syr. habet, unde מִשְׁחָא *dimensio*, *portio*, quae posterior significatio huic nostro loco est apta. — 37. Hoc Vs. est finis legum de sacrificiis, quae Cap. 1. incipiunt.

Cap. 8.

Aaron et filii sacerdotio initiantur, adhibitis variis sacrificiis et unctionibus tum ipsorum, tum tabernaculi, ipsiusque suppellectilis.

3. 10. Observat Dathius, apparere ex Versu 3., nominibus עֵדָה et קָהָל non universum populi coetum esse intelligendum, sed singularum tribuum legatos sive deputatos, qui ex mandato tribus ejus aut familiarum, a quibus erant delegati, cum Mose reliquisque legatis agebant, et quae conclusa essent, ad suos referebant; ad instar senatus supremi aut comitiorum in Anglia. De qua democratica reipublicae Judaicae forma et constitutione egit Michaelis in *Jure Mos.* P. I. §. 45. sqq. — 10. וַיְקַדֵּשׁ אוֹתָם *Sanctificavit ea*, sc. tabernaculum et ejus supellectilem, unctione res eas a profanis usibus separabat et divino cultui dedicabat.

12. 15. וַיִּצֹק — לְקַדְּשׁוֹ *Porro de oleo illo effudit in caput Aaronis et unxit et consecravit eum.* Haec erat peculiaris consecratio summi Pontificis, et id, in quo illa a ceterorum sacerdotum consecratione differebat: ceterorum enim caput non ungebatur. — 15. עַל־קַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ *Ad cornua altaris*, se. holocausti, statim enim additur, fusum fuisse reliquum sanguinem ad fundamentum altaris, quod de alio non potest intelligi quam de altari holocausti. Ceterum sacrificium, de quo hic sermo est, discerni debet ab eo, quod c. 4. describitur. H. l. enim praecipitur de sacrificio pro peccato Pontificis Max. *consecrandi*, nec pro certo aliquo peccato, sed pro peccatis in genere: c. 4. autem de sacrificio pro peccato Pontif. M. *jam consecrati*, itemque pro peccato aliquo certo. וַיְחַטֵּא אֶת־הַמִּזְבֵּחַ *Et expiavit altare.* Verbum חִטֵּא hic est *a peccato mundare.* Bene Onkelos: *purgavit*, i. e. profanum usum in usum sanctum commutavit. לְכַפֵּר עָלָיו i. q. חִטֵּא modo explicatum, vid. ad 1, 4.

33. 34. וּמִפֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד לֹא תֵצְאוּ שִׁבְעַת יָמִים *Interea ex ostio tabernaculi non egrediemini per septem dies.* Hoc non de ostio *sancti*, sed de ostio *atrii* est intelligendum. Neque enim licuit sacerdotibus in ipso tabernaculo dormire aut in eo sedere. Ex iis, quae anteeedunt, liquet, eos extra tabernaculum esse versatos, ad sacra faeienda et ad eoquendas ae. eomedendas victimarum carnes. Eo autem, quod per septiduum in tabernaculo sacerdotes manere debuerunt, moniti esse videntur, se ei Numini consecrari, qui septem diebus omnia ereavit. — 34. כַּאֲשֶׁר עָשָׂה בַּיּוֹם הַזֶּה *Sicut hodie est factum.* עָשָׂה hic ponitur passive, ut saepe אָמַר et קָרָא vid. 1 Sam. 23, 22. Gen. 16, 14., ubi vid. not.

Cap. 9.

Peracta sacerdotum consecratione, sacrificiorum primitias offert Aaron pro se et populo; quibus completis ipse populo bene precatur; post quae, Mose et Aarone tabernaculum ingressis, et ex eo paulo post egressis, ignis a coelo in altare delapsus, quae in eo erant sacrificia, absumit.

1 — 17. בַּיּוֹם הַשְּׁמִינִי *Die octavo.* Post completos dies consecrationis, seu, jam absoluta tota sacerdotum consecratione. זִקְנֵי יִשְׂרָאֵל *Senes Israelis* sunt sine dubio iidem, quos Moses c. 8. sub עֵדָה et קָהָל intelligit. — 4. הַיּוֹם יְהוָה נִרְאָה אֲלֵיכֶם *Hodie Jova vobis apparebit.* Nubes lucidissima et iguea in tabernaculum descendet, cf. Vs. 6. — 5. אֶל־פְּנֵי אֹהֶל *Ad faciem tentorii*, i. e. ad anteriorem ejus partem. — 9. וַיִּתֵּן עַל־קַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ *Et illevit eo* (sanguine) *altaris cornua.* Videtur intelligi altare holocaumatis, de quo in verbis, quae sequuntur. Cornua altaris suffitus tingebantur, cum sacrificium fierct pro certo aliquo peccato Pontif. M., cjusdemque jam consecrati: tunc enim solemnius erat sacrificium et plures adhibebantur ceremoniae. Vid. 4, 7. sqq. — 12. וַיִּמְצְאוּ בְּנֵי אַהֲרֹן אֵלָיו אֶת־הַדָּם *Invenire fecerunt filii Aaronis illi sanguinem*, i. e. porrexcrunt ei sanguinem. וַיִּמְצְאוּ h. l. est i. q. Vs. 9. וַיַּקְרִיבוּ. — 17. מִלְּבַד עֹלַת הַבֹּקֶר *Praeter sacrificium matutinum*, sc. quotidianum, de quo Ex. 29, 39.; q. d. neque tamen ob haec sacrificia omittendum est holocaustum matutinum agni, qui quotidie est offerendus.

22 — 24. וַיִּשָּׂא — וַיְבָרְכֵם *Et sustulit Aaron manus suas super populum, et bene precatus est iis.* Solebant bene precantes iis, quibus bene precabantur, manus interdum imponere, coll. Gen. 18, 14. Quod quum non facere singulis posset Aaron, manus e longinquo sustulit ad populum conversus. — 23. — וַיָּבֹא מֹשֶׁה *Iverunt autem Moses et Aaron in tabernaculum conventus.* Ut Moses Aaronem doceret, quomodo esset suffitus adolendus, ut jubet Deus Ex. 30, 7. 8. — 24. וַתֵּצֵא אֵשׁ מִלִּפְנֵי יְהוָה *Et exiit ignis e conspectu Jovae*, i. e. e media nube, quae tabernaculum impleverat. וַתֹּאכַל — הַחֲלָבִים *Atque absumsit holocauma et adipes.* Talis coelestis iguis ad consumenda sacrificia demissus, habebatur ab omnibus antiquis gentibus pro singulari et manifesto signo praesentis Numinis, et sacrificii illi grati. Mentionem facit Solinus in *Polyhist.* Cap. 5. collis cujusdam in Sicilia, ubi imposita super aras lignorum vitcorum congeries igne coelitus dclapso incendebatur. *Si*, inquit, *adest Deus, si sacrum probatur, sarmenta, licet viridia, sponte concipiunt, et nullo inflagrante halitu ab ipso Numine fit incendium. Ibi epulantes adludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit; nec aliud est, quam imago, nuncia perfecti rite voti.* Ita Servius ad *Aeneid.* 12, 200. tradit, apud majores aras non incensas fuisse, sed ignem eos divinum precibus elicuisse, qui incende-

rit altaria. Pausanias L. 5. sub fin. de duobus Lydiae oppidis narrat, arte magica ibi, sponte sua *ex lignis foco impositis nullo admoto igne purissimam flammam eductam esse.* וַיִּפְּלוּ עַל־פְּנֵיהֶם *Et procidit* (populus) *in vultum.* Quia laetitiae mistus erat metus praesentis Numinis. Vid. Ex. 34, 8.

Cap. 10.

Nadab et Abihu, Aaronis filii, profanum ignem assumentes ad incensum offerendum divinitus perimuntur. Ceteris in planctu funebri occupatis, prohibentur sacerdotes in planctu occupari. Vini potus et ceterorum, quae inebriare possunt, sacerdotibus, quamdiu in sacro ministerio occupantur, interdicitur. Adduntur nonnulla circa sacrificiorum ritus observanda.

1—3. אֵשׁ זָרָה *Ignis alienus*, non ex altari sumtus. אֲשֶׁר לֹא צִוָּה אוֹתָם *Quod iis non praeceperat.* Videtur hic esse μείωσις, et verba haec idem valere ac, quod ipsis severe prohibuerat. Similis locutio est Ex. 20, 7. Ps. 78, 50. 84, 12. Quamquam enim in iis, quae praecedunt, non extat hoc interdictum, tamen est verisimile, Mosem vetasse Aaroni et filiis ejus, ne ignem alienum altari imponerent. — 2. וַתֵּצֵא אֵשׁ מִלִּפְנֵי יְהוָה *Egressus vero est ignis a Jova.* Intelligitur *fulgur*, quod saepius ignis Dei vocatur. וַתֹּאכַל אוֹתָם *Et eos consumsit*, hoc fulgure tacti perierunt. Sed hoc non proprie est intelligendum; ex iis enim, quae sequuntur, liquet, filios Aaronis tantum esse ambustos et quidem aliqua dumtaxat parte corporis, eorum tunicae enim lineae absumtae non fuerant. וַיָּמֻתוּ לִפְנֵי יְהוָה *Coram Jova mortui sunt*, i. e. in tabernaculo. Observat Clericus, Deum tam graviter puniisse filios Aaronis, ut exemplum statueret, ne Sacerdotes in posterum sacra mutarent, prout videretur; a minoribus enim mutationibus ad majores progredi potuissent. — 3. הוּא אֲשֶׁר־דִּבֶּר יְהוָה *Hoc est quod Jova dixit* Intelliguntur procul dubio, quae Deus Ex. 19, 22. dixit, quamquam non iisdem plane verbis. בִּקְרֹבַי *In propinquis meis*, i. e. ab iis, qui ad me propius accedunt. Ita vocantur sacerdotes, qui ministrandi caussa propius ad loca Deo sacra accedebant (Ez. 42, 13.). אֶקָּדֵשׁ *Sanctificabor.* Fut. pro Imper.: quaecunque ad cultum meum pertinent, ea sacerdotes mei sacra habeant oportet et a profanis secernant. Sanctificant Deum, qui eum sancte habent, quod testari oportet homines, Sacra illius reverenter habendo. וְעַל־פְּנֵי כָל־הָעָם אֶכָּבֵד *Et honorabor coram omni populo*, id est, ita enim populus quoque majestatem meam venerabitur.

5—7. בְּכֻתָּנְתָם *In tunicis suis*, i. e. quales jacebant, non exutis tunicis sacris. — 6. רָאשֵׁיכֶם אַל־תִּפְרָעוּ *Capita vestra ne denudetis.* Mos enim erat lugentium, caput denudare, mitramque aut galerum sive tiaram detrahere. פָּרַע *removendi*, *alienandi a se* notionem obtinet; convenit enim cum Arab. פרג, *absolvit rem*,

vacuus est a re. Eandem *nudandi* notionem Vb. פָּרַע habet Num. 5, 18. Interdicitur itaque sacerdotibus, ne in luctu tiarae ornamentum ex impatientia detraherent. Eodem modo LXX. *τὴν κεφαλὴν ὑμῶν οὐκ ἀποκιδαρώσετε, caput vestrum cidari non disco operietis.* וּבִגְדֵיכֶם לֹא־תִפְרֹמוּ *et vestimenta nolite scindere*, ut alias lugentes solerent, Jos. 7, 6. Jud. 11, 35. Sed sacras vestes dilacerare, nefas fuisset. וְעַל כָּל־הָעֵדָה יִקְצֹף Repetendum est ante עַל *ἀπὸ τοῦ κυτοῦ* לֹא, *atque ne effervescat*, irascatur Deus, *in universum coetum.* יִבְכּוּ אֶת־הַשְּׂרֵפָה *Plangant incendium*, sive *ambustionem*, i. e. mortuos ambustione, qua illos Jova occidit. — 7. Sensus hujus Vs. est, sacerdotes non egredi debere atrio ad planctum et funus peragendum, quod funeris deductio immunditiem adferret, a qua remoti esse debebant sacerdotes.

9. 14. שֵׁכָר comprehendit omnem potum, qui potest inebriare. Hieronymus in *Epist. ad Nepotianum: Sicera Hebraeo sermone omnis potio, quae inebriare potest, sive illa, quae frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquuntur in dulcem et barbaram potionem; aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior coloratur.* Aegyptii enim antiquissimis temporibus ex hordeo potionem vino similem faciebant, ut testatur Herodot. 2, 67. *οἶνῳ δ' ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται.* Diod. Sic. Lib. 1. de Osiride: *Quodsi qua terra plantam vitis non admitteret, docuisse ajunt potum ex hordeo confectum, vino fragrantia et efficacitate haud multo inferiorem.* E dactylis etiam Orientales potum ebriantem facere solebant et adhuc solent. Ceterum ex hoc interdicto h. l. posito, potest colligi, Nadabum et Abihum ebrios fuisse, quum suffitum vellent offerre. וְלֹא תָמֻתוּ *Ne moriamini*, i. e. ne vos Deus ob legem violatam morte plectat. — 14. בְּמָקוֹם טָהוֹר *In loco puro*, domi nempe, non in Atrio, in quo cibum non capiebant uxores et filii sacerdotum. Sed conclave nulla immunditie *impuratum* esse debebat. Manifeste indicatur haec distinctio in Hebraeo: si enim *Atrium* intelligitur, additur קָדוֹשׁ, ut Vs. 13., si quilibet locus mundus, טָהוֹר, ut hic.

16. 19. וְאֵת שְׂעִיר — שָׂרֹף *Quum deinde Moses caprum piacularem quaereret, erat combustus.* Ut haec verba melius intelligantur, MICHAELIS jubet conferri Num. c. 7. Scilicet Israelitarum *φυλαρχοι* per duodecim dies initationis sacrificia, interque haec caprum quoque piacularem singulis diebus offerebant. Die initiationis octavo, in quem haec historia incidit, princeps tribus Manassis sacrificia sua obtulit, Num. 7, 54 — 59. Caper ejusmodi piacularis pertinebat ad minores illas victimas, quarum sanguis in sanctuarium non inferebatur, et quarum caro comedebatur a sacerdotibus sacrificantibus, coll. 4, 22 — 26. Hic autem ritus hoc die octavo praetermittebatur. — 19. וַתִּקְרֶאנָה אֹתִי כָּאֵלֶּה *Obvenerunt mihi talia*, i. e. mors duorum filiorum. וְאֻכַלְתִּי וגו׳ *Si*

hodie de victima piaculari ederem, num hoc Jovae probaretur? Lugentes ex lege Levitica immundi censebantur, neque sacrificiis vesci poterant. Aaron igitur, non quidem habitu externo, animo tamen lugens, noluit interesse epulis sacrificalibus. הַיִּיטַב scribitur hic ἀνομαλῶς pro הֲיִיטַב.

Cap. 11.

Mundorum et immundorum animalium discretio (1 — 32.); et de iis, quae ipso contactu hominem polluebant (33 — 47.).

Est statim in hujus Capitis limine monendum, dici ea animalia *pura*, quibus Judaei vesci solerent, *impura* vero, quorum in cibis usus insolens esset. Ita apud omnes fere gentes alia bestiarum genera pura, alia impura haberi constat, prout aliarum carnes in ciborum numero haberi, aut non haberi consuetudine invaluit. Quemadmodum vero nos ea animalia, quibus vesci non consuevimus, tamen ad alios usus adhibere et alere solemus, ita etiam Israelitis non prohibitum fuit, camelis, asinis, canibus, suibus aliisque animalibus immundis uti eaque alere, quamquam iis vesci non liceret. — Cur autem opinionem illam Israelitarum Moses lege sanxerit, variae adferuntur causae, quae legi possunt apud SPENCERUM de *Legib. Hebr. Ritual.* Lib. I. Cap. 5. Sect. 1. Videntur autem *duae* praecipue rationes fuisse discriminis illius inter animalia munda et immunda constituti. 1) Ne Hebraei in consortium aliarum gentium venirent. Nam frequens cum peregrinis commercium facile occasionem dare potuisset, ut Israelitae cultum et morem peregrinum adsciscerent. Hoc commercium autem valde impediebatur legibus de cibis vetitis. Nulla enim re una gens magis potest ab altera arceri, quam si una eos cibos comedit, quibus apud alteram vesci nefas habetur. Ea re fiebat, ut Aegyptii non facile transirent in mores aliarum gentium; quum enim iis non liceret cum aliis gentibus convivari (Gen. 43, 30.), hinc numquam cum iis familiariter vivere poterant; Hebraeis autem plane necessarium erat, ut ab aliis gentibus seorsim viverent, ne earum idololatriam et perditos mores adsciscerent. 2) Ob causam naturalem, repetendam ex situ illarum regionum, in quibus nonnullorum animalium caro minus salubris est, quam in nostris septentrionalibus, ut caro suilla etc. vid. Vs. 7. De qua re ERN. BENI. THEOPH. HEBENSTREIT (in Diss.: *Curae sanitatis publicae exempla*, P. I. Lips. 1779. p. 15.) doctissime hunc in modum disserit: „Puto hanc quoque fuisse harum legum utilitatem, quod nempe *valetudini publicae* prospexerint. Videtur autem in ea regione, quam Judaei incolebant, inprimis magna fuisse diaetae severioris necessitas, siquidem illa fervidissimis ventis, ab arenosis locis Arabiae desertae spirantibus, obnoxia est; ita, ut, nisi frigidior aura a mari medio accedens aestum temperaret, nullibi foret incolarum natura in morbos inflammatorios putridosque pronior. Fuit qui-

dem Judaeae cum plurimis regionibus ardore solis aestuantibus hoc commune, quod fructibus abundaret acore jucundo putridae humorum resolutioni resistentibus. Sed cum his non omne periculum posset averti, nisi ex animalium carnibus saluberrimae tantum assumerentur; legislatoris sapientiam satis admirari non possumus, qui iis maxime victus animalis generibus Israelitis interdixerit, quae citiore corruptione vitiantur. — Sanguis omnis in ventre difficulter coquitur, cruore in grumos aegre dissolubiles coeunte. Putredinem contrahit celerrime, qua et animalium suffocatorum carnes, sanguine turgidae, mox corrumpi solent. — Pinguium ciborum abusus sanitati semper est infestus, quippe qui ventriculi robur infringit, coctionem sufflaminat, ranoremque inducit, in quo difficiliorum morborum biliosorum et putridorum fomes est. Ex iis vero animalibus, quorum carnes Moses ab Israelitarum mensis praescripsit, pleraque aut in sordibus et coeno pabula quaerunt, aut aliorum animantium nece vivunt. Quo fit, ut homores utrorumque in putridam resolutionem facile vergant." Haec medicus doctissimus. Cf. et MICH. *Jus Mos.* P. 4. §. 202—4.

3. 4. כֹּל מַפְרֶסֶת פַּרְסָה *Omnia animalia, quae habent ungulam divisam.* Animalium quadrupedum nonnulla habent ungulam continuam et unicam, ut equi, muli et asini, alia divisam, ut boves, oves, caprae. Illa ab historiae naturalis scriptoribus vocantur *animalia solidungula*, haec, *animalia bisulca.* וְשֹׁסַעַת שֶׁסַע פַּרְסֹת *Et findens fissionem ungularum*, i. e. fissuram ungularum integram habens. Moses ea tantum animalia munda vult haberi, quae habent ungulas penitus fissas. Vid. Vs. sq. Ceterum est notanda lectionis varietas Cod. Samar. ante פרסת habet שתי *in duas partes.* Sic etiam legitur in loco parallelo, Deut. 14, 6. Eandem lectionem exhibent LXX. et Syrus. Negligenter, uti solet, latinus interpres in Polyglottis ea, quae praecedunt, et haec verba reddidit, *omne quod dividit plantas in duas ungulas.* Inter Codd. Hebrr. lectionem textus Samar. exhibet Cod. Cassellanus (vid. MICHAELIS *Bibl. Orient.* P. II. p. 212.), sex Codd. a Kennicotto citati et tres Rossiani. מַעֲלַת גֵּרָה *Adscendere faciens ruminationem*, i. e. quod ruminat. — 4. הַפַּרְסָה — אַךְ *Sed ex iis, quae vel ruminant vel divisam ungulam habent, his non vescimini.* מַפְרִיס — כִּי־מַעֲלַת *Ruminat quidem, sed non habet ungulam (penitus) divisam.* Nam pes cameli parte tantum anteriore penitus est fissus: pars posterior pedis supra quidem est divisa in duas ungulas, sed infra cohaerent pelliçula; igitur pes non plane bisulcus est. Plin. *H. N.* 11, 45. *Est camelo bisulcus, discrimine exiguo pes imus vestigio carnoso ut urso, qua de caussa in longiore itinere sine calceatu fatiscunt.* Cf. BUFFON *Hist. Nat.* P. VI. Tom. I. p. 119. MICH. *Jus Mos.* P. 4. §. 204. Ceterum Camelorum carne etiamnum Arabes vesci solent.

5—7. שָׁפָן Lutherus et post eum plures verterunt *cuniculum, Caninchen.* Sed hoc animal non potest intelligi, primo quod

non ruminat, dein quod non habitat in petris, quod tamen de שָׁפָן dicitur Ps. 104, 18. Prov. 30, 26. Bochartus in *Hieroz.* (T. II. p. 409. ed. Lips.) ostendit, sub שָׁפָן intelligendum esse illud animal, quod ab Arabibus vocatur יַרְבּוּעַ *Jarbu*, et a nostris hist. nat. scriptoribus *Mus Jaculus pedibus posticis longissimis, cauda extremo villosa*, sive *Mus Sagitta cauda longissima, apice subpennata nigro-alba, pedibus posticis longissimis tridactylis, die zweybeinige Bergmaus.* Pedes enim hujus animalis anteriores brevissimi sunt, ut vix conspiciantur; posteriores autem iis triplo longiores sunt. וּפַרְסָה לֹא יַפְרִיס *Non habet ungulam divisam*, sed singulis digitis unicam, ut lepus. — 6. אַרְנֶבֶת esse *leporem*, consensu omnium linguarum cognatarum confirmatur. כִּי מַעֲלַת גֵּרָה הִוא *Ruminat enim.* Ruminare lepo rem, id quod nonnulli in dubium vocarunt, testantur literae praefecti cujusdam saltuum, ad Michaelem datae, quae legi possunt in hujus Notis ad vers. vernac. Lev. 11, 6. P. III. p. 154. Recte itaque in Linnaei *System. Nat.* P. I. p. 160. ed. 13. de lepore: *victitat ruminans ramulis fruticum et cortice arborum.* Licet enim lepus careat quatuor illis ventriculis, qui proprii sunt pecoribus pedibus ungulatis bisulcis; tamen ille etiam cibum, prima vice mansum, per oesophagum iterum in os eructat, quoniam plures ei sunt ventriculi cellulae, fractis distinctae, a quibus cibus, dum durior est, repellitur. „Cur immundis accenseretur, rationes etiam physicas potuit habere Moses. Medicorum certe principes, Galenus, Aëtius, Rasis et Damir, hos sequutus, leporina carne scribunt crassum sanguinem et melancholicum gigni.“ Bochartus T. II. p. 403. — 7. חֲזִיר in omnibus dialectis cognatis significat *porcum.* Carnis suillae esus in regionibus scabiei et leprae obnoxiis perquam periculosus est. Plutarchus in *Iside* scribit, corpora eorum, qui lac suillum bibant, scatere lepra et asperitatibus scabiosis.

13. 14. נֶשֶׁר est *aquila* ex testimonio ceterarum dialectorum et versionum antiquarum; quaenam autem aquilarum species sit intelligenda, non potest definiri. פֶּרֶס LXX. vert. γρύπα, intellexerunt fortasse maximum illum et voracissimum inter *vultures*, quem nos vocamus *Kuntur.* Onkelos habet עֲרָר, proprie *avis nuda*, intelligit fortasse eundem vulturem, cujus caput totum nudum et collum subtus anterius nudum bene convenit nomini Chaldaico. Saadias vertit עִקְאַב, quod Golius et Bochartus interpretantur *aquilam nigram.* Bochartus sub פֶּרֶס intelligit *ossifragam*, Gall. *orfraye*, German. *der Beinbrecher oder Meeradler.* עָזְנִיָּה LXX. ἁλιαίετον, Vulgatus, *aquila marina*, Onkelos עֲזָרָא, cujus vocis significatio ignota est, Saadias עַנְקָא, quod Lexicographi interpretantur *gryphum.* — 14. דָּאָה in loco parallelo, Deut. 14, 13. רָאָה scriptum reperitur; quorum unum a *volatu*, alterum a visu sumtum: nam verbum דָּאָה *volare* est, et רָאָה *videre.* Similis literarum ד et ר permutationes saepius deprehenduntur. Vid. Gen. 10, 4. coll. 1 Chr. 1, 7., Gen. 10, 3. coll. 1 Chr. 1, 6. Num.

1, 14. 7, 42. coll. ib. 2, 14. Et de Deo dicitur 2 Sam. 22, 11. וַיֵּרָא, *et apparuit*, pro וַיֵּדֶא, *et volavit*, Ps. 18, 11. Qua omnino ratione eadem avis alibi דָּאָה vocatur, alibi רָאָה. Quorum utrum sit rectum, nemo facile certo definiverit, multo minus, quaenam avis eo nomine significetur. Hieronymus *milvum* reddidit, Judaeorum magistrorum suorum traditionem incertam haud dubie sequutus; unde haec notio ab interpretibus posterioribus plerisque est recepta, etiam a BOCHARTO (*Hieroz.* T. II. p. 777. ed. Lips.), qui mallet דָּאָה, *daah*, scribi, quam רָאָה, *raah*, „a *volatu*, (inquit) ducto nomine potius, quam a *visu*, quia eum in milvi visu peculiare nihil observent rerum naturae scriptores, in *volatu* primo hoc habet eximium, quod alis prope immotis in aëre omnium avium diutissime libratur. — Praeterea vix ulla est avis, quae milvo volet altius. — Volando denique non facile delassatur. — — Addo, in Samaritano exemplari, tam in *Deuteron.*, quam in *Levit.*, legi הדאה, nusquam הראה. Et ex Hebraeo דאה, *daah*, factum videri Arab. חדא, *hida*, Gutturali praeposita; ut in Hebraeo *Tigris* nomine חדקל, facto ex Chaldaeo דגלת. Saltem id certum, apud Arabes *milvum* חדאה, *hida*, vocari." אַיָּה BOCHARTUS l. c. pag. 779. affine putat Arab. يرى, *Juju*, sive יאיא, *Jaja*, quo nomine ostendit significari quandam *accipitris* speciem, quam veteres appellant *aesalonem*, Francogalli *emerillon*, Germani *Schmerl.*

16. בַּת הַיַּעֲנָה est *struthio*, unanimi veterum consensu. LXX. στρουθόν, et versiones Orientales omnes נַעֲמָה, quod Arabibus etiamnum *struthionem* denotat, vid. SHAW, p. 386. et HOEST, *Nachrichten von Fes und Marocco*, p. 295. Cf. BOCHARTUM, p. 818. sq., qui abunde ostendit, convenire *struthioni* quaecunque apud Hebraeos de בַּת הַיַּעֲנָה dicuntur. Vox בַּת apposita est ex more quodam Orientalium, qui nomina *pater*, *mater*, *filius*, *filia*, animalium quorundam nominibus praefigere solent sine respectu aetatis et sexus; ut *filium aquae*, vocant anatem; *filium rosionis*, mustelam. Sic Hebraeis struthio vocatur בַּת הַיַּעֲנָה, id est, ex vulgari interpretatione, *filia clamoris*, quasi ab aeri voce nomen illi inditum esset. Sed quum *clamoris* notio voci יַעֲנָה sine idonea ratione tribuatur, ego, coll. Arab. وَعْنَة, *terra dura et sterilis*, dictionem Hebraicam verterim *filiam deserti*, quemadmodum *pater desertorum*, unum est ex *struthionis* nominibus apud Arabes. Ceterum בַּת הַיַּעֲנָה designare *struthionem feminam*, verisimile est Bocharto, qui feminae esum nominatim prohibuisse putat ideo, quod feminae struthiones saepius et facilius capiuntur, mares vero, quum sint velocissimi, in manus hominum raro incidunt. Sed quum struthionis nomen generieum Hebraei nullum habeant, ne horum unum prohibens, videretur alterum concedere, necesse habuisse Mosem, utrumque diserte prohibere, idque fecisse addito הַחַמָס, quod Bocharto est nomen *struthionis maris*, a חָמַס, *inique agere*, ob immanitatem in pullos,

quod ova in arena relinquere solet, illi inditum, quemadmodum et Arabes *struthionem* vocabulo prorsus synonymo, טַלְיִם, *impium, iniquum* vocant (vid. *Hieroz.* T. II. p. 832. sq.), qui et sexum hujus avis ita distinguunt, ut *feminam* nomine נְעָמָה, *marem* nomine טַלְיִם designent. LXX., Vulgatus et Onkelos *noctuam* vertunt, quod sequutus OEDMANN *(Vermischte Sammll.*, P. III. p. 45.), הַתַּחְמָס putat esse *strigem Otum* Linn. *(die mittlere Ohreule, der kleine Schuhu)*, hoc maxime argumento nixus, quod כָּמַשׁ Arabibus significat *unguibus vulnerare*, quod huic avi apprime conveniat, quae, ut auctor est HASSELQUIST *Itiner.* p. 291., *ubi vespera fenestras invenit apertas, aedes intret, et infantes, custode destitutos, necet.* Quasi vero non quaevis alia avis rapax a vulnerando unguibus nominari possit. שַׁחַף a Syro omittitur, a Chaldaco redditur שְׁחַפָּא, ab Arabibus كاف, a Samaritano שרפא, vocibus acque ignotis. Itaque hinc nullum subsidium. LXX. et Hieronymus explicant *larum (Meeve).* נֵץ esse *accipitrem*, satis verisimile est, sed incertum, quaenam accipitris species sit intelligenda. LXX. ἱέρακα, Onkelos et Syrus vocem retinent Hebraeam. Saadias reddit בָּאז, quod nomen denotat *accipitris speciem, falconem*, quam significationem etiam adhuc obtinet apud Arabes, ut testatur NIEBUHR *Descr. Arab.* p. 179., ubi illam avem recenset inter ea animalia, quae ab Arabibus immunda putantur.

17. 18. כּוֹס omnes veteres vertunt *noctuam.* LXX. *νυκτικόρακα*, quo nomine indicari videtur ea *noctuae* species, quam Latini vocant *bubonem* longioribus circa aures pennis, nos, *gehörnte Eule.* Ceterum in nonnullis codd. pro כּוֹס legitur בּוֹס, quod etiam invenit Hieronymus. Plura vid. in MICHAELIS *Suppll.* p. 1236. sqq. — שָׁלָךְ LXX. vertunt *καταράκτην*, qua voce indicari eandem avem, quam nos vocamus *Pelecanum Bassanum* Linn., satis verisimile est. Omnia enim quae veteres de *Cataracte* narrant, bene conveniunt Pelecano illi. Eandem avem intellexisse videntur Syrus et Onkelos, uterque enim habet שַׁלַּי נוּנָא *extractorem piscium.* Solet enim Cataractes pisces e fundo maris extrahere et iis vesci. Arabs uterque habet זַמָּג *mergulus*, uti ex Damirio apparet apud BOCHARTUM, quem cf. T. III. p. 20. sqq. Sic etiam vertit Hieronymus. יַנְשׁוּף LXX. vertunt *ἴβιν* hic et Jes. 34, 11., quo nomine denotari videtur *Tantalus Ibis* Linn. — 18. תִּנְשֶׁמֶת LXX. *πορφυρίωνα*, quae est avis aquatica in Libya et Comagene Syriae, ita dicta a colore rostri et pedum, ut BOCHARTUS asserit T. III. p. 31., ubi cf. not. nostr. Vulgatus: *cygnus*, Onkelos: *bubo*, Syrus: *noctua;* Arabes: שַׁאחִין, *falconis* genus. Bochartus sequitur Hebraeorum magistros, quibus תִּנְשֶׁמֶת est *noctua*, a שָׁמַם, *obstupescere, mirari*, tanquam *stupenda* et *mirabilis* dicta, iis nimirum aviculis, quas, stupore perculsas, ad se convertit. קָאַת LXX. et Vulgatus vertunt *pelecanum*, Onke-

los et Samaritanus vocem Hebraeam retinent, Syrus habet קקא. Arabs Erpenii קוק, Saadias קיק, voces ignotae significationis Bochartо קָאַת est *pelecanus*, Michaeli (ad Castelli L. S. p. 770.) *pelecanus* veterum, quem recentiores *onocrotalum* vocant. רָחָם haud dubie est *vultur perenopterus capite nudo, gula plumulosa* Hasselqu. (p. 286.). Haec avis enim hodienum ab Arabibus vocatur רַכָּמָה, ipso nomine Hebraeo. Vid. G. W. Freytag *Selecta ex historia Halebi* (Paris. 1819. oct.), p. 86. not. 125. Adspectus hujus avis horridus est, ut dicit Hasselquist; facies enim nuda, rugosa; oculi magni, atri; rostrum atrum, rapax; pedes magni praedae inhiantes, et totum corpus sordibus pollutum. Extra Cairum in acervis maximis et rejectamentis urbis cadaveribus repletis, ubi et lamiae in vicinia, haec avis simul cum canibus vescitur cadaveribus et quisquiliis. Omni igitur jure a Mose inter aves immundas poncbatur.

19. חֲסִידָה LXX., Aquila, Theodotion interpretantur ἐρωδιὸν, *ardeam*, quod sequutus Vulgatus. Onkelos: *milvus albus*; Syrus חוּרְבָּא, nomen obscurum; Arabes צקר et סקר, fortasse *milvus*. Bochartus probare studuit, חֲסִידָה esse *ciconiam*, quam interpretationem plerique sunt sequuti. Sed nemo ex antiquis de ciconia cogitavit, deinde Ps. 104, 17. dicitur, חֲסִידוֹת habitare in altis abietibus, quod non cadit in *ciconias*, quippe quae non in Europa solum, sed etiam in Asia in tectis aedium nidulantur. אֲנָפָה LXX. χαραδριὸν, nomen avis cujusdam, quae in paludibus vivit et insectis vescitur; magnitudine cornicis vel pici cornicini, et frequens in Aegypto inferiori. Quatuor ejus species descripsit Hasselquist p. 308. sqq. Apud Leskium, p. 272. *Regenpfeiffer*, Gall. *Pleuver*, Angl. *Plover*. Onkelos vertit אִבָּה, cujus nominis significatio ignota est. Syrus retinet vocem Hebraeam. Arabes: *psittacus*. דּוּכִיפַת, in textu Samar. דגיפת, LXX., Vulgatus, Arabs utcrque vertunt *upupam*, quam significationem defendit Bochartus. Syrus habet תַּרְנְגוֹל בְּרָא, quae verba Castellus (*Lex. Heptagl.* p. 3950.) vertit *upupam*; sed Bochartus *gallum agrestem* s. *montanum*. Sequitur cum Michaelis *Suppll.* p. 416., additque, Ephraemum et plerosque Judaeorum intelligere *gallum montanum*. Posse etiam pro hac significatione vocis Hebraeae id afferri, quod Arab. דִּיךְ *gallinam* et כִּיפָא *petram* significat. Attamen ob veterum auctoritatem *upupam* intelligere mallem. עֲטַלֵּף *vespertilio* a עטל *caliginosa fuit nox*, et עֵף *volans*. Habent ita omnes veteres praeter Syrum, qui vertit *pavo*.

20 — 22. כֹּל שֶׁרֶץ הָעוֹף הַהֹלֵךְ עַל־אַרְבַּע *Omne reptile volucris ambulans super quatuor* sc. *pedes*. Intelliguntur *insecta salientia (hüpfende Insecten)*, ut apparet ex iis, quae sequuntur. Notandum est omnino, apud Hebraeos שֶׁרֶץ de omnibus animalibus dici, quae pedibus brevissimis iisque non erectis incedunt, sive ea sint quadrupedia sive volucria. Primaria enim notio verbi illius

est universum in *movendo*, *verminando*. — 21. אֲשֶׁר־לֹא כְרָעַיִם *Cui sunt duo crura.* Pro לֹא vix dubium legendum esse Keri לוֹ. Habet ita Cod. Samar. cum versionibus antiquis omnibus. Sed accedit gravissimum pro לוֹ testimonium, natura ipsa; habent enim locustae crura supra pedes eminentia, quibus humi saliant. Quod in textu est לֹא, O. G. Tychsen (vid. ad Vs. sq.) inde ortum putat, quod Pron. 3. pers. sing. masc. לוֹ, olim interdum et cum א paragogico (לוֹא) scriptum fuerit. — 22. Nominantur in hoc Vs. locustarum species esu licitae. Sed quaenam singulis nominibus significentur, plane est incertum. Varias antiquiorum et recentiorum sententias, qui discere cupit, adeat Bocharti *Hieroz.* T. III. p. 251. sqq., et O. G. Tychseni Commentat. *de locustis Biblicis*, adjectam libello: Don Ignacio de Asso y del Rio *Abhandl. v. d. Heuschrecken u. ihren Vertilgungsmitteln*, *a. d. Span. etc.* Rostock 1787. 8. J. D. Michaelis vocibus אַרְבֶּה, סָלְעָם, חַרְגֹּל et חָגָב non varias locustarum species putat significari, sed quatuor tantum aetates locustarum post varias cutis exuvias diversis nominibus in hoc Versu describi. Habere enim locustas aetates quinque. Primam esse, antequam primam cutieulam deponant; quum autem in hac aetate tam minutae sint, ut edi facile non possint, Mosem quatuor tantum reliquarum aetatum mentionem feeisse.

26—29. כָּל־הַנֹּגֵעַ בָּהֶם וְטָמֵא *Quisquis ea* (vel potius per antece. *eorum cadavera*) *tetigerit immundus sit.* Vivis enim animalibus immundis, ut asinis, canibus etc., uti licebat Israelitis. Hinc LXX. *τῶν θνησιμαίων αὐτῶν*. — 27. בַּף a כָּפַף, quod notionem *incurvandi* habet, proprie significat omne incurvum et cavum, ut *cavum* fundae 1 Sam. 25, 29., hinc etiam *cavum*, interiorem partem manus. Ex qua significatione orta est notio *plantae pedis*, quia id, quod in manu est, interior pars sive vola, in pede est *planta.* Hanc significationem בַּף habet et h. l., et usurpatur quidem de planta pedis animantis bruti, Germ. *Tatzen*, Gall. *patte*, quales habent ursi, talpae etc. LXX. *χείρ*, quam vocem et Graeci scriptores de planta pedis in brutis animantibus usurpare solent. — 29. שֶׁרֶץ h. l. non significat animalia reptilia, ut vermes, serpentes etc., sed animalia quadrupedia, quae habent pedes ita breves, ut incedendo venter prope terram contingat, cf. ad Vs. 20. חֹלֶד esse *talpam*, satis verisimile est, et עַכְבָּר esse *murem*, nulla est dubitatio. צָב LXX. *κροκόδειλον χερσαιον*, i. e. scincum lacertam. Sic enim Dioscorides 2, 71. *Σκίγκος δέ ἐστι κροκόδειλος χερσαῖος*. Et Plin. *H. N.* 28, 8. *Ex eadem similitudine est scincus, quem quidam terrestrem esse crocodilum dixerunt, candidiore tantum et tenuiore cute.* Hodie haec lacerta vocatur *Skincore*, vid. Shaw, p. 158. et Hasselquist, p. 359. sqq. Sed צָב potius videtur esse *Lacerta Aegyptia cauda verticillata, squamis denticulatis, pedibus pentadactylis*, Hasselquist, p. 353. Vocant enim Arabes hanc lacertam etiamnum צַב

(Dabb) ipso nomine Hebraico. Syrus habet חַרְדָנָא, quo nomine hodie apud Aegyptios *Lacerta Stellio* appellatur, teste HASSELQUISTO, p. 352. Arab. scribitur חַרְדוּן.

30. אֲנָקָה nomen esse animalis e lacertarum genere, suadet series orationis. Chaldaeus habet יָלָא *lacerta.* Arabes וַרַךְ et וַרַל voces unius ejusdemque significationis. Sub ורל habet *Castellus* Heptagl. p. 991. τῇ צַב (quod proxime praecedit), i. e. *lacertae Lybicae simile animal, sed ea majus, deforme, ac tetri coloris, longa cauda, parvo capite, velox cursu: capite et cauda venenatum, quibus partibus excisis Arabes eo vesci solere, scribit Leo Africanus, L IX. Descr. Afric. sub fin.* Eodem nomine etiamnum apud Aegyptios *Lacerta Nilotica* HASSELQU. designatur, vid. SHAW, p. 158. et FORSKAL. l. l. p. 13. Fortasse nomen Hebr. illius lacertae desumtum est ab אָנַק, quod Syris sonat *suspiravit ex angustia, gemuit.* Edunt enim nonnullae lacertae sonum raucum et gemebundum. Sic in secundo Tharg. Esther Cap. 1. Vs. 2. inter ea animalia, quae coram Salomone propriam vocem edunt, etiam vocantur אֶנְקִין בָּכְיָין *lacertae flentes* aut *ejulantes.* Lacertam ורל talem sonum edere, testantur scriptores Arabici. כֹּחַ quoque lacertae genus esse, satis est verisimile, sed quodnam non est certum. LXX. χαμαιλέων, Syrus חוּלְדָא, quae vox significat *lacertam.* Saadias habet חרדון, de qua vid. ad Vs. 29. לְטָאָה LXX. vertunt χαλαβώτην, *stellionem,* Syrus צְרוּרִיתָא *Salamandra,* Saadias עטאה, *animal lacertae simile eaque majus, salamandra* (Castell. p. 2725.). BOCHARTO לְטָאָה est genus lacertae, stellioni simile, maxime venenatum, semper adhaerens terrae, unde hanc lacertam etiam nomen accepisse putat, nam לטא significat *terrae adhaerere.* חֹמֶט LXX. vert. σαῦρα, *stellio;* Syrus: חוּלְמָטָא, quod idem notat. Saadias: *chamaeleon.* BOCHARTO est lacerta in arena degens, quam Arabes חַלְכָא vocant. Confert cum voce Hebraica Talmudicum חוּמְטוֹן *arena.* תִּנְשֶׁמֶת miro errore LXX., Hieron., Onkelos *talpam* verterunt, quum tamen hoc animal Vs. 29. nominatum esset (חֹלֶד). Syrus habet ידידא *centipeda, multipeda.* BOCHARTUS sequutus significationem verbi נָשַׁם Chaldaicam et Syriacam, *spiravit, respiravit,* putat, esse chamaeleontem ob continuam aurae captationem. Saadias posuit סאם אַבְרָץ, qua sub voce Golius haec habet (p. 257.): *Stellio, quasi veneno lepram inducens* (סאם enim est *venenum* et בַּרַץ *lepra), quia in eo venenum est, quod sal amarum reddit ac corrumpit, ut lepram gignat.* Quae omnia bene conveniunt *Lacertae Gecko* HASSELQUIST, p. 358., ubi is inter alia dicit: *maxime singulare est animalis hujus venenum, quod ex lobulis digitorum exhalat; quaerit animalculum loca et quascunque res sale marino conspersas vel tinctas, hoc dum invenit aliquoties supercurrit et currendo venenum post se relinquit maxime noxium.* Quocum conferendum est, quod habet FORSKAL. l. c. p. 13.

Postquam dixisset, lacertam Gecko ab Aegyptiis vocari אַבּוּ בַרַץ, i. e. *pater leprae*, *leprosus*, addit: *nominis origo inter Aegyptios lepida est, si enim salivam demittat in sal, mensae usibus destinatum, lepram inducit homini illud gustanti.* — *Nomen animalis ortum putant alii a similitudine coloris leprae.* Per totum enim dorsum, teste HASSELQUISTIO, sparsa sunt punctula minima, elevata, splendentia; dorsum, caput et cauda supra albida cum maculis transversis griseis. Hinc fortasse haec lacerta nomen Hebraicum nacta est: nam verbum נָשַׁם Arabice denotat *maculis punctisve nigris et albis conspersus fuit.*

31 — 35. בְּמֹתָם *Post* mortem eorum; nam Praep. ב hic notat *post*, ut Ex. 2, 23. — 32. אֲשֶׁר יֵעָשֶׂה מְלָאכָה *Quibus fit opus aliquod*, seu quae ad quemvis usum adhibentur. Haec vasorum autem et vestimentorum pollutio in eo posita erat, quod et hominem iis utentem ac ea contingentem polluerent, donec expiata essent, nec ullus ad res sacras eorum usus esse poterat. — 34. מִכָּל — מַיִם יִטְמָא *Omnis cibus immundus erit, si fusa super eum fuerit aqua*, scil. ex vase aliquo polluto. — 35. כִּירַיִם Syrus vertit: *locus cui olla imponitur*, Arabs uterque: *focus.* Videntur denotari loci in focis excavati, infra subjectum ignem habentes et superne orificia, quibus ollae imponuntur, quales adhuc in Persia inveniuntur, *Casserollöcher.* LXX. χυτρόπους, qua voce fortasse indicare voluerunt *ollae sustentaculum*, quo hodie Arabes Scenitae utuntur, dum ollam imponunt tribus lapidibus fere aequalibus, ut commodius igni subdi possit. Plura vide in HACKMANNI *Praecidann. SS.* p. 159. et in SEB. RAVII Diss. *de re cibaria veter. Hebraeor.* P. I. (Traj. ad Rhen. 1768.), §. 16. 17.

36 — 39. יִהְיֶה טָהוֹר *Erit mundus*, i. e. non polluitur. וְנֹגֵעַ בְּנִבְלָתָם יִטְמָא *Sed qui tetigerit cadaver eorum polluitur.* Particula ו hic habet vim adversativam, *sed*, ut Eccles. 1, 4. 2 Sam. 11, 1. et aliis locis. נִבְלָתָם *morticinia eorum*, sc. puteorum et cisternarum, animalia, quae in iis mortua inveniuntur. Sensus est: aquae quidem ipsae, in quibus vel animal suffocatum fuerit vel mortuum deciderit, ea re non impurae fiunt; sed animalium cadavera in iis jacientia, polluent eos, qui ea contingant. Maxime sane incommodum fuisset, si in illis regionibus, in quibus non tam larga aquae copia est, quam in nostris, aquae ipsae per cadavera forte in eas decadentia impurae redditae fuissent. — 37. כָּל־זֶרַע זֵרוּעַ וגו׳ *Omne semen sativi quod seminabitur*; i. e. ad seminandum est destinatum, *mundum est.* Sensus: semen quod sementi servatur, cadaveris contactu non pollui. — 38. Si semen jam aquae immissum sicque sementi jam paratum fuerit, et inciderit illi cadaver, impurum fiebat. — 39. וְכִי יָמוּת *Si mortuum fuerit*, sc. morbo. Immundorum animalium cadavera polluebant, sive animal morbo mortuum sive mactatum fuerit.

40—43. וְהָאֹכֵל — הָעֶרֶב *Qui vero comederit de ejus cadavere lavet vestes suas et immundus sit usque ad vesperam.* Quod non intelligendum est de eo, qui consilio et contemtu divini praecepti id fecerit, is enim e populo Israelitico exscindebatur, Num. 15, 30.; sed de eo, qui vel per ignorantiam vel necessitate urgente id fecerit. — 42. Tres animantium species in hoc Vs. exprimuntur: 1) הוֹלֵךְ עַל־גָּחוֹן, quae solo pectoris ac ventris auxilio ad movendum corpus utuntur, ut serpentes: 2) הוֹלֵךְ עַל־אַרְבַּע, quae quamquam quatuor habeant pedes, tamen reptilium more videntur incedere, ut lacertae, talpae etc. 3) כָּל־מַרְבֶּה רַגְלַיִם, quae multos habent pedes atque pectori et corpori ambulando incumbunt, ut crucae et alia ejusmodi insecta. לְכֹל־הַשֶּׁרֶץ הַשֹּׁרֵץ עַל־הָאָרֶץ *Et omne quod sese movet super terra.* Quod pertinet ad has tres animantium species. Particula לְ hic notat *inter*, ut Gen. 9, 10. Ex. 28, 38. — 43. נַפְשֹׁתֵיכֶם *Vos ipsos;* נֶפֶשׁ enim cum suffixo significationem pronominis reciproci solet habere.

Cap. 12.

Immunditia puerperarum, et earundem ab hac immunditia purificatio.

2. 4. אִשָּׁה כִּי תַזְרִיעַ וְיָלְדָה זָכָר *Mulier, si seminaverit,* i. e. semen conceperit, *et filium peperit*, i. e. mulier, quae gravida facta, filium pepererit. LXX. ἐὰν σπερματισθῇ, et Vulgatus: *si semine in concubitu fuerit perfusa*, quasi legissent תִּזָּרֵעַ. Sed Hiphil haud raro intransitivam notionem obtinet, ut הֶחֱזִיק *fortis fuit*, Dan. 11, 32. 2 Chr. 26, 8., adeoque h. l. תַּזְרִיעַ haud diversum sit a תִּזָּרֵעַ. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 244. כִּימֵי נִדַּת דָּוֳהָהּ תִּטְמָא *Secundum dies impuritiae infirmitatis suae immunda erit*, quamdiu durant lochia ejus rubra. נִדָּה denotat *rem fugiendam, nauseam creantem, foedam* — 4. תֵּשֵׁב בִּדְמֵי טָהֳרָהּ *Sedeat*, maneat, *in sanguine purificationis suae*, hypallage, pro: *in purificatione sanguinis;* sensus autem est: continebit se domi, donec se perfecte sanguine et sordibus partus liberaverit, atque adeo et permanebit in immunditia, neque ab ea poterit emundari, donec illi triginta tres dies sint elapsi. Graecis quoque puerperas aliquamdiu immundas habitas fuisse patet e loco quodam Euripidis *Iphigen. in Taur.* Vs. 280. sqq., ubi Dianam culpat, quasi nimis delicatam, quod homines puerperae vel mortui tactu pollutos altaribus suis prohiberet. Pythagoras, referente Diogene Laertio, ἀγνείας partem esse dicebat, καθαρεύειν ἀπό τε κήδος καὶ λέχους, *vacare a funere et cubili puerperae.*

5. 6. Veteres Graeci quoque, uti ex Aristotele et Hippocrate observavit Grotius, putabant, post partum femininum lochia diutius durare quam post masculinum, et haec procul dubio etiam Aegyptiorum et Hebraeorum opinio temporibus Mosis erat. Res ex nostrarum regionum observationibus nondum certa est: climata

enim diversa in his rebus etiam diversam vim et diversos effectus producere possunt. Ceterum fines, quos Moses lochiis rubris et albis constituit, non medici, sed foreuses sunt. Etiam ubi lochia ante constitutum a Mose tempus cessarunt, mulieri non in templum venire licebat, sive impura erat: ubi vero post constitutos hos fines lochia durabant, puerpera impura erat usque ad lochiorum cessationem, cf. c. 15. Michaelis *Jus Mos.* P. 4. §. 214. — 6. Verba לְבֵן אוֹ לְבַת non sunt connectenda cum verbo תָּבִיא quod sequitur, sed pertinent ad ea, quae praecedunt, et debent sic verti: finito tempore purificationis suae, sive filii sive filiae. ל hic Genitivum indicat, ut saepe. — Sacrificia quae h. l. pro immunditie corporis praecipiuntur, uti ea, quae postquam quis a lepra sanatus esset (c. 14.), offerri debuerunt, spectabant ad *restitutionem* externae sive *civilis puritatis.* Homo, qui ea obtulit, ea re indicabat, se, quum ob immunditiem aut morbum contagiosum a civium suorum consuetudine alienus fuisset, nunc a sacerdote mundum esse declaratum, atque licere sibi aliorum hominum consuetudine uti. Id quod satis indicant verba multitoties c. 14. repetita: *aboleat sacerdos immunditiem ejus et mundus erit*, i. e. talis habetur; cf. et h. c. Vs. 8.

Cap. 13.

De lepra hominis varia, et vestimentorum, cujus indicium sacerdoti committitur.

De *leprae* natura et symptomatibus egerunt *Aretaeus Cappadox* et *Paulus Aegineta* e veteribus; e recentioribus autem Hillary *Observations on the diseases of Barbados*, Lond. 1750. pag. 326 — 352. Peyssonel *account of a Visitation of the lepras in Guadeloupe*, *in Philosophical Transactions.* Vol. L. P. I. for the Year 1757. Schilling *de Lepra*, Traj. ad Rhen. 1778., quo ex libro, quae ad nostri capitis interpretationem inserviunt, excerpsit Michaelis in *Bibl. Orient.* P. XVII. No. 259. Cf. ejus *Arabische Fragen*, Quaest. 11. 28. 36. *Jus Mos.* P. 5. §. 208 — 210. *Einl. in d. A. T.* P. I. Sect. 1. p. 59. sqq.

2. Indicantur signa, quae pariunt suspicionem leprae. שְׂאֵת LXX. vertunt οὖλη, Syrus שׂומְהָא et Chaldaeus שׂוּמָא *signum apparens et vitiosum*, *macula.* Michaelis vertit *Finnen*, *tumores.* Quaedam leprae species eaque non valde periculosa, ex Hillary descriptione, incipit a tumore, qui aciculae nodulum magnitudine aequat. Schilling p. 135.: „Quum lepra primum erumpit, macula raro superat acus puncturam, idemque facile praeter videtur et exploratorem fugit, quoniam inter initia plerumque singularis est.“ Vulgatus שְׂאֵת vertit *diversum colorem*, forsan coll. Arab. وشر *coloravit*, *pinxit*, unde שִׂיחַ *color a reliqui corporis colore distinctus.* Ait quoque *Ebn Sina*, lepram incipere nonnumquam a parvis maculis nigris rubicundis. Eandem rem fortasse exprimere

voluit Saadias, qui vertit *naevum nigrum.* סַפַּחַת LXX. non expresserunt. Chaldaeus et Vulgatus *pustula.* Optime vertisse videtur Syrus: *crusta corporis affecti caduca; Schorf*, uti Michaelis vertit vocem Hebr. Indicatur cutis summa asperities cum furfureis squammulis. Nomine בַּהֶרֶת significantur *maculae albicantes*, a quibus incipere solet *lepra alba*, cujus colorem ita describit Schilling, p. 135.: „Accedit proxime ad calcis colorem, quem in parietibus videmus, quando alicubi aliquam corruptionem passi sunt, et ex hoc obsoleto candore adspectus nascitur profundior.“ LXX. hoc Vs. vertunt *τηλαυγής*, infra vero Vs. 23. *τηλαύγημα*, quod Suidas explicat: *ἀρχὴν λέπρας ἐν τῇ τοῦ σώματος ἐπιφανείᾳ.* Chaldaeus: *macula albicans*, Syrus: *pustula alba.* וְהָיָה בְעוֹר בְּשָׂרוֹ לְנֶגַע צָרָעַת *Et fiat in cute carnis plaga leprae*, i. e. ita ut id videatur leprae simile, vel, leprae suspicionem excitet. Partic. כ hic redundat, seu explet Nominativum, ut Deut. 24, 5. 1 Sam. 9, 9. Nomen צָרַעַת Michaelis putat proprie significare *flagellum*, ut Arab. צַרְיַע a rad. צָרַע *prosternere*, ita ut lepra *κατ' ἐξοχήν* vocetur צָרַעַת נֶגַע *plaga flagelli* scil. Dei. וְהוּבָא אֶל־הַכֹּהֲנִים *Et adducatur ad sacerdotes*, qui, uti apud alios antiquos populos, e. c. Aegyptios, ita etiam apud Hebraeos simul videntur fuisse artis medicae periti.

3—5. הַנֶּגַע בְּעוֹר הַבָּשָׂר *Locus affectus in cute.* וְשֵׂעָר בַּנֶּגַע הָפַךְ לָבָן *Si pili in loco illo adfecto albescunt.* Schilling (p. 7.) observat, in lepra alba pilos albescere. וּמַרְאֵה — בְּשָׂרוֹ *Et adspectus loci infecti profundior cute carnis ejus*, i. e. si tumores aut maculae videntur aut apparent profundiores cute, eam ad carnem usque penetrant; quod in lepra esse, testatur Peyssonel, p. 43. Maculae enim in lepra non sunt humiliores cute, quemadmodum cicatrices, ut quidam interpretes putarunt, sed tumores elati. נֶגַע צָרַעַת הוּא *Plaga leprae haec est*, i. e. haec sunt certa signa, quae indicant hominem esse leprosum. In verbis וְרָאָהוּ הַכֹּהֵן וְטִמֵּא אֹתוֹ praefixum ו ante רָאָהוּ notat *postquam*, ut Gen. 18, 13. Ex. 12, 44. al., ו autem ante טִמֵּא indicat apodosin. טִמֵּא אֹתוֹ *Impurabit illum*, i. e. impurum eum declarabit, seu immundum eum pronunciet. Nam forma *Piel* haud raro significat, aliquem talem declarare, qualem Cal eum esse dicit. Sic Vs. 13. 17. טִהַר denotat *mundum pronunciare*, cf. Gen. 30, 13., ubi verbum אִשַּׁר, et Ex. 20, 7., ubi נִקָּה ita usurpatur. — 4. נֶגַע *Plaga* hic per metonymiam ponitur pro *homine plaga leprae affecto.* — 5. וְהִנֵּה הַנֶּגַע עָמַד בְּעֵינָיו *Si plaga steterit in aspectu suo*, i. e. si locus infectus non est mutatus. Ita et Syrus et Onkelos. Optimum in hos duos Vss. commentarium praebet Schilling p. 135.: „Difficile est, in hoc morbo judicium et pronuntiatio, usque dum macula ad fabae magnitudinem pervenerit differendo. Sumatur aliquod hebdomatum spatium, et interea, si fieri potest, suspectus de lepra homo segregetur. Evenit nonnumquam, ut macula ad

tempus notabile immutata subsistat nec dilatetur, siquidem incrementum pro varia vitae ratione velox vel tardum est. Si ergo perstiterit, oportet judicium suspendi nec certo pronunciari."

6—9. וְהִנֵּה כֵּהָה הַנֶּגַע LXX. *καὶ ἰδοὺ ἀμαυρὰ ἡ ἀφή*, si macula sensim se oculis subtrahit, evaneseit. מִסְפַּחַת הִוא *Tum erat tantum impetigo*, anomalia cutis. — 7. אַחֲרֵי הֵרָאֹתוֹ אֶל־הַכֹּהֵן *Postquam visus fuerit*, vel *inspiciendum se steterit apud sacerdotem.* לְטָהֳרָתוֹ *Post munditiem ejus*, postquam mundus pronunciatus fuerit. Particula כ hic notat *postquam*, ut Ex. 19, 1. Num. 1, 1. 1 Reg. 3, 18. ו ante נִרְאָה significat apodosin. — 9. נֶגַע צָרַעַת כִּי תִהְיֶה בְּאָדָם *Si plaga leprae fuerit in homine.* Notent tirones, תִּהְיֶה hic positum esse pro יִהְיֶה, ut saepe apud Hebraeos, quando duo junguntur substantiva, verbum respondere solet substantivo posteriori, cum deberet priori. Vid. 2 Sam. 10, 9. יִהְיוּ pro תִּהְיֶה.

10—12. מִחְיַת בָּשָׂר חַי בַּשְּׂאֵת LXX. *καὶ ἀπὸ τοῦ ὑγιοῦς τῆς σαρκὸς τῆς ζώσης ἐν τῇ οὐλῇ*, *a sano carnis vivae*, s. ab eo quod sanum est in carne viva, *in cicatrice.* Interpretantur מ ac si esset Praepositio; quod non probandum. Vocem מִחְיַת plerique recentiores *sanitatem* vertunt, quae significatio huic loco plane non est apta. Nam, praeterquam quod hic, ut ex Vs. 11. liquet, agatur de plaga jam inveterata, in qua caro sana locum habere nequit, haec מִחְיָה etiam dicitur *in* illo ipso בַּשְּׂאֵת, *tumore.* Simonis in Lexico sub h. v. putat מִחְיָה esse *locum* vel *partem corporis*, *ubi est caro* חַי i. e. *cruda.* Sed nec hoc admitti potest. Nam si vox מִחְיָה per se notaret locum carnis crudae, verba בשר חי in nostro textu plane redundarent; valde enim incommoda haec phrasis foret: *locus carnis crudae carnis crudae.* Nos quidem e Chaldaico חַוְיָה, et Syr. חוי *arguit*, *indicavit*, מִחְיָה interpretamur *indicium*, *signum*, *notam*, quae significatio quoque apta est loco Vs. 24. Ita hanc vocem etiam intelligit optimus veterum interpretum, Syrus, qui habet: *nota carnis crudae*; quocum consentit Onkelos. חַי autem hic est *crudus*, ut frequenter in Chaldaica dialecto. Hinc מִחְיַת בָּשָׂר חַי erit *signum carnis crudae.* Quid Moses his verbis voluerit, docet historia morbi. Nempe in ea leprae specie quam Angli *the Yaws* vocant, tumoribus nec pus nec multum aquae inest, sed subducti sunt cute crassa et alba, atque subter ea caro rubra spongiosa apparet, quae etiam erumpere solet et interdum magnitudine aequat mornm, cui et simillima est, ut HILLARY observat p. 342. Illam autem rem verbis Hebraicis bene expressit Moses. — 11. צָרַעַת נוֹשֶׁנֶת הִוא בְּעוֹר בְּשָׂרוֹ Bene Vulgatus: *lepra vetustissima indicabitur atque inolita cuti.* לֹא יַסְגִּרֶנּוּ *Nec eum includat*, i. e. non opus est, ut eum includat, certum est, eum esse impurum. — 12. וְאִם־פָּרוֹחַ תִּפְרַח הַצָּרַעַת בָּעוֹר LXX. *ἐὰν δὲ ἐξανθοῦσα ἐξανθήσει ἡ λέπρα ἐν τῷ δέρματι*, Vulgatus: *sin autem efflorverit discurrens lepra*

in cute, quam versionem historia morbi videtur confirmare. In illa enim lepra specie, ab Anglis *the Yaws* dicta, quando morbus ad finem se vergit, corpus albis squamis tegitur, quae autem inter decem aut duodecim dierum spatium decidunt, puramque albam cutem relinquunt. Illud itaque Moses voce פָּרַח *efflorescere* expressit. Sensum minus aptum exhibent versiones antiquae orientales, quae verbum פָּרַח *crescere*, *progredi* interpretantur; quam significationem illud in Chaldaica dialecto habet. לָכֹל־מַרְאֵה עֵינֵי הַכֹּהֵן *Per omnem adspectum oculorum sacerdotis*, i. e. si sacerdos observavit hoc accurate.

20 — 25. נֶגַע־צָרַעַת הִוא בַּשְּׁחִין פָּרָחָה *Lepra est in ulcere efflorescens*, sive erumpens; *der Aussatz ist in ein Geschwür ausgebrochen.* — 23. תַּחְתֶּיהָ *Sub se*, i. e. pristino loco, Onkelos, Jonathan, Syrus: *in loco suo.* תַּחַת hic est *locus*, ut saepe, e. c. Ex. 10, 23. — צָרֶבֶת הַשְּׁחִין הִוא vulgo sic reddunt: *inflammatio ulceris est*, sive ulcus inflammatum. Quae interpretatio nec sensum aptum reddit, nec ulla antiqua versione confirmatur. צָרֶבֶת potius est *residuum*, *cicatrix ulceris*, *das vom Geschwür zurückgebliebene Maal;* proprie *percussio*, collato Arabico צرب *percussit*, *punxit.* Concinunt versiones antiquae. — 24. וְהָיְתָה — אוֹ לַבְנַת *Si nota* sive signum *adustionis exoriatur*, (scilicet) *pustula albo-subrufa aut alba.* De מְחִיָּה vid. ad Vs. 10. Moses describit *pustulam ex ustione ortam*, *eine Brandblase;* i. q. Vs. 28. שְׂאֵת הַמִּכְוָה *tumor adustionis* vocatur. — 25. Indicantur signa, ex quibus possit cognosci, in loco pustulae ex adustione ortae erumpere lepram.

30 — 37. צָהֹב exponit Kimchius *similis colori auri*, *goldgelb.* נֶתֶק propria videtur vox esse ad significandam *faciei vel barbae lepram:* collato Arab. نتق, *percussit.* LXX: θραῦσμα. Chaldaeus retinet vocem Hebraeam. Syrus: *plaga;* Saadias كلف, *pustula*, *faciei macula colore inter nigrum ac rufum medio*, *lentigo faciei.* — 33. וְהִתְגַּלַּח וְאֶת־הַנֶּתֶק לֹא יְגַלֵּחַ *Tondeatur homo*, *excepto tamen eo loco*, *in quo lepra est.* — 35. אַחֲרֵי טָהֳרָתוֹ *Postquam mundus declaratus fuerit.* — 37. וְאִם־בְּעֵינָיו עָמַד הַנֶּתֶק *Si locus affectus colorem seu speciem ipsam non mutaverit.*

39 — 42. בֶּהָרֹת כֵּהוֹת לְבָנֹת *Macula alba subobscura.* Sed Syrus habet *macula alba vel rubra.* בֹּהַק non est morbus, sed anomalia cutis, nec periculosa nec contagiosa. Arabes hunc morbum etiamnum بهق vocant, ut Niebuhr et Forskal testantur. — 40. קָרֵחַ est *calvities*, fluxus crinium a vertice versus cervicem. — 41. Verba וְאִם מִפְּאַת פָּנָיו יִמְּרֵט רֹאשׁוֹ *quodsi ab angulo faciei ejus glabrescet caput ejus*, Vulgatus recte sic vertit: *et si a fronte ceciderunt pili.* גִּבַּחַ Saadias bene reddidit: *anteriore capitis parte calvus*, i. e. recalvaster. — 42. וְכִי־יִהְיֶה — אַדְמְדֶּמֶת *Si in parte calva aut recalvata ortae fuerint maculae candidae*

rubicundae, qui color mixtus est ex albo et rufo. LXX. autem et Syrus habent: candidae *aut* rubicundae. Excidisse putarunt אֹ, vel id subaudiendum; sine ratione.

47. In hoc Versu etiam *lanae* et *lino* lepra adscribitur, quae qualis fuerit, vix certo dici potest. Sunt haud pauci, qui vitii hujus vestibus inhaerentis indolem leprae corporum similem prorsus fuisse, existiment, ut Moses his verbis eas vestes damnaret, quibus leprosum virus ex vivo corpore immissum esset. Sed eam sententiam bene refutavit Hebenstreit, in Diss. *altera*, quae *Curae Sanitatis publicae apud Veteres exempla* proponit, Lips. 1783. p. 24. „Non video," inquit, „quid peculiari lege tunc opus fuisset, cum eo ipso, quod leprosi homines ex societate civium removerentur, omnis quoque illorum supellex immunda et communi usui inepta evaderet. Praeterea vero, quod maximum est, legislator pannorum et linteorum lepram pariter impuram pronunciat, sive stamen tantum, sive subtemen, sive utrumque corruperit. Eoque ipso agnoscit, fieri posse, ut in parte tantum panni labes haereat, pars integra sit. Quod quo pacto in panno leprae contagione corrupto contingere potuerit, difficulter dixeris. In ipsius certe materiei, panno conficiendo adhibitae, vitio admittendo magis minusve idoneae, diversitate, caussa quaeri non potest. Neque enim licitum erat Judaeis, veste ex duplici materie, lana v. c. et lino contexta uti (Lev. 19, 19. Deut. 22, 11.). Vestem autem simplicis texturae, sive mere lanea, sive linea tantum esset, totum certe occupasset leprae virulentia, utpote per halitum et ulcerum saniem transfusa. Novimus nostris quoque temporibus morbis variis aegrotantium vestes ita contaminari, ut sanis illas induentibus certissimum periculum afferant. In his tamen morbis nullus est, cujus virus telam, quam attigit, non totam penetret, sed in stamine tantum, vel subtemine consistat; nullus, qui in veste, ab aegroto seposita, perinde ac in ea, qua corpus jam tegitur, latius serpat. Ipsa camero consumtarum et sideratarum, i. e. sphacelo affectarum partium teterrima licet sanies, nunquam tamen ultra linteorum partem eam, quam loco affecto proximam ab initio imbuerat, in illis a corpore demtis diffunditur. Quae quum ita sint, nescio an morbi contagio recte tribui possit vitium illud vestium, cui leprae nomen a Mose datum est. Putaverim potius, vocabulum istud a corpore vivo ad corpora exanimia translatum fuisse, eadem sermonis licentia, qua nos quoque interdum utimur, dum v. c. arbores et saxa cancro adesa esse dicimus, quando in his aliquid humiditate, putredine vel aeris intemperie corruptum est. Quod igitur ad illam pannorum laneorum lepram attinet, placet Michaelis sententia, existimantis, leprosam lanam dici eam, quae ab ovibus morbo cunctis vel scabiosis sumta est (*Mos. R.* T. IV. §. 211.). Usu enim constitit, ejusmodi lanam asperam esse et inutilem, ut etiam telae ex tali materia confectae paulatim hinc inde excedantur, et qui illis vestiuntur, sanitatis

periculum adeant. Similiter *coriorum* lepram, cujus meminit Moses, illud ipsum vitium fuisse putaverim, quod tam ceterorum animalium senio aut morbo consumtorum exuviis inhaeret, tum bovinis praesertim pellibus ex armentaria luc conciliari solet. Illae enim fragiles sunt, et saepius semesae quasi apparent, et sanitati non parum officiunt."

48. In explicandis nominibus שְׁתִי et עֵרֶב veteres omnes consentiunt, dum illud vertunt *stamen (Aufzug)*, hoc, *subtegmen* s. *licium (Einschlag, Eintrag)*, quod quidem haud incommode nomen sit nactum a *permiscendi* notione, quam עֵרַב apud Aramaeos obtinet, quod cum stamine permisceatur. שְׁתִי vero illustratur ex Arab. אסתי, *staminibus positis aptavit telam*. Attamen has significationes illarum vocum h. l. non posse admitti, visum est quibusdam ex iis, quae sequuntur. Quomodo enim, inquiunt, comburi potest secundum Vs. 52. sive stamen sive subtegmen vitiosae vestis? aut quomodo ex veste lepra infecta, pars vitiosa, secundum Vs. 56., vel ex stamine vel ex subtegmine potest scindi, quum tota vestis sive pannus stamine ac subtegmine unice constet? Hinc Hubigantius, quocum consentit Dathius, conjectat, עֵרֶב significare *vestem texturae diversae*, h. e. quae constet filis spissioribus et tenuioribus, uti est in tapetibus et aliis vestibus ex lana et lino paratis. Sub שְׁתִי vero intelligit texturam simplicem, quae constet filis ejusdem formae sive generis. Addit Dathius, ex origine haec vocabula illam significationem admittere. Nam שְׁתִי conferendum est cum Syr. אשתי *texere*, עֵרַב autem *miscendi* notionem habere, notum. Gussetius in *Commentarr. L. H.* sub rad. ערב lit. O., non indicari putat pannos textos, sed fila texenda, ad id parata et destinata, adeo ut in antecessum ita concepta, et sub relatione, quae illis ad se invicem ea destinatione datur, jam accipiant nomina, ei congrua utrinque. Cui sententiae tamen obstat nomen בֶּגֶד Vs. praeced., quod nonnisi de pannis textis dici constat. — לְ ante פִּשְׁתִּים et צֶמֶר hic est nota Genitivi, ut Am. 8, 11. Jon. 4, 5.

51. 55. צָרַעַת מַמְאֶרֶת Bochartus in *Hieroz.* T. I. p. 554. vertit *lepram exasperatam*, s. asperam, acerbam, dolore afficientem, coll. Arab. מאר, *irritavit*, unde מיר אלגרח, *vulnus irritatum est*, aut *recruduit*. Sic Ez. 28, 24. Sidon dicitur esse Israelitis סִלּוֹן מַמְאִיר, *spina acerbe pungens*. — 55. פְּחָתָה proprie significat *profundam* (ut פַּחַת est *fovea*), ut indicetur corrosio seu labes, quae introrsum radices agit, quae grassatur in imum et agit intra id cui insederit. בְּקָרְחָתוֹ אוֹ בְגַבַּחְתּוֹ recte vertit Saadias: *in rasa*, i. e. sinistra, *aut villosa*, i. e. recta *panni superficie*. Sicuti enim in hominibus קָרַחַת dicitur, si alicui in *parte* capitis *posteriore* pili defluunt, גַּבַּחַת autem, si in *parte anteriore;* ita etiam in vestibus et pannis קָרַחַת videtur dici, quum pili in *parte aversa* seu interiore, גַּבַּחַת quum in *parte adversa*, seu exteriore defluunt.

Cap. 14.

Leges de purgatione Leprosi, de aedium Lepra dignoscenda, ejusque, et eorum, qui eas ingressi fuerint, purgatione.

2—5. זֹאת — טָהֳרָתוֹ *Haec erit lex leprosi die purificationis suae;* i. e. hic est ritus, qui debet servari die, quo is, qui leprosus declaratus fuerat, judicabitur liberatus a lepra. — 4. Verba שְׁתֵּי־צִפֳּרִים חַיּוֹת Vulgatus, quem multi sequuntur, vertit: *duos passeres vivos;* sed צִפֹּר h. l. sumendum est significatione primaria, qua in universum *aves* denotat. Epitheton enim, quod sequitur, טְהֹרוֹת *mundarum*, ostendit, non *passeres* posse intelligi, quia hae aves mundae erant ideoque non opus fuisset illo epitheto; sed aves quasvis mundas. חַיּוֹת hic videtur significare *bene valentes*, aut aves *nullo morbo adfectas;* mortuum enim animal numquam in sacrificium offerre licebat. חָיָה autem saepius significare *bene valere*, est notum. אֶרֶז esse *cedrum*, apparet ex eo, quod incolae Libani cedrum hodienum vocent *Ars*, ipso nomine Hebraico. שְׁנִי תוֹלַעַת *Coccineus (Carmosin)*, vid. ad Ex. 25, 4. אֵזוֹב *Hysopus.* Veteres ligno cedrino cum hysopo conjuncto adscribebant vim medicam in morbis cutis, cf. ad Ex. 12, 22. — 5. אֶל כְּלִי־חֶרֶשׂ — *In vas testae*, i. e. testaccum. מַיִם חַיִּים *Aquae vivae*, i. e. aqua perennis, qualis est fontium et fluviorum, non e cisternis et aquarum collectionibus, conf. Gen. 26, 19. Jer. 2, 13.

7—13. וְשִׁלַּח — הַשָּׂדֶה *Et emittat avem vivam super faciem agri*, i. e. liberam abire eam sinat et volare quo volet. Ceterum purgatio usque ad hunc Vs. descripta tollebat tantum graviorem illam immunditiem, quae leprosum arcebat ab hominum convictu; ea immunditia, quae a templo arcebat, septem adhuc dies manebat. — 8. וְגִלַּח אֶת־כָּל־שְׂעָרוֹ *Radet omnes pilos corporis.* Hoc ideo fiebat, quod, quum lepra facile inter pilos adhaereseat, si quae essent vel leves morbi reliquiae occultiores, eae hac ratione tollerentur. Ob eandem causam, et propter majorem securitatem, adhibebatur duplex illa corporis et vestimentorum lotio. — 9. גַּבַּת עֵינָיו sunt proprie *eminentiae oculorum*, i. e. supercilia, quia supra oculos eminent. — 10. לוֹג est minima liquidorum mensura, continens sex ova. — 11. אוֹתָם *Illa*, sc. modo enumerata. — 12. אָשָׁם h. l. est sacrificium pro immunditie Levitica per lepram contracta. — 13. בַּאֲשֶׁר יִשְׁחַט pro בַּמָּקוֹם אֲשֶׁר יִשְׁחַט *in quo solet mactari.* כַּחַטָּאת הָאָשָׁם *Sicut hostia pro peccato*, ita etiam *sacrificium pro immunditie*, i. e. quemadmodum ad sacerdotem pertinet hostia pro peccato, ita etiam ad eum pertinet hoc sacrificium pro immunditie leprosa. קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *Sanctitas sanctitatum* est, i. e. sacerdotes tantum ea possunt comedere.

17—21. עַל דַּם הָאָשָׁם *Super sanguinem delicti.* Sed Particula עַל hic notat *praeter;* partes illae non solum sanguine, sed

etiam oleo tingendae erant. — 18. כִּפֶּר עָלָיו הַכֹּהֵן *Sacerdos expiabit eum*, i. e. declarabit eum mundum. — 21. דַּל proprie est *tenuis*, pertinetque tam ad corpus, quam ad rem familiarem; hac significatione hic sumendum est: *pauper*. וְאֵין יָדוֹ מַשֶּׂגֶת *Et non manus ejus apprehendens*, subaudi: modo enumerata, si non habeat, undè illa possit sibi comparare.

28. 32. 34. עַל־מְקוֹם דַּם הָאָשָׁם *Supra loco sanguinis delicti*, i. e. in ea parte, quae tincta est sanguine hostiae pro immunditie leprosa maetatae. — 32. Sensus: hae sunt ceremoniae observandae in purificatione ejus, qui a lepra mundus declaratur, et qui pauperior est, quam ut supra enumerata comparare sibi possit. — 34. *Lepram aedium* nonnulli veram lepram fuisse putant, quae ex vivis corporibus contagione quadam in muros transierit. Cui sententiae tamen HEBENSTREIT (in Diss. 2. p. 14. not.) seite opponit, vix intelligi, qui fieri potuerit, ut leprae virus ex vivo corpore in aedium muros transiret, quum leprosi, simulac morbus externa macula sese manifestaret, sacerdotem consulere lege cogerentur. Rectius itaque alii aedium ab efflorescente *nitro* (quod *Halonitrum* et *Aphronitrum* dixerunt veteres) erosionem aut eariem (nostri vocant *Salpeterfrass*) leprae nomine a Mose insigniri censuerunt. „Si vero nitrum lateres et calcem exederet, sponte intelligitur, sanitati contrarias fuisse ejusmodi habitationes, quae in nostris etiam regionibus non quidem ipsius nitri efflorescentis vi nociva, sed mucidarum exhalationum a loci humiditate proveuientium, vestesque ipsas tetro odore inficientium abundantia corpori infestae esse solent, quo fit, ut morbi varii ingruant ex eorum genere, qui a perspiratione suppressa aërisque corrupti afflatu nascuntur.“ HEBENSTREIT. Conf. MICH. *Jus Mos.* P. 4. §. 211.

35—37. אֲשֶׁר־לוֹ הַבַּיִת *Cui* est *domus*, is qui domum possidet. כְּנֶגַע נִרְאָה לִי בַּבַּיִת *Sicut lepra visum est mihi in domo*, aliquid leprae simile visum est mihi in parietibus domus meae. — 36. וּפִנּוּ אֶת־הַבַּיִת *Vacuabunt domum;* quod ita vertendum sequentia ostendunt; eodem sensu LXX. ἀποσκευάσαι. Suppellectilia enim auferenda monet Moses, ne immunda pronuncientur ob aedes pollutas. Sic sumitur Zeph. 3, 15. — 37. שְׁקַעֲרוּרֹת *Cavitates*. Ut in lepra cutis maculae erant depressae, ita et in hac murorum carie profundiores fuere putredinis notae. Videtur autem vox composita ex radice שָׁקַע, quae *desidere* et *demergi* sonat, et רוּר, *salivare*, quod nempe eae cavitates humorem exsudarent, quo muri maculabantur.

41—45. וְאֶת־הַבַּיִת יְקַצֵּעַ מִבַּיִת סָבִיב *Domum autem ipsam radi intrinsecus circumquaque jubebit.* Intelligendum hoc de abrasione ceterorum parietum, calce oblitorum, e quibus lapides eruti non essent. Quae vetustae calcis abrasio ad cautionem fiebat, ne quid corruptionis etiam per contagionem illis adhaesisset, quae

non satis oculis se proderent. — 42. אֶל־תַּחַת הָאֲבָנִים *In locum lapidum* priorum, qui ablati fuerint. — 45. עָפָר *Pulvis*, hinc *tectorium*, caementum, quod fit ex arena. Quum acidum nitri, quod in lapidibus domus alicujus comparet, valetudini tam noxium sit, Moses aedes hoc acido infectas destrui, lapidesque, ligna et totum tectorium extra urbem in locum immundum efferri jubet. Quum Hebraeorum domus etiam multis post Mosen seculis nec magnae nec pretiosae essent, satius erat, aedium ejusmodi quam valetudinis jacturam facere.

54. 57. Particula ל hoc et sqq. Vss. notat *de*, *super*. — 57. לְהוֹרֹת בְּיוֹם הַטֻּמְאָה וּבְיוֹם הַטָּהֳרָה *Ad docendum* sacerdotem *die immundi et die mundi*, i. e. de iis, quae ab eo agenda sunt die, quo declarandum est, sitne impurum aliquid an purum.

Cap. 15.

De immunditia gonorrhoei et mulieris menstruatae; item de immunditia mulieris, quae extraordinarium sanguinis fluxum patitur; deque ea, quam vir et mulier coëuntes contrahunt.

2. 3. אִישׁ אִישׁ וגו׳ *Vir, vir si erit fluens*, sive *fluxum patiens*, *e carne sua*, *fluxus ejus immundus est*, quod recte vertit Vulgatus: *vir, qui patitur fluxum seminis*, *immundus erit*. Nomine בָּשָׂר enim hic significantur *pudenda*, ut Vs. 19. Ez. 16, 26. 23, 20. — 3. וְזֹאת תִּהְיֶה טֻמְאָתוֹ בְּזוֹבוֹ *Haec erit immundities ejus in fluxu suo*, i. e. in his consistet immundities hominis, qui gonorrhoea laborat. רָר בְּשָׂרוֹ אֶת זוֹבוֹ *Si salivaverit*, s. *spuat caro ejus fluxum suum*, i. e. si sponte semen fluat. אוֹ־הֶחְתִּים בְּשָׂרוֹ מִזּוֹבוֹ *Aut si semen fuerit obstructum a fluxu suo*, ita ut non sponte fluere possit. Michaelis videtur significari *gonorrhoea virulenta*. In eandem sententiam propensus est Hebenstreit (Diss. 2. p. 15. sqq.), qui doctissime de hac re agit his verbis: „Quicquid autem horum fuerit, seu ex venereo contagio natum fuerit seminis istud profluvium, seu a concubitu cum menstruali aut leprosa muliere, seu ex aliis quibuscunque causis ortum traxerit, hoc tamen, puto, facile patet, illud, nisi ipsam gonorrhoeam virulentam, huic tamen, ut ullum aliud simillimum fuisse. Neque enim si ad gonorrhoeam, quam nos *benignam* dicimus, lex Mosaica spectaret, eadem impuritatis censura morbus iste a legislatore notari potuisset, *seu flueret* foedus humor, seu *interceptus esset*. Illud certe corruptionis insons gonorrhoeae genus eo ipso sanatur, quod humor emanare desinit, cum plerumque a laxitate et debilitate partium oriatur, adeoque vigori naturali restituto fluxus sponte cohibeatur. Altero autem morbi genere laborantibus, quod *malignum* dici consuevit, sponte et ante tempus accidens profluvii cessatio salutaris haud est, imo potius majorem noxam afferre judicatur, cum illa, quae humores corrupit, acrimonia, subacta prius et expurgata non fuerit. Est quoque virulentae go-

norrheae tanta vis, ut vel solo contactu sanis corporibus nocere possit, quod in benigna secus est. Videtur sane Moses avertendi hujus contagii causa non modo seminifluos e societate civium removisse, sed hos quoque, qui illos tetigissent eorumque supellectili usi essent, reos immunditiei statuisse. *Lavationes* autem (Vs. 13.) prudenti omnino consilio, non vigente morbo, sed sublato, praescripsit, quippe debilitatis viribus confirmandis magnopere profuturas. Solemus enim nostro etiam aevo, gonorrhea virulenta eo usque sanata, ut tantum acrimoniae expers profluvium ob vasorum laxitatem supersit, praeter alia, quae comprimunt et adstringunt medicamenta, frigidas lotiones adhibere."

5—13. רָחַץ בַּמַּיִם *Postquam lavaverit*, sc. corpus. Nam רָחַץ de lotione corporis, כָּבַס de lotione vestium usurpatur; cf. Vs. 13. — 7. וְהַנֹּגֵעַ בִּבְשַׂר הַזָּב *Qui verenda ejus tetigerit;* id quod sine dubio est intelligendum de medico vel chirurgo. Hinc potest colligi, agi h. l. de gonorrhoea virulenta. — 9. הַמֶּרְכָּב LXX. et Vulgatus ἐπίσαγμα, *sellam*, cui quis insidet, quum jumento vehitur, interpretati sunt. Syrus vertit: *jumentum sessile.* — 11. וְכֹל אֲשֶׁר יִגַּע־בּוֹ הַזָּב וְיָדָיו לֹא־שָׁטַף בַּמַּיִם *Omnis etiam, quem illotis manibus attigerit*, sc. gonorrhea laborans. — 13. לְטָהֳרָתוֹ *Ad purificationem suam*, ut cognoscat, se vere recuperasse pristinam sanitatem.

16—24. שִׁכְבַת־זֶרַע sunt qui vertant *concubitus seminis*, ut sit hypallage, pro *semen concubitus*, et indicetur effusio seminis in coitu, coll. Vs. 18. Sed significat phrasis Hebraica *effusionem seminis* (a שָׁכַב, quod uti Arabic. سَكَبَ *effudit*, *effluxit* denotat). Loquitur de pollutione in somno, uti recte Lutherus vertit, coll. infra 22, 4. Deut. 23, 10. — 18. וְאִשָּׁה אֲשֶׁר יִשְׁכַּב אִישׁ אֹתָהּ שִׁכְבַת־זֶרַע *Et mulier quacum vir concubuerit effusione seminis.* Nonnulli hunc Versum pro praecedentium appendice habent, ut hoc dicatur: si mulier illo die vel illa nocte cum eo coierit, cui tale quid per somnum accidit. Michaelis putat Mosen hac lege etiam hoc spectasse, ut aliquid conferret ad minuendam polygamiam; si enim vir aliquis plures feminas habebat, hujus legis observatio ei valde molesta esse debuit. Vid. *Jus Mos.* P. II. §. 95. sub fin. — 19. בְּנִדָּתָהּ — וְאִשָּׁה *Mulier cum erit fluens sanguine*, *fluxus ejus in carne*, i. e. in verendis, *ejus*, i. e. mulier cum menstrua patitur, *per septem dies erit in separatione sua*, i. e. separata sit ab hominum commercio, atque contactu rerum mundarum. Cujus separationis tempus ex rei natura petita; septem enim diebus solet durare fluxus menstrui, cum diutissime durat, at qui ultra hos dies procedit (Vs. 25.), aegritudinis est indicium. Sanguini menstruo teterrimam virulentiam veteres adscripsisse, cognoscitur ex Plin. *H. N.* 7, 15. Ac sane feminas calidarum regionum indigenas acriorem, et quodammodo virulentiorem sanguinem per naturalia excernere, testantur auctores rerum

istarum intelligentes, ut observat HEBENSTREIT (in *Diss.* 2. p. 23.), qui praeterea addit: „Hujus rei quae caussa sit, non difficile dictu est. Ardor enim coeli, quemadmodum acredinem humoribus omnibus addit, et vehementius concitatos pronos ad corruptionem efficit, ita uterino etiam sanguini vehementius incalescenti acrimoniam et putredinem prope conciliat. Non itaque dedecebat legislatorem, prospicere, ne uteri profluvio aegrotantes vel convictu et consuetudine cum viris, vel immunditie corporis, aliis et sibi ipsae nocerent; quod ipsum praeclare secessu illis, ut impuris, et lavationibus imperatis perfecit." — 23. וְאִם — עַד־ הֶעָרֵב *Si vero super lecto illud*, e. e. stragulum fuerit, *aut super* alio *vase*, *in quo illa sederit*, *cum quis attigerit illud*, *immundus iste erit usque ad vesperam.* — 24. וְאִם שָׁכֹב יִשְׁכַּב אִישׁ אֹתָהּ *Et si concumbendo concumbet vir cum ea*, i. e. si quis autem maritus cum uxore cubuerit, et menses huic ex improviso supervenerint, dum ille dormit cum ea, וְתִהְיֶה נִדָּתָהּ עָלָיו *et fuerit impuritas ejus super illum*, tum ille quoque immundus erit.

25. 29. 31. בִּלְא עֵת־נִדָּתָהּ *In non tempore impuritatis suae*, alio tempore, quam quo pati solet menses. עַל־נִדָּתָהּ *Praeter impuritatem suam*, post fluxum menstrualem, quam naturaliter solet pati. Hieronymus: *vel quae post menstruum sanguinem fluere non cessat.* — 29. Ea tantum mulier, quae *diuturniore* sanguinis fluxu mundata fuisset, sacrificium offerre jubetur. — 31. וְהִזַּרְתֶּם Hieronymus reddidit *docebitis ut caveant*, confudit eum וְהִזְהַרְתֶּם. Sed recte Onkelos: *separabitis*, sive *facietis ut separent se*, curabitis, vos sacerdotes, ut hoc faciant. LXX. *καὶ εὐλαβεῖς ποιήσετε*, *faciatis ut caveant sibi* ab omni immunditie. בְּטַמְּאָם אֶת־מִשְׁכָּנִי אֲשֶׁר בְּתוֹכָם *Cum polluerint tabernaculum* (conventus) *meum*, *quod apud eos est.* Bene monet Clericus, si Israelitis, Aegyptiacis moribus praepeditis, licuisset tabernaculum adire, immunditie, de qua in hoc Capite, pollutis; ipsi Sacra Jovae sprevissent, quasi is minorem reverentiam exigeret a suis cultoribus quam Aegyptiorum numina. Igitur eo, quod ipsi irreverentiae maximum indicium rebantur, fuit iis interdicendum.

Cap. 16.

De iis, quae sacerdoti facienda sunt ipso die Expiationis, quae victimae, qui ritus adhibendi, sive priusquam Sanctissimum ingrediatur, sive postquam eo est egressus: additurque de capro emissario et de Festo expiationis celebrando, jejunioque eo die adhibendo.

1. 2. Historiam, de qua hic loquitur Moses, vid. Cap. 10, 2. sqq. — 2. מִבֵּית לַפָּרֹכֶת *Intra velum*, quod dividebat Sanctum a Sanctissimo, cf. ad Ex. 26, 31. 33. 35. וְלֹא יָמוּת *Ne moriatur*, dum irreverenter irrumpit in aditum. Quod procul dubio pro moribus illius aevi ad conciliandam Sacris reverentiam erat

constitutum. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 137. כִּי בֶּעָנָן אֵרָאֶה עַל־ הַכַּפֹּרֶת *Nam in nube conspiciar super operculo.* Sub עָנָן Judaei et Christiani interpp. fere intelligunt nubem illam (de qua Ex. 13, 21.), quam Hebraei vocant שְׁכִינָה *Schechinam*, atque ut symbolum praesentiae divinae arcae foederis perpetuo insedisse putant. THALEMANNUS vero (in Diss. *Nubem super arca foederis commentum Judaicum videri*, Lips. 1752.) hunc locum interpretatus est: *sed in conspectum meum veniet* (Pontifex die expiationis) *cum nube, quam excitet super propitiatorio*, seu, *prope illud.* אֵרָאֶה *Conspiciar* valere ait *videbit me, in conspectum meum veniet.* כִּי vero praecedente negatione, significare h. l. *verum, sed*, veluti Gen. 18, 15. 24, 4. Ex. 16, 8.; עָנָן autem, *nubes*, ex Thalem. sententia, vocatur fumus ex suffitu, qui in Sanctissimo die expiationis adolebatur. Unde totius Vs. sensum hunc esse statuit: non veniat Aaron ad me sic leviter, non ita temere coram me compareat; moreretur enim, si hoc auderet: verum conspiciar in nube, seu, per nubem sc. fumi ex suffitu, quae tegat propitiatorium, totamque adeo arcam. Qui adytum ingrediendi modus Vs. 12. 13. plenius describitur; ubi diserte dicitur כְּסֹה עֲנַן הַקְּטֹרֶת אֶת־ הַכַּפֹּרֶת אֲשֶׁר עַל־ הָעֵדוּת *nubem suffitus tegere debere operculum, quod super arca legum est.* Si autem, inquit Thalem., jam fuisset nubes in propitiatorio, quae divinae majestatis praesentiam occultaret, cur Deus jussisset aliam excitare ex suffitu, quae hanc ipsam nubem ita occultaret, ut nec a Pontifice posset conspici? Verum enimvero Thalemanni interpretationem solidis argumentis refellit Jo. EBERH. RAVIUS (*Dissertationes sacrae antiquariae* Traj. ad Rhen. 1760.). Atque is quidem recte monuit, Hebr. usum loquendi minime admittere, verba בֶּעָנָן אֵרָאֶה עַל־הַכַּפֹּרֶת sic vertere: *in conspectum meum veniet cum nube.* Nam is sensus Hebraice ita exprimendus fuisset: בֶּעָנָן עַל־ הַכַּפֹּרֶת יִרְאֵנִי אַהֲרֹן אָחִיךָ *in nube super operculum videbit me Aaron, frater tuus*, quomodo porrexisset Moses eodem quo incepit, verborum habitu, scribere, aut forma verbi passiva, hoc modo: יֵרָאֶה אֵלַי, vel יֵרָאֶה אֶת־פָּנַי *compareat coram me*, loquendi modis eidem Mosi frequentatis (coll. Gen. 12, 7. Deut. 16, 16.). Quare LXX. h. l. recte verterunt: ἐν γὰρ νεφέλῃ ὀφθήσομαι ἐπὶ τοῦ ἱλαστηρίου. Onkelos: *nam in nube ego me manifestabo super operculo.* Eodem modo Jonathan, Syrus, et Arabs uterque. Deinde vere observat Ravius, interpretationem: *Pontifex veniat cum nube suffitus, quam excitet prope operculum* s. *propitiatorium*, esse violentam. Etenim עַל, ubi de *propitiatorio* sermo est, semper notat *supra:* fumus autem de suffitu totum implevit adytum. Itaque *prope* solum propitiatorium excitandus diei nequit, non magis quam supra illud. Praeterea, si *nubem* s. *fumum suffitus* hic intelligi voluerit Moses, vix dubium esse potest, cum scripturum fuisse בֶּעָנָן הַקְּטֹרֶת *cum* s. *in nube suffitus*, ut Vs. 13. Denique quum Moses inde a Vs. 3. ordine exponens caerimonias, quae

Pontifici die expiationis adytum ingredienti observandae essent; ad suffitum in adyto faciendum Versu demum 12. veniat, minime credibile est, illum praeceptum istud hoc Vs. 2., qui praeceptis ipsis praemittitur, praeoccupare. Thalemannus quidem Ravio opposuit *Tractatus de nube super arca foederis Vindicias*, etc. Lips. 1771.; neque tamen gravioribus, quam quas prius attulisset, rationibus suam sententiam commendare potuit.

3. 4. בְּזֹאת *Cum hoc*; hoc ritu et his ceremoniis. — 4. כְּתֹנֶת־בַּד קֹדֶשׁ *Tunica linea sacra*, conf. ad Ex. 28, 40. De מִכְנְסֵי־בָד vid. Ex. 28, 42., et de אַבְנֵט et מִצְנֶפֶת Ex. 28, 39. וְרָחַץ בַּמַּיִם אֶת־בְּשָׂרוֹ *Abluet aqua carnem suam*, i. e. totum corpus, non tantum pedes et manus, ut Ex. 30, 19. Ceterum die expiationis non licebat Pontifici alias vestes induere, nisi quae erant etiam gregariorum sacerdotum; quod dies ille dies luctus esset, quo splendidis vestibus Sacra facere indecorum fuisset.

8. De עֲזָאזֵל magnus est interpp. dissensus; quorum varias sententias enumeratas et dijudicatas invenies in Bocharti *Hieroz.* T. I. p. 745. sqq. ed. Lips., et in Spencери *de Legg. Hebr. ritt.* L. 3. Diss. 8. p. 1040. sqq. ed. Tubing. Atque ex Bocharti quidem sententia, quae pluribus eruditorum sese probavit, עֲזָאזֵל nomen est plurale, s. collectivum; ejus formae, quam Arabes *fractam* vocant, significans *separationes*, *secessiones*, ab עזל *removere*, separare; alterum enim istorum hircorum destinatum fuisse לַיהוָה *Deo*, i. e. ut super altari mactaretur, alterum, לַעֲזָאזֵל *recessibus*, h. e. ut in locum deserti remotum et separatum deduceretur, Vs. 21. 22. Hackmann in *Praecidd. Sacr.* P. I. Lugd. Bat. 1735. p. 232. sqq. עֲזָאזֵל non Pluralem autumat, quum vix credibile sit, ipsam inflexionem Arabicam nominis collectivi; seu Pluralis fracti, Hebraice loquentibus servatam fuisse, sed nomen singulare derivatum ab ea verbi עָזַל Conjugatione, quae ut Arab. Conj. 12., mediam radicalem geminaret inserto ו, quemadmodum a חָצַר fit חֲצוֹצְרָה, quae ipsa et Gesenii est sententia in *Lehrg.* p. 536. Per formam vero illam Hackmannus intendi significationem existimat, ut igitur עֲזָאזֵל (pro עֲזוֹזֵל) denotet *locum remotissimum*. Verum ut taceamus, nullum in V. T. vestigium apparere, ex quo colligi recte possit, Hebraeis verbum עָזַל in usu fuisse, uti nec in cognata Chaldaica dialecto significatu Arabibus usitato reperitur (nam Chald. עָזַל *nevit* convenit cum Arab. غَزَلَ), vere observat Spencerus, adscito *loci remoti* s. *recessus* significatu, infra Vs. 10. in voce. לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה earum alterutram otiosam futuram esse et tautologiam illaturam, quum solitudines omnes χωρισμοὶ sint, i. e. *recessus*, seu loci ab hominum usu vel frequentia separati. Nos quidem haud dubitamus Spencери adstipulari sententiae, quae ipsa est antiquiss. Hebraeorum et Christianorum, עֲזָאזֵל esse nomen daemonis mali. In antiquissimo in Leviticum Commentario, qui *Chaskuni* inscribitur, עֲזָאזֵל idem esse dicitur, qui

et סַמָּאֵל nuncupatur, quo nomine *angelus mortis* seu *Diabolus* designatur; vid. BUXTORFII *Lex. Chald. Talmud.* p. 1495. In fragmento quodam libri, qui Henochi nomine circumfertur et ante Christi tempora editus traditione perantiqua creditur, servato a Georgio Syncello in *Chronograph.*, unde excerptum legitur in J. A. FABRICII *Cod. Pseudepigr. V. T.* P. I. p. 179. sqq., Ἀζαλήλ, seu, uti paulo post scribitur, Ἀζαήλ, inter angelorum lapsorum principes numeratur. In libro Henochi Acthiopico translato Cap. 10. versionis Anglicae (Cap. 7. codicis Paris.) memoratur Azael angelus lapsus, vinctus et in desertum ablegatus. Cf. GESENIUM ad Jes. 13, 21. Quocum convenit, quod in Commentario cabbalistico in Cap. 2. Geneseos, quem e libro *Sohar* excerpsit LUDOV. CAPELLUS in *Operr. posthumm.* p. 309. 313., inter angelos e coelo dejectos comparet עזאל *Asael.* MERCERUS in *Commentar. in Genes.* p. 88. refert, Cabbalicos tradere, daemones et malignos spiritus in sepulchris maxime, ubi sunt cadavera, versari, et hujusmodi daemonem *Azazelem* appellari. Christianos etiam antiquos illo nomine Diabolum intellexisse, haud obscure discitur ex Origenis *contra Celsum* L. 6. p. 305. ed. Spenc. Nam ut probet, Diabolum ipso Mosis aevo innotuisse, inter alia inquit, *ille in Levitico*, ἀποπομπαῖος *dictus*, *quem Scriptura Hebraica Azazel nominat*; *non alius erat*, nisi Diabolus. Et in antiqui poetae Christiani in Marium, Valentini discipulum, Versibus, quos attulit Epiphanius in *Haer.* 34., ille mendacia sua miracula peregisse dicitur ope Satanae et Azazelis. Ex veteribus Pentateuchi interpretibus Onkelosum, Jonathanem et Samaritanum עֲזָאזֵל Diaboli nomen proprium habuisse, inde fit credibile, quod illud retinuerunt. Nam si appellativum illud scivissent, vix est verisimile, eos illud ἀνερμήνευτον reliquisse. Accedit, quod ipse contextus opinari cogit, vocem עֲזָאזֵל de Diabolo intelligendam esse. Nam *primo* sors una לַיהוָה *pro Jova*, sors altera vero לַעֲזָאזֵל *pro Azazele*, supra duos hircos poni debuit. Jam quum Jova persona sit, oppositionis ratio postulat, ut Azazel aliquis esset, cui hircorum alter sorte tribuendus erat. Hunc autem Angelum bonum, aut hominem aliquem esse potuisse, ne suspicari fas est. *Deinde* Jova et Azazel hac in lege tanquam partes extremae et oppositione maxima ab invicem separatae sistuntur. Quum itaque distantia et oppositio maxima inter Deum et Daemonem intercedat, consentaneum est, ut Azazel Daemonem notare censeatur. *Tum* lege praeceptum est, ut e duobus hircis, quis Jova, quis Azazeli, destinandus esset, sorte decerneretur. Antiquitus autem sortitio fieri solebat, tantum cum res personarum ageretur; vid. Esth. 3, 7. Esth. Additamm. 10, 20. Actor. 1, 26. *Denique* expiationis lege cautum est, insuper, ut *hircus in quem cecidit sors pro Azazele* (Vs. 8.), dimittatur לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה *ad Azazelem in desertum* (Vs. 10.). Horum autem verborum sensus implicatus et incommodus erit, si Azazelem de hirco emisso; sed facilis et expeditus, si de daemone vo-

cem eam intelligamus. Tunc enim hunc sensum apertum et cohaerentem dabunt: hireus ille, cui sorte obtigit, ut Daemoni tradatur, mittatur ad Azazelem. Hic sensus eo probabilior est, quod loca deserta et ab hominum commercio remota, Daemoni gratiosa, et illius habitacula maxime familiaria olim haberentur; vid. Matth. 4, 1. Luc. 8, 27. et conf. not. ad Vs. 10. Quod autem nominis עֲזָאזֵל significatum attinet, cum Spencerus satis probabiliter עַז אֵזֵל *fortis abiens* esse dicit. „Sic enim," inquit, „Diabolus non injuria vocatur, si ad Deum, Angelos bonos, homines, aut ipsos Diaboli mores respectus habeatur. Respectu Dei, a quo defectionem fecit. Id nominis etiam respectu bonorum angelorum daemonibus attribui potest. Quum enim angeli boni עַזִּים עוֹמְדִים *fortes stantes* essent, et in statu integro permanerent, daemones עַזִּים אֲזֵלִים *fortes abeuntes* erant, utpote ἀπολείποντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον (Jud. Vs. 6.), et statum primaevum minime retinentes. Non minus hominum respectu nomen עֲזָאזֵל Diabolo quadrare censeatur, quod nempe daemones locos et aedes frequentes plerumque fugiant, et ad locos desertos et ab hominum commercio remotos abeant. Postremo morum suorum respectu Diabolus *fortis abiens* appellari meruit. Nam in Scriptura describitur tanquam spiritus de loco in locum semper abiens, nec uspiam moram faciens, praesertim si repulsam patiatur, vid. Job. 2, 2. Matth. 12, 43. 1 Petr. 5, 8." Haec Spencerus, cujus sententia et commendari eo potest, quod Syrus Pentateuchi interpres pro nomine hebraeo עזזאיל posuit, quod conflatum est ex עז *fortitudo* s. *fortis*, et זאזל, Participio verbi זול, *defecit*, ut significet *angelum, qui defecit* a Deo.

9. 10. וְהִקְרִיב — לַיהוָה *Et adducat Aaron hircum super quo ascendit*, sc. e vasculo, quo sortes colligebantur, *sors pro Jova*, quem sors Jovae immolandum designavit. — 10. Hircorum alter, quem sors Azazeli, sive Diabolo, designavit, praecipitur hoc Versu *vivus sisti coram Jova, ut per eum fiat expiatio*, וְעָמַד־חַי לִפְנֵי יְהוָה לְכַפֵּר עָלָיו. Igitur uterque hircus Deo ex aequo fuit devotus, et peccatis populi expiandis destinatus, solum differebat in offerendi modo; unus enim super altare mactabatur, alter vivus emittebatur, לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה *ad Azazelem in desertum*. In quo quidem duo mira videri possunt: primum, quod hircus iste, quum Jovae pro piaculo offerretur, tamen ad malum daemonem, deinde cur *in desertum* ablegari praecipiatur. Et primum quidem quod attinet, inter alias rationes, quas attulit Spencerus, verisimillima videtur haec, quod hircus peccatorum populi immunditie oneratus ad daemonem malum et impurum amandatus esset, ut ab hominum consortio quam longissime amotus illius tantum societate dignus haberetur. Quocum arctissime conjunctum erat, ut *in desertum* mitteretur, propterea quod illud, Mosis aetate, Diaboli sedes et habitaculum paene proprium habebatur. Sane et seriorum temporum Hebraeis id persuasum fuisse apparet e Graeca

Alex. versione locorum Jes. 13, 21. 34, 13. 14. Jer. 50, 39. Bar. 4, 35. coll. Matth. 12, 43. Apoc. 18, 2. Praeterea aevi prisci more receptum fuisse, ut quodvis animal Numini alicui devotum vel destinatum, ad Numinis illius fines et sedes, cui votum esset, amandaretur, colligere licet e Macrobii testimonio, *Saturnal.* 3, 7. *Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines Deorum, quibus esset sacrum.* Mori huic consentaneum erat, ut hircus Diabolo devotus et separatus, extra coetum Israelis, ad fines quasi Diaboli, locos nempe desertos et ἄβατους abigeretur. Cf. infra Vs. 22.

11—16. Moses distinctius narraturus, quo ordine die expiationis Sacra fieri oporteret, repetit, quod Vs. 6. dixerat, additque statim, quae ad oblationem sanguinis juvenci pertinent. — 12. וּמְלֹא חָפְנָיו *Et plenitudo pugni utriusque sui*, i. e. quantum utraque manus capere poterit. — 13. עֲנַן הַקְּטֹרֶת *Nubes incensi*, i. e. fumus, qui excitabatur ex suffitu incenso. עַל־הָעֵדוּת *Super lege*, i. e. super arca, in qua erant tabulae legis. Cf. ad Ex. 25, 16. וְלֹא יָמוּת *Ne moriatur*, si aliter fecerit, quam Deus jussit. — 16. וְכֵן יַעֲשֶׂה וגו׳ *Et sic faciet tabernaculo conventus, quod cum iis*, inter eos, *in medio immunditiarum eorum habitat*, i. e. eadem opera Sacrarium lustrabit, quod alioquin pollutum haberetur, ob populi circa tendentis, aut habitantis varias immunditias.

21—24. בְּיַד־אִישׁ עִתִּי *Per hominem opportunum*, paratum. Ita recte veteres vocem עִתִּי reddunt, quae alias non extat, quia עֵת Hebraice *tempus* significat, ut Chaldaice זִבְנָא. Inde עִתִּי collegerunt esse i. q. זְמִין, vel מְזוּמָּן, id est, *paratum*. Ceterum hoc ritu peccata totius populi quasi imponebantur hirco, ut is illa auferret in loca dissita et inaccessa. Sic et Aegyptii ritum solennem habuerunt, quo omnia infortunia a se averruncari posse existimabant, ea in caput victimae veluti transferendo. Mactata enim victima, capiti ejus imprecabantur omnia mala, quae sibi contingere possent, ut testatur Herodot. 2, 30. Hircus vero Azazeli destinatus dimittebatur vivus, ne illi placaminis loco oblatus videretur. — 22. אֶל־אֶרֶץ גְּזֵרָה *Ad terram excisionis.* Hieron. *terram solitariam*, Jonathan *locum desolatum*, Onkelos *terram inhabitabilem*, Syrus *terram incultam.* Arabs uterque, omnium optime: *terram excisam.* Sensu idem est quod Graeci habent: γῆν ἄβατον. — 24. וְלָבַשׁ אֶת־בְּגָדָיו *Et induat vestes suas*, i. e. resumat vestes suas solitas.

26. 29. 31. יְכַבֵּס בְּגָדָיו *Abluet vestes suas*, ut qui victimas pro peccato combusserat, Vs. 28. Digna sunt notatu hanc in rem verba Porphyrii *de abstin.* 2, 44. *De hoc convenit inter omnes Theologos, in sacrificiis averruncis nihil esse degustandum, sed et lustrationem adhibendam. Ajunt enim, nemini licere in domum aut urbem suam redire, nisi vestibus et corpore prius flu-*

mine aut fonte mundatis. — 29. תְּעַנּוּ אֶת־נַפְשֹׁתֵיכֶם *Adfligatis animas vestras.* נֶפֶשׁ hic est facultas appetendi, ut Deut. 23, 25. Prov. 23, 2. Hujus appetitus *adflictio* erat, si quis abstinebat ab omnibus rebus, quae corpori sunt grata, ut cibus, potus, unctio, voluptas etc. — 31. שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן הִוא לָכֶם *Quies quietis vobis sit*, i. e. summa quies.

Cap. 17.

Sacrificia omnia in atrio esse offerenda. Sanguinis et morticini esus iterum universim interdicitur.

3—7. אִישׁ אִישׁ וגו׳ *Quicunque e domo Israelis mactaverit taurum, agnum, aut capram in castris aut extra castra.* Hoc non solum est intelligendum de mactatione animalium ad sacrificia, sed etiam de mactatione eorum, quae ad esum fit. Moses igitur hic interdicit Israelitis omni esu carnis pecoris bovilli, ovilli et caprini nisi in epulis sacrificalibus. Prudenter ita impedire studuit idololatriam occultam, quae utique, nisi cultus Jovae sacer ad certum locum esset restrictus, facile exerceri poterat. Finito tamen per desertum itinere, postquam Israelitae ad fines Palaestinae pervenerant, ab hac lege soluti sunt eisque esus carnis communis concessus est, Deut. 12, 15. — 4. דָּם יֵחָשֵׁב לָאִישׁ הַהוּא *Sanguis imputabitur viro illi.* דָּם hic est *caedes*; perinde Deo displicebit, ac si ille hominem occidisset, ac mortis reus judicabitur. De loquendi formula נִכְרַת הָאִישׁ וגו׳ vid. ad Gen. 17, 14. In priori Vs. parte plura addita habent cod. Samar. et LXX., sed praeter necessitatem, uti contra Capellum ostendit Buxtorfius in *Anticrit.* p. 537. — 5. עַל־פְּנֵי הַשָּׂדֶה *Supra faciem agri*, i. e. extra Israelitarum castra. — 7. וְלֹא־יִזְבְּחוּ עוֹד אֶת־זִבְחֵיהֶם לַשְּׂעִירִם *Non amplius victimas immoleni hircis*, i. e. daemonibus, quorum plures, ut Pan Mendesius, Taurorumque et Satyrorum omne genus, aut hircina specie, aut hirco proxima culti sunt. Cf. Jes. 13, 21. 34, 14. 2 Chr. 11, 15. Hinc apparet, Israelitas ad illud usque tempus idolis sacra fecisse; etiam Amos 5, 25. Israelitis exprobrat, per hos quadraginta annos illud peccatum ab iis commissum esse. אֲשֶׁר הֵם זֹנִים אַחֲרֵיהֶם *Quos cultu impudico prosequuti sunt.* Vid. ad Ex. 34, 15.

9—13. Mortis poena decernitur in eum, qui, si victimam obtulerit, eam non adduxerit ad ostium tabernaculi sacri, לַעֲשׂוֹת אֹתוֹ לַיהוָה *ut illam Jovae faciat*, nam quaecunque eo loco mactabantur Jovae consecrabantur. At si cuivis in agris licitum fuisset Sacra facere, alii cuivis Deo victimas mactare Israelitae clam potuissent. — 10. וְנָתַתִּי פָנַי בַּנֶּפֶשׁ הָאֹכֶלֶת אֶת־הַדָּם *Convertam iram meam in eum, qui sanguinem comederit.* „Praeter ea quae dicta sunt ad Gen. 9, 4. de hujus legis causa, nempe, Deum temerariam humani sanguinis effusionem veluti praecavere voluisse, respexit forte Moses ad consuetudinem quampiam vici-

norum, qui non modo brutorum sanguine, sed etiam humano vescebantur. A quo scelere ut Israelitas alienos faceret, ne sanguinem quidem brutorum degustare eis permisit. Certe Ammian. Marcell. 31, 16. de Saraceno: *Ex ea* (turma Saracenorum) *crinitus quidam, nudus omnia praeter pubem, subraucum et lugubre strepens, educto pugione agmini se medio Gothorum inseruit, et interfecti hostis jugulo labra admovit, effusumque cruorem exsuxit.* Quem Arabum morem aliquot exemplis illustravit Henric. Valesius ad locum Ammiani." CLERIC. Cf. et not. Lev. 11, 1. — נֹתֵתִי פָנַי *Ponam faciem meam*, i. c. *iram meam.* Vid. Gen. 32, 21. Lev. 20, 3. 6. 26, 17., et cf. not. ad Ps. 34, 17. Ez. 14, 8. — 11. כִּי נֶפֶשׁ הַבָּשָׂר בַּדָּם הִוא *Anima enim carnis in sanguine*, i. c. sanguis est id, per quod animal vivit, cf. ad Gen. 9, 4. Quae causa fuit, cur sanguinis effusio instituta fuerit placamentum pro iis, quibus, summo jure si ageretur, vita eripi potuit. Hinc et in aliarum gentium sacrificiis *sanguis* et *anima* confunduntur. Cf. Virgil. *Aen.* 1, 116. sqq. Ad quem locum Servius: *Videtur sane peritia juris Pontificalis animalis hostiae mentionem fecisse, nam et animam dixit, et litare verbo pontificali usus, pro eo quod est: sacrificiis Deos placare.* — 13. אֲשֶׁר יֵאָכֵל *Quae comedetur*, quam lege licet comedere; haec est passim vis Futuri, vid. c. c. 11, 47. שְׁפָךְ אֶת־דָּמוֹ *Sanguinem ejus fundet*, h. c. curabit, ut ex ejus cadavere, dum calebit, sanguis omnis effluat, quantum fieri poterit. וְכִסָּהוּ בֶּעָפָר *Et obteget eum pulvere*, ne ab ullo animali degustetur. Videtur Moses sanguinem tanquam rem sacram spectasse, ideoque vetuisse, cum ne comederetur ille ab hominibus, tum etiam, ne brutis deglutiendus relinqueretur.

Cap. 18.

Vetantur incestus cum consanguineis. Additur prohibitio de accessu ad menstruatam, de adulterio, de liberorum immolatione in Molochi honorem, de libidine contra naturam, et flagitiis id genus aliis.

1—5. Voluerunt nonnulli, hos 5 Vss. pertinere ad Cap. 17. Sed ex formula initiali hujus Cap. apparet, incipere Vs. 1. novam legum sectionem. — 3. כְּמַעֲשֵׂה *Secundum opus*, i. c. juxta consuetudinem et morem. מֵבִיא *Introducturus sum.* Praesens pro Futuro. חֻקֹּתֵיהֶם *Instituta eorum*, sc. populorum, qui terras illas habitant. — 5. אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אֹתָם הָאָדָם וְחַי בָּהֶם *Quae si fecerit homo, vivet in eis*, i. c. qui legibus hisce obsequitur, is ducet vitam tranquillam, ei nulla poena timenda est. Versus 3. 4. 5. continent interdictum de non imitandis Aegyptiorum et Cananaeorum impiis moribus, de quibus hoc Cap. est sermo. Vid. Vs. 24.

6. אִישׁ אִישׁ — עֶרְוָה *Vir vir ad carnem carnis suae ne accedito ad retegendam nuditatem*, i. c. ad consanguineum suum ne quis accedito, ut ejus verenda detegat. שְׁאֵר בְּשָׂרוֹ *Carnem car-*

nis suae s. *corporis sui* esse cognatam propinquam, quae est ut caro ejusdem corporis, quae vel ex alicujus carne propagata est, vel ex cujus carne est aliquis propagatus, liquet e 21, 2. et Num. 27, 11. Phrasi גִּלּוֹת עֶרְוָה *detegere nuditatem*, interpretes tantum non omnes et cum iis vulgo Theologi *nuptias incestas* indicari opinantur. Quam interpretationem etsi refellerit JOHN FRY, in libro: *The Cases of Marriages between near Kindred, particularly considered with respect to the doctrine of Scripture, the Law of nature, and the Laws of England*, Lond. 1756., quem sequutus est Jo. JAC. KETTNER, in Commentat.: *dass in dem* 18. *u.* 20. *Cap. des* 3*ten Buchs Mosis die Frage, welche Person man von seinen Anverwandten zur Ehe nehmen dürfe, weder abgehandelt noch entschieden werde*, Lips. 1780.; tamen J. D. MICH. in *Abhandl. v. d. Ehegesetzen Mosis, welche die Heyrathen in die nahe Freundschaft untersagen*, edit. sec. Goetting. 1768. 4. p. 16 — 30. vulgo receptam opinionem defendit. Ejus vero argumenta docte et solide refutavit MICH. WEBER, Theologus antehac Vitebergensis, nunc Halensis, in Prolusionibus Academicis *septem*, quas inscripsit: *Pro Freyo, Anglo*, ediditque Viteberg. 1801 — 1812. 4. Atque *primo* quidem ostendit, formulam Mosaicam *pudenda alicujus retegere* de nuptiis nullo modo, de impuritate autem ac libidine, quae extra nuptias vagatur, de concubitu quovis illicito, facillime intelligi posse, tum quod *illud* usus loquendi non permittit, *hoc* permittit facillime, tum quod neque in contextu Mosaico, neque alias est, quod nos cogat, ab usu loquendi constanti et certo in interdictionibus illis recedere; *deinde* vero evicit, Mosen ipsum interdictiones illas suas non de conjugiis incestis, sed de incesta libidine, extra conjugium mixta, interpretari. Cf. 20, 10. (ubi cf. not.), atque Deut. 22, 30. 27, 20., quo utroque loco manifeste de scortatione s. adulterio cum noverca, ut hoc Cap. Vs. 8., minime vero de matrimonio cum ea ineundo agitur.

7. עֶרְוַת אָבִיךָ *Nuditatem patris tui* fere active capiunt, q. d. eam quam nudavit, aut nudare potestatem habet pater tuus, i. e. cum matre ne concumbas, unde expositionis gratia additum volunt וְעֶרְוַת אִמְּךָ *et nuditatem matris tuae*, quasi verborum sensus sit hic: *si matris tuae nuditatem retegis, eo ipse retegis nuditatem patris tui*, i. e. ea pudenda, quorum retegendorum potestatem pater tuus vel habuit, vel habet etiamnum. Weber tamen negat l. l. p. 51., Mosen haec dicere voluisse, atque contendit, עֶרְוַת אָבִיךָ distingui a עֶרְוַת אִמְּךָ, ex usu loquendi, constanter a scriptoribus V. T. servato, quo אָב et אֵם, ubi interventu τοῦ *Vav* juxta se collocantur, illud *Vav* non habet vim *explicandi*, sed *copulandi*, vel *distinguendi*, ut vertendum sit pater *et* mater (Gen. 2, 24. Ex. 20, 12.), aut pater *vel* mater, ut Ex. 21, 17., Lev. 20, 9. Deut 27, 16. Prov. 20, 20. 30, 17. Neque tamen adstipulari possum in eo, quod verba *nuditatem patris re-*

tegere proprie intelligenda esse ait, ut interdicat legislator, patris pudenda retegere, ad impii Chami exemplum, Gen. 9, 22. 23. Similiter in vetere quodam Hebraico in Levit. Commentario, פְּסִיקְתָּא inscripto, dicitur, *nuditatem patris retegere* esse, cum eo rem habere. Verum de tali flagitio vetando ullum unquam legislatorem cogitasse, ego quidem mihi vix persuadere possum. Aliis videtur hoc in loco ellipsis esse relati, per antithesin statuenda, ut verba hoc dicant: neque tu, filia, cum patre tuo concumbas, neque tu, fili, cum matre. Ita Jonathan: *mulier non coibit cum patre suo, et vir non coibit cum matre sua.* Favere quidem huic interpretationi possent, quae Gen. 19, 31. sqq. de filiarum Lothi incestu, cum patre commisso, narrantur (vid. tamen ibi not. ad Vs. 31.); sed nusquam mulier *retegere nuditatem* viri dicitur, ut taceamus, si filiae concubitum cum patre hisce verbis interdicere voluisset legislator, illum אָבִיךָ ponere debuisse. עֶרְוַת אָבִיךָ vero esse nuditatem eam, quam retegere pater potestatem habet, manifeste est e postremis Versus 8. verbis, atque de iis, qui cum patris uxore rem habent haec loquutio usurpatur Ez. 22, 10. Hoc igitur loco עֶרְוַת אָבִיךָ videtur generalius esse, complectens *uxorem patris*, sive mater sit, e qua quis natus fuerit, sive noverca, de qua utraque statim singulatim loquitur. Bene Aben-Esra: „Incipit a patre, qui praecedit filium, et dicit vetitam esse omnem nuditatem patris et matris; et primum quidem mater ponitur, deinde nuditas uxoris patris, quae non est mater, tum soror, quae est filia patris, aut filia matris."

8. 9. אֵשֶׁת־אָבִיךָ *Uxor patris tui*, i. e. noverca. Interdicitur *concubitus cum noverca*, sive vivat pater, sive sit mortuus. Adulterium cum noverca vetatur 20, 11. Additur ratio: עֶרְוַת אָבִיךָ הִוא *Nuditas patris tui est ea*, i. e. soli patri cum ea concumbendi jus est. — 9. מוֹלֶדֶת בַּיִת אוֹ מוֹלֶדֶת חוּץ *Prolis domus aut prolis deforis.* Intelligitur soror quocunque modo soror sit, sive ex eisdem parentibus, sive ex diversis parentibus, sive legitime sive illegitime nata sit. Onkelos: *quae nata sit a patre tuo ex muliere alia, aut ex matre tua ex viro alio.* Aben-Esra: „*Nata domi*, quae nata est secundum jus aut morem domus Israel post sponsalia et nuptias legitimas; *nata foris*, extra jus illud aut morem illum." Sunt, qui מוֹלֶדֶת hic *cognationem* interpretandum dicant, statuantque *cognationem domesticam* esse liberos ex eodem patre, *exteram* vero liberos ex eadem matre, quia liberi patrem familias sequuntur. Sed spurii, aut ante nuptias geniti, sunt foris nati, si conferantur cum natis post mulierem domum ductam; et durum est, fratres et sorores vocari *cognatas.*

11—14. עֶרְוַת — אֲחוֹתְךָ הִיא *Nuditas filiae uxoris patris tui, prolis patris tuae, soror tua est*, i. e. cum nulla prole, quae a patre tuo descenderit, congrediaris; cf. Vs. 9. Seldenus *Uxor Hebr.* 1, 4. ait, posse hunc Vs. ita transferri: *nuditatem filiae*

uxoris patris tui (quae autem ex patre tuo nata est, soror tua est) non reteges. — 12. Interdicitur concubitus cum patris sorore, i. e. *amita*, et Vs. sq. concubitus cum matris sorore, i. e. *matertera.* — 14. עֶרְוַת אֲחִי אָבִיךָ *Nuditatem fratris patris tui.* Hic עֶרְוָה active sumendum est ut Vs. 7., de muliere, cujus nuditatem retegere potestatem habet patruus, unde additur: אֶל־אִשְׁתּוֹ לֹא תִקְרָב *ad uxorem ejus ne accedas.*

17—20. עֶרְוַת אִשָּׁה וּבִתָּהּ לֹא תְגַלֶּה *Nuditatem mulieris et filiae ejus non reteges.* R. Levi: „Si fueris matrimonio junctus cum alterutra earum. Ideo addit: לֹא תִקַּח *non accipias;* nam ob matrimonium vetita est alterutra.“ שְׁאֵרָה הִוא *Caro*, i. e. propinquae, cognatae *sunt;* cf. ad Vs. 6. — זִמָּה הִוא *Scelus est.* זִמָּה, quod proprie *cogitationem* in universum denotat; semper in sensum malum, de molitione mala usurpatur. Hoc loco dicitur de concubitu viri cum muliere aliqua et simul cum ejus filia (et viceversa cum muliere et simul cum ejus matre, 20, 14.), quod ille fit consilio libidinem explendi. Nam prius earum altera, seu mater, seu filia, ducitur in matrimonium, deinde occasio habetur explendae cupidinis. — 18. וְאִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ לֹא תִקָּח *Uxorem ad sororem ejus ne ducas*, duas sorores ne ducas in matrimonium, scil. בְּחַיֶּיהָ *in vita ejus*, i. e. uxore tua vivente. Non igitur prohibet Moses matrimonium cum sorore uxoris mortuae. לְצָרֹר *Ad infestandum*, s. *infestando*, quod Onkelos bene sic reddidit: *ad dolorem ei creandum*, ita ut oriatur aemulatio sive lis inter eas, ut in matrimonio Jacobi. Cf. צָרָתָהּ, *aemula ejus*, 1 Sam. 1, 6. — 19. בְּנִדַּת טֻמְאָתָהּ *In impuritate immunditiei ejus*, i. e. tempore mensium; cf. 20, 18. — 20. וְאֶל — לְזַרְעֲךָ *Ad uxorem proximi tui non dabis concubitum tuum ad semen*, sc. effundendum, quod additur, quia extraordinario casu contingere potuit, ut viri et mulieres in eodem loco cubarent, veluti in itinere, aut in fuga. Vetatur adulterium, cujus poena exstat 20, 10.

21—23. וּמִזַּרְעֲךָ לֹא־תִתֵּן לְהַעֲבִיר לַמֹּלֶךְ *Ne liberos tuos traducas Molocho*, sc. per ignem comburendos, uti apparet ex 2 Reg. 23, 10. et Jer. 32, 35. coll. 7, 31. מֹלֶךְ autem (quasi *rex, imperator*) erat nomen idoli cujusdam, quod Ammonitae coluerunt, 1 Reg. 11, 7. De impio illo more Cananaeorum populorum in talis idoli honorem liberos comburendi narrant etiam Curtius 4, 3, 23. Diod. Sic. 20, 14. et Justin. 19, 1., qui sub *Saturni* nomine illum Molochum videntur intelligere. Mollior phrasis הַעֲבִיר בָּאֵשׁ *traducere per ignem* pro בְּעוֹר *comburere*, inventa esse videtur a sacerdotibus Molochi, ut rem horrendam verbis saltem mollirent. Ceterum memoranda est lectionis varietas in hoc Versu. LXX. enim habent: *ἀπὸ τοῦ σπέρματός σου οὐ δώσεις λατρεύειν ἄρχοντι.* Legerunt igitur לְהַעֲבִיד pro לְהַעֲבִיר. Consentit textus Samar. Videtur *παραδιόρθωσις* esse, ex mitiore ingenio illorum interpretum nata. Rem in dubio relinquit Vulgatus, qui ita vertit:

de semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch. וְלֹא תִתֵּן מִזַּרְעֲךָ לְהַעֲבִיר לַמֹּלֶךְ *Neque profanes nomen Dei tui*, quod fiebat, cum ii, qui de nomine Dei appellabantur *Jovae populus*, sacra fecerunt idolo Moloch. — 22. וְאֶת־זָכָר לֹא תִשְׁכַּב מִשְׁכְּבֵי אִשָּׁה *Cum viro ne concumbas uti cum femina*, vir ne patiatur muliebria. — 23. וְאִשָּׁה לֹא־תַעֲמֹד לִפְנֵי בְהֵמָה לְרִבְעָהּ *Mulier non stabit coram bestia ad succumbendum ei*, לִמְשַׁכַּב בָּהּ *ut dominari possit in eam*, sc. coeundo cum ea, uti vertit Onkelos. Aben-Esra: „*Coram bestia*, mare, sive, quae mas sit. לְרִבְעָהּ referendum est ad bestiam. Nam mulier est תִּנָּרְבַּע, quae succumbit aut initur; estque haec vox derivata ab אַרְבָּעָה.“ Quae ipsa est Gesenii sententia, in *Commentarr. L. H.* s. v. רבע, A. dicentis: „Diversas habet significationes, quum notet etiam coitum brutorum. Sed ex figura, quam corpora eorum sic copulata efformant, ad quadratam nonnihil accedente, loquutio ista modestiae causa excogitata esse videtur.“ Alii רָבַע idem quod רָבַץ *cubare*, hinc *coire* putant, ב et ץ more Chaldaico permutatis, quod vero similius. תֶּבֶל הוּא *Permistio est*, sc. nefaria. LXX. *μυσαρόν γάρ ἐστί*, Vulgatus: *scelus est.*

25. 29. 30. Phrases וַתִּטְמָא הָאָרֶץ *polluit se terra* et וַתִּקָּא הָאָרֶץ אֶת־יֹשְׁבֶיהָ *et evomuit*, abhorruit *terra incolas suas*, indicant summam iniquitiam et maxima flagitia, a quibus res ipsae inanimatae abhorrere sistuntur. Cujusmodi προσωποποιΐαι saepius occurrunt in V. T. veluti infra 26, 34. 2 Reg. 3, 19. — 29. וְנִכְרְתוּ וגו׳ *Excindentur animae facientes e medio populi sui*, i. e. quicunque ullum istorum scelerum admiserit, is occidatur. — 30. וּשְׁמַרְתֶּם אֶת־מִשְׁמַרְתִּי *Custodietis ergo custodiam meam*, i. e. observare debetis, quae vobis observanda praecepi.

Cap. 19.

Praecepta varia 1) moralia, *de parentum honore, de fugiendo idolorum cultu, de furto, mendacio, dolo, perjurio, calumnia, injusto judicio, falso testimonio, de fraudatione mercenarii, odio proximi vitando, et id genus alia;* 2) ceremonialia, *de hostia eucharistica, de sabbato, etc.;* 3) judicialia, *de jumentis diversae speciei non copulandis, de agro non conserendo diversi generis seminibus, de veste e lana et lino non contexenda etc.*

2 — 10. קְדֹשִׁים תִּהְיוּ *Sancti estote*, i. e. abstinere vos debetis ab omnibus, quae antea nominatae sunt immunditiis et rebus abominandis. — 4. אֱלִילִם *Inania numina*, sic vocantur ab אֱלִיל *nihil*, quia inania sunt nomina, quum nulla eorum, qui dii falsi creduntur, in homines sit potestas. Sic Job. 13, 4. רֹפְאֵי אֱלִיל vocantur *medici*, quorum medicamenta sunt inania. אֱלֹהֵי מַסֵּכָה *Dii fusiles*, vid. Ex. 24, 17. — 5. לִרְצֹנְכֶם *Ad favorem vestrum*, i. e. ut vobis Jovae favorem reconcilietis. — 7. Vid. supra 7, 17. sqq. — 8. אֶת־קֹדֶשׁ יְהוָה *Quod erat Jovae consecratum.* חִלֵּל *Profa-*

navit, instar communis cibi, qui ad familiam sustentandam adservatur, habuit. — 9. לֹא תְכַלֶּה פְּאַת שָׂדְךָ לְקֻצֹּר *Non finies angulum agri tui ad metiendum*, i. e. non exacte metes omnes angulos agri tui, sed hic illic reliquas nonnullas spicas pauperibus. לֶקֶט קְצִירְךָ *Collectio messis tuae* sunt spicae, quae remanserunt a tergo messorum et illis deciderunt. — 10. וְכַרְמְךָ לֹא תְעוֹלֵל *Vineam tuam non iterato racemabis*, non colligere debes post vindemiam racemos remanentes. פֶּרֶט LXX. τὰς ῥώγας, Chaldaeus *deciduum*, Syrus *deciduum olivarum vestrarum*, Vulgatus *grana decidentia* reddiderunt. Videntur intelligendi acini, qui deciderint inter vindemiandum, coll. Arab. פרט *negligenter se gessit*, *defecit in re peragenda*, *amisit*, in Conj. 2. *dereliquit*. לֶעָנִי וְלַגֵּר *Pauperi et peregrino*. Cum pauperibus conjunguntur peregrini, quia ii inter Hebraeos non poterant possidere fundos, ideoque saepe pauperes erant. אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Ego Jova Deus vester*, se. qui id praecipio.

11—15. לֹא תְכַחֲשׁוּ *Non negabitis* subaudi: quod depositum fuerit apud vos. וְלֹא־תְשַׁקְּרוּ אִישׁ בַּעֲמִיתוֹ *Nec falletis vir proximum suum*, i. e. neque quisquam vestrum falso exiget aliquid a proximo suo, quod non dederit illi. Cf. 20, 15. 16. — 13. לֹא תַעֲשֹׁק אֶת־רֵעֲךָ *Ne opprimas proximum tuum*. Quae Vss. 11. 12. commemorata sunt, clam hominibus et in occulto fiunt, uti observat Aben-Esra; quae vero hoc Versu commemorantur vi aperta et in propatulo fiunt. וְלֹא תִגְזֹל *Et ne rapias*, ne *vi* ab eo quidquam exigas. לֹא תָלִין פְּעֻלַּת שָׂכִיר וגו׳ *Non pernoctabit opus mercenarii apud te usque mane*, i. e. praesentem semper mercedem pactam ei solvas, si eam cupiat. Ejusmodi homines, qui de die in diem vivunt, nihil habent in futurum repositum, ideoque praesenti mercede sunt sustentandi. פְּעֻלָּה, quod proprie est ipsa *opera*, ipse *labor*, hic significat ejus pretium, mercedem, ut Ps. 109, 20. — 14. לֹא־תְקַלֵּל חֵרֵשׁ *Ne dicas convicia surdo*. וְלִפְנֵי עִוֵּר לֹא תִתֵּן מִכְשֹׁל *Caeco ne objicias offendiculum*. Quidam putant, haec proverbii loco dici, hoc sensu, non esse malefaciendum ei, qui sibi ab injuria cavere non potest, qualis est surdus, si ei quis convicietur, aut caecus, cui objicitur offendiculum. וְיָרֵאתָ מֵאֱלֹהֶיךָ *Sed timebis Deum tuum*, qui, quod ignorant homines, videt et ulciscitur. — 15. — לֹא־תִשָּׂא גְדוֹל *Ne tollas faciem pauperis et honores magnum*, i. e. in judicio ne habeas rationem vel pauperis vel divitis.

16—18. רָכִיל *Detractor*, qui data opera cursitat, ut proximum infamet, id quod bene exprimit verbum הֹלֵךְ quod additum est. לֹא תַעֲמֹד עַל־דַּם רֵעֶךָ *Non stabis contra sanguinem proximi tui*. עַל hic est *contra*, et דָּם *vita*; unde horum verborum sensus hic erit: ne sis in causa, ut ex testimonio tuo falso morti damnetur proximus tuus. Ut proxime antea vetantur Israelitae clam de proximo falsos rumores spargere, ita hic vetantur, palam calumniis seu falso testimonio caput ejus oppugnare. עָמַד *in judicio stare*,

ut Jes. 50, 8. — 17. לֹא תִשְׂנָא אֶת־אָחִיךָ בִּלְבָבֶךָ *Ne odio habeas fratrem tuum in animo tuo*, i. e. ne simultatem elam foveas contra proximum tuum, qua re nihil est pejus et exitialius. הוֹכֵחַ תּוֹכִיחַ אֶת־עֲמִיתֶךָ *Redargues proximum tuum*, bene Vulgatus: *publice argues eum;* si quis injuria te affecerit, aperte quereris eo ipso tempore apud ipsum; non dissimulabis iram commodiore tempore ad ei nocendum erupturam. לֹא תִשָּׂא עָלָיו חֵטְא *Non feres super eo peccatum.* עָלָיו hic valet *propter eum*, ut Ps. 69, 8.: כִּי עָלֶיךָ נָשָׂאתִי חֶרְפָּה *nam propter te tuli opprobrium.* Ita Onkelos: *ne suscipias propter eum noxam.* Videtur hoc velle: si quem suspectum habueris de re aliqua, libere argue eum; ita scies, an verum sit quod de eo audivisti. Nam si temere et sine causa de eo quippiam suspicatus fueris, poenam sustinebis propter illum, quam evitabis libera reprehensione, si de crimine se tibi purgaverit. — 18. לֹא־תִטֹּר אֶת־בְּנֵי עַמֶּךָ *Ne serves ultionem in proximum tuum*, ne differas ultionem in commodum tempus.

19. בְּהֶמְתְּךָ לֹא תַרְבִּיעַ כִּלְאַיִם *Ne coire faciatis diversa pecoris genera;* veluti genus equinum et asininum. כִּלְאַיִם sunt *heterogenea*, res diversi generis. Verisimile est, talem commistionem vetitam fuisse, partim quod ea contra naturam sit et animalia ex ea orta non propagentur; partim ut homines ipsi deterreantur a nefanda cum brutis commistione, sive bestialitatis crimine. שָׂדְךָ לֹא תִזְרַע כִּלְאָיִם *Agrum tuum diversi generis semine non conseres.* Distinguebant Hebraei semina in tres classes, ut *alia* essent semina proventus (תְּבוּאָה), quae erant quinque: videlicet triticum, spelta, hordeum, avena et sceale, *alia* essent semina leguminum, quae erant reliqua semina omnia, quae praeter proventum edebantur ab hominibus, v. g. fabae, pisa, lentes, milium, oryza, sesaminum, papaver, sicer et similia, *alia* denique essent semina hortensia, quae non essent esui humano apta, nisi quod eorundem fructus ederentur ab hominibus, cujusmodi erant ceparum, alliorum, porri, foeniculi, raparum. Si igitur duo semina diversarum specierum, sive ad diversas hujusmodi classes, sive ad unam classem pertinerent, in uno eodemque solo seminarentur, vocabantur כִּלְאַיִם, non modo si inter seminandum commiscerentur, verum et si non commiscerentur, modo neglecta legitima distantia propius conjungerentur, ut detrahere sibi invicem succum possent. In hujus legis rationem diligenter inquisivit Spencerus l. c. II, 30, 2., atque rejectis rationibus pluribus ab aliis allatis rationem veram invenisse sibi visus est hanc, ut Hebraei prohibeantur certos superstitiosos in seminando ritus Zabiis, aliisve vicinis populis receptos, imitari. Consuevisse videlicet illos, semina mixta variis Numinibus consecrare, quod uberiores segetes propterea putarent. Quam suam sententiam commendat Maimonidis testimonio, qui in libro, qui vocatur העבודה הנבטית, *agricultura Nabataeorum*, legit, consuevisse Zabios simul serere hordeum et uvas passas, existi-

mantes non bonam futuram vineam, nisi hoc modo fieret. וּבֶגֶד כִּלְאַיִם שַׁעַטְנֵז לֹא יַעֲלֶה עָלֶיךָ *Vestis duorum generum varie commixta non adscendat super te*, tibi non imponatur. Per כִּלְאַיִם h. l. esse intelligendum linum et lanam, apparet ex Deut. 22, 11. Hinc bene LXX. ἐκ δύο ὑφασμένον, ita etiam Vulgatus et Saadias. Vox שַׁעַטְנֵז varie redditur. Chaldaeus interpres eam retinuit, et Graecus utitur ejus loco voce κίβδηλον, i. e. *spurium*, *scoria*, *mixtum*, *adulteratum*. Vulgatus et Saadias illud nomen non exprimunt. Ex recentioribus nonnulli vocem compositam putant ex שַׁע עַט נָז *mixtura vestis filo*, i. c. vestis mixto filo, ita ut שַׁע ortum sit ab Arab. שעשע *commiscuit*; עַט ab עטה *amicivit*, *vestivit*, et נָז a Chaldaico נוז *fila contorquere*, unde נָז *netum* sit ortum. Bochartus: ex Arab. סוט s. סאט *miscere* et ex Hebr. נָז *textum*. Forstero in *Libro de Byssо Antiquorum*, p. 95. שַׁעַטְנֵז est Aegyptiacum *Shontnes*, significans certum quoddam vestimenti genus, versicoloribus lanae et lini liciis texti. Id quod fortasse etiam intelligit Syrus, qui ponit *variati*, *versicolores*. Putat autem Forsterus, horum vestimentorum usum Israelitis a legislatore esse interdictum, cum propter magnum eorum pretium, tum quoniam hujus generis vestes variis figuris animalium et plantarum pictae fuissent ex cultu symbolico Deorum Aegyptiorum, ut Israelitae ab illo cultu detinerentur.

20. In interpretandis vocc. וְהִוא שִׁפְחָה נֶחֱרֶפֶת לְאִישׁ veteres egregie consentiunt. Onkelos enim reddidit: *et si ipsa sit ancilla desponsata viro.* Similiter Jonathan: *et ipsa sit ancilla et libertate donata desponsata viro libero.* Nec non Saadias: *et ipsa sit ancilla desponsata viro.* Idem voluerunt LXX. καὶ αὕτη οἰκέτις διαπεφυλαγμένη ἀνθρώπῳ, *et si famula sit reservata homini.* Interpretes illos vocem נֶחֱרֶפֶת patet cepisse eodem significatu, quem חֲרוּפָה apud Talmudicos obtinet, *desponsata.* Quem significatum J. D. Michaelis in *Suppll.* p. 935. recte derivat inde, quod quum כרף *mutare*, indeque, a permutandis mercedibus *commercia exercuit* denotet, נֶחֱרֶפֶת et חֲרוּפָה proprie sit *emta*, vel *vendita*, solent enim a vendendo emendoque desponsationem dicere Orientales. Unde Ex. 21, 7. כִּי יִמְכֹּר אִישׁ אֶת־בִּתּוֹ *si vendiderit*, i. c. desponsaverit *quis filiam suam.* Vid. et not. ad Gen. 29, 18. 34, 12. Hinc Syrus nostro loco: *et ancilla sit emta* s. *vendita viro.* וְהַפְדֵה לֹא נִפְדְתָה *et redimendo non est redemta*, i. e. quae non prorsus est redemta. Quod vero additur: אוֹ חָפְשָׁה לֹא נִתַּן־לָהּ *aut cui libertas non est data*, inter utrumque hoc discriminis statuunt Hebraei, Onkelosum sequuti, ut duplex manumittendi modus indicetur, quorum unus fit *argento*, seu pretio soluto, alter *dato* libertatis *libello*, gratis. Ita et Aben-Esra, qui simul notat, moris fuisse, *ut scriberetur* ancillae *libertatis libellus*, *si pater eam definitum tempus vendidisset.* Nec sine ratione illud discrimen statui videtur, quum Hebraeo פָּדָה conso-

num Arab. Verbum פדא *redemit lytro soluto* significare constet, unde sponte sequitur, ut vi oppositi verbis לֹא נִתַּן־לָהּ חָפְשָׁה ejusmodi manumissio excludatur, quae gratis fiebat, solo libello libertatis. בִּקֹּרֶת תִּהְיֶה *Castigatio fiat.* A verbo בָּקַר *inquisivit* (vid. 27, 33.) בִּקֹּרֶת propric significat *inquisitionem*, tum vero talem speciatim inquisitionem, quae cum in finem fit, ut pro qualitate delicti poena infligatur, animadversio delicti ad irrogandam poenam arbitrario judicio. Statuerunt Hebraei Interpp., ubi nulla certa poena est expressa, ibi flagellationem innui. Recte Saadias: *tunc sit castigata*, sc. talis femina, nisi quod בִּקֹּרֶת minus recte pro adjectivo feminino significationis passivae videatur cepisse, quasi sola femina sit poena afficienda. Sed eam et ad virum extendi, argumentum evidens est, quod additur לֹא יוּמָתוּ *non occidentur*, non autem לֹא תּוּמַת *non occidetur*. Ratio, cur mortis poena non in talem concubitum decreta sit, additur haec: כִּי־לֹא חָפְשָׁה *quia non fuit manumissa*, eo quod necdum plenam nacta esset libertatem, et nuptiarum solemnia nondum celebrata essent. Ubi ergo nullum matrimonium verum, ibi nec adulterio locus, adeoque nec legi capitali in adulteros et adulteras datae, Deut. 22, 23. 24. Cf. Mich. *Jus Mos.* P. 5. §. 264.

22 — 25. וְנִסְלַח לוֹ מֵחַטָּאתוֹ *Condonetur ei peccatum suum*, i. e. nulla alia poena ob hoc peccatum a magistratu afficietur. — 23. כָּל־עֵץ מַאֲכָל sunt *arbores fructiferae omnis generis.* Verba וַעֲרַלְתֶּם עָרְלָתוֹ אֶת־פִּרְיוֹ *et praeputium habebitis praeputium ejus*, *fructum ejus*, Aben-Esra recte exposuit: *aestimetur vobis pro re praeputiata*, a qua, tanquam immunda, abstinendum, aut quae, sicut praeputium, auferenda et abjicienda. Hinc LXX. περικαθαριεῖτε τὴν ἀκαθαρσίαν αὐτοῦ, et Hieronymus: *auferetis praeputia eorum.* Onkelos: *removendo removebitis fructum ejus.* שָׁלֹשׁ שָׁנִים יִהְיֶה לָכֶם עֲרֵלִים *Tres anni erunt vobis praeputiati*, hoc est, arbores, per tres annos. Vera esse videtur, quam Clericus affert, hujus legis ratio (coll. Vss. 24. 25.), quod quum Deus vellet primitias sibi fructuum, ut animalium, offerri, nolletque fructus triorum primorum annorum, quia tenuiores sunt, et pauciores, sibi consecrari, primitias in quartum annum distulerit, quo grandiores et copiosiores sunt fructus. — 24. קֹדֶשׁ הִלּוּלִים לַיהוָה *Sanctitas laudationum Jovae*, i. e. erit sacer, absumendus in conviviis, quae in honorem Jovae solent celebrari. *Laudes Jovae* sunt hic dies festi, et convivia sacrificialia, quia cum laudibus et gratiarum actione celebrabantur. Cf. Jud. 9, 27. — 25. לְהוֹסִיף לָכֶם תְּבוּאָתוֹ *Ad addendum vobis proventum suum*, i. e. si haec observetis (scil. Vs. 23. praecepta), hae arbores fructus ferent eo uberiores.

26. 27. לֹא תֹאכְלוּ עַל־הַדָּם *Ne comedatis cum sanguine.* עַל h. l. significare *cum*, apparet e Deut. 12, 23., ubi positum est עִם. De hac lege vid. ad 3, 17. Pro עַל־הַדָּם LXX. videntur

legisse עַל־הָרִים *in montibus*, habent enim ἐπὶ τῶν ὀρέων. Qui sensus non est inceptus. Mos enim sacrificandi ac simul victimas edendi in locis excelsis et coelo proprioribus antiquissimus est. Is igitur, si illam lectionem sequimur, hic vetaretur. לֹא תְנַחֲשׁוּ LXX. οὐκ οἰωνιεῖσθε reddiderunt, Vulgatus *non augurabimini*, ita et reliqui veteres interpretes. Sed נָחַשׁ proprie significat ~~omnia~~ omina *ex serpentibus captare*; quod divinandi genus apud populos antiquos non insolitum fuit. Deinde vero et de aliis divinationibus per omina et casus quosque fortuitos usurpatur; vid. Spencerum l. c. L. II. c. 16. p. 385. לֹא תְעוֹנְנוּ plures post Aben-Esram interpretantur *ne ex nubium adspectu omina captetis.* Verbum ab עָנָן *nubes* derivatum putant, et significari divinationem ex observatione astrorum et φαινομένων coelestium. Ad quod divinandi genus etiam respicere videri Jer. 10, 2., ubi vetat Hebraeos *signis coeli terreri*, quemadmodum iis terrebantur gentes vicinae. Alii a nomine עוֹנָה, quod *tempus statutum* denotare ajunt, verbum עוֹנֵן *tempora observare* significare volunt. Ita Fullerus in *Miscell. SS.* L. I. c. 16. מְעוֹנֵן cum esse dicit, qui constituta et definita tempora boni vel mali, laeti vel tristis, prosperi vel calamitosi eventus omni negotio aggrediendo, veluti in vita instituenda, itinere suscipiendo, bello gerendo, reliquisque tot et tam variis casibus privatis et publicis, qui mortalibus accidere solent, ex arte praescire, et consulentibus se praedicere profitetur. Quae divinationis species omni tempore inter Orientales frequens fuit, vid. Spencerum, l. l. p. 387. sqq. Ratio tamen, cur ea verbo עוֹנֵן indicetur, quod עוֹנָה *tempus statutum* significet, perquam incerta est. Nam Ex. 21, 21., quo solo loco nomen illud legitur, potius *cohabitationem maritalem* denotat. Gesen. in Lex. minori conjicit verbum עוֹנֵן ab עַיִן *oculus* derivatum verti posse *oculis fascinare, oculo maligno et torvo adspectu laedere;* sed hoc non admittit Deut. 18, 14., ubi Israelitae vetantur, אֶל־מְעוֹנְנִים *et ad divinos audire*, unde patet, illos consultos fuisse. Quare Aben-Esrae sententiam meam facere mallem. — 27. לֹא תַקִּפוּ פְּאַת רֹאשְׁכֶם *Ne circumeatis in orbem*, sc. tondendo, i. e. ne in orbem tondeatis, *extremitatem capitis vestri*; i. e. extremos capillos. Id quod Arabes facere solebant in honorem numinis cujusdam; quod Graeci cum Baccho contulerunt; vid. Herodot. 3, 8. Cf. Jer. 9, 26. 25, 23. 49, 32., et Deylingii *Observati. SS.* P. II. p. 297., qui et refutavit Spencerī sententiam, prohiberi hac lege extraordinariam tonsurae speciem, quae in mortuorum exequiis, animo et ritu superstitioso fieri solerct. Neque enim in solennitate funebri tonsura in orbem adhiberi solebat, sed caput et barbam prorsus radebant, vid. Jer. 16, 6. 41, 5. 48, 3. Baruch. 6, 30. — וְלֹא תַשְׁחִית אֶת פְּאַת זְקָנֶךָ *Nec delebis*, i. e. rades *angulum barbae tuae*, i. e. extremam ejus partem. Fortasse etiam hic erat mos superstitiosus alicujus vicini populi.

28. 29. וְשֶׂרֶט — בִּבְשַׂרְכֶם *Ne vobis faciatis incisionem mortui gratia*, נֶפֶשׁ enim saepius significare *cadaver*, mortuum, est notum; vertunt etiam ita omnes veteres. Eadem lex Deut. 14, 1. Morem autem fuisse populorum Orientalium in funere consanguineorum luctus caussa variis in locis corporis sese incidere, apparet ex Jer. 16, 6. 41, 5. 47, 5. 48, 37. Etiamnum apud Arabes hic mos est, vid. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 207. כְּתֹבֶת קַעֲקַע sunt *scripturae*, i. e. figurae *cauterio impressae, stigmata*. Etiam hic mos hodie frequens est apud Arabes. Onkelos reddidit: *stigmata insculpta*. Erudite ostendit Spencerus L. II. c. 14., varium fuisse apud veteres stigmatum usum; verum hic ea sola respici videntur, quae ad cultum superstitiosum pertinerent. Horum meminit Lucianus *de Dea Syria* sub finem, ubi de iis, qui ad Deae templum sacra facturi ibant: *Omnibus autem notae inuruntur, aliis in vola, aliis in cervice, atque inde est, quod Assyrii cuncti notas caustas gerunt.* Has egregie descripsit Prudentius Hymn. 10. *περὶ στεφανῶν: Quid cum sacrandus accipit sphragitidas? Acus minutas ingerunt fornacibus, His membra pergunt urere, utque igniverint, Quamcunque partem corporis fervens nota Stigmavit hanc sic consecratam praedicant.* Nimirum hisce characteribus se quasi servos ejus Numinis profitebantur, cujus singularem characterem gerebant. Sic 3. Maec., non procul ab initio, Ptolemaeus Philopator jussit Judaeos, qui ad idola defecerant, *descriptos signari igne in corpore, insigni Bacchi hederae folio.* — 29. אַל־תְּחַלֵּל אֶת־בִּתְּךָ לְהַזְנוֹתָהּ *Ne prostituas filiam tuam ad meretricandum.* LXX. ἐκπορνεῦσαι αὐτήν, i. e. adigendo eam ad quaestum corpore faciendum. De זְנָה vid. ad 18, 17.

30—36. וּמִקְדָּשִׁי תִירָאוּ *Sacrarium meum reverebimini*, polluti ad illud non venietis. — 31. אֹבֹת sunt *necromantes*, coll. 1 Sam. 28, 8—19., qui mortuos reducere profitentur. Cf. ad Jes. 8, 19. LXX. ἐγγαστριμύθους, *ventriloquos*, ab אוֹב *uter*, quod venter illorum *utri inflato* similis sit, tale vatum genus designari rati, qui ore et lingua muti e ventre vocem dant, aut saltem, qui ventre ab אוֹב, impuro spiritu occupato, aegre et anhelorum instar spiritum ducant, et confuso murmure loquantur. Quam sententiam solide refutavit Millius *Diss. selectt.* p. 396. sqq. יִדְּעֹנִים *harioli*, qui futura et hominibus ignota se scire mentiuntur. — 32. זָקֵן — מִפְּנֵי *Coram canitie*, i. e. cano homine *assurges, et honorabis vultum senis.* Moses egregium Aegyptiorum institutum confirmare videtur, de quo Herodot. 2, 80.: *Congruunt praeterea in hoc cum solis Graecorum Lacedaemoniis Aegyptii, quod minores majoribus natu obvii cedunt de via ac deflectunt advenientibusque e sedili adsurgunt.* Reverentiam enim erga senes inprimis necessariam esse in statu reipublicae democratico, qualis Israeliticus erat, scite observat Mich. *J. M.* P. II. §. 140. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 208. וְיָרֵאתָ מֵאֱלֹהֶיךָ *Revereberis Deum*

tuum; i. e. senili infirmitati, quod tu superior sis viribus, non illudes, sed timebis Deum, qui eorum ultor est, qui sese defendere non possunt. — 34. הַגֵּר הַגָּר אִתְּכֶם *Peregrinus qui commoratur vobiscum*, i. e. inter vos, cf. 17, 12. — 35. מִדָּה est dimensio, quae pede vel ulna fit; מִשְׁקָל trutina et pondera. מִשּׂוֹרָה Mensura cava, qua sicca, ut legumina, et liquores, ut vinum, oleum, lac metiri solent; cf. Ez. 4, 11. 16. — 36. אַבְנֵי צֶדֶק *Lapides justitiae* sunt *pondera justa*, lapidibus enim in pondera utebantur, vid. Prov. 16, 11. 20, 10. 23.

Cap. 20.

Mortis supplicium decernitur ei, qui liberos suos Molocho consecrarit, qui magos et hariolos consuluerit, qui parentibus maledixerit, qui diversi generis coitus illicitos exercuerit.

2—5. מוֹת יוּמָת *Morte poenas luet.* Nunc poenae constituuntur, quas lucre debent ii, qui leges praecedentt. Capp. latas transgrediuntur. עַם הָאָרֶץ יִרְגְּמֻהוּ בָאֶבֶן *Populus terrae*, i. e. populares ejus sive populus ejus regionis, in qua habitaverit, *obruet eum lapidibus;* et quidem, ut videtur, sine praevia magistratuum inquisitione, a quocunque obvio. Singulari huic facinori singularis etiam poena statuitur. — 3. וַאֲנִי אֶתֵּן אֶת־פָּנַי בָּאִישׁ הַהוּא *Et ego ponam faciem meam in virum istum*, i. e. iram meam in eum convertam. Vid. ad 17, 10. לְמַעַן טַמֵּא אֶת־מִקְדָּשִׁי *Quia polluit Sanctuarium meum.* Sanctuarium, sive Tabernaculum polluisse dicebatur is, qui, quum alias in Tabernaculo sacrificare consuevisset, nunc etiam Molocho filios suos consecrabat. — 4. וְאִם — הַהוּא *Si abscondat populus terrae oculos suos ab illo viro*, i. e. si populus conniveat et negligat occidere illum hominem, qui ete.; si simulet se nescire, quid ille fecerit, nolitque quaestionem hac de re haberi. — 5. וְשַׂמְתִּי — וּבְמִשְׁפַּחְתּוֹ *Ponam faciem meam super hominem illum et super cognationem ejus*, qui facinus immolando commisit. Indicatur his verbis, eum, qui id fecerit, etiamsi ab hominibus non punitur, tamen a Deo punitum iri. וְאֵת כָּל — הַמֹּלֶךְ *Omnes, qui idololatriam ejus imitantur immolando Molocho.* De phrasi זָנוֹת אַחֲרָיו vid. ad Ex. 34, 15.

7—9. וְהִתְקַדִּשְׁתֶּם וִהְיִיתֶם קְדֹשִׁים *Et sanctificetis vos et estote sancti.* Sensus est: nolite contaminari scelestis illis sacrificiis et superstitionibus. — 8. אֲנִי יְהוָה מְקַדִּשְׁכֶם *Ego Jova, qui vos sanctos reddit*, i. e. sanctos esse jussit; ego Jova sum, qui do vobis illa praecepta, quorum observatione a nefando illo cultu alieni et mihi consecrati esse debetis. — 9. דָּמָיו בּוֹ *Sanguis ejus in eo.* Bene LXX. ἔνοχος ἔσται, et Onkelos *mortis reus.* Vulgatus: *sanguis ejus super eo erit*, i. e. non poterit queri se morte injuste damnari, ipse causa erit suae necis. בּוֹ pro עָלָיו, ut Ez. 33, 4. 8.

10—15. וְאִישׁ אֲשֶׁר יִנְאַף וגו׳ *Qui cum uxore alterius adulterium committit, quive cum uxore cognati adulterium committit, hic una cum adultera occiditor.* Duplex huic loco inest adulterii interdictio, *generalis*, et *specialis*. Illa interdicit adulterium in universum, *quacunque demum cum uxore committatur*, sive cognata, sive non cognata; haec vero adulterium, *quod cum uxore cognati committatur*. Nomen רֵעַ h. l. non significat *alterum* in universum, neque etiam *amicum*, sed *propinquum, cognatum*, et respondet nominibus שְׁאֵר בָּשָׂר 18, 6., veluti nostrum *Freund* et *Freundschaft* non tantum *amicos* et *amicitiam*, sed etiam *propinquum, cognatum*, et *propinquitatem, cognationem* significat. Quo eodem *cognati* significatu רֵעַ legitur Deut. 13, 7. 2 Sam. 13, 3. Vulgo quidem h. l. *una* tantum adulterii interdictio reperitur. Lutherus interdictionem specialem non vidit. Vertit sic: *Wer die Ehe bricht mit jemandes Weibe, der soll des Todes sterben, beyde Ehebrecher und Ehebrecherin, darum dass er mit seines Nächsten Weibe die Ehe gebrochen hat.* Moses autem hoc vult: omne adulterium supplicio mortis dignum est, non solum illud, quod cum uxore hominis non cognati committitur, sed hoc etiam, quod cum uxore cognati patratur. Non enim sentiendum est, inter cognatos exceptionem locum habere, quia amicorum omnia sint communia, et injuriam ejusmodi nullam esse animoque aequo ferendam. Cf. Ez. 22, 10. 11., ubi est aperta allusio ad nostrum. — 12. תֶּבֶל quod 18, 23. de crimine bestialitatis usurpari vidimus, h. l. de *crimine incestus cum nuru* adhibetur. — 14. De זִמָּה cf. ad 18, 17. — 15. וְאֶת־הַבְּהֵמָה תַּהַרְגוּ *Pecus quoque occidite*, ut major flagitii hujus ostendatur detestatio. Cf. ad Ex. 21, 28.

17—20. וְרָאָה *Et* si *viderit* nuditatem ejus, quod de contactu et concubitu intelligendum esse, et latiore verbi usu, ut Ex. 20, 15. Coh. 6, 6., recte notant Hebraei. חֶסֶד, quod proprie *mutuum parentum sobolisque amorem* (Graec. στοργήν; Lat. *pietatem*) hinc *fraternum amorem* (2 Sam. 10, 2.), denotat, hic de *incestu cum sorore* dicitur, plane ut nos *amoris* nomine in deterius quoque abutimur, uti opinatur MICHAELIS in *Suppll.* p. 853. Sed recte jam notavit Jarchi, חֶסֶד h. l. ex usu loquendi Aramaico *probrum*, seu *crimen probrosum* significare, ut Prov. 14, 34. 25, 10. — 19. כִּי אֶת־שְׁאֵרוֹ הֶעֱרָה *Quia propinquam suam nudavit.* Sed in textu Samar. legitur כי את שאר הערוה, quod una cum verbis quae sequuntur, עֲוֹנָם יִשָּׂאוּ, MICHAELIS sic vertit: *namque cum frusto nuditatis* (i. e. denudato) *culpam portabunt*, i. e. qui tale scelus commiserit, eadem poena plecti debet, qua plectitur is, qui cum parte corporis ipsius, id vero est, cum cognatis sibi proximis concubuerit. LXX. habent τὴν γὰρ οἰκειότητα ἀπεκάλυψεν (al. ἀπεκάλυψας); legerunt itaque vel הֶעֱרוֹ vel הֶעֱרָה. Syrus: *quia cognati sunt*, quasi legisset כי שארם. — 20. עֲרִירִים יָמוּתוּ *Steriles morientur.* Sed mirum est, hisce nuptiis poenam a solo

Deo infligendam decerni, quum cetera illicita connubia a magistratibus plectenda essent, et ipsum poenae genus mirum sit plane et singulare. Nonnulli existimarunt, legem hoc velle, spurios habitum iri liberos ex eo matrimonio natos. Alii, liberos eorum non ipsorum nomen gessuros, sed pro patrui fratrisve liberis habitum iri. Ita voecm עֲרִירִי jam interpretatus est Scholiastes Vaticanus: *οὐ λογισθήσεται τὸ σπέρμα αὐτῶν εἰς τέκνα*, nec non Augustinus et Aben-Esra. Sic Jer. 22, 30. עֲרִירִי est is, e cujus posteris nullus patri in regno succedit. Vid. MICHAELIS *v. d. Ehegesetzen*, §. 76. *Jus Mos.* P. II. §. 116. Neque tamen ejusmodi poenae alias fit mentio. Clericus existimat, mitiorem hanc poenam statui, ut honori Mosis et Aaronis consuleretur, erant enim nati ex matrimonio, quod Amramus cum amita Jochabeda contraxerat, Exod. 6, 20.

21 — 25. נִדָּה הִיא *Foedum* quid *hoc* est; conf. ad 12, 2. עֲרִירִים יִהְיוּ *Orbi erunt.* Pro יִהְיוּ Samaritae hic quoque, ut in Vs. 20. in Hebraico est, ימותו, ex LXX. *ἀποθανοῦνται.* „Poena mitior," inquit Clericus, „ut in superiore capite legis, eo quod fratria non semper illicita fratri censeretur; quandoquidem mortuo, sine liberis, fratre, levir prolem ei progenerare jubebatur, vid. Deut. 25, 5. Intelligenda autem sunt haec verba de fratria repudiata, quamvis vivat qui vir ejus fuit, aut post mortem ejus, si liberos reliquit. Nam si frater concubuisset cum uxore fratris, non dissoluto matrimonio, adulterium fuit morte plectendum." — 23. וָאָקֹץ בָּם *Eorum sum pertaesus*, non potui amplius ferre, ut fertilem regionem secure incolerent. — 24. אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ, vid. Ex. 3, 8. — 25. לַטֻּמְאָה *Ad immundum faciendum*, ut judicetis illa impura.

Cap. 21.

Varia sacerdotibus dantur praecepta, et minores quidem sacerdotes prohibentur funeribus pollui, praeterquam cognatorum, Pontifex vero vetatur omnino iis pollui. Quas iidem uxores ducere debeant. Quae poena decernenda sacerdotis filiae, quae stuprum admiserit. Qui e posteritate Aaronis excludendi sint a ministerio tabernaculi.

1 — 4. לְנֶפֶשׁ לֹא יִטַּמָּא בְעַמָּיו *Propter animam*, i. e. mortuum (ut 19, 28.) *inter populares suos non polluet se*, sc. sacerdos. Quod fiebat adsidendo cadaveri aut id contrectando. Sacerdotes funeribus pollui, opinio etiam erat aliarum antiquarum gentium, e. c. Aegyptiorum et Syrorum. Unde factum, ut sacerdotes, qui cadaveribus se polluissent, per aliquot dies a templis arcerentur. Fortasse primum immundum judicatum est cadaver humanum, quod saepe foeteat, praesertim in calidiore coelo; inde, qui munditiem prae ceteris sectabantur ab ejus contactu abstinuerunt. Ceterum Vss. 1 — 9. est sermo de sacerdotibus gregariis. — 2. כִּי אִם לִשְׁאֵרוֹ הַקָּרֹב אֵלָיו *Sed ob carnem propinquam ei*, i. e.

proxima consanguinitate conjunctos, cf. 18, 6. Ita Saadias: *ob consanguineum sibi maxime propinquum.* Sed Jonathan: *propter uxorem, quae proxima est corpori ipsius.* Praestat tamen prior interpretatio. Enumerat enim statim, quosnam *carne propinqua sibi* intelligat. — 3. Funeri sororis, quae adhuc in domo paterna fuerit, sacerdoti interesse licebat, fortasse quod illius funus curare debuit; si vero soror nupta fuerat, munus hoc ad virum ejus pertinebat. — 4. Verba לֹא יִשָּׁמֵא בַּעַל בְּעַמָּיו לְהֻחַלּוֹ varie explicantur. Vulgatus: *sed nec in principe populi sui contaminabitur*, i. e. sacerdos ne principis quidem funeri intersit. Ita et Syrus. Hi itaque interpp. ב ante עַמָּיו praeposuerunt τῷ בַּעַל. LXX. *οὐ μιανθήσεται ἐξαπίνα ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ, non subito polluatur in populo suo.* Legerunt בעגל pro בעל, quod Syriace est *subito*, coll. Arab. עגל *festinavit*, hoc sensu, non temere et levi de causa sacerdotem polluere se debere alicujus funere, sed certis duntaxat in casibus, qui Vs. 2. 3. enumerantur, ut ἐξαπίνα hic sit i. q. *οὐ τυχόντως.* Alii cum Jonathane et Jarchio בַּעַל hic *maritum* significare putant, ut Gen. 20, 3. Joel 1, 8. al., ut dicatur, sacerdotem se non polluere debere, si fuerit maritus, propter uxorem, i. e. se non funestari, coll. Ez. 44, 25., ubi propter sex memoratos Vs. 2. 3. duntaxat sacerdotibus funestari permittitur. Nec apud Romanos sacerdotibus uxoris funere pollui licuit; vid. Plutarchus in *Sulla.* Sed quum h. l. *uxoris* mentio non fiat, et בַּעַל בְּעַמָּיו significet *dominum inter suos populares*, i. e. amplissima dignitate inter suos insignem, malim cum Mose Nachmanis fil. summum sacerdotem illa appellatione intelligere, qui, antequam reges apud Hebraeos existerent, summum honoris gradum obtinebat. לְהֻחַלּוֹ *Ad profanandum se*, i. e. ut dignitatem et sanctitatem quasi suam violet. Bene Moses Mendelii fil. Vs. hunc sic reddidit: *Sonst aber darf das Haupt der Nation sich niemals verunreinigen, und dadurch sein Ansehen schwächen.*

5—9. לֹא יְקָרְחוּ קָרְחָה בְּרֹאשָׁם *Ne calvitiem inducant capiti suo.* Pro יְקָרְחוּ, quomodo in margine legi praecipitur, in textu est יְקָרֲחָה *decalvabit*, cum ה paragogico. Vetantur hic sacerdotes caput radere, videlicet עַל־מֵת *propter mortuum*, quod subaudiendum est. Vicinae Hebraeis gentes in luctu caput radere solebant, exceptis Aegyptiis, qui semper tonsi erant, promittebantque capillum in luctu. Herodot. 2, 36.: *Deorum sacerdotes alibi comati sunt* (ut apud Hebraeos, apud quos si non promissi, saltem non rasi erant capilli); *in Aegypto derasi. Apud alios homines more receptum est, ut in luctu statim capita tondeantur ab iis, quos potissimum is attingit; at Aegyptii in morte suorum sinunt capitis barbaeque pilos crescere, quum alioquin antea tonsi fuerint.* וּפְאַת זְקָנָם לֹא יְגַלֵּחוּ *Et angulum*, extremum *barbae suae non radent.* Cf. ad 19, 27. — 6. כִּי — מַקְרִיבִם *Quia offerunt sacrificia Jovae, cibum Dei sui.* LXX. לֶחֶם vert. δῶρα, Onkelos קׇרְבָּן. Aliae quoque gentes sacrificia appellarunt

cibum Deorum. Cf. *Iliad.* 4, 48. Et ipse Moses ea ita vocat 3, 11. Alii sub לֶחֶם *panes propositionis* intellexerunt, sed tum ante eam vocem particula ו posita esset. וְהָיוּ קְדֹשׁ *Sint sanctitas*, i. e. *ἅγιοι*, sine pollutione. — 7. זֹנָה est *meretrix*, quae corpore *quaestum* fecit, חֲלָלָה cui vitium est illatum, etiamsi nequaquam prostitit. קָדֹשׁ הוּא *Sanctus est*; mutatio numeri, pro, *sancti sunt*. — 8. וְקִדַּשְׁתּוֹ *Sanctificabis eum*, i. e. sacerdos ita Deo consecratus haberi debet, ut nemo sit passurus illum inire connubium cum tali muliere polluta. — 9. Verba כִּי תָחֵל לִזְנוֹת Syrus, Arabs Erpenii et versio Samar. sic reddunt: *si inceperit scortari*; sensu minus commodo. Vulgatus: *si deprehensa fuerit in stupro*; parum accurate. Recte LXX. *ἐὰν βεβηλωθῇ τοῦ ἐκπορνεῦσαι*, et Onkelos: *quum profanata fuerit scortando*, sive, *cum profanaverit se scortando.* Utrum de vitiata, an de ea muliere, quae corpus prostituere coeperit, hic sit sermo, non certe potest dici. בָּאֵשׁ תִּשָּׂרֵף *Comburatur*, i. e. post lapidationem comburatur cadaver ejus. Nam apud Hebraeos ad hoc supplicii genus damnati non vivi comburebantur, sed postquam supplicio lapidationis affecti erant.

10—14. De phrasi מִלֵּא אֶת־יָדוֹ vid. Ex. 28, 41. — אֶת־ רֹאשׁוֹ לֹא יִפְרָע *Caput suum non denudabit.* Pontifici Max. non modo non licebat tondere crines luctus caussa, quod illicitum erat etiam reliquis Israelitis; sed ne cidarin quidem abjicere, ut caesariem pulvere adspergeret, quod in luctu solebat fieri, vid. 10, 6. Hoc licitum fuit aliis sacerdotibus in funere eorum, quos lugere iis licebat. — 11. וְעַל כָּל־נֶפֶשׁ מֵת לֹא יָבֹא *Et ad omnes animas mortui non veniet*, nullam domum ingrediatur, in qua fuerit cadaver. Sic apud Romanos Flamen Dialis locum, in quo bustum esset, numquam ingrediebatur, mortuum numquam attingebat, Gellius 10, 15. Servius ad III. Aeneidos: *Moris Romani fuerat, ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam Pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.* — 12. וּמִן הַמִּקְדָּשׁ לֹא יֵצֵא *E sanctuario non egrediatur*, funeris nempe caussa. נֵזֶר שֶׁמֶן מִשְׁחָתוֹ *Diadema olei unctionis.* Intelligitur diadema lamina aurea ornatum, de quo Ex. 39, 30., et conjunctum cum oleo sacro unctionis, quia cum id diadema primum imponebatur Pontifici M., inungebatur. — 13. בִּבְתוּלֶיהָ *In ejus virginitate*, i. e. ducet uxorem virginem, ut Vs. 5. sq. exponitur. — 14. בְּתוּלָה מֵעַמָּיו *Virginem e populis suis*, i. e. virginem popularem sive Israeliticam. Postea istae leges ad quemcunque sacerdotem extendebantur, vid. Ez. 44, 22.

17—19. לְדֹרֹתָם *In aetates suas*, quibuscunque seculis vixerint. אֲשֶׁר בּוֹ מוּם *Qui vitio corporis est affectus.* Omnia enim, quae Deo consecrata erant, sine vitio et macula esse debebant; hinc et Pontificem M. *ἄμωμον* esse oportebat. Clericus putat, virum e familia Aaronica vitio corporis affectum ideo non admis-

sum fuisse ad sacerdotium, ne vulgus, si spreverit sacerdotem, etiam sperneret divinum cultum a sacerdote administratum; esse enim hunc morem plebis, deformitate insignes aspernari. — 18. חָרֻם LXX. vert. *κολοβόρινον naso mutilus.* Vulgatus: *naso parvo* (qui est), Onkelos et Syrus retinent vocem Hebr., quae illustratur ex consono verbo Arab. *naso simo fuit.* Significatur is, qui nasum habet depressum, ut simiae. שְׁרוּעַ LXX. *ὠτότμητος, habens aurem sectam*, Syrus: *auritus, habens patulas sive dissectas aures.* Vulgatus: *longo vel torto nasō.* Sed videtur שְׁרוּעַ significare eum, qui habet *membrum aliquod nimis longum, a* שָׁרַע *in longum protendit, extendit;* unde Arabibus plures voces ab hac radice derivatae denotant res praelongas. — 19. אִישׁ אֲשֶׁר וגו׳ *Si quis fractum pedem vel fractam manum habuerit.*

20. גִּבֵּן veteres fere omnes vertunt *gibbosum.* Nomine דַּק veterum nonnulli eum, qui oculorum vitio laborat, designari existimarunt. Ita Vulgatus, qui *lippus*, et Saadias, qui *lusciosus* vertit. Onkelos: דּוּקָא *panniculus* s. *pellicula tenuis oculo adnata.* Vid. Buxtorfii *Lex. Chald.* p. 570. Jonathan et Hierosolymitanus: *cui non sunt pili in superciliis suis.* LXX. *ἔφηλος*, qua voce Suidas vocari ait eum, cui vitium est faciei asperae ex inflammatione aut ardore solis provenicns, quo vitio deformes Plinius *solatos* appellat. Sed videtur potius intelligi is, qui tantae est gracilitatis, ut propterea deformis sit, sive talis, qui membrum aliquod nimis gracile habet. Ita Syrus, qui *parvus* vertit. תְּבַלֻּל בְּעֵינוֹ LXX. *πτίλλος τοὺς ὀφθαλμούς, depalpebratus oculos.* Concinit Syrus: *defluxis superciliis.* Additae tamen in Syr. leguntur duae aliae interpretationes, una, *aut lusciosus*, altera, *aut in cujus oculo est albugo.* Cum qua interpretatione posteriore convenit Onkelos: *in cujus oculo* est *macula alba.* Chaldaicum חִוְּרִין, aut, ut alii paraphrastae habent, חִוָּרוֹן, Bochartus in *Hieroz.* T. III. p. 656. edit. Lips. non diversum ait a Graeco *χάλαζα*, vel *χαλάζιον*, quod Aegineta definit *ἄγρου ὑγροῦ σύστασιν κατὰ τὸ βλέφαρον, concretionem lenti* aut *albi humoris in palpebra.* Quod et Hieronymus intellexit, qui vertit *albiginem habens in oculo*, Graecus in Hexaplis, qui *λεύκωμα*, et Saadias, qui *punctum candicans in nigricante parte oculi* vertit. Equidem in Onkelosi interpretatione acquiescendum existimo. Hebraei illud oculorum vitium dictum ajunt a בָּלַל *confundendo*, propterea quod adspectus oculi quasi confusus apparcat. גָּרָב LXX. *ψώρα ἀγρία*, Vulgatus *scabiem jugem* reddunt; interpretes orientales retinent verbum גָּרָב, quod in omnibus *scabiem* denotat. Jonathan: *qui plenus est scabie sicca.* וַלֶּבֶת videtur alia scabiei species esse. LXX. *λειχήν*, *leprae* genus in Aegypto frequens, vid. Plin. *H. N.* 26, 1. Ita et Jonathan: *impetigo Aegyptiaca.* Arabibus חזאז, quo hic utitur Saadias, *furfures capitis* denotat. Vulgatus: *impetigo in corpore.* מְרוֹחַ אָשֶׁךְ LXX. *μόνορχις, unum habens*

testiculum, quos sequitur Syrus. Onkelos: *contritus testiculis*, a מָרַח, cui radici *fricandi*, *conterendi* significationem inesse, arguit consonum Arab. Verbum, quod denotat *inunxit corpus oleo*. Illam interpretationem plerique recentiorum sequuti sunt. Aliis a רוּחַ *dilatatus fuit*, מְרוּחַ אָשֶׁךְ est *dilatatus testiculos*, i. c. herniosus. Sic Vulgatus et Saadias.

22 — 24. מִקָּדְשֵׁי הַקֳּדָשִׁים *Ex oblationibus sanctissimis*; quae erant partes victimarum, panes sacri, donaria farrea, quae sacerdotes tantum in loco sacro comedebant. הַקֳּדָשִׁים *Oblationes sanctae* vocantur decimae et primitiae, quibus et alii praeter sacerdotes vesci poterant. — 23. אַךְ אֶל־הַפָּרֹכֶת לֹא יָבֹא *Sed non veniat ad siparium*, quod nempe Sanctum dividebat a S. S., i. e. ne ingrediatur tabernaculum. וְלֹא יְחַלֵּל אֶת־מְקָדָשַׁי *Nec profanabit meas sanctitates*, i. e. res mihi consecratas. — 24. וַיְדַבֵּר מֹשֶׁה וגו׳ *Dixitque Moses ad Aaronem* rel. scilicet הָאֵלֶּה *ista*, quae praecesserunt.

Cap. 22.

Sacerdotes immundi arcentur ab esu eorum, quae Deo consecrata erant. Qui e sacerdotis familia iisdem vesci possint. Hostias eucharisticas debere esse sine macula. Adduntur aliae quaepiam leges de hostiis offerendis.

2 — 6. וְיִנָּזְרוּ מִקָּדְשֵׁי בְנֵי־יִשְׂרָאֵל *Ut abstineant a sanctis filiorum Israel*, i. e. ab iis, quae Deo ab Israelitis sunt oblata et consecrata, quae a solis mundis sacerdotibus comedi jubentur, abstineant immundi sacerdotes; de iis enim sermonem esse, patet ex Vs. sq. אֲשֶׁר־הֵם מַקְדִּישִׁים לִי *Quod consecrant mihi*. — 3. וְטֻמְאָתוֹ עָלָיו *Et immunditia ejus super eo*, i. e. immunditie affectus est. מִלְּפָנַי *A conspectu meo*. Idem est quod מִקָּרֵב עַמּוֹ, sed si legislator de sacerdotibus loquitur, dicit מִלְּפָנַי, quod ii frequentius quam alii Israelitae solerent *in conspectum Dei*, לִפְנֵי יְהוָה, venire. — 4. הַנּוֹגֵעַ בְּכָל־טְמֵא־נָפֶשׁ *Qui tetigerit omne immundum animae* s. *cadaveris*, i. e. rem immundam ob cadaver. — 5. אוֹ בְאָדָם אֲשֶׁר יִטְמָא־לוֹ *Aut hominem* si tetigerit *qui sit immundus propter illud*, se. שֶׁרֶץ *reptile*, quod praecessit. לוֹ Aben-Esra hic *propter illud* valere dicit. לְכֹל טֻמְאָתוֹ *Secundum omnem immunditiem ejus*, quacunque tandem impuritate sit ille impurus. — 6. נֶפֶשׁ אֲשֶׁר תִּגַּע־בּוֹ *Anima quae tetigerit illud*, quicunque scilicet ex sacerdotibus tetigerit quicquam ex illis.

9 — 13. וְשָׁמְרוּ אֶת־מִשְׁמַרְתִּי *Observent meam observationem*, observent sacerdotes praecepta et leges, quas iis dedi. וְלֹא־יִשְׂאוּ עָלָיו חֵטְא *Et ne ferent super se peccatum*, ne culpam contrahant, ejusque poenas luant. Suffixum singulare ad עַל capiendum est collective, quasi עֲלֵיהֶם positum essèt. וּמֵתוּ בוֹ *Et moriantur in eo*, i. e. *propter* rem sanctam violatam. — 10. וְכָל־זָה *Et omnis peregrinus*, i. c. *qui non fuerit e Aaronis*, ut

Hebraei exponunt. לֹא־יֹאכַל קֹדֶשׁ *Non comedet sanctum*, intelliguntur quae 21, 22. קָדְשֵׁי הַקֳּדָשִׁים vocantur. תּוֹשָׁב כֹּהֵן וגו׳ *Inquilinus sacerdotis et mercenarius non comedet sanctum*, rem consecratam. Per תּוֹשָׁב Hebraei post Jarchium intelligunt servum, cujus auricula fuerat perforata tempore libertatis (Ex. 21, 6.), quod noluit abire a domino suo, et qui tempore jubilaei libertate donabatur, nomen nactus a יָשַׁב *habitando* et manendo, quod diu apud dominum suum manserit. Per שָׂכִיר *mercenarium* vero intelligunt servum conductitium ad sex annos, qui exacto sexennio libertate donabatur. Addit Jarchi, doceri hac lege, corpus inquilini et mercenarii non possideri a domino, sicuti corpus servi Cananaei, de quo Vs. sq., sed illius opera solum uti illum. — 11. וְכֹהֵן כִּי־יִקְנֵה נֶפֶשׁ קִנְיַן כַּסְפּוֹ *Sed quem sacerdos pecunia sua acquisiverit*, i. e. servum Cananaeum, uti Jarchius notat. Ratio, cur mancipia et vernae una cum sacerdotibus sacris oblationibus vescebantur, id quod inquilinis, et mercenariis non licuit, redditur verbis: הֵם יֹאכְלוּ בְלַחְמוֹ *hi pane ejus vescuntur*, nam quum oblationes sacrae, primitiae et decimae sacerdotibus concessae essent, ut inde se familiamque sustentarent, eorum servis iis vesci necesse erat. — 12. וּבַת־כֹּהֵן כִּי תִהְיֶה לְאִישׁ זָר *Sacerdotis filia si fuerit alieno nupta*, id est eo, qui non fuerit de genere sacerdotali. Nam cum peregrinis matrimonia inire non licebat sacerdotum filiabus. — 13. כִּנְעוּרֶיהָ *Secundum adolescentiam suam*, i. e. sicut puella, innupta, consueverat.

15—20. וְלֹא — יִשְׂרָאֵל *Ne profanent*, sc. sacerdotes *oblationes*, *quas mihi Israelitae obtulerunt*. — 16. Ante verba וְהִשִּׂיאוּ אוֹתָם עֲוֹן אַשְׁמָה *et facient portare eos inquitatem delicti*, subaudienda est negatio ex Vs. 15., hoc sensu: ne sibi poenam noxae contrahant. — 19. לְרְצֹנְכֶם *Ad gratiam vestram*, ad favorem vobis conciliandum, i. e. si quis velit Deo id esse acceptum, quod offerre voluerit, offerat masculum integrum etc. — 20. כֹּל אֲשֶׁר־בּוֹ מוּם לֹא תַקְרִיבוּ *Nullam* pecudem *in qua* erit *macula offeretis*. Cf. ad 1, 2. 3. Ejusmodi victimae passim dicuntur תְּמִימִים *integrae*, uti Graeci eas *τελείας* vocant; itaque תְּמִים et אֲשֶׁר אֵין מוּם בּוֹ unum idemque est. In jure Pontificio Aegyptiorum, Graecorum et Romanorum similes fuere leges, atque examinabantur victimae, antequam ad altare ducerentur, ut aliquo vitio laborantes repudiarentur. De Aegyptiis diserte docet Herodot. 2, 37. 38.: *Explorat sacerdotum aliquis ad id constitutus, pecude cum stante et erecta, cum etiam resupinato, lingua etiam exserta inspiciens an pura sit.*

22. 23. עִוֵּר Jarchi dicit esse nomen substantivum indicans מוּם עִוָּרוֹן *vitium caecitatis*, quod non debeat esse in animali ad sacrificium delecto. Aben-Esrae est adjectivum ab עִוֵּר, ad עַיִן *oculus*, nomen feminei generis spectans. שָׁבוּר *Fractum*, cui sit fractum membrum. חָרוּץ quid denotet, incertum est. LXX.

γλωσσότμητον *linguâ sectum* vertunt, i. e. cujus lingua est praecisa aut exsecta. Onkelos: פְּסִיק *abscissus*, quo mutilus membro aliquo significari videtur. Sed Jonathan: *cujus palpebrae sunt laesae.* Similiter Jarchi et plerique Hebraeorum animal, quod vel supercilia, vel labia scissa habeat, designari existimant. Hieronymus: *cicatricem habens.* Syrus: *sectus.* Saadias: מבתורה *resecta*, i. e. mutilata, nisi fortassis quae *cauda caret* significet, a בתר, *cauda caruit.* Arabs Erpenii: *sectus*, *truncatus.* Arab. חרץ denotat *fidit* cutem, *fregit* caput, unde חורצה *contusio seu fractura capitis findens nonnihil cutem.* וַבֶּלֶת LXX. μυρμηκιῶντα. Describitur hic morbus a Celso *de Medic.* L. V. Cap. 28. §. 14. *Myrmecia*, inquit, *vocantur humiliores* (verrucae) *thymio*, *durioresque; quae radices altius exigunt*, *majoremque dolorem movent*, *infra lata*, *supra autem tenuia*, *minus sanguinis mittunt; magnitudine vix unquam lupini modum excedunt.* Vulgatus quoque *papulas habens*, et Saadias *verrucis laborans* reddit. — De גָּרָב et יַלֶּפֶת vid. 21, 20. — 23. Uti שָׁרוּעַ est animal, cui e partibus, quae geminae sunt, una est altera longior et extensior (cf. ad 21, 18.); ita קָלוּט contra animal dicitur, cum una pars justo brevior est et contractior. Arabibus קַלַטִי est *pumilio* ex hominibus, felibus et canibus. נְדָבָה תַּעֲשֶׂה אֹתוֹ *Spontaneum facies illud*, tanquam spontaneum sacrificium offerre licebit, quod, nimirum, hoc sacrificii genus non sit debitum et vitia illa sint omnium minima.

24 — 28. מָעוּךְ וְכָתוּת וְנָתוּק וְכָרוּת *Compressus*, *contusus avulsus*, *excisus*, i. e. pecus, cui testiculi aut compressi aut contusi, aut abrupti aut excisi sunt. Nam tot modis castratur agnus, ut vervex fiat, ut ex Aristotele et Columella observavit Bochartus. בְּאַרְצְכֶם לֹא תַעֲשׂוּ *Nec in terra vestra hoc faciatis*, scil. pecudibus ne testiculos comprimatis, aut contundatis, etc., i. e. eas non castretis. Quod Moses fortasse ideo vetabat Israelitis, ut hi eo magis detestarentur usitatam in illis regionibus hominum castrationem, vid. Mich. *J. M.* P. 3. p. 159. — 25. לֹא יֵרָצֶה לָכֶם *Non accepta erunt vobis*, ea recusabitis offerre. Licebat quidem victimas ab alienigenis ad Tabernaculum aut Templum ductas, mactare et offerre; sed oportebat eas aeque esse sine vitio, ac Israelitarum victimas. Debebant peregrini pati a sacerdotibus ritum patrium observari. Sic Alexander Macedo, Josepho referente (sub fin. libri 11. *Antiquitt.*), *cum adscendisset in templum*, *sacra fecit Deo*, *ex sacerdotis praescripto*, non ritu Macedonico. — 27. Taurus, agnus aut hoedus ab octavo demum die postquam nati fuerint, immolare licebat, quoniam ante octavum diem comedi non possunt. — 28. וְשׁוֹר אוֹ שֶׂה וגו׳ *Bovem et ovem cum gnato suo eodem die non macletis*, sc. in sacrificium; nam de sacrificiis tota agit illa legum series, quae Vs. 17. hujus Cap. incipit a formula initiali consueta: *et locutus est Dominus ad Mosem.* Nec obstat ei, quod de sacrificiis sermo sit, generalius verbum, תִּשְׁחֲטוּ, *ma-*

ctabitis; nam ex lege 17, 3. ante paucos dies lata omnino non licebat in deserto boves, oves et capras mactare, nisi et immolarentur, ut adeo in iis animalibus *mactare* et *immolare* Mosis tempore unum idemque esset. Hinc recte Vulgatus: *non immolabuntur una die.* שֶׂה autem et שׁוֹר h. l. intelligendum est de *feminis* illorum animalium, s. de *matribus*, bruta enim nullum patrem agnoscunt, sed solam matrem. אֹתוֹ capiendum est pro feminino אֹתָהּ; voces enim שֶׂה et שׁוֹר, ut omnia brutorum nomina, sunt generis communis, atque in tota constructione, ubi unum eorum occurrit, nec in verbo nec in adjectivo et pronomine sexus ratio habetur. Vetabat autem legislator, ne mater et soboles una die immolarentur sine dubio ideo, quia hoc crudele videbatur, unde etiam proverbialis locutio, quae extat Gen. 32, 10. *matrem super liberis occidere.* A sacrificiis autem omnis crudelitatis species abesse debebat.

Cap. 23.

De Festis et solennitatibus annuis constituitur, festo Paschatis gemino, die oblationis manipuli, Pentecostes, Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, et quibus ritibus ac sacrificiis ea peragi oporteret.

2—8. מוֹעֲדֵי יְהוָה *Quod attinet ad festa Jovae,* אֲשֶׁר־תִּקְרְאוּ אֹתָם *Quae celebrabitis.* מִקְרָאֵי קֹדֶשׁ *Convocationes sanctae,* per appositionem dictum, q. d. hae sunt feriae, quas celebrabitis in honorem meum. — 3. בְּכֹל מוֹשְׁבֹתֵיכֶם *In cunctis habitationibus vestris,* ubicunque locorum habitaveritis, abstinere debetis ab operibus in honorem Jovae. — 4. אֲשֶׁר תִּקְרְאוּ אֹתָם בְּמוֹעֲדָם *Quas convocabitis temporibus suis,* i. e. convocationes sacras, quas celebrabitis temporibus suis, i. e. constitutis. מוֹעֵד hic non, ut antea, conventum, sed tempus constitutum denotat. — 5. פֶּסַח לַיהוָה De Paschate vid. Ex. 12. Quamvis jam saepe ejus meminerit Moses, iterum tamen paucis id commemorat, ut veluti in tabula sacerdotes, quibus liber hic tertius destinatus erat, haberent omnium festorum indicem. — 7. מִקְרָא קֹדֶשׁ יִהְיֶה לָכֶם *Convocatio sancta erit vobis,* i. e. erit vobis dies celeberrimus, uti Hieronymus vertit. מְלֶאכֶת עֲבוֹדָה *Opus servile.* Jarchi: „Etiam opera, quae vobis aestimantur servilia, in quorum intermissione necesse est, ut sit jactura pecuniae," scil. sunt prohibita. — 8. וְהִקְרַבְתֶּם אִשֶּׁה לַיהוָה שִׁבְעַת יָמִים *Offeretis oblationem igne absumendam Jovae per septem dies.* אִשֶּׁה vocatur quodcunque Deo oblatum igne absumebatur; erant enim aliae oblationes, quae non comburebantur, qualia quae in usum et fabricationem Tabernaculi donata fuerunt. Graeci similiter victimas ἔμπυρα vocabant. Quod in hoc Vs. breviter tantum commemoratur, id prolixius praescribitur Num. 28, 19. sqq.

10—14. וְקִצַרְתֶּם אֶת־קְצִירָהּ *Si messuri eritis messem,* si incipietis falcem segetibus inmittere, ut sese explicat ipse Moses,

Deut. 16, 9. Ante oblatum Gomerum non licebat metere, ut docet Joseph. *Ant.* 3, 10. עֹמֶר hic est *manipulus.* Manipulus autem intelligendus est hordei, quia hoc eo tempore maturescit in illis regionibus, vid. ad Ex. 9, 32. רֵאשִׁית קְצִירְכֶם *Primitiae messis vestrae*, et omnis messis, quia nihil ante hordeum metebatur, et potissimum ipsius hordei, nam postea primitiae quoque tritici offerebantur, Vs. 17. Plurimae gentes antiquae primitias frugum offerebant Deo, tanquam symbolum, quo profiterentur gratum animum suum erga id numen, cui debebant istas fruges. Aegyptii frugum primitias offerebant Isidi. Cf. SPENCER l. c. Lib. III. Cap. 9. p. 713. sqq. edit. Tubing. — 11. וְהֵנִיף אֶת־הָעֹמֶר *Agitabit manipulum*, agitando eum offeret, vid. ad Ex. 29, 24. מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת *Postridie Sabbathi.* Non intelligendum est Sabbathum, quod septimo quoque die solebat celebrari, sed primus dies festi azymorum, qui tanquam Sabbathum celebrabatur, vid. Ex. 12, 16. Dies primus festi azymorum erat dies 15. mensis spicarum et dies alter Sabbathi decimus quintus illius mensis. — 14. עַד־עֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *Usque ad robur illius diei*, i. e. usque ad illum ipsum diem. De כַּרְמֶל et קָלִי vid. ad 2, 14. לְדֹרֹתֵיכֶם בְּכֹל מוֹשְׁבֹתֵיכֶם *In aetates vestras in omnibus habitationibus vestris*, quocunque tempore et ubicunque vixeritis.

16—22. עַד—יוֹם *Usque ad posterum diem septimae hebdomatis, quinquaginta nimirum dies.* Intra hos 50 dies messis peragebatur, qua finita celebrabatur festum, quod nos vocabulo graeco *πεντεκοστὴν (Pfingsten)* appellamus. Cf. ad Ex. 23, 16. — הַשַּׁבָּת hic est *hebdomas*, ita vocata quod in omnibus hebdomatibus unum erat Sabbathum. Hinc in Evangeliis *σάββατα* pro hebdomade vid. Matth. 28, 1. —, 17. מִמּוֹשְׁבֹתֵיכֶם — תָּבִיאוּ *Ex habitationibus vestris afferetis panes agitationis duos, duarum decimarum e simila sunto.* Referendum שְׁתַּיִם ad לֶחֶם. Hi panes, quia specimina erant panis ordinarii apud Israelitas adhibendi, fermentati erant, hinc לֶחֶם appellandi; contra duodecim panes mensae sacrae imponendi (24, 5.) חַלּוֹת *placentae* vocantur. — 20. קֹדֶשׁ יִהְיוּ לַיהוָה לַכֹּהֵן *Sanctum sint Jovae, sacerdoti*, i. e. omnia ista consecrentur Jovae et cedant sacerdoti; sacerdos his vescetur. — 22. Haec lex jam 19, 9. tradita, ex occasione festorum superiorum repetitur.

24—27. בַּחֹדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי *In mense septimo*, qui 1 Reg. 8, 2. יֶרַח הָאֵתָנִים *mensis perennium rivorum*, Chaldaeis תִּשְׁרִי dicitur, et a primo Octobris novilunio procedit. Quod vero hoc loco scribitur בַּחֹדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי בְּאֶחָד לַחֹדֶשׁ *in mense septimo primo*, sc. die *mensis*, non vero בְּאֶחָד לַחֹדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי *primo* die *mensis septimi*, Naphtali Herz Wessely, in Commentario hebraice scripto, quem huic libro a Mendelssohnio teutonice verso subjunxit, ideo factum existimat, quod Moses hoc dicere voluisse videatur: in septimo quoque mense sint vobis festa sicut in primo mense, die

videlicet primo *celebratio clangoris*, die 10. expiationis dies, et die 15. festum tabernaculorum. Similiter mensis primi die 14. celebrabatur Pascha, et die 15. festum azymorum. בְּאֶחָד ponitur pro בְּיוֹם הָרִאשׁוֹן *die primo*, cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 701. — יִהְיֶה לָכֶם שַׁבָּתוֹן *Erit vobis quies*, erunt vobis feriae. שַׁבָּתוֹן de iis tantum feriis dicitur, quae non in septimum hebdomadis diem, qui שַׁבָּת, *cessatio* ab opere κατ' ἐξοχήν dicitur, incidit. זִכְרוֹן תְּרוּעָה LXX. vertunt *μνημόσυνον σαλπίγγων*, Hieronymus: *memoriale clangentibus tubis.* Videtur illud nomen huic diei propterea inditum fuisse, quod illo Israelitae excitarentur clangore tubae, seu cornu arietini, ad observandum hunc mensem prae aliis, propter festa, quae in eo celebrari solent. Num. 29, 1. vocatur יוֹם תְּרוּעָה *dies clangoris.* Nisi forsan ratio זִכְרוֹן תְּרוּעָה inde est repetenda, quod Num. 10, 10. Israelitae jubentur statis suis festis tubis clangere, וְהָיוּ לָכֶם לְזִכָּרוֹן לִפְנֵי אֱלֹהֵיכֶם *ut sint vobis* illi clangores, *ad memoriam* vestri revocandam *coram Deo vestro*, seu, uti Vs. 9. ibid. habetur, וְנִזְכַּרְתֶּם לִפְנֵי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *ut in memoriam revocemini coram Jova, Deo vestro*; cf. not. ad eum loc. Erat autem primus septimi mensis dies prae aliis noviluniis solennis, quod illo novi anni civilis initium celebrabant, unde eum Judaei hodienum רֹאשׁ הַשָּׁנָה *initium anni* vocant; cf. ad Ex. 12, 2. — 25. וְהִקְרַבְתֶּם אִשֶּׁה לַיהוָה *Et offeretis oblationem igne absumendam* (cf. ad Vs. 8.) *Jovae.* Qualis ea esset, docet Moses Num. 29, 2. — 27. יוֹם הַכִּפֻּרִים *Dies expiationis.* Vid. c. 16.

34. 36. חַג הַסֻּכּוֹת *Festum tabernaculorum* et quidem *ex frondibus confectorum*, nam haec voce סֻכּוֹת significantur. אֳהָלִים vocantur tabernacula ex ciliciis facta, et מִשְׁכָּנוֹת tabernacula asseribus tabulisque compaginata. Ceterum de hoc festo vid. ad Ex. 23, 16. — 36. עֲצֶרֶת הִוא alii vertunt, *feriae sunt*, alii *clausula; exitus festi*, ut LXX.: ἐξόδιον. Sed neutra harum significationum verbi עָצַר notioni convenit. Cf. Conr. Ikenii Diss. *de Azereth festi*, quae est *quinta* Dissertatt. suarum junctim editar. P. I. (Lugd. Batav. 1749. 4.), §. 8. p. 57. sqq., ubi varias hujus vocabuli explicationes expendit. Et ipse quidem עֲצֶרֶת ab עָצַר, *cohibuit*, *prohibuit*, existimat *prohibitionem laboris* denotare. Quam interpretationem eo firmari ait, quod tam h. l., quam Num. 29, 35. Deut. 16, 8. post עֲצֶרֶת הִוא, vel עֲצֶרֶת תִּהְיֶה לָכֶם additur tanquam explicationis causa: *ullum opus servile non facietis*, vel: *non facies negotium.* Sed *cohibitionem a labore* minime notare potest illud nomen Jer. 9, 2., ubi עֲצֶרֶת בּוֹגְדִים *catervam perfidorum* esse nemo dubitat. Neque aliis locis illa significatio est apta, ut 2 Reg. 10, 20. Joel 1, 14. Significat potius עֲצֶרֶת proprie *coetum*, *populum collectum et congregatum* (a *cogendo* in unum locum, *congregando*, quae notio cum *cohibendi* significatu, quem עָצַר obtinet, cognata est), hinc *festum*, *quo populus congregatur.* Hunc sensum expresserunt Onkelos, Sy-

rus, Hieronymus, Arabs Erpenii. Et ipsi LXX. *σύνοδον* et *πανήγυριν* alicubi vertunt, ut Amos 5, 2. Jer. 9, 2. Similiter Mohammedani diem Veneris, quo in suis oratoriis solennes *πανηγύρεις* instituunt, *diem congregationis* nuncupant. Hoc loco, sicuti Num. 29, 35. Neh. 8, 18. 2 Chr. 7, 9. עֲצֶרֶת ponitur de octavo die, festo tabernaculorum addito. Saadias pro עֲצֶרֶת הִוא posuit: *et manete in sanctuario ejus.* Saadianae interpretationis rationem pandit Kimchi, qui in Lexico diem octavum festi tabernaculorum עֲצֶרֶת dictum ait *quod populus continetur* s. *retinetur in loco congregationis.*

37—40. דְּבַר־יוֹם בְּיוֹמוֹ *Rem diei in die suo*, secundum ritum cujusque diei. — 39. Plenius describitur festum Vss. 34—36. memoratum. — 40. בְּיוֹם הָרִאשׁוֹן *Die primo*, de quo Vs. 35. Illo igitur die Hebraei jubentur sibi sumere פְּרִי עֵץ הָדָר *fructum arboris decoris*, LXX. *καρπὸν ξύλου ὡραίου*, Hieronymus: *fructus arboris pulcherrimae.* Usus Hebraeorum inde ab antiquissimis temporibus haec verba interpretatur de *malis citreis.* Ita jam Onkelos et Saadias. Sunt tamen qui putent, Hebraeos intellexisse *poma Medica* s. *Assyria.* Josephus *Ant.* 3, 4, 4. ritus festi tabernaculorum describens dicit, in manibus gestari eo festo praeter aliarum arborum ramos et ramum palmae, ita paratum, ut ex eo pendeant mala Persea, *τοῦ μήλα τοῦ τῆς Περσέας προσόντος.* Talmudici quidam doctores pro הָדָר legere jubent דָּדָר *permanens*, a דור, ut significetur talis fructus, qui in arbore sua de anno in annum permaneat. Clericus verbis legis פְּרִי עֵץ הָדָר in universum indicari putat fructus selectos ex iis, quos praestantissimae arbores, eo tempore anni, proferunt in Judaea, quos gestare et comedere juberentur eo festo, quo gratiae agebantur Deo ob collectionem autumnalium fructuum. Cf. et Celsii *Hierobot.* P. I. p. 251. כַּפּוֹת תְּמָרִים *Spathas palmarum*, sc. sumetis. LXX. *κάλλυνθρα φοινίκων*, „quod," inquit Celsius l. l. P. II. p. 509., „licet prima fronte huc spectare non videatur, aliud tamen non significat, quam *ramos palmarum*, vel *βάϊα*, ut explicat Scholiastes. Etenim *κάλλυνθρον*, vel *καλλυντήριον*, quodvis instrumentum sonat, quo quid purgamus aut comimus, unde ad scopas, quibus pavimentum verritur, est translatum. E palmis autem scopas olim factas, veteres testantur. Horat. *Sat.* II. 4. 83. *Ten' lapides varios lutulenta radere palma?* Et Martialis *Epigr.* XIV. 82. *In pretio scopas testatur palma fuisse.* De מכבד של תמרים *scopis palmeis* loquuntur Talmudici in Tractatu *Oketzin* Cap. I. §. 3., et *scopae torcularis*, quod e palmis fierent, iisdem לוּלַבִּין dicuntur." Eodem hoc nomine hic usus est Onkelos. A verbo לָבְלַב *florere*, *vigere*, לוּלָב significat *surculum*, *germen*, *ramum florentem*, et potissimum de *palmae ramo* usurpatur. וַעֲנַף עֵץ עָבֹת *Et ramum ligni* s. *arboris densarum frondium.* Onkelos reddit *myrtos*, consentientibus utroque Arabico et Syriaco interprete. Josephus quoque ramos myrti Hebraeos in manibus gestare ait in

festo tabernaculorum. Sane, si ulla arbor frondium foliorumque frequentia abundat, myrtus est. Sed Neh. 8, 15., ubi celebratio festi tabernaculorum describitur, עֲלֵי הֲדַס *frondes myrti* distinguuntur ab עֲלֵי עֵץ עָבֹת *foliis arboris densarum frondium.* — וַעַרְבֵי־נָחַל *Et salices torrentis*, constat enim salices loca humida amare.

Cap. 24.

De candelabro, et lucernis in eo stato tempore a sacerdotibus concinnandis. — De panibus sacris, tempore et ritu eos offerendi. — Blasphemus lapidatione plectendus. — De blasphemia, homicidio, talione leges dantur.

2 — 9. וְיִקְחוּ אֵלֶיךָ *Et sumant tibi*, sc. dandum, offerant, tibi. כָּתִית *Ex olivis contusis expressum*, vid. Exod. 27, 20. לְהַעֲלֹת נֵר תָּמִיד *Ad ascendere faciendum*, sc. flammam, i. c. accendendum *lucernam perpetuo*, i. e. ut lucernae perpetuae alantur. — 4. עַל הַמְּנֹרָה הַטְּהֹרָה *Super candelabro puro*, i. c. e puro auro confecto, vid. Ex. 31, 8. — 5. וְאָפִיתָ — חַלֹּות *Et coques eam* (similam) *duodecim placentas*, facies ex ea duodecim placentas. שְׁנֵי — הָאֶחָת *Duarum decimarum fit placenta una*, i. e. ad singulas placentas sumere debes binas decimas Ephae. — 6. וְשַׂמְתָּ אוֹתָם שְׁתַּיִם מַעֲרָכוֹת *Et pones eos duos ordines*, duobus ordinibus eos struas. שֵׁשׁ הַמַּעֲרֶכֶת Senas in ordine. עַל הַשֻּׁלְחָן הַטָּהֹר *Super mensa munda.* Mensa quoque appellatur *pura*, quod *auro puro* obducta esset, vid. Ex. 25, 24. — 7. לַלֶּחֶם *Pro* pane, *vice* panis cremabitur suffitus in honorem Jovae; non enim poterat adoleri panis. Super panes erat thus per totam hebdomadem; die Sabbathi edebatur panis, et ejus vice thus adolebatur. Cf. ad 2, 2. — 8. בְּיוֹם הַשַּׁבָּת בְּיוֹם הַשַּׁבָּת *Die Sabbathi die Sabbathi*, i. e. singulis Sabbathis. מֵאֵת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל בְּרִית עוֹלָם *Ab Israelitis perpetua lege adponendos*, sc. panes, sacerdos ordinabit. — 9. וְהָיְתָה לְאַהֲרֹן וּלְבָנָיו *Erit*, cedet *Aaroni ejusque filiis*, sc. panis qui auferetur, ut recens substituatur.

11. וַיִּקֹּב — וַיְקַלֵּל *Tum pronuntiavit filius Israelitidis nomen* Jovae *et imprecatus est.* Verbum נָקַב, quod proprie *fixit, transfixit, perforavit* notare constat, passim *convitiatus est, maledixit* significat, ut Num. 23, 11. Job. 3, 8. 5, 3. Prov. 11, 26. Eodem significatu וַיִּקֹּב h. l. plures interpp. capiunt vertuntque *verbis violavit*, s. *impia verba jecit* in Deum. Sic jam Saadias. Verum quum statim וַיְקַלֵּל, quod idem denotat, sequatur, illa adscita interpretatione, *ταυτολογία* hisce verbis inerit. Sed transfertur verbum נָקַב a prima *figendi* notione et ad alium usum, quo *aliquid nominatim exprimere et designare* valet, ut Gen. 30, 28. Num. 1, 17. Jes. 62, 3. Qua et h. l. adsumta significatione cum sic vertimus: *diserte expressit nomen* Dei proprium, quod gravat culpam. Itaque Vs. 15. ejus, qui quoquo modo Deo male-

dicit, poena est arbitraria, pro modo culpae, qui illo nomine pronunciato, poena mortis, Vs. 16. Recte igitur LXX. ἐπονομάσας, Onkelos et Syrus: *diserte expressit*, et Arabs Erpenii: *pronunciavit*. הַשֵּׁם hic, ut Deut. 28, 58. 1 Chr. 13 (al. 14), 6. *nomen proprium*, שם מיוחד, uti Hebraei loquuntur, Dei Israelitarum denotat, יְהוָה, quod consulto a Mose omittitur, veneration is causa. Ob eandem causam Graeci ab efferendo nomine divino abstinebant. Pausanias *Corinth.* 74. Ἐλλειπτικῶς ὀμνύειν Ἀττικῶν ἐστι, *defective*, i. e. omisso Dei nomine, *jurare Atticorum est* mos. Scholiastes ad Aristophanis *Ranas*: Μὰ τὸν ἐγὼ μὲν κ. τ. λ. haec observat: ἐλλειπτικῶς ὀμνύει, καὶ οὕτως ἔθος ἐστὶ τοῖς ἀρχαίοις ἐνίοτε μὴ προστιθῆναι τὸν θεὸν, εὐλαβείας χάριν. *Solebant antiqui subinde defective jurare, nec addere nomen Dei, reverentiae ergo.* וַיְקַלֵּל „aut *male precatus est*, aut convitiatus. Potuit Semi-Aegyptius Deo Israelis male precari, optando cultum ejus ab Hebraeo populo deseri, neminem ejus Numen agnoscere etc. Potuit et conviciari, spernendo ejus numen resque ab eo gestas. Ejusmodi sunt contumeliae Pharaonis Ex. 5, 2. et Rabsakis 2 Reg. 18, 33. Deorum suorum reverentiores non erant veteres Aegyptii, quam Graeci antiquissimi, qui aliquando contumeliosissime de Diis loquebantur, ut liquet ex variis Homeri locis. Cf. *Iliad.* 3, 365. 399. sqq. Hinc natae illae minae, quibus Aegyptii in Saeris interdum utebantur erga Deos, de quibus Porphyrius in Epistola ad Anebonem. Mirum ergo non videbitur, hominem ab Aegyptio genitum usque adeo insanuisse, ut Deo Israelis male diceret.“ Cleric. Causam rixae, quae huic homini cum viro Israelita esset Hebraei apud Jarchium tradunt hanc, quod quum ille in castrametatione tentorium inter Danitas figere vellet, utpote e matre Danitica natus, uti hoc ipso Versu dicitur, Danitae ideo denegassent, quod lege (Num. 2, 2.) constitutum esset, ut singuli sub vexillis suis *juxta signa domus patrum suorum*, בְּאֹתוֹת לְבֵית אֲבֹתָם castra ponerent. Unde illum actionem instituisse in praetorio Mosaico, in quo quum causa excidisset, Deo Israelitarum imprecatum esse. Cf. Seldenum *de Synedriis Hebraeor.* II, 1; 2. p. 477. edit. Lips. Sane tale quid hominem illum eo adegisse, ut Deo malediceret, nequaquam est improbabile. Cf. ad Vs. 15.

12—19. לְפָרֵשׁ לָהֶם *Ad exponendum iis*, i. e. dum iis exponeretur, dum edoccrentur, Mose, nimirum, Deum consulente. עַל־פִּי יְהוָה *Per os Jovae*, quâ poenâ cum adfici juberet Deus. — 14. וְסָמְכוּ — רֹאשׁוֹ *Et ponant omnes qui audierunt* imprecantem *manus suas super caput ejus*, ut hoc ritu significarent, dignum esse hominem, in cujus caput imprecationes, quas protulit, recidant, aut reum esse, et suo scelere perire. — 15. אִישׁ אִישׁ כִּי־יְקַלֵּל אֱלֹהָיו *Quicunque Deo suo imprecatus fuerit.* אֱלֹהִים recentiores fere vertunt *magistratibus suis*, coll. Ex. 21, 6. 22, 28. Eos vero hic jungi Deo volunt, ut ostendat legislator, si ob

maledicentiam erga magistratus poenas luere oporteret homines; potiore jure plectendos, qui ei, qui excellentissimo sensu אֱלֹהִים dicitur, convitiati essent. Quodsi vero de magistratibus hoc loco sit cogitandum, quod quidem negare nolimus, eatenus tantum nomine אֱלֹהִים comprehendentur, quatenus in loco sacro, coram Deo, jus dicere solebant (vid. ad Ex. 21, 6.), ut igitur qui proprie dicitur אֱלֹהִים h. l. nequaquam sit excludendus. Is igitur, qui Deo, ut judici, maledixerit, nec tamen expresso proprio ejus nomine, Jova, וְנָשָׂא חֶטְאוֹ *portet delictum suum*, i. e. peccati poenas feret, quas videbitur magistratibus, Dei vicem obeuntibus, luere eum oportere. ו ante נָשָׂא *ἀποδόσει* indicandae inservit, ut Gen. 3, 5. 40, 9. 44, 9. Ex. 12, 15. et alias saepe. — 16. וְנֹקֵב שֵׁם־יְהוָה מוֹת יוּמָת *Sed qui protulerit nomen Jovae* (scil. מְקַלֵּל *maledicens*), *morte adficietur*. At Judaeorum magistri haec interpretantur de sola pronunciatione nominis Jovae, et colligunt ex hoc Vs., nomen יְהוָה ne enuntiare quidem licitum esse. Cf. ad Ex. 3, 15. — 17. אִישׁ כִּי יַכֶּה כָּל־נֶפֶשׁ אָדָם *Vir qui percusserit omnem animam hominis restituet eam*, i. e. qui occiderit hominem quemcunque. Eadem lex extat Ex. 21, 12. Deut. 19, 21. Ex occasione illius criminis ab homine Semi-Aegyptio commissi haec et nonnullae aliae leges hic repetuntur. — 18. וּמַכֵּת נֶפֶשׁ־בְּהֵמָה יְשַׁלְּמֶנָּה *Et qui percusserit animam pecudis restituet eam*, quicunque occiderit aliquod animal, reddat ejusdem generis animal, aut illius pretium. — 19. מוּם *Vitium*, *noxa*. Vs. 20. exponit quid intelligat, fracturam nempe, luxationem, mutilationem membri. Sensus igitur: si quis noxam inflixerit corpori proximi.

Cap. 25.

De anno septimo et quinquagesimo varia praescribuntur. De usura non exigenda, de servis non opprimendis leges dantur.

2. 5. וְשַׁבְּתָה הָאָרֶץ שַׁבָּת לַיהוָה *Sabbathum agat terra Jovae*, i. e. in Jovae honorem. Vs. 4. explicatur, quid sit *Sabbathum terrae*, nempe quod ager non sereretur et vinea non putaretur, atque ita quiescere videretur, quum fructum non ferret. „Quemadmodum fuit Sabbathum exactis sex diebus observandum, feriis singulis dierum hebdomatibus redeuntibus, ut significaret populus Hebraeus, se eum Deum colere, qui sex diebus omnia creavit; ita quoque exacto sexennio oportuit solum Deo sacrum ferias agere, ut omnes intelligerent, solum illud esse consecratum eidem Numini, quippe ab eo Israelitis datum, ut in eo coleretur, neque unquam creationis exstingueretur memoria.“ Cleric. — 5. אֶת סְפִיחַ קְצִירְךָ *Sponte nascens messis tuae*, quae sponte nascuntur e granis messis anni praecedentis, ex granis, quae decidcrunt inter metendum. וְאֶת־עִנְּבֵי נְזִירֶךָ *Et uvas vineae tuae non putatae*. נְזִירֶךָ LXX. vertunt τοῦ ἁγιάσματός σου, Vulgatus *primitiarum*, male. Onkelos: *relictionis tuae*, i. e. a te relictas. Syrus: *pal-*

mitum vestrorum, Saadias: *separatum*, scil. *ab uvis tuis.* Recentiorum nonnulli עִנְּבֵי נִזְרֶךָ exponunt *uvas*, *quas hactenus tibi separasti*, et aliis prohibuisti, jam omnibus communes facies. Sed rectum vidisse haud dubitamus Clericum, נָזִיר vocari *vineam non putatam*, translatione a Naziraco ducta, quod, sicut ejus caesaries non tondebatur, ita palmites, qui sunt comae vitis, septimo anno non putati essent. Sic Virgil. in *Culice* Vs. 74. de homine sub vitis umbra quiescente: *viridi cum palmite ludens Tmolia pampineo subter coma velat amictu.* Propert. L. 2. Eleg. 15. *Illic assidue tauros spectabis arantes Et vitem doctam ponere falce comas.*

6—9. וְהָיְתָה שַׁבַּת וגו׳ *Eritque Sabbathum terrae vobis, ad cibum tibi*, i. e. ut ejus spontaneo proventu vescamini tu, *servus tuus*, *ancilla tua*, rel. „Unicuique ex cujusvis agro colligere licebat. Atque hic alter finis (vid. ad Vs. 2.) anni Sabbathici videtur fuisse, ut pauperiores spontaneis terrae fructibus veserentur. Agri quidem non sati non multum proferunt, sed vites non putatae eo anno ingentem saepe copiam uvarum emittunt, unde pauperiores vinum sibi parare potuerunt.“ Cleric. — 7. Haec lex de *anno Sabbathico* Michaeli potentissimum contra fames remedium videtur fuisse; dum patres familias cogebat, aliquid semper frumenti servare. Si omnes patresfamilias septimi anni necessitatibus partem proventuum servabant, accidere vix unquam potuit, ut Palaestina tot plenis horreis fame laboraret. Atque etiam hoc cavebatur, ne Israelitae, si qua messis necessitatibus votisque non respondisset, suam annonam, multo minoris antea vicinis Tyriis venditam, duplicato aut triplicato pretio ab illis redimere opus haberent, quod quidem saepe futurum erat, nisi Moses cives suos coegisset, numquam vacua habere horrea, aurearumque et argentearum divitiarum nimios admiratores prohibuisset, quidquid agri plus extulissent, quam absumi eo anno posset, mercatoribus Tyriis venderet. Eximia sexti anni ubertas a Mose promissa (Vs. 21.) ne segnes in coacervandis septimo anno fructibus reddiderit Israelitas, non est cur metuamus; namque et incerta erat, pendebatque ab adjecta (Vs. 18. 19.) conditione obedientiae et pietatis; nec ea apud suspiciosos ac timidos mortales promittenti Deo fides, ut multi futuri temporis curam soli Deo permissuri, non ipsi anno messe carenti famis remedia sint paraturi. Sed alias praeterea ex Michaelis sententia utilitates lex illa habebat. In cultissima illa Palaestina, incolarum multitudine celeberrima, mox aut nulla futura erat aut rara venatio, nisi feriae agrorum, per quas agris arceri feras non licebat, colonias earum novas ex vicina Arabia montibusque invitassent. Deinde greges, reliquis annis in Arabia ad Euphratem usque pascentes, Sabbathicis feriis libere omnem Palaestinam pererrabant, ex quorum stativis nova agris fecunditas. Servus Hebraeus, septimo anno, nec sine dono frumenti, vini, ovium, (Deut. 15, 13. 14.) manumittendus, novae statim rei fa-

miliaris fundamenta jacere poterat, cum liceret, sponte nascentibus vesci, ovesque, spem futuri gregis, ubi vellet, pascere. Si quem egestas ad servitutem detruserat, civem et patremfamilias reddebat annus Sabbathicus. Copiosius de hisce illius legis utilitatibus disseruit J. D. Michaelis in Commentat. *de anno Sabbathico* in *Commentatt. per annos* 1758 — 1762. *praelect.* §. 5 — 8. et in *J. M.* §. 74. 75. Cf. etiam J. G. Greveri Commentat. *de anno Sabbathico*, quae inest Ejus *Commentatt. miscell. Syntagmati*, Oldenburg. 1794. Is quamvis minime neget, fuisse eum hac lege illas utilitates conjunctas, tamen a Mose in ea danda hoc tantummodo spectasse censet, ut Sabbathi celebrationi eo majorem sanctitatem adderet, suorumque animis inderet majorem hujus diei reverentiam. — 8. וְסָפַרְתָּ לְךָ שֶׁבַע שַׁבְּתֹת שָׁנִים *Numerabis etiam tibi septem sabbatha annorum*, i. e. annorum hebdomadas, quod statim exponit שֶׁבַע שָׁנִים שֶׁבַע פְּעָמִים *septem annos septem vicibus*, h. e. post 49 annos. — 9. וְהַעֲבַרְתָּ שׁוֹפַר תְּרוּעָה *Transire facias tubam clangoris*, i. e. tubae clangore in tota terra indicetur annus jubilaeus, uti mox explicatur. בַּחֹדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי בֶּעָשׂוֹר לַחֹדֶשׁ *Decimo die septimi mensis*, qui primus fuit anni civilis, a quo propterea initium anni Jubilaei desumebatur, vid. Ex. 12, 2.

10. 11. וְקִדַּשְׁתֶּם אֵת שְׁנַת הַחֲמִשִּׁים שָׁנָה *Et sanctum habebitis annum quinquagesimi anni.* Quae verba quamvis primo intuitu clarissima videantur, gravissima tamen inter Philologos et Theologos nata est controversia, quomodo hic annus 50. sit numerandus? an a priori Jobeleo, eo adnumerato, ita ut sit 50., inclusis ambobus terminis, nempe priore et posteriore Jobeleo, eodemque sabbathico; an vero, eodemque excluso, annus ab eo 50. pro Jobeleo sit aestimandus? ita ut, si v. g. Jobeleus annus noster 1800. fuisset, alter Jobeleus non in annum 1849. sed 1850. incideret, et annus 1851. esset annus primus novi periodi Jobeleae. Diremit hanc controversiam ratione docta aeque ac simplici Jo. Georg. Franke in *Novo Systemate Chronologiae fundamentalis* (Goetting. 1778. fol.), ubi postquam ostendisset p. 10., veterum Hebraeorum annos fuisse *lunae-solares*, qui tam ad lunam, quam ad solem numerantur, ita tamen, ut lunaribus tantum temporis adjiciatur, quantum ad illos solaribus aequandos sufficit, illudque adjectum *epactam* vocari, quae pro ratione annorum vel *tropica*, vel *civilis* sit, quarum illa ad annos naturales, haec vero ad annos civiles pertineat, et postquam ostendisset, cyclum Jobeleum esse *cyclum epacticum astronomicum*, sic pergit: „Forma igitur annorum cycli Jobelei constituta, et ejusdem cycli ratione probata; quaeritur nunc: quid de *anno quinquagesimo*, quem Deus, ut annum Jobeleum, sanctum haberi praecepit, censendum sit? Non desunt hic, qui hunc annum ut peculiarem et ab anno 49. distinctum considerent, illumque annum Jobeleum annum 49. sequutum autument. Verum quum annus Jobeleus etiam *Sabbathicus* fuerit, et Deus quietem agrorum non nisi post sex agricolationis

annos observari jusserit, annum 49., qui in cyclo fuit Sabbathicus septimus, etiam annum Jobeleum fuisse necesse est. Si enim Jobeleus a Sabbathico septimo diversus esset, agri per duos annos otiosi et feriati mansissent, et fames inde orta fuisset, cujus rei inusitatae nullum in sacris litteris vestigium, nullumque legislatoris monitum apparet. Quomodo vero *quadragesimus nonus* annus simul *quinquagesimus* esse possit, id ex interna cycli Jobelei constructione et annorum hujus cycli forma optime declarari potest. Constat nempe hic cyclus ex 49 annis solaribus naturalibus, quibus astronomice aequales sunt 50 anni lunares et sex menses synodici, seu secundum computum civilem 50 anni, 6 menses et 18 dies. Hinc annus 50. lunaris cum sex mensibus in ipsis annis 49 inclusus est, ut vere dici possit: *annus 49mus idem simul est 50mus lunaris.* Idem ex epactis annorum 49 probari potest. Epactae horum annorum naturales sunt 532 dies, et civiles 530 dies: hos si addis diebus, quibus 49 anni lunares vel naturales, vel civiles constant, convenientiam facile invenies.“ Id quod clarius patet e designatione, quam Frankius p. 12. subjecit. Annum 50. lunarem non esse separatum, sed in anno 49. solari inclusum, eumque ipsum constituere, innuit illud, quod Hebraei hoc Vs. sanctum habere jubentur שְׁנַת הַחֲמִשִּׁים שָׁנָה *annum anni hujus quinquagesimi*, quod repetitur Vs. 11. hisce verbis: יוֹבֵל הִוא שָׁנָה הַחֲמִשִּׁים שָׁנָה תִּהְיֶה לָכֶם *annus quinquagesimus hujus anni sit vobis Jobeleus.* Terminus enim, a quo annus Jobeleus iniret, erat dies 11. mensis septimi anni 50., qui jam cum mense Nisan inierat; hinc annus Jobeleus erat altera pars anni 50. lunaris, et usque ad finem anni 49. solaris porrigebat. Continebat autem hic annus cum sex mensibus antecedentibus, aeque tot dies epactarum, quot in annis 49 lunaribus intercalandae fuerant, ut hi annis 49 solaribus adaequarentur. Intelligi ex his potest, annum hunc Jobeleum embolimacum, s. intercalarem esse. Cf. J. Christoph. Gattereri *Abriss der Chronologie* (Götting. 1777. 8.) p. 152. quocum conferendus est Ideler *Handb. der Chronologie* P. I. p. 502. sqq. — וְקָרָאתֶם דְּרוֹר בָּאָרֶץ לְכָל־יֹשְׁבֶיהָ *Et proclamabitis libertatem in terra omnibus incolis ejus.* „Servis,“ inquit Jarchi, „tam ei, cujus auris perforata est subulâ (vid. 22, 10. Ex. 21, 6.) quam ei, cui non completi sunt sex anni, ex quo ipse venditus fuit (Ex. 21, 2.).“ Sed latius patere illam libertatem, et intelligi eam, quae mox inde a Vs. 13. describitur, innuit לְכָל־ יֹשְׁבֶיהָ. In verbis יוֹבֵל הִוא תִּהְיֶה לָכֶם dissentiunt interpp. de propria nominis יוֹבֵל significatu. Exstat in lingua Hebr. verbum יָבַל, *fluxit*, *in longum dimanavit*, quod solum in Conjug. 3., tam activa, הוֹבִיל *deduxit*, *produxit*, tam passiva הוּבַל *productus*, *adductus est*, in Cod. Hebr. legitur, et nomina peperit יְבָל, יוּבַל, אוּבַל *fluctus*, *aquarum fluenta*, tum etiam יבול *proventus terrae.* Ad eandem illam radicem et nomen יוֹבֵל plerique philologi revocant, nec tamen una omnes ratione. Fullerus in *Mis-*

cell. SS. L. IV. Cap. 8. annum יוֹבֵל interpretatur *τὸ ἔτος τῆς ἀναγωγῆς, annum reductionis*, „reducebat enim," inquit, „annus ipse omnes ad vetustas sedes agrosque suos, ad antiqua haereditatum jura, et primas vivendi conditiones," unde quoque e Philone *ἀποκατάστασιν, restitutionem*, dicit, quod anno 50. res ac personae apud Judaeos universa in loca pristina restituerentur. Eadem Syri mens fuit. Nos quidem adstipulamur iis, qui יוֹבֵל *sonitum* et *clangorem tubae protractiorem* proprie denotare ajunt, quae sententia et linguae nititur analogia, et locorum parallelorum concentu tantum non exigitur, et simplicitate sua se commendat. Eam adscivit et Jo. Gottl. Carpzov. in Diss. *de anno Jobelaeo secundum disciplinam Hebr.*, Lips. 1730. 4., inserta auctoris *Apparatui historico-critico antiquitatum Sacri codicis* p. 447. sqq. „Quandoquidem enim," inquit p. 449. „הוֹבִיל proprie est *in longum deduxit* seu *protraxit*, ut aquarum fluenta, hinc הַיּוֹבֵל dicimus vocabulum rei suae attemperatum, quod *sonum longe productum*, et initiationi anni libertatis fere proprium denotat, unde porro, per metonymiam signi, ipse quoque annus hoc nomine venit. Planum hoc est ex vocis constructione et usu. Ex. 19, 13. בִּמְשֹׁךְ הַיּוֹבֵל *cum trahetur sonus.* Vel si ex Jos. 6, 5. suppleatur ellipsis: בִּמְשֹׁךְ בְּקֶרֶן הַיּוֹבֵל *cum productiore sono inflabitur cornu Jobelaeum;* ita enim apposite קֶרֶן הַיּוֹבֵל dicitur *cornu* his usibus, talique sono et cantui appropriatum. Sic etiam Jos. 6, 4. 6. 8. 13. שׁוֹפְרוֹת יוֹבְלִים *buccinae clangoris Jobelaeorum* appellantur. Recte itaque שְׁנַת הַיּוֹבֵל annus clangore ejusmodi solenni promulgandus, eodemque sensu יוֹבֵל simpliciter vocatur Lev. 25. et 26. Contra vero, sive buccinae, sive reductionis aut restitutionis, sive missionis, dimissionis, aut remissionis amplectaris notionem, vel absurda prodibit, vel impropria, et per ambages evolvenda explicatio, si Scriptura dixisse perhibeatur: *cum trahetur buccina*, vel *restitutio*, seu *missio* ac *dimissio*, item *cornu buccinae*, aut *remissionis* ac *restitutionis*, et *tubae buccinarum*, *remissionis* aut *restitutionis*, juxta loca modo allegata. Nostrae sententiae favet R. Salomo (Jarchi): *Jobel est nomen ejus* anni, *propter clangorem productum buccinae.* A certo autem vel ritu, vel facto, stata tempora, solennitates et festa, nomina esse sortita, exemplo פֶּסַח Ex. 12, 13. 27., יוֹם תְּרוּעָה Num. 29, 1. יוֹם פּוּרִים, aliisque passim constat, nec eget probatione." וְשַׁבְתֶּם אִישׁ וגו *Et* eo *revertemini quisque ad suam possessionem, et quisque ad familiam suam redibitis.* „Hac lege cavit Deus, ne ii, qui nulla alia re ceteros populares superabant, nisi divitiis, paullatim pauperiores libertate et facultatibus praesertim omnibus spoliarent; quae duo maxima mala Remp. Hebraeorum pessumdare potuissent, aut in periculum adducere, in quod saepe propterea adducta est Resp. Romana." Cleric. Septimo quoque anno redibant quidem servi Hebraei in familiam, sed possessiones non recuperabant; quo fiebat, ut in servitutem, ob paupertatem, iterum

se addicerent ad annum Jobelcum usque. At annus Jobeleus non modo libertatem servis Hebraeis, sed etiam facultates, quibus sustentarentur, reddebat. Hoc quoque maximi erat momenti ad Reipublicae tranquillitatem conservandam; cui turbandae nihil erat aptius ingenti copiâ servorum, qui liberi nati solâ inopiâ in servitutem delapsi erant. Cf. MICH. *J. M.* §. 71., *d. a. u. n. M.* P. II. p. 216. sqq., et FRID. DE RAUMER *Vorlesungen üb. d. alte Gesch.* P. I. p. 131. sqq., qui tamen dubitat, num praecepta de anno Jobeleo unquam observata fuerint? Ante exilii tempora illa non fuisse observata, nonnulli colligi posse putarunt e Jer. 34, 8—17. Sed quae ibi leguntur spectant legem Ex. 21, 2. de servis anno septimo manumittendis. — 11. לֹא תִזְרָעוּ *Non seretis*, quod esset annus Sabbathicus. Repetitur hoc, ne cum annum Sabbathicum, quo praedia sua recuperabant, ceterorum legi exemtum existimarent, propter inopiam corum, qui in praedia redibant.

14—17. וְכִי־תִמְכְּרוּ — עֲמִיתֶךָ *Et quum vendideritis*, tu vel tu, *rem venalem proximo tuo, aut emerit aliquis e manu proximi tui.* Verbum plurale תִּמְכְּרוּ refertur ad affixum singulare, quod distributive est capiendum. Infinitivus קָנֹה ponitur pro verbo finito קָנִיתָ, ut saepe alias, praesertim cum verba finita praecedunt; vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 782. — 15. Sensus est, in emtione et venditione proventuum terrae rationem habendam esse annorum elapsorum a Jobeleo; pro numero eorum emendum et vendendum esse proventum terrae; id quod Vs. sq. clarius explicatur. — 16. Si annus Jobeleus longe absit, augebis pretium rei venditae, si autem paneiores supersint anni usque ad Jobeleum, pretium rei venditae minues. כִּי מִסְפַּר וגו׳ *Numerum enim proventuum tibi vendit*, subintell. *non fundum:* venditur tantum numerus proventuum, sc. quos capies tempore annorum, qui superfuerint ad Jobeleum. — 17. וְלֹא תוֹנוּ אִישׁ אֶת־עֲמִיתוֹ *Et ne opprimitis vir socium suum*, ne alter alterum decipiat, *es vervortheile keiner den andern.*

21—25. וְצִוִּיתִי אֶת־בִּרְכָתִי לָכֶם *Et praecipiam benedictionem meam vobis*, i. e. dabo, ut Hieron. vertit, aut *mittam*, ἀποστελῶ, ut LXX. habent. וְעָשְׂתָה וגו׳ *Et faciet*, proferet sc. annus sextus, *proventum pro tribus annis*, videlicet, recte notante Jarchio, „pro parte anni sexti a mense Nisan usque ad initium anni (civilis, i. e. mensem Tischri), tum pro septimo et pro octavo anno, quia serent in mense Marchesvan (autumno) anno octavi, et metent in mense Nisan.“ — 22. יָשָׁן *Veterem* comedetis, scil. פְּרִי, fructus anno sexto collectos. — 23. וְהָאָרֶץ לֹא תִמָּכֵר לִצְמִתֻת *Terra non vendatur ad abscissionem*, h. e. ita ut penitus a possessore abdicetur, sine spe redemtionis. — 24. גְּאֻלָּה תִּתְּנוּ לָאָרֶץ *Redemtionem date terrae*, i. e. quicquid vendideritis, sub conditione redemtionis vendatis, h. e. ut liceat venditori redimere; videlicet ante Jobeleum, eo enim non redimebantur praedia, sed

gratis recipiebantur. — 25. כִּי יָמוּךְ *Si attenuatus fuerit*, scil. quoad opes et facultates, i. e. inciderit in paupertatem, si paupertate coactus fuerit, ut vendat fundum suum etc. וּבָא — אָחִיו *Veniat redemtor ejus propinquus, a fratre suo rem venditam redimet*, consanguineus ejus jus redimendi agros habeat, ne eorum fructibus alius tribus homo fruatur ad Jobeleum usque. ו ante בָּא indicat apodosin.

26 — 29. וְהִשִּׂיגָה וגו׳ *Et assequatur manus ejus et inveniat* ipse *juxta sufficientiam redemtionis ejus*, i. e. si manu vel opera sua tantum facultatum assecutus fuerit ac comparaverit, ut redimere possit divendita; tum nempe hoc ei integrum erit, non praecludatur ei via redeundi ad bona sua. — 27. וְחִשַּׁב אֶת־שְׁנֵי מִמְכָּרוֹ *Computabit annos inde a venditione*, bene Vulgatus: *computabuntur fructus inde ab eo tempore, quo vendidit.* אֶת־ הָעֹדֵף לָאִישׁ אֲשֶׁר מָכַר־לוֹ *Reliquum restituat emtori.* Intelligitur pretium proventuum ad Jobeleum usque, demtis sumtibus ad colendum agrum necessariis. — 28. וְאִם — לוֹ *Si tantum acquirere non potuerit, quantum ad restituendum sufficiat.* מִמְכָּרוֹ *Venditio ejus*, i. e. fundus venditus. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 220. — 29. גְּאֻלָּתוֹ *Redemtio ejus*, i. e. jus ipsius redimendi. יְמֵים *Dies* hic *annum* denotat, ut Ex. 13, 10.

30 — 32. „Praescribitur terminus, intra quem liceret venditori aedium in עִיר חוֹמָה *urbe muro cincta* (Vs. 29.) venditas redimere, sique non redemisset ante definitum terminum, statuitur, aedes illas in urbe אֲשֶׁר לֹא חוֹמָה sitas ne anno quidem jobeleo ad priscum possessorem redituras. Manifesto hoc elucet, non לֹא legendum, uti est in textu, sed לוֹ, quod est in margine, sensu affirmativo, tum quod de eadem omnino agatur urbe, quae Vs. 29. dicta עִיר חוֹמָה, et in qua erant aedes, venditae primum, dein redimendae, tum quod Vs. 31. mox sequatur lex altera et peculiaris de domibus in חַצֵרִים h. e. *oppidis* et *villis*, muro destitutis. Consentiunt XV codices numerati Kennicotto, Samaritanum exemplar et versiones antiquae omnes, nisi quod Arabs Erpenianus tum לֹא tum לוֹ expresserit, et Latinus Vulgatus voces אֲשֶׁר בָּעִיר לֹא חוֹמָה penitus omiserit. Est quidem עִיר in codice Biblico semper femininum, possetque proinde לוֹ masculinum videri non congruere. Sed usum linguae admittere olim potuisse in voce illa genus quoque alterum, terminatio masculina in Plurali עָרִים haud dubie persuaserit, quanquam ea etiam forma saepissime instar femininae construitur.“ Aurivillius in Diss. *de varietate lectionis vocum* לֹא *et* לוֹ *in codice Biblico* §. 5., in Ejus *Dissertt. junctim editt.* p. 473. Illud לֹא et לוֹ meram esse scribendi diversitatem e permutatione litterarum א et ו ortam, animadversum ad Ps. 139, 16. — וְקָם־הַבַּיִת . . . . . לַצְמִיתֻת *Tum stabit domus . . . . . in abscissionem*, i. e. mancupio cadet emtori. De צְמִיתֻת vid. ad Vs. 23. — 31. וּבָתֵּי — יֵחָשֵׁב *Domus*

vero pagorum, quibus non est murus in circuitu, quod attinet, *secundum agrum terrae reputabitur*, sc. unaquaeque illarum, i. e. eadem earum atque agrorum conditio esto. Recte Jarchi: Sunt ut agri redemti ad Jobeleum, in quo ad dominos redeunt, nisi fuerint redemti. Nomen plur. בָּתֵּי verbo sing. יֵחָשֵׁב junctum distributive est capiendum; vid. Gesenii *Lehrg.* p. 713. וּבַיּוֹבֵל יֵצֵא *Et in Jobeleo exeat*, sc. בחנם *gratis* sine pretio. — 32. וְגְאֻלַּת עוֹלָם תִּהְיֶה לַלְוִיִּם *Redemtio aeternitatis sit Levitis*, Levitis redimendarum domuum suarum aeternum jus esto, nullo tempore coërcitum; sed per totos 48 annos libera redimendi erit facultas. De עוֹלָם cf. ad Ex. 21, 6. Levitarum domus ceterarum sorti eximuntur, quod exigua illi haberent, eaque suburbana praedia; vid. Num. 35, 3.

33—35. וַאֲשֶׁר יִגְאַל — בַּיּוֹבֵל *Qui vero redemerit e Levitis, exibit*, sc. gratis (vid. ad Vs. 31.) *emtio domus aut urbis possessionis ejus in Jobeleo*, i. e. qui a Levitis domum emerit, nisi prius redimatur, eā anno Jobeleo egreditor. אֲשֶׁר מִן הַלְוִיִּם *Qui ex Levitis*, i. e. Levita, qui redemerit domum alterius Levitae. Tribuli licebat servare domum tribulis sui ad Jobeleum; quod non esset redemtoris melior conditio ac ejus, qui vendiderat, quum uterque esset Levita. Ante יִגְאַל Vulgatus addit לא, hoc sensu: *quare aliquam domum si quis Levita non redemerit, irrita erit in Jobeleo venditio domus ejus.* — 34. שְׂדֵה מִגְרַשׁ עָרֵיהֶם *Ager suburbii eorum* est locus spatiosus extra urbem, in quo Levitae pecora sua asservabant; cf. Num. 35, 2. sqq. — 35. וּמָטָה יָדוֹ עִמָּךְ *Et nudaverit manus ejus juxta te*, i. e. si non magis rem suam poterit administrare, quam vir morbo confectus uti manu potest; si non poterit labore suo agros colere et victum sibi parare. וְהֶחֱזַקְתָּ בּוֹ *Tum firmabis illum*, i. e. juvabis illum pecunia tua et facultatibus tuis. Metaphora sumpta est ab iis, qui labascunt, quos apprehendimus et tenemus, ne plane concidant. גֵּר וְתוֹשָׁב *Peregrinum et accolam.* Ita hic dicitur is, cui proprius ager aut domus non est, quia domum in perpetuum, agrum ad annum jobeleum usque vendidit. Apud Hebraeos enim nemo perfecte civis erat, nisi qui fundum in Palaestina proprium haberet.

36. 39. אַל־תִּקַּח — אָחִיךָ עִמָּךְ *Ne capito a fratre tuo foenus aut usuram, sed timeto Deum tuum, ut frater tuus vivat cum te*, i. e. ut is ad extremam paupertatem ne adigatur, sed suo labore saltem victitare possit. נֶשֶׁךְ est *foenus pecuniarium*, quod pro *pecunia* mutuo accepta solvitur (cf. Ex. 22, 24.); תַּרְבִּית *foenus reale*, pro rebus commodatis, ut, frumento, musto, oleo, pendendum: has enim significationes illis vocibus inesse, patet ex Vs. sq., ubi vetatur pro *pecunia* sumere נֶשֶׁךְ et pro *cibo* תַּרְבִּית, quod proprie denotat *multiplicationem* seu *augmentum* rei commodatae. — Haec lex de usuris non capiendis ex nostrarum civitatum statu iniqua videtur et creditori damnosa. Si enim meum

credo alii, cui ex ea pecunia, sive agrum emat, sive mercaturam faciat, non parum lucri contigit, nihil est aequius, quam ut etiam ego in partem illius lucri veniam. Major sine dubio est aequitas foenoris, si ipse ex ea pecunia, quam alteri credo, lucrum capere potuissem. Accedit, quod pecuniam meam non sine omni credam periculo, quum in ea vivam civitate, in qua caput pecuniae creditae culpa aut infortunio creditoris potest amitti. Sed non iniqua videbitur illa lex in tali republica, qualis Israelitarum erat. Suus nempe erat cuivis Israelitae ager, ei tam proprius et perpetuus, ut nemini liceret eum in perpetuum vendere aut emere. Hinc ditiores, congesta quamvis magna pecunia, agros tamen emere, ex quibus annuos perciperent reditus, non poterant; eumque nec mercaturam fervere Moses vellet, effoeta illis plerumque erat auri argentique possessio. Nihil ergo jacturae faciebat illa benevolentia, quae argentum, quod sibi sterile esset, usibus fratrum commodaret; eaque omnis usurae aequitas, quam supra vidimus, ob lucrum a creditore percipiendum nisi credidisset, concidit. Deinde in ea civitate, quam Moses instituerat, sortis haud temere metuenda jactura: quo metu maxime in defendenda usurarum aequitate uti solent. Quum enim suus cuique debitori ager esset, cujus messes addici sibi creditor postularet, nisi aes alienum solveretur, praetereaque corpus fortasse et uxor liberique, in servitutem omnia vindicanda aut vendenda; raro accidere poterat, ut creditor damnum pateretur. Cf. Michaelis in *J. M.* P. III. §. 154. sqq. et in *Comm. de mente ac ratione legis Mos. usuram prohibentis* (Comm. I. in Syntagm. Commentt. P. II. Goetting. 1767.).

39—48. וְנִמְכַּר־לָךְ *Ita ut vendat se tibi*, ejusmodi venditio civis Hebraei proprie erat venditio operae, non corporis, ut docent quae sequuntur. לֹא תַעֲבֹד בּוֹ עֲבֹדַת עָבֶד *Non servies in eo servitutem servi*, i. e. non habebis eum pro servo, sed uteris eo tanquam mercenario aut colono. — 43. וְיָרֵאתָ מֵאֱלֹהֶיךָ *Dei tui timens esto.* Si homines non reverearis, qui rationem durioris imperii non exigant; Deum fandi et nefandi memorem reverearis. — 46. וְהִתְנַחַלְתֶּם אֹתָם *Hereditario jure possidebitis eos.* וּבְאַחֵיכֶם — בְּפָרֶךְ *Sed in fratres vestros Israelitas alter in alterum ne dominatum exerceas cum saevitia*, nemo ex vobis durior sit in fratres suos Israelitas. — 47. 48. וְכִי חַשִּׂיג יַד גֵּר *Si adsequuta fuerit manus peregrini*, intellige רְכוּשׁ *facultates*, aut quid simile. Sensus: si peregrinus aut advena inter vos ad opes pervenerit, eique sive quoque alii ex familia peregrina oriundo popularis tuus ad paupertatem redactus, venditus fuerit; jus redemtionis locum habet. עֵקֶר מִשְׁפַּחַת גֵּר *Radix familia peregrini*, i. e. familia peregrina oriundus.

50—55. כִּימֵי שָׂכִיר יִהְיֶה עִמּוֹ *Secundum dies mercenarii fiet cum eo*, i. e. merces operae ejus, qua inservivit ei, tanti aestimabitur, quanti opera mercenarii aestimari solet. — 51. אִם־

עִיד רַבּוֹת בַּשָּׁנִים *Si adhuc plures* fuerint *in annis*, sc. עַד־שְׁנַת לְפִיהֶן יָשִׁיב הַיֹּבֵל *usque ad annum Jobelei*, uti est in Vs. sq. וְאֶת־פְּדוּתוֹ מִכֶּסֶף מִקְנָתוֹ *Secundum eos reddet redemtionem suam de pecunia emtionis suae*, i. e. restituere debet de summa qua emtus fuerit. Non enim ipse sed opera et labor ejus venditus fuit domino. — 53. כְּשִׂכִיר שָׁנָה בְּשָׁנָה *Tanquam mercenarius annuus.* לֹא־יִרְדֶּנּוּ בְפָרֶךְ לְעֵינֶיךָ *Non dominabitur in eum per saevitiam coram oculis tuis*, te vidente; non sinet Israelita, ut alienigena (Vs. 47.) servum Hebracum duriter traetet. — 55. כִּי־לִי בְנֵי־יִשְׂרָאֵל עֲבָדִים *Mei enim sunt servi Israelitae.* Jarchi: *chirographum meum antiquius est*, i. e. ego potiori utor jure, mihi Hebraei prius sunt obligati.

Cap. 26.

Leges de idolis non colendis, de observando Sabbatho, de reverentia Tabernaculo exhibenda. Quae bona obventura sint iis, qui Jovae leges servaverint, quae mala iis, qui eas violaverint.

1. De אֱלִילִים *vanorum deorum simulacra* denotante, vid. 19, 4. — פֶּסֶל *sculptile* quodvis e lapide aut ligno dolatum, מַצֵּבָה vero a נָצַב *statuit*, denotat *statuam*, eippum, sive sit lapis rudis erectus, ut Gen. 28, 18., sive sculptoris arte elaboratus. אֶבֶן מַשְׂכִּית proprie est *lapis adspectus*, nam שָׂכָה non dubium esse i. q. Aramaeorum סְכָה *contemplari, speculari.* Qualis vero lapis illo nomine significetur, dissentiunt interpretes. LXX. *λίθον σκοπὸν, lapidem speculatorem*, i. e. vigilem, custodem, interpretantur, eo fine positum, ut esset *προφυλακτικόν* quiddam, et loeum, quo positus erat, a quovis infortunio vel casu sinistro custodiret. Erant enim ejusmodi lapides *θεοῖς τῆς χώρας σκοποῖς, diis regionis inspectoribus*, seu *praesidibus* consecrati. Sic Pindar. *Olymp.* Od. 6. vocat Apollinem *Δάλου θεοδμήτας σκόπον, Deli divinitus conditae praesidem.* Hieronymus מַצֵּבָה *titulos*, אֶבֶן מַשְׂכִּית vero *lapidem insignem* reddidit, quo fortasse Graecorum *λίθον σκοπὸν* exprimere voluit, quod illi lapides insignes essent; vel quod *lapidem adspectus* existimaret lapidem conspicuum significare. Onkelos: *lapidem adorationis*, nec aliter Jonathan et Syrus. Paraphrastes Hierosol. *lapidem erroris*, s. idoli dedit. Quos interpp. rem potius, quam proprium verborum significatum expressisse patet. Sed מַשְׂכִּית non solum, vi etymi, *adspectum*, verum etiam *quod ad adspiciendum allicit*, *imaginem* affabre sciteque factam, figuram, seulpturam significare, liquet ex Ez. 8, 12., ubi חַדְרֵי מַשְׂכִּית sunt *penetralia figuris*, s. sculpturis *ornata*, uti c Vss. 10. 11. patet, et ex Prov. 25, 11., ubi *mala aurea* בְּמַשְׂכִּיוֹת כָּסֶף *cum figuris argenteis*, s. figuris argenteis distincta et ornata memorantur. Cf. et not. Jes. 2, 16. Hine מַשְׂכִּיוֹת per tropum et *imaginationes* denotat, quasi imagines animo conceptas, Ps. 73, 7. Prov. 18, 11. Unde אֶבֶן מַשְׂכִּית

erit *lapis in quo figurae sunt caelatae*, aut simulacrum lapideum arte statuaria effictum. Simile quid videtur Saadias intellexisse, qui *lapidem ornatum*, intellige figuris vanis, ad idolorum cultum spectantibus, vertit. Arabs Erpenii *lapidem pictum* reddidit.

4 — 6. וְנָתַתִּי גִּשְׁמֵיכֶם בְּעִתָּם *Dabo pluvias vestras tempore suo*, i. e. mittam pluvias tempestivas; ab his praecipue pendebat Palaestinae fertilitas, vid. Deut. 11, 14. Pluviae *vestrae* dicuntur ob utilitatem, quae ex iis ad Israelitas redibat. *Nostra* enim saepe vocantur, quae nobis prosunt, ut *panis noster* in Oratione Dominica. Ceterum omnes illas promissiones quae sequuntur, non ad singulos Israelitas, sed ad totum populum pertinere, facile quisquis intelligit. — 5. וְהִשִּׂיג לָכֶם דַּיִשׁ אֶת־בָּצִיר *Attinget vobis trituratio vindemiam.* Hoc est, maxima vobis erit segetum copia, ut nullum supersit vobis tempus vacuum, eum illas triturabitis post messem, ad vindemiae tempus. Cum frugum sterilitas est, brevi tempore triturantur. וּבָצִיר יַשִּׂיג אֶת־זָרַע Tanta erit vindemiae ubertas, ut collectio racemorum perduratura sit usque ad sationem. — 6. וּשְׁכַבְתֶּם וְאֵין מַחֲרִיד *Cubitum ibitis, et nullus qui terreat* vos. Hostium metus vos non coget excubias agere, nec eorum adventus subito ex somno vos excitabit ad fugam aut arma capienda. וְהִשְׁבַּתִּי חַיָּה רָעָה *Arcebo feras*, noxias bestias. חֶרֶב *gladium*, i. e. bellum.

8 — 13. וְרָדְפוּ מִכֶּם חֲמִשָּׁה מֵאָה *Persequentur ex vobis quinque centum.* Proverbialis locutio, qua significatur, paucos pluribus superiores fore. — 9. וּפָנִיתִי אֲלֵיכֶם *Et convertam me ad vos*, vestri curam agam, vobis favebo (Num. 6, 26.). וַהֲקִימוֹתִי אֶת־בְּרִיתִי אִתְּכֶם *Et confirmabo foedus meum vobiscum*, praestabo, quod pacto foedere pollicitus sum vobis. — 10. יָשָׁן נוֹשָׁן *Vetus inveteratum.* Veteribus fructibus vescemini usque ad tempus novi proventus וְיָשָׁן מִפְנֵי חָדָשׁ תּוֹצִיאוּ *et vetus propter novum educetis*, i. e. vincent horrea messes, educetis vetera ex horreis, ut pro illis inducantur nova. — 11. וְנָתַתִּי מִשְׁכָּנִי בְּתוֹכְכֶם *Et ponam tabernaculum meum in medio vestri*, i. e. semper adero vobis praesens et favebo vobis. Phrasis desumta ex Scenitarum moribus, qui diutissime tendebant in locis, quae amoenissima videbantur, adeoque maxime omnium placebant. — 12. וְהִתְהַלַּכְתִּי בְּתוֹכְכֶם וְהָיִיתִי לָכֶם לֵאלֹהִים — *Versabor inter vos et ero vobis Deus*, i. e. ostendam, me vobis favere; singularibus beneficiis vos cumulabo. Illa loquendi formula procul dubio orta est ex opinione antiquissimorum populorum, singulis gentibus suos esse Deos. — 13. מוֹטוֹת עֻלְּכֶם *Vectes jugi vestri.* Gravibus vectibus onerantur juvenci, quo fit, depressiorem gerant cervicem. קוֹמְמִיּוּת *Erecti* (Onkelos: *in libertate*), ut juvenci, qui nunquam jugum subierunt, aut, qui eum excussere.

16 — 22. שַׁחֶפֶת *Phthisis*, uti videtur, coll. Arab. سحاف (a سحف *dempsit ab osse carnem*), sic etiam Arabs uterque. Nisi

fortasse conferendum sit Arab. كَكَّة *tenuem et macrum fieri ex fame.* קַדַּחַת plerique *febrim ardentem* interpretantur, a קָדַח *ardere, exardescere.* MICHAELIS in *Suppll.* p. 2164. conjicit, esse *erosionem*, sive *cariem ossium*, quum Arab. قدح sit *erosio dentium.* Veteres Interpp. in alia omnia eunt, LXX. ἴκτερος, *morbus regius*, *aurigo*, *die gelbe Sucht*, Vulgatus: *ardorem*, Syrus: *scabies*, *impetigo*, Saadias: *calida febris.* מְכַלּוֹת עֵינַיִם *Conficientes oculos*, i. e. ut Onkelos interpretatur, מְחַשְּׁכָן עֵינִין (morbi) *qui obscurant oculos*, labescentes desiderio recuperando sanitatis. Cf. ad Ps. 69, 4. — 18. וְאִם־עַד־אֵלֶּה *Et si usque ad haec*, i. e. his flagellis admoniti. שֶׁבַע *Septies*, i. e. gravioribus poenis, se. puniam vos. — 19. וְנָתַתִּי אֶת־שְׁמֵיכֶם וגו׳ *Dabo*, reddam, *coelum vestrum sicut ferrum*, *et terram vestram sicut aes*, i. e. nubes non plures pluvias demittent quam si ferreae, nec terra majorem proventum feret, quam si aenea esset. Conf. Deut. 28, 23. — 20. וְתַם לָרִיק כֹּחֲכֶם *Consumetur in vanum robur vestrum*, i. e. frustra terram coletis. — 21. וְאִם־תֵּלְכוּ עִמִּי קֶרִי *Et si iveritis mecum*, i. e. contra me *adversum.* קֶרִי pro בְּקֶרִי, ut Vs. 24. Ita לִקְרַאת *obviam* haud raro dicitur de hoste obviam eunte infesto exercitu; vid. Deut. 1, 44. Sensus: si vos ipsos mihi opposueritis atque immorigeros erga me exhibueritis. — 22. וְנָשַׁמּוּ דַּרְכֵיכֶם *Et desolabuntur viae vestrae*, viis publicis metu ferarum insistere easque terere nemo audebit.

25—29. נֹקֶמֶת נְקַם־בְּרִית *Ultorem ultionis foederis*, i. e. homines armatos, qui ulciscantur foedus a vobis fractum et violatum. וְנֶאֱסַפְתֶּם אֶל־עָרֵיכֶם *Si collecti fueritis*, confugeritis, *ad urbes vestras*, וְשִׁלַּחְתִּי דֶבֶר בְּתוֹכְכֶם *mittam pestem in medium vestri*, inter vos. Pestis consequi persaepe solet fugam agricolarum, eum urbes nimio hominum et pecudum implentur. Sic cum Peloponnesii Atticam devastarent, confugientibus in urbem colonis ingens illa pestis coorta est Athenis, quam describit Thucyd. 2, 14—16. 52. וְנִתַּתֶּם בְּיַד־אוֹיֵב *Et tradam vos in manum hostis*, peste et fame imminutos, adeoque impares hostilibus copiis. — 26. מַטֵּה־לֶחֶם *Baculus* sive *scipio panis* vocatur vis illa panis, quae corpus fulcit ac sustentat baculi instar: hinc *fracto*, i. e. sublato pane, homines mortui concidant oportet. Lucretius 4, 948. sqq.: *Nam quoniam non est quasi quod suffulciat artus Debile fit corpus, languescunt omnia membra, Brachia palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt.* Similiter Hebraei *pane fulciri cor* dicunt, vid. Gen. 18, 5. Cf. Ez. 4, 16. — וְאָפוּ עֶשֶׂר נָשִׁים לַחְמְכֶם בְּתַנּוּר אֶחָד *Et coquent decem mulieres panem vestrum in furno uno.* Sensus: tanta erit rei frumentariae penuria, ut decem familiis sufficiat clibanus unus. De תַּנּוּר vid. 4, 4. — וְהֵשִׁיבוּ לַחְמְכֶם בַּמִּשְׁקָל *Et reddent panem vestrum in pondere*, tanta erit panis inopia, ut portiones ad pondus distribuantur. Cf. Ez. 4, 16. Alii sic: eum ex corrupto frumento integri panes fieri

non poterunt, fragmenta pistor pondere magis, quam numero restituet. וַאֲכַלְתֶּם וְלֹא תִשְׂבָּעוּ *Comedetis, sed non satiabimini.* Videtur hoc velle: homines quantumvis sint comesturi, non tamen exsatiabuntur, quia pani alendi vis deerit; cf. Hos. 4, 10. Mich. 6, 14. Hagg. 1, 6. — 28. וְהָלַכְתִּי עִמָּכֶם בַּחֲמַת־קֶרִי *Ibo vobiscum in ira contrarietatis*, i. e. iratus omnia coepta vestra irrita faciam. — 29. תֹּאכֵלוּ — וַאֲכַלְתֶּם *Comedetis liberos vestros*, id quod in fame et obsidione saepe fieri solet. Cf. 2 Reg. 6, 28. in obsidione Samariae.

30. 31. וְהִשְׁמַדְתִּי אֶת־בָּמֹתֵיכֶם *Diruam edita vestra loca.* Nomen בָּמָה vel e radice בום, quae tamen hodie nec in Hebraea lingua, nec in cognatis dialectis superest, vel originis est peregrinae, forsan Persicae. Hae enim in lingua באם denotat non solum *tectum*, *supremum domus*, verum et *terram in altum aggestam (Terrasse).* בָּמוֹת autem fuisse *edita loca*, naturâ vel arte facta, satis probavit Spencerus l. c. p. 450. sqq. edit. Tubing. Cognatum fortassis Graecorum *βωμός*, qua voce LXX. saepius utuntur ad exprimendum Hebr. בָּמוֹת. H. l. *excelsis*, בָּמוֹת, Hebraeorum, quae destruenda minatur Deus, significantur loca edita, super quibus vel sub dio, vel in saecllis, sacra fiebant idolis. Morem fuisse constat plurimarum antiquitatis gentium, in editis potissimum locis Sacra facere. De Persis diserte observat Herodot. 1, 11.: *Moris iis est, altissima montium juga ascendentibus Jovi sacra facere.* Sic Cyrus, apud Xenoph. *Cyrop.* 8, 45. sacra facit *Jovi patrio, et Soli, et aliis Diis, in summis montium jugis, qui Persis sacrificandi mos est.* Vid. et Homeri *Il.* 22, 170. et Hymnum in Apollinem, qui ejus nomen praefert Vs. 144. Hinc 2 Reg. 17, 32. 33. Judaei dicuntur in fanis Excelsorum sacra fecisse, *Deosque suos coluisse juxta morem gentium.* חַמָּנִים plerique intelligunt idola a חַמָּה, id est, *sole*, (Jes. 24, 23. 30, 26., Job. 30, 27. Cant. 6, 10.) nomen sortita; vel, quia ad similitudinem orbis solaris facta essent, vel, quod in tectis collocata, atque ita soli fuerint exposita. Ex Aben-Esrae et Bochartı *Geogr. S.* p. 773. sententia erant templa, facta pro cultu solis, qui praecipue a Phoenicibus colebatur. Spencerus l. l. p. 473. חַמָּנִים arbitratur statuas aut columnas quasdam altiores fuisse, e ligno vel saxo ad Obeliscorum vel Pyramidarum Aegyptiacarum similitudinem formatas, de quibus Plin. *H. N.* 36, 14.: *Trabes ex eo* (Syenite lapide) *fecere reges quodam certamine obeliscos vocantes solis numini sacratos, radiorum ejus argumentum in effigie est, et ita significatur nomine Aegyptio.* Eosdem fortasse Arabs Erpenii intelligebat, qui *soles* s. *imagines solis* reddidit. Cum Speneero consentit Mich. in *Suppll.* p. 818., ubi et veterum interpretationes expendit. וְנָתַתִּי — גִּלּוּלֵיכֶם *Et ponam cadavera vestra super cadaveribus idolorum vestrorum.* Videntur *cadaveribus idolorum* frusta, sive rudera confractorum simulacrorum intelligenda. Bene Hieronymus: *cadetis inter ruinas idolorum vestrorum.* —

31. אֶת־מִקְדְּשֵׁיכֶם *Sacraria vestra*, quae in honorem Deorum falsorum aedificastis. וְלֹא אָרִיחַ בְּרֵיחַ נִיחוֹחֲכֶם *Nec odorabo odorem placamenti vestri*, i. e. displicebunt mihi sacrificia vestra.

34 — 39. אָז תִּרְצֶה — הַשַּׁבָּתֹה *Tunc persolvet terra sabbatha sua, quamdiu erit desolata*, i. e. agri, quibus septimi anni requies, legibus divinis praeceptа, a populo refractario concessa non fuerat, tot annis inculti feriabuntur, quot olim annis Sabbathicis contra jus fasque aratro paruerant. תִּרְצֶה *exsolvet*, idem valet quod mox in hoc ipso Vs. Hiphil הִרְצַת et Jes. 40, 2. Niphal נִרְצְתָה. Non igitur necesse, cum J. D. Michaele in Comm. *de Anno Sabbathico*, §. 9. pro תִּרְצֶה legere in Piel רִצְּתָה, vel in Hiphil תַּרְצֶה. Vere autem idem observat, auctorem libri 2 Chr. 36, 21. in hoc loco numerum annorum exsilii Babylonici invenisse sibi visum esse. „Licet enim Jeremiam citet, qui praedixerit, 70 annos in exilio acturos esse Judaeos, haec tamen verba: *donec rependat terra sabbatha sua*, non sunt Jeremiae sed Mosis, ex quibus ipsis eundem annorum numerum efficit Chronicorum auctor, quem clarius prodiderat Jer. 25, 11. Sumit ergo historicus, 70 annos sabbathicos ab Israelitis neglectos esse.“ — 36. מֹרָךְ, quod proprie *mollitiem* significat, denotat hic animum pavidum, quo futurum esset, ut Israelitae in terra hostium bellum gerere ausuri non sint. — 37. תְּקוּמָה h. l. est *standi et resistendi facultas*. — 39. יִמַּקּוּ בַּעֲוֹנָם *Contabescent in delicto suo*, i. e. peribunt propter peccata sua. עֲוֹנֹת אֲבֹתָם *Peccata majorum suorum*, sunt peccata eadem, ac ea quae majores eorum commiserunt; quae ipsi non modo imitati sunt, sed novis sceleribus cumularunt.

41 — 45. אוֹ h. l. *usque dum* significare videtur, quemadmodum consona Arab. Particula subinde *donec* valet. יִכָּנַע *Humiliabit se*, i. e. populus Hebraeus superbiam exuet agnoscetque se haec ob peccata sua commeritum esse. לֵבָבָם הֶעָרֵל *Cor eorum incircumcisum*, animus pravis adfectibus impeditus, pertinax. Cf. Deut. 10, 16. 30, 6. Jer. 4, 4. — 43. יַעַן וּבְיַעַן בְּמִשְׁפָּטַי מָאָסוּ *Eo duntaxat quod jura mea repudiarint*. In repetitione particulae יַעַן (Ez. 13, 10. 36, 10.) videtur esse ἔμφασις, qua significatur, hac sola de causa infelices fore Israelitas, quod leges iis datas observaturi non essent. — 44. וְאַף־גַּם־זֹאת — גְּעַלְתִּים *Attamen etiam*, s. *quin etiam hoc*, sc. facturus sum (ellipsis qualis 1 Chr. 15, 13. *Quia principio vos non*, sc. fecistis hoc), *cum fuerint in terra hostium suorum*, captivi in eam deportati et in ea detenti, *non rejiciam eos*, *neque fastidiam eos*. Praeterita pro Futuris posita, quod in vaticiniis solenne. לְכַפֵּם לְהָפֵר בְּרִיתִי אִתָּם *Conficiendo eos*, *disrumpendo foedus meum cum iis*. Promittit igitur Deus, nolle se populi a se electi ita dementinisse, si vel maxime abjectissimus lateat in hostium terris, ut eum ita confici permittat, ut populus esse desinat. — 45. בְּרִית רִאשֹׁנִים *Foedus primorum* est foedus cum majoribus eorum initum.

Cap. 27.

De votis, quae redimi possint, quae non redimi, decernitur. Additur de primogenitis, de rebus Deo devotis, de decimis.

2. 3. אִישׁ כִּי יַפְלִא נֶדֶר *Quum quis separaverit* aliquid per *votum*, nempe, a rebus vel personis suis, si devoverit Deo vel se, vel personam de suis, vel pecora, vel agros. Cf. Num. 6, 1. Est igitur הַפְלִיא idem quod הַקְדִּישׁ *separare* quid ab usu communi Deo id consecrando. Poterat quis aut se ipsum, aut quemquam de suis Deo vovere in ejus mancipium, i. e. tabernaculi conventus, templi, ad ministerium rerum sacrarum, quae quidem ab eo curari poterant. Exemplum habemus in Samuelis matre, 1 Sam. 1, 11. Si Levita esset, ut Samuel, non modo curare eum oportuit, quae alii solebant Levitae, si adessent; sed etiam semper Pontifici M. praesto esse, ut ex ejus historia colligere est. Si esset ex alia tribu, ea potuit curare, quae non illicita erant aliis tribubus, ut, ligna in altaris usum caedere, aquam haurire, aliaque, quae non necessario a Levitis peragi debebant. Sed licuit sese redimere, uti apparet ex iis, quae sequuntur. בְּעֶרְכְּךָ נְפָשֹׁת לַיהוָה *In aestimatione tua animae* sc. sunto *Jovae.* Pron. suffix. in בְּעֶרְכְּךָ quidam ad sacerdotem referunt, quem Deus hic alloquatur. Quod non placet: sacerdotem alloquitur Vs. 12. de iis quibus nullum pretium constitutum est; hic autem sermo dirigi videtur ad unumquemque, quum haec lex data sit omnibus Israelitis. Vix dubium, Pronomen hic passive capiendum esse, ut עֶרְכְּךָ sit *aestimatio* non quam tu aestimas, sed *quae aestimaberis*, seu aestimandus eris, secundum definitionem, quae statim sequitur. Neque enim singulorum erat redemtionis pretium definire, nec sacerdotis, nisi in iis casibus qui Vss. 8. 12. indicantur, sed Dei, qui aestimationem personarum aut rerum redimendarum ipse definit Vss. 3—7. Igitur integri Versus sententia huc redit: si quis vestrum nuncupaverit votum, quo se ipsum, aut quemquam ex suis Deo voverit, ille autem vel sese, vel alium ex suis redimere voluerit, tunc redemtionis pretium, quo quis aestimatur, Jovae, i. e. Sacrario solvendum erit. Permisit lex talis voti reos pecuniâ redimi, tum, ne hujusmodi vovendi temploque ministrantium turba nimium excresceret, tum, ne haec vota oneri essent Sanctuario, quod voventes alere debebat. — 3. Maris a vicenario ad sexagenarium aestimatio sit quinquaginta siclorum recti et justi ponderis.

6. 8. 12. Pro puerorum et puellarum redemtione minus pretium constituitur quam pro adultioribus, quia in aetate a primo mense usque ad annum sextum homines morti magis obnoxii sunt; atque infantum ministerium plane est nullum. Rursum, quia feminarum ministerium minoris aestimatur quam masculorum, ideo feminis redimendis semper minus pretium constituitur. Pari ratione Vs. seq. senum redemtioni exiguum pretium prae aliis statuitur

quia et levia sunt quae a senibus praestari possunt obsequia et paucorum annorum. Vid. Mich. *J. M.* P. II. §. 124. — 8. וְאִם מָךְ הוּא מֵעֶרְכֶּךָ *Si vero tenuior sit* facultatibus *quam pro aestimatione tua*, i. e. si nequit solvere quod voverat. — 12. בֵּין טוֹב וּבֵין רַע *Inter bonum et inter malum*, i. e. sacerdos bonum pluris aestimet quam malum, verum pretium statuat; veluti, si votus fuerit praestantissimus asinus aut camelus, is pluris aestimatur quam vetus jumentum.

14 — 19. וְאִישׁ — לַיהוָה *Si quis domum suam Jovae consecraverit*, in usus sacros, ut pretium locationis aut venditionis in usum tabernaculi aut templi cederet. כֵּן יָקוּם *Ita stabit*, i. e. ita ratum erit. — 16. כְּפִי זַרְעוֹ Pro ratione sementis. — 18. וְנִגְרַע *Detrahetur*, sc. praeteritum tempus post Jobeleum. Ager, qui in quadraginta duos annos (Sabbathici enim anni non poterant inter alios numerari) certo pretio venderetur, eo minoris erit pretii, quo plures anni a Jobeleo praeterlapsi erunt. Ratio est manifesta: quia solae messes usque ad Jobeleum sequentem, quo ager ad dominum rediturus erat, in calculum veniebant. — 19. וְקָם לוֹ i. q. יִהְיֶה לוֹ Vs. 15. *cedet illi.*

20 — 22. וְאִם־מָכֹר לְאִישׁ אַחֵר *Si alii viro vendiderit*, scil. sacerdos is, qui aerario Sacro erat praefectus. Nam is, qui conseeravit, non potest intelligi, quia hic ad Jobeleum usque agri sui dominus non fuit. — 21. שְׂדֵה הַחֵרֶם *Ager devotus* is erat, qui plane redimi non poterat, vid. Vs. 28. Cum Hebraico חֵרֶם convenit Arab. حرم *prohibuit*, unde حرام et حرم *res prohibita, inaccessa*, hinc *sacra*, *Deo devota*. הַחֲרִים igitur cognatum הִקְדִּישׁ est, sed multo fortius. — 22. שְׂדֵה מִקְנָתוֹ *Ager emtus*, quo ad Jobeleum tantum aliquis frui poterat (25, 28.). אֲשֶׁר לֹא מִשְּׂדֵה אֲחֻזָּתוֹ *Qui non* est *ex agro possessionis suae*, i. e. quem non hereditario jure a majoribus acceptum tenebat.

23 — 26. מִכְסַת *Numerum*, summam. וְנָתַן *Et dabit* sc. is qui vovit. — 24. לַאֲשֶׁר קָנָהוּ מֵאִתּוֹ Construe: לַאֲשֶׁר מֵאִתּוֹ *ad eum, a quo emerit ipsum*, i. e. ad eum, cujus est perpetua possessio agri. — 25. וְכָל־עֶרְכְּךָ יִהְיֶה בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ *Omnis autem aestimatio tua fiet siclo Sacrarii*, i. e. solvetur quod erit aestimatum siclis, qui Sacrarii dicuntur, suntque viginti Gerarum; vid. Ex. 30, 13. Quod videtur observari, ne, orta mutatione pecuniae, defraudaretur Sacrarium. — 26. אֲשֶׁר יִבְכַּר לַיהוָה *Quod primum gignitur Jovae*, i. e. quod quia primogenitum est Jovae debetur. לֹא יַקְדִּישׁ *Non consecrabit*, se. ad aliam oblationem.

28. 30. De חֵרֶם vid. Vs. 21. מֵאָדָם *Ex homine*, ex hominibus, qui, nempe, sint ejus, qui devovet. Quod plures restringunt ad hostes in bello interneccioni devotos, conf. Num. 31. Deut. 2, 34. 13, 13. 25, 19. Jos. 6, 17. Nam, inquiunt, servos aut liberos aut alios innocuos homines devovere non multum dif-

ferret a crudeli consuetudine eorum, qui victimas humanas mactarent, quod Moses graviter damnat. Sed aestimanda haec sunt ex senticndi et judicandi modo hominum istius aevi. Ex eo enim penes parentes erat potestas vitae et necis in liberos, eademque penes heros in servos. Non dubium igitur, licuisse per hanc legem homini devovere per חֵרֶם personas humanas, quae in ipsius essent potestate, hero puta servum suum, patri item liberos. Ex hujus anathematis חֵרֶם lege obstrictus erat Jephtha filiam morte afficere, Jud. 11, 32. 33. 41. — 30. וְכֹל־מַעְשַׂר — לַיהוָה הוּא *Omnis decima terrae*, i. e. proventuum terrae, *de semine terrae*, frumento, *et de fructu arboris*, i. e. explicante Jarchio, de musto et oleo, *Jovae sit.* Decimas ex hostilibus spoliis Melchizedeco, summi Numinis sacerdoti, persolvit Abrahamus, Gen. 14, 20. Graeci saepe consecrarunt decimas Apollini, et Romani subinde quibusdam Numinibus deeimas solverunt, ex lucro mercaturae aliisque faeultatibus, sed plerumque ex voto. Cf. et Gen. 28, 22. Vid. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 222. sqq.

31 — 33. חֲמִשִׁיתוֹ יֹסֵף עָלָיו *Superaddat partem quintam ejus*, scil. summae aestimatae. — 32. וְכֹל־מַעְשַׂר — הַשָּׁבֶט *Et omnis decima buceri, ovilli aut caprini generis, quaecunque sub virga transeunt.* Hanc phrasin Hebraei dicunt inde sumtam, quod qui decimaturus erat, colligebat omnes deeimandas peeudes in stabulum, curabatque eas egredi singulas, et virga numerabat ad decimam, quam rubro colore notabat auferendam. Sed Clericus, qui suspicatur, sine ratione idonea, ut nobis quidem videtur, Hebraeos illam decimandi rationem ex hac phrasi sibi finxisse, existimat, שֵׁבֶט hic esse *pedum* pastoris, sub quo transire dicuntur peeudes quas pascit. Hinc reddere Hieronymum: *sub pastoris virga.* Hoc constat, praeter primogenitas peeudes, decimam quamque ex iis quae quotannis naseebantur, Jovae conseerandam fuisse. — 33. Sensus: in deeimatione nec esse quaerendum, an peeudes hoc modo sejunetae bonae aut malae sint; nec eas esse permutandas; quodsi tamen aliqua fuerit permutata, utramque Jovae saeram esse debere, nec redemtioni locum esse futurum.

SCHOLIA

IN

LIBRUM NUMERORUM.

Hebraei ex more receptо quartum Mosis librum voce initiali appellant וַיְדַבֵּר *et locutus est;* tum etiam בְּמִדְבַּר *in deserto*, quod voc. Vs. 1. occurrit, quoniam in hoc libro res gestae Israelitarum in deserto describuntur. LXX. verterunt ἀριθμοὺς, quam denominationem Graeci Patres retinuerunt et Latini *Numerorum* vocabulo imitati sunt. Nominis rationem variam reddunt varii. Alii hunc librum *Numeros* dictum censent, quod exhibeat egressi ex Aegypto populi Israelitici numerum; alii, quia Israelitarum tribus, earumque principes in ea recensentur; alii, quod hic liber totius populi numerum complectitur.

Quod attinet ad libri *argumentum*, manifestum est, prima ejus Capita fuisse singula scripta varii argumenti, jam in castris ad Sinaim montem consignata, quae autem, quum is, qui ea collegit, non potuerit commode inserere libro secundo et tertio, praeponebantur huic quarto libro. Continent autem haec Capita praeter recensionem census populi Israelitici etiam additamenta ad leges in Libro secundo et tertio datas, et nonnullarum ex iis accuratiorem descriptionem. Reliqua libri pars versatur in enarranda historia profectionis (loca 19, 3. 9. 14. 21, 17. 18. illius temporis, quo Israelitae in desertis degebant, notas prae se ferunt) Israelitarum a mansione Horeb, ad illam usque, quae in campestribus Moabiticis e regione Hierichuntis ponebatur. Exhibet igitur hic liber res Israelitarum memoratu dignas a primo die secundi mensis

in secundo exitus anno usque ad primum diem undecimi mensis in quadragesimo post exitum anno. Sunt autem singulae pericopae non justo ordine dispositae, nec ad sua capita redactae, sed ita perscriptae, prouti procedente tempore atque oblata opportunitate consignatae essent. — Quando consignatus fuerit hic liber, docent verba, quae in ejus fine leguntur, qua de re vid. Prolegg. ad Leviticum et EICHHORNII *Einleit. in d. A. T.* P. II. §. 436. p. 403. sqq. edit. tert.

E singulis scriptis minoribus iisdemque a diversis auctoribus profectis librum compositum esse, inde quod nonnulla illorum invicem pugnent, veluti 4, 23. et 8, 24. nec non 16, 31 — 33. et 26, 10. 11., atque 21, 12. et 33, 45., probare studuit VATER in Disquisitione super Pentat. Commentario suo adjecta, T. III. p. 452. sqq. Loca quaedam alia hujus libri, quae nec inter se, nec cum iis, quae in Exodi libro de iisdem rebus traduntur, consentiant, attulit DE WETTE *Lehrb. d. hist. krit. Einl. in d. A. T.* p. 180.

Cap. 1.

Bellatorum census numerusque per singulas tribus initur, nominatis antea singularum tribuum principibus, et in fine Levitis Sacrorum cura, Tabernaculi, sacraeque supellectilis deportatione demandata.

1 — 5. בְּאֶחָד לַחֹדֶשׁ הַשֵּׁנִי *Primo* sc. die *mensis secundi.* Mensis secundus ab Hebraeis vocabatur זִיו (1 Reg. 6, 1. 37.), a Chaldaeis אִיָּר *Ijar.* Respondet ex parte nostro Maio. לְצֵאתָם *Post egressum eorum.* ל proprie notat *quod attinet ad*, veluti 18, 7. Gen. 31, 43. al. Annus autem secundus *respectu habito ad* egressum est annus *post* egressum sive ab egressu. — 2. שְׂאוּ אֶת־רֹאשׁ *Summam subducite*, vos, Moses et Aaron, conf. Vs. 3. רֹאשׁ hic ut saepe, omnium numerum, summam denotat. Idem valent haec verba quod infra 3, 40.: שָׂא אֶת מִסְפַּר שְׁמֹתָם *tolle numerum nominum illorum.* כָּל־עֲדַת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל *Totius coetus Israelitarum.* Sub iis tamen hic non comprehenduntur Levitae, ut patet ex iis, quae sequuntur. Nam Levitae a militia erant exemti. מִשְׁפְּחוֹת sunt *familiae majores*, totae cognationes; ut בֵּית אָבוֹת *domus patrum* alias sunt *familiae minores;* cf. Jos. 7, 14. Verum h. l. *domus patrum* latius patere quam *familias*, et totas tribus significare, illud suadet, quod ubique *domus* sit in Singulari, ut *familiae* in Plurali; praeterquam quod tribuum principes

dicantur *capita domus patrum*, Vs. 4. et 44. Sic et Vs. 47. מַטֵּה אֲבֹתָם *tribus patrum eorum* idem est. לְגֻלְגְּלֹתָם *Per* singula *capita*, viritim. — Ceterum interpp. dissentiunt, an qui hic narratur census, diversus fuerit ab eo, de quo Ex. 30, 11. 12. 38, 25. 26. Duos diversos census fuisse, suadere videtur temporis diversitas. Ille enim (in Exod.) primo anno, quo ex Aegypto populus egressus erat, antequam tabernaculum erigeretur, est habitus; hic vero (h. Cap.) anno secundo, quum ministerium tabernaculi jam esset constitutum. Verumtamen non duplicem censum fuisse, sed unum, apparet ex eo, quod idem esset utrobique censorum humerus 603550. Fidem enim superat, numerum adultorum in tanto populo per aliquot menses, ac prope dixerim per biduum, eundem manere. Quam difficultatem J. D. Michaelis tum in notis ad h. l., tum in Commentat. *de censibus Hebraeorum*, quae est *tertia* Commentatt. in Societ. Reg. Gotting. p. 14. not., facillime ita tolli arbitratur, si sumatur, primo anno cum census agi dicitur, hoc intelligendum esse ita, praefectos centuriarum et decadum tabulas confecisse suorum, singulos etiam Israelitas semisiclum aerario sacro intulisse, at anno secundo has ipsas tabulas Moses, cumque eo sacerdos et phylarchi recognoscebant, populum ipsi lustrantes, inque unum majorem census librum conscribebant. „Vivere ergo adhuc censebatur, si quis anno superiore numeratus, mortuus esset; qui autem tunc pueri attigerant interea annum vicesimum, habebantur adhuc pueri, nec numerari debebant, quia semisiclum sacrum nondum contulerant. Ceterum decades numeratas esse, omissos singulos, si qui aliquando supra decades redundabant, ex numerorum ratione, in quibus numquam singuli redundant, liquet.“ Vatero tamen in Commentario ad h. l. haec nodum illum solvendi ratio justo artificiosior videtur. Ipse conjicit, censum, qui h. Cap. describitur ab eo, cujus mentio fit in Exodo, diversum non esse; sed utroque Exodi loco numerum censorum summatim indicari, hic vero ipsas census tabulas, instar additamenti, exhiberi, quibus postea aliquis, qui novum censum hic describi putaret, illam, quam Vs. 1. legimus, falsam temporis notationem praefixerit. Videbatur autem hic locus praealiis idoneus, quo tabulae illae ponerentur, quod in Capite proximo, ubi de castris ordinandis et instruendis agitur, simul, quot ad militiam aptos viros singulae tribus sisterent, indicatur. — 3. מִבֶּן עֶשְׂרִים שָׁנָה וָמַעְלָה *A filio viginti annorum*, ab eo, qui viginti annos natus est *et ultra*. כָּל־יֹצֵא צָבָא *Omnis exiens ad exercitum*, quotquot apti sunt ad militiam. תִּפְקְדוּ אֹתָם לְצִבְאֹתָם *Visitabitis eos ad agmina eorum*, recensete eos per turmas singulas. — 5. אֲשֶׁר יַעַמְדוּ אִתְּכֶם *Qui stabunt vobiscum*, i. e. qui adstabunt vobis, cum scilicet recensebitis populum. לְרֹאוּבֵן pro לְמַטֵּה רְאוּבֵן *ad tribum Ruben*, sc. pertinens, i. e. e tribu Ruben.

14 — 18. דְּעוּאֵל cf. ad 2, 14. — 16. קְרוּאֵי הָעֵדָה *Vocati ad coetum*, cf. vid. ad Levit. 8, 3. Alii intelligi volunt *praecipuos*,

nobiles, qui vocari solent, cum agitur de rebus arduis. Sic LXX. *ἐπίκλητοι*, et Syrus: *celebres coetus*. Verba רָאשֵׁי אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל plerique vertunt *capita chiliadum*, sequuti LXX., qui ponunt *χιλίαρχοι*. Sed אֲלָפִים hic videntur esse *cognationes*, *familiae*, qua significatione haec vox etiam occurrit Jud. 6, 15. Mich. 5, 1., coll. Arab. אלף *conjunctus*, *familiaris fuit*. — 18. וַיִּתְיַלְּדוּ *Et natales suos professi sunt*, i. e. quibus parentibus nati essent, exposuerunt. LXX. in Cod. Alex. *ἐπεσκέπησαν*, *recensuerunt*, in Cod. Vat. *ἐπηξονοῦσαν*, i. e. referebant in *ἄξονας*, *tabulas*, scil. publicas. לְבֵית אֲבֹתָם nonnulli intelligunt de familiis avitis sive paternis; sed retinenda videtur significatio ad Vs. 2. indicata. לְגֻלְגְּלֹתָם — בְּמִסְפַּר Quotquot fuerant nominati a viginti annis et supra, computando singula capita.

20—24. Ante תּוֹלְדוֹתָם hic et Vs. 26. 28. deest לְ, quod tamen duabus dictionibus, quae sequuntur, praeponitur. A genere ad speciem hic progreditur Moses. — 21. פְּקֻדֵיהֶם לְמַטֵּה רְאוּבֵן *Censi eorum quoad* (nam hoc significat לְ hoc et Vss. sqq.) *tribum Rubenis*, i. e. numerus censitorum ex tribu Ruben. — 22. פְּקֻדָיו *Numerati*, recensiti *ejus*, sc. tribus. — 24. *Gad* statim subjungitur Rubeni et Simeoni, quia illa tribus una cum his duabus ad australem plagam castra metabatur; vid. 2, 10. LXX. autem pro Gado ponunt *Judam*, et illum transferunt post Benjaminem, Vs. 37.

21—43. In omnibus, quos singulae tribus dederunt numeris, nullae plane comparent unitates supra denarios adjectae. Casu et fortuito ita factum esse, ut ex omnibus ac singulis tribubus numeratis, ne una quidem excepta, hominum numerus prodiret, quem vocare solemus rotundum, nemo facile crediderit. Clericus quidem, qui primus hoc vidit, hujus rei hanc adfert caussam, monades quae supra decadas fuissent, neglectas esse ita, ut semper numerus rotundus efficeretur. Sed hoc non satisfacit. Nam qualis census iste esset, in quo singuli suppressi e numero omitterentur? quum nemo nesciat, omnem censum hoc quasi proprium habere, ut ex eo numquam singuli redundantes omittantur. Melius fortasse difficultas ista tollitur, si rem nobis ita cogitemus: Census, qui hic describitur, ideo erat institutus, ut ii ex Israelitis, qui ad militiam apti essent (כָּל־יֹצֵא צָבָא Vs. 3. 20.) eligerentur, et suo quisque loco in exercitu collocaretur. Hos igitur electos disposuit Moses, plane ut etiamnum in nostris exercitibus fieri solet, in centurias et decurias, relictis singulis, qui redundarent, quamquam vigesimum annum jam attigissent. Ex his relictis sumebantur procul dubio, si in centuriis et decuriis in loca eorum, qui mortui aut alia ex caussa ad militiam inepti facti essent, alii restituendi essent. In hoc autem Capite ii tantum numerantur, qui centurias et decurias explebant; hinc factum est, ut nullae unitates supra decadas occurrant.

47—53. וְהַלְוִיִּם וגו׳ *Levitae autem secundum tribum patrum suorum inter hos non sunt numerati*, recensiti, quoniam militiae munerum immunes erant. Igitur quando censentur Levitae, numerantur omnes a pueris mensem unum natis, 3, 15. 26, 62. — 50. אַתָּה הַפְקֵד וגו׳ *Constitue Levitas super* etc. ut bene Vulgatus. Quibus autem rebus singulae Levitarum familiae praefectae essent, docetur c. 3. וְעַל כָּל־אֲשֶׁר־לוֹ Vulgat. *et quidquid ad caerimonias pertinet*, nempe ut ea portent et custodiant, non ut iis ad saerum aliquod ministerium utantur. — 51. וּבִנְסֹעַ יוֹרִידוּ אֹתוֹ הַלְוִיִּם *Inter proficiscendum Levitae illud* (tabernaculum) *demittant*, se. aulaea superimposita erectasque tabulas ita componant, ut ferre illud facilius possint. הַזָּר *Peregrinus*, i. e. qui non est ex tribu Levitica. יוּמָת *Occiditor*, a magistratu morte plectendus erit. — 52. אִישׁ עַל־מַחֲנֵהוּ *Quisque in castris suis*, quisque in eo exercitus loco, quo constitutus est. Bene LXX. ἐν τῇ ἑαυτοῦ τάξει. Pro דִּגְלוֹ *vexillum suum* in Cod. Samar. legitur ידו *latus* s. *locus ejus*, ut 2, 17. De דֶּגֶל vid. ad 2, 12. — 53. וְלֹא־יִהְיֶה *Ne fiat excandescentia*, se. Dei, i. e. ne Deus iraseatur *omni populo Israelitico*, si homines profani res saeras attingant. Verba וְשָׁמְרוּ אֶת־מִשְׁמֶרֶת מִשְׁכַּן הָעֵדוּת Vulgatus sic vertit: *excubabunt in custodiis tabernaculi conventus*, non male. Possis tamen etiam ita vertere: *omnia, quae iis circa tabernaculum observanda sunt, recte agant.* שָׁמַר enim saepe in genere notat *alicujus rei curam gerere*, ut 3, 7.

Cap. 2.

In stationibus figendis, quem quaeque tribus locum occupare, quam mundi plagam spectare debeat, Tabernaculo castrorum medium tenente.

2—4. אִישׁ עַל־דִּגְלוֹ בְּאֹתֹת לְבֵית אֲבֹתָם *Quisque ad vexillum suum juxta signa domus patrum suorum.* דֶּגֶל LXX. vertunt τάγμα, *agmen, ordinem, cohortem;* Vulgatus *turmas;* Onkelos: *ordo;* Syrus *agmen, turma;* Saadias *tribus.* De origine voeis Hebr. non consentiunt Interpp. Alii eam derivant ab Arab. דגל *splendere, micare*, ita ut דֶּגֶל proprie sit *signum splendens, micans.* Alii per commutationem litterarum illam positam putant pro גֹּדֶל *magnum*, se. signum. Alii existimant, דֶּגֶל proprie esse *tegumentum, velum* (notio enim *tegendi* radicis דגל Chaldaeis et Syris usitata est), deinde *aulaeum*, hinc *aulaeum pannus vexilli (das Fahnentuch)*, et *vexillum* ipsum. Plane ut apud Romanos *vexillum* nomen habebat a *veli* diminutione quasi *velillum.* Nobis sufficiat hic observasse, דְּגָלִים fuisse *signa militaria majora, vexilla.* Totus Israelitarum exercitus in quatuor agmina erat divisus (vid, Vss. 3. 10. 18. 25.), quorum quodque דֶּגֶל signo habuit. Singularum tribuum et familiarum signa vocantur אֹתֹת. Haec igitur erant *signa minora*, ut in exercitibus Rom. signa sin-

gularum cohortum. — 3. קֵדְמָה *Ad partem anteriorem* sc. tabernaculi. — 4. וּצְבָאוֹ וּפְקֻדֵיהֶם *Et exercitus ejus et censiti ejus*, i. e. numerus eorum, qui in exercitu ejus censiti erant, milites ejus recensiti *(die Zahl der gemusterten Kriegsleute, die unter seiner Anführung waren)*.

9. 14. 17. כָּל־הַפְּקֻדִים לְמַחֲנֵה יְהוּדָה *Omnes recensiti ad castra Judae*, trium scil. tribuum, quibus Juda praecrat. רִאשֹׁנָה יִסָּעוּ *Primo evellant*, sc. paxillos tentoriorum, i. e. cum castra movcantur, tribus Juda primo procedere debet. — 14. Pro רְעוּאֵל leguut דְּעוּאֵל codd. 78 Kennicotti, 40 Rossii, et inter libros editos Biblia Soncinensia anni 1488., Pentateuch. antiq. in 4 Sec. XV., Pentateuch. antiq. Germanic. in Folio, Textus Samaritanus, Vulgatus, Onkelos, Jonathan, Saadias. Supra 1, 14. Eliasaph dicitur filius Deuel, idemque repetitur 10, 20. LXX. constanter habent Ῥαγουήλ. — 17. וְנָסַע אֹהֶל־מוֹעֵד מַחֲנֵה הַלְוִיִּם *Deinde proficiscatur tabernaculum conventus et Levitarum castra.* ו ante מַחֲנֵה hic omissum est, ut saepe alias. כַּאֲשֶׁר יַחֲנוּ כֵּן יִסָּעוּ *Quemadmodum castra metantur, ita proficiscentur;* quem locum et situm tabernaculum conventus in castrorum statione habet, eundem habeat proficiscendo. *Vulgatus* autem: *quomodo erigetur, ita et deponetur*, h. e. qui officium erigendi habent, iidem habeant et deponendi. Qui sensus ob ea, quae sequuntur, אִישׁ עַל־יָדוֹ לְדִגְלֵיהֶם, non ineptus videtur. Tum חָנָה hic esset *tentoria figere*, נָסַע *ea revellere, amovere.* אִישׁ עַל־יָדוֹ *Quisque loco suo.* Syrus: *cum turma sua.*

Cap. 3.

Levitarum census, numeratio, et in primogenitorum locum substitutio, primogenitis ceteris; qui supra Levitarum numerum excreverant, pretio lege constituto se redimentibus.

1 — 4. וְאֵלֶּה תּוֹלְדֹת אַהֲרֹן וּמֹשֶׁה *Hae erant generationes Aaronis et Mosis.* Sed תּוֹלְדֹת hic commode verti potest, *quae in familia Aaronis et Mosis contigerunt;* de iis enim agit totum hoc Caput. Vocem Hebr. non solum *generationes* significare, sed etiam ea, *quae in familia aut cognatione aliqua contigerunt*, apparet ex Gen. 25, 19. 37, 2. Quamquam hic etiam familia Mosis nominatur, tamen in Capite ipso Aaronis tantummodo familia describitur. Cognatio igitur Mosis et Aaronis tanquam una consideratur; et quidquid de Aarone scribitur, de Mose etiam narratur. „Videtur autem praeponi Aaron Mosi, ejusque posteri nominibus appellari, quum posterorum Mosis hic silcantur nomina; quod Aaronis soboles sacerdotio sit ornata, quum Mosis proles inter ceteros Levitas, sine dignitate peculiari, fuerit; ut liquet ex 1 Chr. 23, 14. sqq. Si ratio ejus rei quaeratur, nihil certi responderi potest, sed amplissima conjecturis patet area. Forsan sacerdotium filiis Mosis negatum est, quod essent ex peregrina muliere suscepti, nimirum,

Madianitide, Ex. 2, 21.“ Cleric. — 3. אֲשֶׁר־מִלֵּא יָדָם לְכַהֵן *Quorum manum impleverat*, sc. Moses, *ut sacerdotio fungerentur*. Cf. ad Ex. 38, 41. — 4. Particula ו ante וַיָּמֻת hic habet vim adversativam, *autem*. Quod ad rem, vid. Lev. 10, 1. sqq. עַל־פְּנֵי אַהֲרֹן אֲבִיהֶם *Ante facies Aaronis patris eorum*, i. e. coram eo, una cum eo.

6—9. הַקְרֵב אֶת־מַטֵּה לֵוִי *Accedere fac tribum Levi.* Tribus Levi, quum esset ad ministerium Tentorii sacri destinata, consideratur tanquam res Deo consecrata et offerenda, hinc de ea usurpantur tales locutiones, quae proprie tantum de sacris oblationibus s. sacrificiis adhiberi solent, veluti h. l. הַקְרֵב, infra 8, 11.: *Agitabitque Aaron Levitas* quasi *oblationem agitatam ex Israelitis;* 8, 14.: *Secernes Levitas ex Israelitis.* Cf. et 16, 9. 18, 2. — 7. שָׁמַר et מִשְׁמֶרֶת nonnulli de *stationibus peragendis* a Levitis intelligunt *(vom Wache halten).* Sed quum in sequentibus explicetur, quid fuerit illud מִשְׁמֶרֶת, atque vocabulum late dicatur de omnibus officiis (Lev. 22, 9); voces illae commode hic reddi possunt per *curare*, et *ea quae curanda sunt.* וְאֶת מִשְׁמֶרֶת כָּל־הָעֵדָה *Ea quae (alioqui) curanda essent a toto populo.* Quum totus populus res sacras curare non potuerit, huic muneri delegati erant Levitae, qui in primogenitorum locum sunt substituti. — 9. נְתוּנִם נְתוּנִם *Dono dati sunt*, sc. Aaroni, ut adjuvent eum et reliquos sacerdotes. Michaelis: *Du sollst die Leviten Aaron und seinen Nachkommen als geschenkte Bediente geben.* Pro לו Samaritani legunt לי *mihi*, nec non LXX. μοὶ. — Sic Josua dicabat Gibeonitas, ut aquam haurirent et ligna caederent, Jos. 9, 27. David etiam Levitas donavit aliis, illique vocantur נְתִינִים, 1 Chr. 9, 2.

10—17. וְהִפְקֹד *Constitues*, praficies illis Aaronem et filios. וְשָׁמְרוּ אֶת־כְּהֻנָּתָם *Ut* (id enim notat ו) *curent sacerdotium suum*, i. e. quae ab ipsis sacerdotibus curanda sunt. זָר *Externus, alienus* 1, 51. dicebatur, qui nec sacerdos erat nec Levita; hic etiam Levita *externus* est, non quidem a tabernaculo, sed a sacerdotio. Ergo זָר *qui non est sacerdos.* Habebant enim Levitae distincta munera a sacerdotibus, quae ne sacerdotes quidem obire poterant. Itaque Usa sacerdos punitus fuit, quod tetigisset arcam, quae a Levitis portabatur, 2 Sam. 6, 3—7. הַקָּרֵב *Qui accesserit*, ut offerat in altari, sanguinem effundat, thymiama adoleat etc. יוּמָת *Morte afficiatur* judicum sententia. — 12. וַאֲנִי הִנֵּה לָקַחְתִּי *Et ego ecce! sumsi*, selegi. Quum Deo deberentur omnes primogeniti omnium tribuum, quod eos cum Aegyptiorum primogenitis non occidisset, maluit unam tribum totam sibi consecrari; eaque fuit Levitica tribus, quae singulari fervore Deum offensum ulta est, Ex. 32, 29. Addunt Samaritae huic Versui: בְּרוּרִים יִהְיוּ, et LXX. λύτρα αὐτῶν ἔσονται. פֶּטֶר רֶחֶם *Quod aperit uterum*, quod primum nascitur. Cf. ad Ex. 13, 2. Exponit, quid vocet

primogenitum. — 13. הִקְדַּשְׁתִּי לִי *Sanctificavi mihi*, separavi a profano usu, et vindicavi mihi tanquam rem sacram. מֵאָדָם עַד־בְּהֵמָה *Tam* ex hominibus *quam* ex animalibus. — 15. לְבֵית אֲבֹתָם *Pro domo patrum suorum*, i. e. tribu Levitica, quae (vid. ad 1, 47.) seorsim censeri debuit. מִבֶּן־חֹדֶשׁ *Ab eo qui natus est mensem.* Levitae ab hac aetate censebantur, quoniam Deo consecrati erant loco primogenitorum, qui illa aetate erant redimendi, 18, 16. — 16. עַל־פִּי יְהוָה *Ad os Jovae.* Se ipsum statim exponit, cum addit, כַּאֲשֶׁר צֻוָּה *quemadmodum in mandatis acceperat a Deo.* — 17. בִּשְׁמֹתָם *Nominibus suis*, ut nominibus appellentur; cf. Gen. 46, 11. Ex. 6, 16.

24 — 32. בֵּית־אָב *Domus patris*, quum antea semper habeatur אֲבֹתָם *domus patrum suorum*, qua phrasi integra tribus, hic vero *familia* significatur. Cf. ad 1, 2. — 25. וּמִשְׁמֶרֶת בְּנֵי־גֵרְשׁוֹן *Observatio filiorum Gerson*, i. e. Gersonitarum curae commissa erant etc. מִשְׁכָּן vocantur decem aulaea intima atque elegantiora, asseribus imposita; אֹהֶל autem undecim alia aulaea ex pilis caprarum contexta, quae his imponebantur; vid. Ex. 26, 1. 7. (לָאֹהֶל עַל־הַמִּשְׁכָּן) 14. 36, 8. 14. 19. מִכְסֵהוּ propric *operimentum ejus*, hic autem ita vocantur duo illa tabernaculi tegumenta e pellibus arietum rubricatis et janthinis confecta, de quibus Exod. 26, 14. 36, 19. מָסַךְ פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד *Sipariúm ad introitum tabernaculi*, Ex. 26, 36. — 26. קַלְעֵי הֶחָצֵר *Aulaea atrii ad cribri formam perforata*, Ex. 27, 9. 38, 9. וְאֵת־מָסַךְ פֶּתַח הֶחָצֵר *Siparium ad introitum atrii*, vid. Ex. 27, 16. אֵת מֵיתָרָיו לְכָל עֲבֹדָתוֹ *Funes ejus ad omne ministerium*, i. e. usum *ejus*. Hoc non est referendum ad atrium, de quo proxime antea dicitur, sed ad ipsum tabernaculum. Funes enim aulaeorum atrii commissi erant curae Meraritarum, vid. Vs. 37. Saepe apud Hebraeos pronomen relativum affixum non referendum est ad id nomen, quod proxime praecedit, sed ad remotius. — 27. מִשְׁפַּחַת הָעַמְרָמִי *Familia Amramitica*, hoc est, Mosis posteri, nam ceteri Amramitae fuerunt sacerdotes, Aaronis, nimirum, filii. Vid. 1 Chr. 23, 13 sqq. — 28. שֹׁמְרֵי מִשְׁמֶרֶת הַקֹּדֶשׁ *Sanctuarii curam gesturi.* Caathitis tanquam dignitate inter Levitas primis commissa fuerunt, quae erant maxime divina et sacra. Cujus rei ratio procul dubio haec fuit, quod Moses et Aaron ex Caathitarum familia essent. — 31. וְהַמָּסָךְ *Velum*, sc. adyti, vid. Ex. 26, 31. In textu Samar. post illam vocem legitur והכיור וכנו *labrum et basin ejus.* וְכָל עֲבֹדָתוֹ *Quidquid in eo curandum erat.* — 32. פְּקֻדַּת שֹׁמְרֵי מִשְׁמֶרֶת הַקֹּדֶשׁ *Praefectura servantium servationem sanctuarii*, praefectus eorum, qui sanctuarii curam haberent. Abstractum, uti loqui solent, positum pro concreto, ut 2 Chr. 24, 11. Jes. 60, 17. ubi conf. not.

39. Vox וְאַהֲרֹן punctis super litteris singulis est insignita; nulla, uti credibile est, alia ex causa, quam ut hoc modo notare-

tur, vocem illam in aliis Codd. abesse, vid. EICHHORN *Einl. in d. A. T.* P. I. §. 118. Deest etiam in 8 Codd. Kennicott. et in 4 Rossian. Nec habet id nomen Textus Samar., Syrus et Coptus; quod cum omittitur, consentit hic Versus cum Vs. 5., quo jubetur Moses, non Aaron, censum habere Levitarum, item cum Vss. 11. 40. et 44. in quibus Mosem Deus alloquitur solum, cf. etiam Vs. 57. Hubigantius existimat, vocem אַהֲרֹן ex superiore Vs. perperam huc esse adlatam. „Praestat vero," inquit CLERICUS, „eam legere, quod videatur Aaron, tribus sui princeps, adfuisse Mosi, ut in ceteris tribubus censendis singularum principes. Nec quicquam obstat, quod antea non additur nomen Aaronis Vss. 14. et 16. Nam non est tanta in Mosaico stylo *ἀκριβεία*, ut omnia suo loco dicantur; quum saepe ex sequentibus colligantur circumstantiae in antecedentibus omissae." שְׁנַיִם וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Viginti duo millia.* At numeros supra notatos (Vs. 22. 7500, Vs. 28. 8600, Vs. 34. 6200.) cum subduces reperies summam 22300. Sed Moses ne sibi ipse repugnare videatur, vide, quid afferant Hebraei interpretes. Primogenitorum, inquiunt, Israelitarum numerus (22273) jam minor erat Levitarum numero (22300), et tamen Vs. 46. illi 273 primogeniti numerum Levitarum omnium excedere dicuntur; ergo numerus 22000 in hoc commate recte se habet, si primogeniti Levitae, quorum 300 esse poterant, numero isto (22000) non contineri existimentur, et Moses ab universa Levitarum summa (22300), quae e Vss. 22. 28. et 34. prodit, h. l. primogenitos 300 Levitas subduxisse dicatur. Primogeniti enim ex Levitis, singulari jure Deo jam consecrati erant, ac proinde aliorum *λύτρα* esse non poterant. Israelitae primogeniti quum generatim essent 22273; in horum locum substitui debebant Levitae 22000; tot enim manebant ex eorum numero universo (22300), subductis trecentis primogenitis eorum. Quia vero tum adhuc supererant 273 primogeniti Israelitae, in quorum locum Levitae substitui non poterant, hi 273 redimi debebant, Vs. 46. Hisce accedit Clericus, qui, quum huic explicationi nemo non obstare videat, ne mediocrem quidem scriptorem e numeris colligendis eximere solere eos, quos subducere velit, nisi lectorem eâ de re admoneret, observat, solere Mosen, ut alias V. T. scriptores, ea interdum retticere, quae attentus lector facile suppliere possit. Sed quantumvis licet attendat lector, quis poterit, non docente Mose, rescire, Levitarum primogenitos esse e censu eximendos? Fatetur ipse Clericus, non a quovis id potuisse intelligi. Nusquam enim docet Moses, Levitarum primogenitos Deo esse, prae ceteris Levitis, Deo dicandos. Et tale commentum, uti vere monet Hubigantus, nihili esse, vincit ipse Moses. „Nimirum, postquam dixisset, primogenitos Israelitarum, censu habito, repertos fuisse 22273, addit Vs. 46, eos primogenitos plures esse Levitis numero 273. Ex quo planum fit, id עַל־הַלְוִיִּם *supra Levitas*, quod exstat Vs. 46, numerum Levitarum indicare Vs. 39. notatum,

nempe 22000. Nam falsc diceret Moses Vs. 46., numerum Israelitarum 22273 superare numerum Levitarum, si Levitae essent numero 22300, vel si Levitae trecenti essent, quorum non esset habitus census. Quippe הַנִּפְקָדִים, *qui supersunt*, non alium numerum, qui superetur, potest indicare, quam cum, qui supra notatus est, nempe numerum 22000. Non potuit Moses docere apertius, scribas errasse in numeris ponendis. Quare nos iis viris doctis accedimus, qui errorem notarunt Vs. 28., ubi שֵׁשׁ legitur, quum sit legendum (מֵאוֹת) שְׁלֹשׁ *tres*, ut summa Levitarum, quae singulis ex numeris conficiatur, non jam sit 22300, sed 22000. Nam tali emendatione facta, solitam suam diligentiam Moses adhibet in numeris notandis, cum docet, primogenitos Israelitas fuisse 22273, Levitas 22000, atque adeo primogenitos Israelitas fuisse plures Levitis numero 273." Quae quidem Hubigantii conjectura, et J. D. Michaeli magis probata, quam quod Kennicottus conjecit in *Diss. I. super ratione textus Hebr. V. T.* p. 86. vers. lat., mendum esse in numero Gersonitarum Vs. 22., ubi nota numeri 200, ר (literas enim pro vocibus ad numeros exprimendos olim ab Hebraeis adhibitas statuit), facile commutata fuerit cum ך, nota numeri 500. Cui conjecturae hoc potissimum obstat, quod parum verisimile sit, in antiquissimis codd. Caph finale exstitisse, quale nec Samaritae habent, quorum scripturae antiquissima Hebraica simillima fuerit.

43. 49. 51. שְׁנַיִם וגו׳ *Duo et viginti millia ducenti septuaginta tres.* Incredibilis primogenitorum paucitas in populo, qui habebat 603,550 aetatis militaris, quibus adhuc addendi sunt, qui non censebantur, masculi, inter primum expletum mensem et vicesimum annum, id vero est, paene omnes, viginti annos nondum nati. Hi ex rationibus Halleyanis, pari morientium et nascentium numero, ad eos relati, qui vicesimum annum superarunt, sunt ut 12 ad 20. Verum si etiam de hoc numero remittamus, et pro bimis adultis in censum relatis sumamus singulos modo fuisse natu minores, quam ut numerari deberent; tamen erunt ex 42 Israelitis singuli tantum primogeniti, quod vix credibile. Quem nodum interpretes fere ita expedire student, ut observent, 1) non esse computandos eos, qui licet ipsi essent primogeniti, tamen jam erant conjugati et familiae alicujus caput; 2) in omnibus iis familiis, in quibus prima proles feminea fuerit, nullum fuisse primogenitum; 3) apud Israelitas in usu fuisse polygamiam, in numerosissimis autem familiis polygamis tum tantum fuisse primogenitum, si prima ex parte soboles mascula esset, si femina, nullus in tali familia potuit esse primogenitus, licet quamplurimi in ea nati essent filii. Vel hodie apud nos e septem, octo aut decem conjugiis, etsi omnibus illis mascula prole numerosissimis, vix unum alterumve reperiemus, quod primam prolem filium susceptum alat; reliqua omnia, quia in iis puella primi partus honorem prae-

cepit, omni spe *primogeniti* alicujus unquam habendi, sunt exclusa. Neque tamen haec sufficere ad difficultatem illam prorsus tollendam, vere monuit VATER, cujus in hunc locum observata in *Commentar.* P. III. p. 13. sqq. digna sunt, quae legantur. — 49. כֶּסֶף הַפְּדוּיִם וגו׳ *Pecunia redemtionis ab eis Israelitarum primogenitis, qui numerum Levitarum redemtorum excedebant.* — 51. Aaronis et filiorum ejus erat ista pecunia, qua primogeniti redimebantur, coll. 18, 15.

Cap. 4.

Levitarum familiis singulis sua officia et ministeria in Tabernaculi et sacrorum deportatione assignantur, et cujusque familiae numerus et summa colligitur a trigesimo anno et deinceps.

3 — 6. מִבֶּן — חֲמִשִּׁים שָׁנָה *A trigesimo aetatis anno usque ad quinquagesimum.* Hoc repugnare videtur ei, quod legitur 8, 24., Levitas esse eligendos inde a 25. aetatis anno. LXX., ne Moses a se dissentire videretur, posuerunt et h. l. ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν. Eundem aetatis numerum habent et Vss. 23. 30. 35. 38. 43. 47. pro מִבֶּן־שְׁלֹשִׁים. Sed quum Cod. Samar. et interpretes veteres omnes cum Cod. Masorethico consentiant, vix dubium est, Graecos interpp. pro arbitrio numerum annorum mutasse. Sunt, qui velint, post Maimonidem, Levitas a 25. aetatis anno edoctos fuisse per quinquennium, quae essent Levitarum ministeria, atque elapso demum quinquennio ad ipsa ministeria fuisse admissos. Probabilius est quod conjecit Chaskuni, Levitas anno 25. ad leviora quidem admissos ministeria, quale erat observare ne quis alienus manum rebus sacris admoveret; sed non ante 30. ad bajulandum adhibitos fuisse, quod sarcinarum bajulatio aetatem firmam ac robustam posceret. Obverti quidem possit, si ita se res habuisset, legem diserte haec distinguere oportuisse. Sed quum h. l. de munere portandi tabernaculi ejusque partium agatur, haud adeo necesse videbatur ea de re diserte monere. Quare non est, cur quam Cap. 8. legimus pericopen ab alio auctore consignatam statuamus, quae VATERI est sententia, in *Commentar.* P. III. p. 18. כָּל־בָּא לַצָּבָא *Omnis in agmen veniat*, i. e. in numerum Levitarum eorum, qui in tabernaculi deportatione occupati erant. Cf. Vs. 47. — 4. עֲבֹדָה hic denotat *officium*, *ministerium*, *opus* ab aliquo praestandum. קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים *Res sanctissimas*, scil. illi curabunt. Intelligitur Sanctuarium cum vasis ad id pertinentibus. — 5. פָּרֹכֶת הַמָּסָךְ *Velum operimenti*, operiens, quo Sanctum Sanctorum dividebatur a Sancto. — 6. עוֹר תַּחַשׁ *Peliis hysgina*, vid. Ex. 25, 5. בֶּגֶד־כְּלִיל תְּכֵלֶת *Tegumentum totum hyacinthinum*, sola hyacinthina lana contextum. Hoc tegumentum videtur significari Ex. 31, 10. שָׂמוּ בַדָּיו *Component* ad aequilibrium, aptabunt *vectes* ad portandum; vectes enim numquam extrahebantur, vid. Ex. 25. 15.

7 — 11. שֻׁלְחַן הַפָּנִים *Mensa facierum*, i. e. mensa in qua adpositi erant panes facierum, Ex. 25, 30. אֶת־הַקְּעָרוֹת וְאֶת־הַכַּפּוֹת וגו׳ De his vid. Ex. 25, 29. 30. — 8. בֶּגֶד תּוֹלַעַת *Strágulum coccineum*, cf. Ex. 25, 4. — 9. אֶת־מְנֹרַת הַמָּאוֹר De *candelabro* cf. Ex. 25, 31. אֲשֶׁר יְשָׁרְתוּ־לָהּ בָּהֶם *Quibuscum ministrabunt ei*, candelabro, quibus utentur in ministerio illius. — 10. מוֹט quod proprie *vectem*, aut *perticam* significat (Lev. 26, 13.), hic indicare videtur *ferculum*, duobus vectibus transversisque baculis constans, aut simile; tale enim esse debuit instrumentum, cui imponebantur ea, qua עַל־הַמּוֹט imposita esse dicuntur, et quod ferebatur humeris duorum hominum. *Ferculum* erat vox, usitata in sacris apud Romanos, ad significandam ligneam machinam cui imponebantur signa Deorum aliaque. LXX. ἀναφορεῖς verterunt, Vulgatus *vectes*. Sed quum in Hebraeo sit nomen singularis numeri, non i. q. בַּדִּים, sed ferculum potius sonare videtur. Graece dixeris ἀνάφορον. — 11. מִזְבַּח הַזָּהָב *Altare aureum*, seu *suffitus*, Ex. 30, 3.

13. 14. וְדִשְּׁנוּ *Purgabunt a cinere.* — 14. הַמַּחְתֹּת *Ignis receptacula*, cf. Ex. 27, 3. ubi et reliqua. Fini hujus Vs. adnectunt Samaritae haec verba: ולקחו בגד ארגמן וכסו את הכיור את כנו ונתנו אותם אל מכסה עור תחש ונתנו על המוט hoc est, verbis τῶν LXX, qui hoc quoque habent: καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν, καὶ συγκαλύψουσι τὸν λουτῆρα, καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὸ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον, καὶ ἐπιθήσουσι ἐπὶ ἀναφορεῖς. „Qui Versus," inquit Lud. Capellus in *Crit. S.* p. 489. edit. Hal., „omnino male omissus videtur in Hebraeo. Cur enim in descriptione convasationis Tabernaculi, quum movenda erant castra, in qua docetur ratio convasandi omnia Tabernaculi vasa, instrumenta et partes omnes, omissum fuisset labrum cum basi ejus, quae non minus erant convasanda et deferenda, quam reliquae Tabernaculi partes?" Cum Cappello consentiunt Grotius et Hubigantus. Et sane vix credibile labri mentionem hic omissam fuisse.

15 — 20. אֵלֶּה מַשָּׂא וגו׳ *Et haec* sit *onus filiorum Cahathi in tabernaculo conventus*, i. e. haec ex rebus tabernaculi conventus ferent Caathitae. — 16. וּפְקֻדַּת אֶלְעָזָר *Et praefectura Eleazaris*, i. e. Eleazar *curam habebit* olei luminaris et suffimenti aromatici. מִנְחַת הַתָּמִיד *Munus jugis*, quod bene Vulgatus reddidit: *sacrificium quod semper offertur;* intelligitur simila, quae cum sacrificio jugi quotidie offerebatur, vid. 28, 3. sqq. Ex. 29, 38. — 18. אַל־תַּכְרִיתוּ וגו׳ *Ne exscindi faciatis familiam Caathitarum e Levitis*, i. e. cavete, ne injuria et negligentia vestra pereant Caathitae, q. d. ipse Aaron et filii ejus prius omnia diligenter involvant, ne nuda a Caathitis tractentur et ii propterea morte plectantur. In iis, quae sequuntur, sese ipse exponit Moses. שֵׁבֶט, quod alias *tribum* significare constat, hic arctiore sensu capitur de fa-

milia, seu stirpe. — 20. וְלֹא יָבֹאוּ וגו׳ *Nec veniant ad videndum quando operient sanctum*, i. e. vasa sacra. בָּלַע, quod proprie *deglutire*, *absorbere*, notare constat, hic plerique per metaphoram, quod quae deglutiuntur eadem absconduntur, *abscondere*, *operire* significare volunt. Ita Onkelos: *dum operiunt vasa sacra.* Syrus: *cum operitur sacrum.* Saadias: *cum tegetur sanctum.* Sed LXX. כְּבַלַּע ἐξάπινα vertunt. Conjunxerunt videlicet אֶת־הַקֹּדֶשׁ cum verbo לִרְאוֹת remotiori, tanquam ipsum, per hyperbaton, regente; ἐξάπινα autem adverbiascens putarunt respondere verbo כְּבַלַּע, quasi hoc significet *nec opinato subitove*, ut cum deglutitur aliquid. Cf. Job. 7, 19., ubi עַד־בִּלְעִי רֹקִי *donec glutiero salivam meam* brevissimum respirandi intervallum denotat. VATERUS pronus est ad credendum, כְּבַלַּע esse: *quasi devorando* oculis.

26—32. וְאֵת כָּל־אֲשֶׁר יֵעָשֶׂה לָהֶם וְעָבָדוּ *Adeoque omne quod faciendum est illis*, sive quicquid circa haec oportet *fieri*, *illi facient* ac ministrabunt. — 27. עַל־פִּי אַהֲרֹן *Ad os*, ex mandato *Aaronis.* Nihil fiat injussu sacerdotum. וּפְקַדְתֶּם עֲלֵהֶם וגו׳ *Recensebitis ad eos in observatione omne onus eorum*, i. e. recensebitis iis diligenter omnia eorum onera. Sensus est, antequam veniant Gersonitae, omnia debere parata et involuta esse, et singulis praecipiendum esse, quo pacto suum munus in portandis vasis tabernaculi exequi debeant. — 28. בְּיַד אִיתָמָר *Sub potestate*, cura, directione, *Ithamaris*, qui Gersonitis praefectus erat. — 31. מִשְׁמֶרֶת מַשָּׂאָם *Observatio oneris ipsorum*, id est, onus eorum curae commissum. — 32. בְּשֵׁמוֹת *Nominatim*, sigillatim. Videntur singulae partes sua peculiaria nomina habuisse, uti postea in templo Salomonis Jachin et Boas columnarum nomina erant, cf. 1 Reg. 7, 21.

47. 49. לַעֲבֹד עֲבֹדַת עֲבֹדָה וַעֲבֹדַת מַשָּׂא *Ad operandum opus operis et opus oneris*, i. e. ut faciant, quae sunt facienda, et bajulent, quae sunt bajulanda, prout a sacerdotibus jubebuntur. — 49. אֲשֶׁר *Prout*, pro כַּאֲשֶׁר, ut etiam habet Cod. Samaritanus.

Cap. 5.

Qui immundi castris arcendi sint. De delictis in proximum admissis, eorumque satisfactione et expiatione. De nonnullis Sacerdotum juribus et proventibus. Lex de adultera, ritusque, quo mulier in suspicionem adulterii vocata vel se purgabat, vel flagitio obnoxia deprehendebatur.

2. וְיִשַּׁלְּחוּ מִן־הַמַּחֲנֶה *Ut emittant e castris.* Judaeorum magistri, quos et Christiani interpretes sequuti sunt, volunt, castra in tres partes divisa fuisse, in *castra Dei*, seu atrium tabernaculi, in *castra Levitarum* et in *castra populi;* leprosum ab omnibus fuisse exclusum, gonorrhoea laborantem a primis duobus, pollutum propter cadaveris contactum solum a tabernaculo. Sed quum in ipso Mose nullus locus extet, ex quo hoc probari possit,

procul dubio ista sunt mera Rabbinorum figmenta, quibus legem istam valde incommodam, leviorem facere voluerunt.

6—10. כִּי יַעֲשׂוּ מִכָּל־חַטֹּאת הָאָדָם *Si peccaverit contra hominem*, videlicet furto et rapina, ut ex Vs. sq. apparet. לִמְעֹל מַעַל בַּיהוָה Simulque *praevaricando peccaverit in Deum*, falso jurando. Cf. Lev. 5, 21. וְאָשְׁמָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא *Et* hoc modo *homo ille culpam contraxerit.* — 7. Est hic novum caput legis, quam habuimus Lev. 5, 4 sqq., et quod ab ea differt, quod hic statuat Deus, quid fieri oporteat, si laesus obierit, neque ullum reliquerit, qui jus ejus sibi vindicare possit (cf. Vs. 8.). וְהִתְוַדּוּ *Confitebuntur*, tenebuntur fateri. וְהֵשִׁיב אֶת־אַשְׁמוֹ *Restituet culpam suam*, i. e. rem propter quam ablatam reus factus est. בְּרֹאשׁוֹ *In capite suo*, i. e. summa capitali, illam ipsam rem, qua aliuni defraudavit. לַאֲשֶׁר אָשַׁם לוֹ *Illi in quem deliquit.* — 8. גֹּאֵל *Propinquus*, *haeres*, qui rem sibi vindicat. הָאָשָׁם הַמּוּשָׁב לַיהוָה *Damnum restitutum sit Jehovae*, id vero est, *sacerdoti.* לַכֹּהֵן מִלְּבַד אֵיל הַכִּפֻּרִים *Praeter arietem expiationis*, Lev. 5, 25. 26. — 10. וְאִישׁ אֶת־קָדָשָׁיו — יִהְיֶה *Vir quivis* (si obtulerit) *sancta sua, illius erunt; vir* (quisque) *quod dabit sacerdoti hujus erit.* In potestate offerentis erit, oblationem dare, cui sacerdoti voluerit, cujus deinde manebunt.

11—14. Commentarium satis largum in eas, quae dehinc sequuntur, leges de uxore, in adulterii suspicionem vocata, dedit Andr. Acolythus in *Philologemate de Aquis amaris maledictionem inferentibus, vulgo dictis Zelotypiae etc.* Lips. 1682. 4. — 12. אִישׁ אִישׁ כִּי־תִשְׂטֶה אִשְׁתּוֹ *Si alicujus uxor deflexerit*, sc. a marito suo; qua loquutione honesta adulterium exprimitur. Alii supplent אֶל־טֻמְאָה *ad immunditiem* coll. Vs. 19. וּמָעֲלָה בוֹ מָעַל *Et deliquerit in eum*, conjugalem fidem fallendo. — 13. וְנֶעְלַם מֵעֵינֵי אִישָׁהּ *Et absconditum fuerit ab oculis mariti sui*, idque latuerit maritum, sive, idque inscio marito. וְנִסְתָּרָה *Et occultaverit se*, et si clam stuprata est. וְעֵד אֵין בָּהּ *Et nullus adfuerit testis*, si enim testibus res probari poterat, morte poenas luebat adultera. וְהִיא לֹא נִתְפָּשָׂה *Et ipsa non deprehensa fuerit*, sc. in concumbendi actu. — 14. Sensus: si maritus pudicitiam uxoris suae suspectam habuerit, sive suspicione vera, sive falsa. — Ex jure Hebraico maritus et uxor non fruebantur aequali jure. Uxor a marito emta hujus peculium erat, nec ei licebat, viro quamvis *πολυγάμῳ* fidem datam fallere. Hinc non ipsa marito, sed maritus uxori jurejurandum purgatorium deferre poterat. Praescribebat autem legislator tales illius ceremonias, quae prorsus eo spectabant, ut ream a perjurii crimine avocarent ac deterrerent. Cf. Mich. *J. M.* P. 5. §. 263.

15—18. קָמַח שְׂעֹרִים *Farina hordacea*, non triticea, ut Levit. 5, 11. etc., sed vilior, quod offerentes non Dei gratiam,

sed vindictam scelcris invocarent. מִנְחַת זִכָּרוֹן מַזְכֶּרֶת עָוֹן *Donarium memoriae in memoriam revocans culpam*, scil. Deo ultori, est oblatio ultionem scelcris a Deo expetens. — 16. וְהִקְרִיב אֹתָהּ *Et appropinquare faciat*, adducat *eam* scil. mulierem. וְהֶעֱמִדָהּ לִפְנֵי יְהוָה *et sistat eam coram Jova*, in locum sanctum, in tabernaculi conventus atrium. — 17. מַיִם קְדֹשִׁים *Aquas sacras* sumet e labro aeneo, Ex. 30, 18. et fundat eas in vas testaceum (בִּכְלִי חָרֶשׂ). Porro jubetur sacerdos מִן־הֶעָפָר אֲשֶׁר יִהְיֶה בְּקַרְקַע הַמִּשְׁכָּן *e pulvere qui erit in solio tabernaculi* sumere cumque aquae illi indere, ut adulterii suspecta sacro quodam horrore proculsa accederet. — 18. וּפָרַע אֶת־רֹאשׁ הָאִשָּׁה *Nudabit caput mulieris*, detracto velo, quo caput tegere solebant mulieres, vid. Gen. 24, 65. — מֵי הַמָּרִים הַמְאָרְרִים *Aquae amaritudinum diras inferentes.* De vocis מָרִים significatione dissentiunt interpretes. LXX. τὸ ὕδωρ τοῦ ἐλέγμου, *aquam argutionis*, quae nempe arguebat adulteram. Hinc conjectat Hubigantius, illos legisse הברים vel הקרים, hoc a חָקַר, *investigare*, illud a בָּרַר i. q. בָּרַר significatione *probandi*. Clericus conjicit, LXX. מוֹרִים *docentium* legisse, quod aquae illae docere deberent, an casta esset mulier. E recentioribus nonnulli putarunt, aquas illas *amaras* vocari vel quod res amarae aquae illi injectae fuissent, quod tamen si faciendum fuisset vix credibile est a Mose non praecipi; vel quod maritus illas uxori propinasset animo *amaro*, i. e. irato. Alii vero ab effectu illas *amaras* dici existimant, quod acerbos dolores per eas in rea excitatos esse infra dicitur. Quae sententia probabilior videtur, inprimis propter Vss. 24. 27., quibus dicitur, aquam illam ab uxore bibendam esse לְמָרִים, quod commode verti potest, *ad acerbos dolores excitandos.* Vocem מְאָרְרִים Syrus vertit: *exploratrices*, sc. aquas, atque Samaritanus: *declarantes.*

19—23. וְהִשְׁבִּיעַ אֹתָהּ הַכֹּהֵן *Adjurabit eam sacerdos*, jurejurando interposito jubebit verum fateri; q. d. dic coram Jova an nullus alius vir etc. תַּחַת אִישֵׁךְ pro מִתַּחַת, *de sub*, ut Hos. 4, 12.: וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם *scortati sunt de sub Deo suo*, i. e. excusso Dei sui jugo. Indicatur hic actio mulieris se viri imperio et consuetudini subtrahentis. הִנָּקִי מִמֵּי *Innocens ab aqua*, i. e. immunis esto ab eo malo, quod afferre possunt aquae istae amarae. — 21. יִתֵּן יְהוָה אוֹתָךְ לְאָלָה *Det te Jova in exsecrationem*, statuat in te exemplum dirarum. וְלִשְׁבֻעָה *Et in jusjurandum*, pro לִשְׁבוּעַת הַשֶּׁקֶר *jurejurando mendacii*, i. e. perjurio, statuat te in exemplum perjurii. בְּתֵת יְהוָה וגו׳ *Faciendo ut femur tibi decidat et venter intumescat.* Indicatur, ut Michaelis observat, is feminarum morbus, qui *hydrops ovarii* hodie appellari solet, sed tamen rarissime invenitur. Joseph. *Ant.* 3, 11, 6. de hoc morbo haec dicit: μετ' αἰσχύνης καταστρέφει (adultera) τὸν βίον, τοῦ τε σκέλους ἐκπεσόντος αὐτῇ καὶ τὴν κοιλίαν ὑδέρου καταλαβόντος.

Mortem obit ignominiosam, crure illi decidente et aqua intercute ventrem occupante. — 22. אָמֵן אָמֵן *Fiat! Fiat!* Ratae sint preces tuae; ita fiat, sic mihi contingat, ut dicis, si peccaverim in maritum meum. — 23. סֵפֶר hic *schedam* denotat, ut *βιβλίον* et *libellus* apud Graecos et Latinos. וּמָחָה אֶל־מֵי הַמָּרִרִים *Et deleat* (scripturam) *cum aqua amara*, ut mulier biberet quasi exsecrationes cum aquis amaris mistas. אֶל hic notat *cum*, ut Jos. 11, 19. Jud. 7, 6. Hos. 12, 5. Ita hanc particulam etiam h. l. exprimunt Syrus et Saadias.

24—31. וְהִשְׁקָה אֶת־הָאִשָּׁה אֶת־מֵי הַמָּרִרִים הַמְאָרְרִים *Deinde bibendam tradat mulieri aquam perniciosam imprecationum.* Sponte quisque intelligit, symbolicum hunc fuisse ritum, cui quidem nulla vis inerat, sed qui tamen mulierem adulterii rcam a perjurio deterrere potuit. Similes modos uxoris, quae in adulterii suspicionem venit, innocentiam explorandi Indis aliisque populis hodienum usitatos attulimus in *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 226. sqq. — 27. וּבָאוּ בָהּ הַמַּיִם הַמְאָרְרִים לְמָרִים *Tum* (si rea fuerit) *aqua illa dirarum acerbissimos dolores ei excitabit.* — 28. וְנִקְּתָה *Et munda declarabitur*, tunc absolvetur eritque immunis ab omni noxia, quam inferre solent illae aquae. וְנִזְרְעָה זָרַע *Et seminabitur semine*, i. e. concipiet atque liberos pariet. — 31. וְנָקָה הָאִישׁ מֵעָוֹן *Immunis erit vir a culpa*, quamvis innocentem uxorem accusasset, cf. ad Vs. 14.

Cap. 6.

Nasiraeorum consecratio. Solennis Sacerdotum bene precandi ritus, et verborum formula, quibus populo bene precabantur.

2. אִישׁ אוֹ־אִשָּׁה וגו׳ *Vir aut femina si separaverit vovendo votum Nasiraei, ut separetur Jovae*, si quis vir aut femina voto Nasiraei nuncupato sese Jovae consecravit. De יַפְלִיא נֶדֶר vid. ad Lev. 27, 2. — נָזִיר est *separatus*, quia qui hoc voto se obstringebant, seorsim ab aliis ob peculiarem abstinentiam vivere cogebantur. Verisimile est, morem hunc fuisse Aegyptiorum, apud quos ii ex sacerdotibus, qui sanctius quam reliqui Numini sese consecrare voluerunt, simili modo ac Nasiraei apud Israelitas a multis abstinuerunt, vid. *Chaeremonis Stoici* fragmentum apud *Porphyrium de abstinentia* Lib. 4. c. 7. Israelitarum legislator non abrogare quidem voluit voti genus, cui populus esset adsuetus; sed tales ejus leges praescribit, quae illud valde molestum efficerent, et ita institutae essent, ut homines per eas potius ab illo deterrerentur, quam ad id invitarentur. Observatu digna est Lessii (Progr. *Super lege Mos. de Nasiraeatu Num. VI., prima eaque antiquissima vitae monasticae improbatione*, Goett. 1789.) sententia, Nasiraeatum antiquissimum vitae monasticae esse genus, legem autem Mosis de illo datam, simul illius vitae primam et antiquissimam improbationem esse. Vox נָזִיר ex ejus sentent

prorsus respondet Graeco vocabulo *μοναχὸς* et *μονάζειν*. Hinc Nasiraeos vocatos esse putat פְּרוּשִׁים *Pharisaeos*, i. e. separatos. Addit, non tantum Nasiraeatum, sed etiam vitam monasticam Aegyptiacae originis esse.

3. 4. De שֵׁכָר vid. Lev. 10, 9. יַיִן וְשֵׁכָר Onkelos reddidit: *vinum recens et vetus*. A vino et sacerdotes Aegyptios se abstinuisse, docet Porphyrius *de abstinent.* 3, 6. מִשְׁרַת עֲנָבִים LXX. reddunt: ὅσα κατεργάζεται ἐκ σταφυλῆς, Hieronymus: *quidquid exprimitur*. מִשְׁרָה conferendum est cum Chald. et Syr. הִרָּה *in liquido dissolvit, maceravit*, hinc illae voces proprie significant *macerationem*, *dissolutionem*, id vero est, *succum uvarum*. Bene Syrus: *succum ex uvis passis expressum*. עֲנָבִים לַחִים *uvae recentes*. — 4. חַרְצַנִּים Chaldaeus vertit פַּרְצַנִין et Saadias פַּרְצַן, quae vox apud Talmudicos *acinos* denotat, ex quibus oleum aliquod parari solet. Syrus: עוּצְרָא *calcatas jam et expressas uvas*, et in eandem sententiam LXX. οἶνον ἀπὸ στεμφύλων, *vinum ex uvarum expressarum retrimentis factum*; coll. Arab. חָרַץ, proprie *fidit*, *fregit*, *tundendo laceravit*, quod etiam de *pressione et calcatione uvarum in torculari* usurpatum esse videtur. Gesenio in *Lexico* est i. q. Arab. חֶצֶרֶם *fructus acerbus* vitis, aliusve arboris, *omphaces*. זַג LXX. γίγαρτον, *granum acini*, Vulgatus *acinos* interpretantur. Onkelos עצורין reddit, *uvarum expressarum reliquias*. Michaelis in *Suppll.* p. 588. suspicatur, חַרְצַנִּים esse quod post primam calcationem, זַג, quod post secundam calcationem de uvis superest; quamquam non possit definiri, quid edule ex uvis calcatis paratum fuerit. Verum non de cibi, sed de potionis genere quodam hic agi videtur. Hebraeorum magistri docent, חַרְצַנִּים esse *granula* uvarum *interiora*, quae seminari solent, זַג autem *corticem exteriorem*, i. e. folliculos; quibuscum consentit Gesenius, qui a זָגַג s. זוּג, quod Chaldaeis *lucere*, *lucidum esse*, זַג denotare censet *uvarum folliculum*, sive *cutem earum exteriorem pellucidam*.

5—7. כָּל־יְמֵי נֶדֶר נִזְרוֹ *Cunctis diebus voti separationis suae*, quamdiu durat votum Nasiraeatus sui. תַּעַר לֹא־יַעֲבֹר עַל־ רֹאשׁוֹ *Novacula non ascendat in caput suum*, id non tondendum curabit. עַד־מְלֹאת הַיָּמִים *Donec expleti sunt dies*, quamdiu. גַּדֵּל פֶּרַע שְׂעַר רֹאשׁוֹ *Dum crescere sinit caesariem crinium sui capitis*. Caesaries crinium capitis significat simpliciter *caesariem*. — 6. נֶפֶשׁ מֵת *animam mortui*, Hebraei vocant cadaver, sive corpus mortuum. Sensus: non aderit funeri, non curabit cadaver mortui alicujus. — 7. כִּי נֵזֶר אֱלֹהָיו עַל־רֹאשׁוֹ *Quia separatio Dei sui*, i. e. Deo suo consecrata caesaries, est *super capite suo*. Minus recte נֵזֶר hic alii vertunt *coronam*, ut Ex. 39, 31. atque intelligunt caesariem. Ita Syrus: *coronam*. Comam in Numinis alicujus honorem nutrire, Aegyptiorum et plurium gentium antiquarum mos fuit. Cf. Spencer *de Legg.* etc. p. 694. ed. Tubing.

9 — 12. עָלָיו *Prope eum*, in praesentia ejus. בְּפֶתַע פִּתְאֹם *Repente improviso.* Est pleonasmus, ut Jes. 29, 5. 30, 13., nisi forte sit aliqua in hac repetitione emphasis. בְּיוֹם טָהֳרָתוֹ *Die purificationis suae.* Pollutus enim cadaveris conspectu purgari debuit more solito septem post diebus; vid. Num. 19, 11. 12. — 11. וְעָשָׂה *Et faciet*, sacrificabit. אֶחָד *Alteram* columbam. לְחַטָּאת *In victimam pro peccato*, quia homo Deo consecratus immunditiem sibi contraxerat, ut statim explicatur. מֵאֲשֶׁר *Propterea quod.* עַל־הַנָּפֶשׁ *Super animam*, i. e. circa cadaver (Vs. 6.); impuritatem contrahendo eo, quod in loco fuerit, ubi aliquod cadaver fuerit. וְקִדַּשׁ *Et consecrabit* subint. de novo, iterum. — 12. וְהִזִּיר לַיהוָה אֶת־יְמֵי נִזְרוֹ *Separabit Jovae dies separationis suae*, ab illo die octavo incipiet rursus numerare tempus, quo voverat se fore Nasiraeum. וְהַיָּמִים הָרִאשֹׁנִים יִפְּלוּ *Et dies priores cadent*, i. e. erunt irriti; tempus anteactum quo fuerat Nasiraeus, reputabitur pro nihilo.

13 — 17. בְּיוֹם מְלֹאת יְמֵי נִזְרוֹ *In die complere* s. *complementi dies separationis suae*, ultimo Nasiraeatus die. יְבִיא אֹתוֹ *Adducet eum*, i. e. se ipsum, conferat sese. Ita et LXX. προσοίσει αὐτὸς, sc. ἑαυτόν. Alii אֹתוֹ volunt *agnum*, ex superioribus repetendum, subintelligi. Sic Vulgatus: *adducet eum.* — 14. לְחַטָּאת *In victimam pro peccato.* Si fortasse nescius sese Nasiraeatus tempore polluisset. — 15. וּמִנְחָתָם וְנִסְכֵּיהֶם *Et fertum et libamina eorum*, sc. trium victimarum, de quibus antea dicebatur. — 17. עַל־סַל הַמַּצּוֹת *Praeter canistrum placentarum.* Una ex singulis placentarum generibus agitabatur ad altare ut in consecratione sacerdotum, vid. Lev. 8, 26. sqq. Reliquiae comedebantur a Nasiraeo et amicis ad convivium sacrum vocatis, una cum carnibus victimae salutaris.

18 — 27. וְלָקַח — הַשְּׁלָמִים *Et abjiciat caesariem capitis sui consecratam in ignem sacrificii eucharistici.* Et aliae gentes comam in honorem Numinis alicujus nutritam atque post aliquod tempus tonsam in sacrificio Numini illi consecrare solebant, vid. SPENCERUM l. l. — 19. אֶת־הַזְּרֹעַ בְּשֻׁלָה *Armum elixatum*, conf. Lev. 8, 25 — 27. — 20. לַכֹּהֵן *Pro sacerdote.* עַל חֲזֵה הַתְּנוּפָה וְעַל שׁוֹק הַתְּרוּמָה *Praeter pectus agitationis et armum elevationis.* Cf. Lev. 7, 34. — 21. מִלְּבַד אֲשֶׁר תַּשִּׂיג יָדוֹ *Praeter id quod assequi poterit manus ejus*, i. e. praeter ea, quae pro facultate sua sponte offerre potest. Hinc intelligere licet, votum Nasiraeatus non fuisse hominis pauperis. Attamen ex Act. 21, 23 — 27. apparet, divites nonnumquam pro pauperibus dona, quae praeter sacrificia erant offerenda, dedisse. כְּפִי נִדְרוֹ אֲשֶׁר יִדֹּר *Secundum votum suum quod vovit*, pro voto suo quod nuncupavit. — 24. יְבָרֶכְךָ יְהוָה *Benedicat*, i. e. benefaciat tibi *Deus.* וְיִשְׁמְרֶךָ *Custodiat te*, i. e. malum a te arceat. — 25. יָאֵר יְהוָה פָּנָיו אֵלֶיךָ *Faciat lucere Jova faciem suam*, i. e. hilari vultu te adspiciat, tibi propitius

sit. — 26. יִשָּׂא יְהוָה פָּנָיו אֵלֶיךָ *Attollat Jova ad te faciem*, convertat ad te faciem; benevolum et benignum se tibi praestet. Cf. Ps. 4, 7. שָׁלוֹם *Pax* hic *omnis generis felicitatem* denotat, ut saepe. — 27. וְשָׂמוּ אֶת־שְׁמִי עַל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Ponent nomen meum super Israelitas*; cum benedicent iis, adjungent nomen meum; nomine meo prolato bene precabuntur Israelitis. Intelligitur nomen proprium יְהוָה, quod ideo adhibebatur, ut populo in memoriam revocarentur promissa Dei, quae ut praestaret, Deus orabatur.

Cap. 7.

Tabernaculo sacro erecto, quid quaeque tribus, tribuumque Principes obtulerint. Moses in Sanctuarium ingressus Jovam audit sibi de Propitiatorio loquentem.

1—5. בְּיוֹם כַּלּוֹת מֹשֶׁה *Die quo absolvit Moses*, i. e. quum absolvisset. וַיִּמְשָׁחֵם *Et unxit ea*, vasa sacra, vid. Ex. 40, 9. Altare consecratum est primo anni secundi mense post exitum ex Aegypto, Ex. 40, 2. Moses igitur hic non observat temporis ordinem, uti saepius. — 2. הָעֹמְדִים עַל־הַפְּקֻדִים *Qui stabant super numeratos*, i. e. qui praecerant numeratis. Alii putant, intelligi eos, qui Mosi et Aaroni adstarent, quum populus numeraretur. — 3. שֵׁשׁ־עֶגְלֹת צָב varie vertitur. LXX. ἐξ ἁμάξας λαμπηνίκας. Λαμπήνη extat apud *Pollucem*, Lib. 10. c. 12. in sensu τῶν ὀχημάτων, *vehiculorum*. Hesychius docet, λαμπήνην esse illustrium virorum vel feminarum vehiculum, desuperque opertum fuisse. Aquila: σκεπαστάς, *tecta*. Sic etiam Onkelos et Vulgatus: *plaustra tecta*. Quae interpretatio procul dubio vera est; nam צָבַב Arabibus in Conjug. 2. significat *clusit*, *operuit*. Plaustra autem tecta erant, ut utensilia et vestimenta sancta in iis mundius vehierentur. Alii צָב derivant a צָבָא *exercitus*, *militia* (sicut כֵּס Ex. 17, 16. dictum volunt pro כִּסֵּא *solium*, *thronus*), hoc sensu: *sex plaustra militaria*; ita versio Samaritana, in qua est שת עגלן חיל. Hierosolymitanus: *plaustra bijuga*, quod unicuique plaustro erat par boum trahens illud. Syrus: *plaustra instructa*. עֶגְלָה לְאֶחָד — *Unum plaustrum pro duobus principibus; singuli boves singulis*. — 5. וְהָיוּ לַעֲבֹד אֶת־עֲבֹדַת אֹהֶל מוֹעֵד *Et erunt ad serviendum ministerio tabernaculi conventus*, omnia illa, quae principes obtulerint, erunt usui ministerio tabernaculi. אִישׁ כְּפִי עֲבֹדָתוֹ *Cuique pro ministerio suo*; h. e. iis, qui plura sacra suppellectilia et graviora debebant vehere, plaustra dedit plura quam aliis.

8—13. בְּיַד אִיתָמָר *In manu Ithamaris*, sub praefectura, directione Ithamaris. — 9. כִּי־עֲבֹדַת וגו׳ *Quia ministerium sanctitatis super eos*, *in humero bajulabunt*, i. e. munus, quod iis circa sacrarium incumbit, est humeris bajulare. — 10. חֲנֻכַּת הַמִּזְבֵּחַ *Dedicationem altaris*, i. e. victimas, quarum maetatione altare consecrabatur. — 11. נָשִׂיא אֶחָד — הַמִּזְבֵּחַ Singuli principes singulis diebus munera ad consecrationem altaris offerant. —

13. קְעָרַת כֶּסֶף *Scutella argentea*, cf. de hac voce et iis quae sequuntur not. ad Ex. 25, 29. 27, 3.

89. לְדַבֵּר אִתּוֹ *Ad loquendum cum eo*, ut consuleret eum, sc. Jovam, quem intelligi verba quae sequuntur, et ipsae textus περισάσεις non sinunt dubitare. Loca plura alia, quibus Pronomina affixa respiciunt ad nomen diserte non expressum, sed e contexto sermone facile intelligendum, attulit GLASSIUS *Philol. S.* pag. 158. edit. Dath. Cf. 25, 4. HUBIGANTIUS: „*Ut loqueretur cum eo*, nempe cum Deo qui Vs. 11. cum Mose loquebatur. Nam res gestae in hoc Vs. continuantur cum Vs. 11. Et ea quae intercesserunt, de recensione donorum, ex Tribuum tabulis huc fuerunt in medias res allata, ut Commentarii pars separata, et tanquam scheda ad locum sibi in historia sacra proprium annexa.“ Est vero hic Vs. simul εἰσαγωγικὸς ad ea quae sequuntur. Nihil igitur necesse est, ut cum VATERO hunc Vs. majoris pericopes laciniam statuamus, quae inter supplementa plura alia, nullo rerum ordinis respectu habito, hic inserta fuerit. מֵעַל *E supra*, h. e. e loco, qui erat supra operculum. „Audiebat vocem, sed nullum videbat simulacrum, ex cujus ore exiret. Ethnici etiam, quum infra divinam majestatem esse videretur, passim hominibus conspiciendum praeberi, voce tantum suam praesentiam significasse interdum volunt. Vid. Euripid. in *Hyppolyto*, Vs. 85. sqq.“ CLERIC.

Cap. 8.

Candelabri et lucernarum locus, situs, materia, forma. Ritus consecrationis Levitarum; aetas, qua ministraturi sunt, definitur.

2—8. בְּהַעֲלֹתְךָ אֶת־הַנֵּרוֹת *Cum tu facies ascendere lucernas*, i. c. quando accendes lucernas. Videtur significari actio sacerdotis ellychnium in oleo depressum attollentis. אֶל־מוּל פְּנֵי הַמְּנוֹרָה *E regione faciei candelabri*, eam partem versus, quae respondet fronti candelabri, i. e. orientem versus. — 4. De candelabro cf. Ex. 25, 31. sqq. — 7. מֵי חַטָּאת *Aquae peccatorum*, i. e. purificationis a peccatis, aquae lustrationis (de quibus c. 19.), quemadmodum verbum חָטָא, *peccavit*, in Piel et Hithpael est *purificavit*. וְהַעֲבִירוּ תַּעַר עַל־כָּל־בְּשָׂרָם *Transire faciant novaculum super omnem carnem suam*, i. e. totum corpus curent radendum. Ad exemplum sacerdotum Aegyptiorum, de quibus Herodot. 2, 37.: *Sacerdotes tertio quoque die totum corpus eradunt, ne quis pediculus, aut alia sordes Deos colentibus adhaereat.* — 8. וְלָקְחוּ *Tum sument*, sc. לְעֹלָה *in holocaustum*. פַּר בֶּן־בָּקָר *Juvencum filium bovis*, i. e. bove natum. פַּר *juvencus*, mediae aetatis inter vitulum (עֵגֶל) et bovem (שׁוֹר). וּמִנְחָתוֹ *Ejusque fertum*, cujus mensura traditur 28, 12.

10—12. וְסָמְכוּ — הַלְוִיִּם *Imponent Israelitae*, i. c. aliqui ex iis, nomine omnium, *manus suas Levitis*, eos Deo, loco pri-

mogenitorum suorum offerentes, et in eos munus, quod primogenitis (quippe Deo sacris) alioquin incubuisset, transferentes. Hanc ejus ritus significationem fuisse, apparet ex iis, quae sequuntur. — 11. וְהֵנִיף אַהֲרֹן אֶת־הַלְוִיִּם *Agitabit Aaron Levitas*, i. e. eos altare circumire jubebit (vid. 3, 6.). וְהָיוּ לַעֲבֹד *Erunt*, sc. parati *ad ministrandum* etc. Omissio vocabuli עָתִיד *paratus* post הָיָה frequens est, veluti Gen. 15, 12. 2 Sam. 18, 3. Ez. 30, 16. — 12. Hoc sacrificio Levitae consecrabantur, i. e. ab omni immunditie puri reddebantur, quia omne, quod ad tabernaculum conventus pertinebat, *sanctum*, i. e. ab immunditie Levitica purum esse debuit. De כִּפֶּר vid. ad Lev. 1, 4.

14—19. וְטִהַרְתָּ אֹתָם וְהֵנַפְתָּ *Sic* secernes. — 15. אַחֲרֵי כֵן *Postquam* a te fuerint purificati et mihi oblati. — 16. נְתֻנִים נְתֻנִים הֵמָּה לִי *Dati dati mihi sunt*, i. e. prorsus mihi addicti. תַּחַת פִּטְרַת כָּל־רֶחֶם *Loco apertionis omnis vulvae*, i. e. loco omnium primogenitorum, uti ipse statim sese exponit. — 19. וְנָתוֹן — וְלִבְנָיו *Trado Levitas donatos Aaroni ejusque filiis*, vid. ad 3, 9. לַעֲבֹד — בְּאֹהֶל מוֹעֵד *Ad faciendum opus filiorum Israelis in Tabernaculo conventus*, ut reliquorum Israelitarum loco tentorium curent. וּלְכַפֵּר עַל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Et ad tegendum super Israelitas*, i. e. ut impediant, quominus Deus Israelitas temere ad sacra accessuros plectat; ita enim haec phrasis explicatur in verbis, quae statim sequuntur, *ne accedentibus ad Sacrarium plaga injungatur*. Si enim Israelitae ipsi ad sanctuarium accessissent, facile in re aliqua delinquere culpamque contrahere potuissent. Sic infra 15, 13. *Pinchasus* dicitur *obtexisse* (כִּפֶּר) *Israelitas*, quod impediisset, quominus plaga divinitus injuncta plures occideret.

21—26. וַיִּתְחַטְּאוּ *Expiaverunt*, purgarunt se ab immunditie Levitica. — 22. לִפְנֵי אַהֲרֹן וְלִפְנֵי בָנָיו *Coram Aarone et coram filiis ejus*, qui ipsis praefecti erant, et quorum jussis obsequi debebant. — 24. זֹאת אֲשֶׁר לַלְוִיִּם *Hoc quod Levitis*, hoc pertinet ad Levitas, hoc spectat munus, quod iis imponitur. — 25. וּמִבֶּן — הָעֲבֹדָה *Sed a filio quinquaginta annorum redibit*, sc. domum *ab agmine operis*, ab anno 50. cessent a munere, sc. bajulantium, quia ea res indigebat hominibus, quibus integrae essent vires. — 26. וְשֵׁרֵת *Ministrabit* is, qui annum 50. superavit, sc. in rebus facilioribus. אֶת־אֶחָיו *Una cum fratribus suis.* לִשְׁמֹר מִשְׁמֶרֶת *Ad custodiendum custodiam.* Per מִשְׁמֶרֶת *custodiam* indicantur excubiae agendae et res concreditae custodiendae, curandae, parandae, resarciendae; quibus rebus sufficiebat aetas infirmior; per עֲבֹדָה vero, quod sequitur, designatur ministerium operosius, ut erat comportatio victimae majoris, vasorum Tabernaculi et lignorum, ceteraeque ministerii partes actuosae, quibus immunes sunt, non a quibus arcentur, qui annum 50. attigerunt. כָּכָה תַּעֲשֶׂה לַלְוִיִּם בְּמִשְׁמֶרְתָּם *Sic facies Levitis in observationibus eorum*, sic Levitis munera sua assignabis.

Cap. 9.

Qui vel immunditia vel causa itineris praepediti Paschalem victimam offerre cum ceteris non potuerant, quo tempore eam offerre possint. Additur de nube, quae Tabernaculum operiebat, qua Tabernaculum deserente, ad iter se Israelitae accingebant, eadem autem consistente, stationem figebant.

1—8. בַּשָּׁנָה — הָרִאשׁוֹן *Anno secundo exitus eorum ex Aegypto mense primo.* Moses, qui in historia sua jam ad secundum mensem progressus erat, regreditur ad primum, ut lex de iis, qui pascha stato tempore celebrare non poterant, una cum occasione legis recenseatur. Itaque haec gesta sunt ante censum, de quo Num. 1, 2. sqq., qui secundo mense institutus fuit. — 2. וְיַעֲשׂוּ *Facient*, i. e. celebrarunt. בְּמוֹעֲדוֹ Stato suo tempore. De Paschate vid. 12, 1. sqq. Lev. 23, 5. sqq. — 5. בָּרִאשׁוֹן Primo sc. *mense*, positum pro בַּחֹדֶשׁ הָרִאשׁוֹן. — 6. וַיְהִי אֲנָשִׁים *Fuerunt-que homines.* Nomen plurale conjungitur cum Verbo singulari, ut alias haud raro, cum praemittitur Nomen, veluti 1 Sam. 1, 2.: וַיְהִי לִפְנִנָּה יְלָדִים *Peninnae erant nati;* vid. et 2 Sam. 25, 6. Jes. 13, 22., et cf. Gesenii *Lehrg.* p. 713. Quod Masorethae hunc locum accensent iis, quibus pro ויהי legendum videri possit ויהיו, seu τοῖς σεβιρὶν *conjecturis*, mendum in textu esse innuerunt, sed cautionem potius apponere voluerunt pro lectore, ne opinetur, scribi hic ויהי per errorem. לְנֶפֶשׁ אָדָם *Propter cadaver hominis;* quod hominis mortui exsequiis interfuissent. — 7. לָמָּה נִגָּרַע *Quare diminuemur*, sive *detrahemur*, sc. a numero eorum, qui celebrant pascha. לְבִלְתִּי הַקְרִיב אֶת־קָרְבַּן יְהוָה *Ne offeramus oblationem Jovae.* Ita vocant hi homines agnum paschalem, quod is esset vera victima, cujus sanguis Deo offerebatur, Ex. 12, 6. — 8. עִמְדוּ *Subsistite*, exspectate, manete.

10—14. כִּי־יִהְיֶה — רְחֹקָה Si *vel* impurus fuerit propter funus, *vel* sit in itinere longinquo. לָכֶם אוֹ לְדֹרֹתֵיכֶם *Inter vos aut inter posteros vestros.* וְעָשָׂה פֶּסַח לַיהוָה *Celebrabit* quidem *Jovae pascha*, sed mense secundo. — 11. עַל *Cum*, cf. Ex. 12, 8. Lev. 19, 26. — 13. קָרְבַּן יְהוָה לֹא הִקְרִיב *Oblationem Jovae non obtulit*, non immolavit agnum Paschalem. וְנִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא מֵעַמֶּיהָ *Is homo exscindetur e populo suo.* Quod fieri potuit aut morte aut exilio (Gen. 17, 14.). H. l. procul dubio est intelligenda excisio per mortem. Nam in eos, qui scientes et prudentes aliquod praeceptum ad cultum sacrum pertinens transgressi erant, constitutum erat capitis supplicium. — 14. וכי — לַיהוָה *Si peregrinus inter vos Pascha Jovae celebrare voluerit.* Intelligitur autem peregrinus, qui circumcisus erat, cf. Ex. 12, 48.

15—18. וּבְיוֹם הָקִים אֶת־הַמִּשְׁכָּן *Die quo* primum *erectum fuit tabernaculum.* Quod fiebat die primo anni secundi; vid. Ex. 40, 17. הָקִים, Infinit. Hiph., significat τὸ *erigere;* igitur He-

braica sonant: *in die erectionis*, i. e. quo erigeretur *tabernaculum*. Similis constructio est Jer. 41, 4. — בְּטֶרֶם הָעָנָן אֶת־הַמִּשְׁכָּן לָאֹהֶל הָעֵדֻת *Tegebat nubes tabernaculum ad tentorium legis*; i. e. nubes illa erat super tabernaculum, sed praecipue super eam partem, in qua erat arca legum. יִהְיֶה Fut. pro Praeter. hic vertendum est per Imperf., ut etiam Vs. sq. — 16. הֶעָנָן יְכַסֶּנּוּ *Nubes illud contexit*, sc. יוֹמָם *interdiu*. Id enim supplendum esse, docet alterum hemistichium, coll. Vs. 15. et Ex. 40, 38. Similiter Ps. 91, 7.: *Cadent a latere tuo*, sc. sinistro *mille*, *et a dextra tua*, *decies mille*. — 17. וְלִפְי הֵעָלוֹת הֶעָנָן *Et secundum elevari nubes*, i. e. prout efferens se nubes illa supra tentorium proficiscebatur. יַחֲנוּ *Castra metabantur*, i. e. castra ponere solebant, manebant. — 18. כָּל־יְמֵי אֲשֶׁר יִשְׁכֹּן הֶעָנָן *Omnibus diebus quibus quiesceret nubes*. Status constructus יְמֵי ante Pron. relat., ut Jer. 22, 12.: בַּמָּקוֹם אֲשֶׁר־הִגְלוּ אֹתוֹ *In loco quo eum captivum duxerunt*. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 679.

19—22. וּבְהַאֲרִיךְ — רַבִּים *Cum prolongabat nubes super tabernaculo multos dies*, i. e. si evenisset, ut nubes per dies plures super tabernaculo maneret. וְשָׁמְרוּ אֶת־מִשְׁמֶרֶת יְהוָה *Tunc observabant observationem Jovae*, i. e. praecepta, ritus et ceremonias, quas jusserat Moses circa cultum sacrum observari. Phrasis enim שָׁמַר מִשְׁמֶרֶת omnem cultus Levitici observationem indicat, cf. ad Lev. 18, 30. Sensus igitur hujus loci est hic: Israelitas tum demum tabernaculum sacrum erexisse et ritus sacros observasse, si per complures dies in uno loco commorabantur, si ad breve modo tempus, tabernaculum non esse erectum. — 20. יְמֵים מִסְפָּר *Dies numerationum*, i. e. dies numerabiles (Subst. posito pro Adj.), qui facile numerari possint, *pauci*. Praecedit etiam *ἀντίθετον* יְמֵים רַבִּים. Significatu paucitatis מִסְפָּר et occurrit Gen. 34, 30. Deut. 33, 6. Job. 16, 22. — 22. יְמֵים *Dies*, i. e. per annum, ut Lev. 25, 29. Gen. 4, 3., ubi cf. not. Nisi hic *tempus longius* et *incertum* sit intelligendum.

Cap. 10.

Tubarum argentearum fabricatio earumque usus. Israelitarum a monte Sinai recessio, et proficiscentium ordo. Chobabum, cognatum suum, reditum in Midian meditantem, rogat Moses, ne se suosque deserat. Denique quae Moses praeloqueretur, quum vel elevanda vel deponenda esset arca.

2—5. חֲצֹצְרוֹת כֶּסֶף *Tubae argenteae.* Josephus eas ex usu aevi sui ita describit *Ant.* 3, 12.: *Longitudinem habet cubitali paullo minorem, arcta est syrinx, tibia paullo crassior praebens latitudinem ori ad excipiendum spiritum, desinensque in campanulam, quemadmodum tubae. Hebraica lingua vocatur Asosra.* De מִקְשָׁה vid. Ex. 25, 18. לְמַסָּע *Ad profectionem*, ad signum castrorum movendorum dandum. — 3. וְתָקְעוּ בָהֶן *Et*

clangent iis, cum clangent iis, ambabus, sc. sacerdotes. וְנוֹעֲדוּ אֵלֶיךָ כָּל־הָעֵדָה *Tunc congregent sese ad te omnis populus*, i. e. omnes populi legati vid. Lev. 8, 3. Et apud Romanos *Buccina cogebat priscos ad verba Quirites* (Propert. 4, 1.); cf. Gellius *Noctt.* 15, 27. — 4. בְּאַחַת *Unâ* sc. tuba. הַנְּשִׂיאִים רָאשֵׁי אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל *Principes, duces Chiliadum Israelitarum.* Videntur intelligi duodecim dumtaxat principes tribuum, qui erant ipsis Chiliarchis praefecti, de quibus Ex. 18, 21. — 5. תְּרוּעָה *Sonus fractus*, tremulus; a verbo רוּעַ coll. Arab. رِيع, quod proprie denotat *frangere*, *frangendo rumpere*, et hinc speciatim dicitur de *sono*, quando *non procedit aequali tenore*, sed *fractus est* et *identidem abruptus.* Bene Vulgatus: *si prolixior atque concisus clangor increpuerit.* Sic et Virgilius dixit *fractos sonitus tuburum.* וְנָסְעוּ הַמַּחֲנוֹת הַחֹנִים קֵדְמָה *Tunc proficiscantur castra eorum qui castra metantur orientem versus*, i. e. tribus Juda, Issaschar et Sebulon; 2, 3.

6 — 10. תֵּימָנָה *Ad meridiem*, i. e. castra meridionalia, Ruben, Simeon et Gad; 2, 10. תְּרוּעָה יִתְקְעוּ לְמַסְּעֵיהֶם Sonus ille tremulus signum sit castrorum movendorum. — 7. תָּקְעוּ וְלֹא תָרִיעוּ Aequabili sono clangetis, non fracto. — 9. וְנִזְכַּרְתֶּם לִפְנֵי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Ut memoria vestrum Jovae redeat.* Simile quid vidimus Ex. 28, 29. Itaque tubarum clangor erat veluti divini auxilii invocatio; hac autem re Israelitis animum in pugnando accensum fuisse, quisque intelligit. וְנוֹשַׁעְתֶּם מֵאֹיְבֵיכֶם *Et ab hostibus vestris liberemini.* Animo nempe per Dei invocationem accenso, acrius pugnabant. — 10. וּבְיוֹם שִׂמְחַתְכֶם *Diebus gaudii vestri*, in quibus gaudebant, epulas et convivia celebrantes. Id fiebat diebus festis, calendis, et publicis solemnitatibus, veluti, quando templum conditum fuit et dedicatum a Salomone 2 Chr. 5, 12. 13., quando instauratum Esr. 3, 10. 11. etc. וּבְמוֹעֲדֵיכֶם *Statis festis*, quae recensentur Lev. 23. בְּרָאשֵׁי חָדְשֵׁכֶם *Initio mensium;* in Neomeniis enim fiebant sacra Num. 28, 11. sqq. Docet etiam Psaltes Ps. 81, 4. tubae sonum eo tempore auditum fuisse. עַל עֹלֹתֵיכֶם וְעַל זִבְחֵי שַׁלְמֵיכֶם *Ad holocausta et sacrificia eucharistica vestra*, sc. publica et solemnia. וְהָיוּ לָכֶם לְזִכָּרוֹן לִפְנֵי אֱלֹהֵיכֶם *Erunt illae vobis ad memoriam vestri coram Deo revocandam.* Sonitu enim tubarum populus excitabatur ad Deum celebrandum; per eam autem celebrationem Deo Israelitas in memoriam revocari, loquutio anthropopathica est. Ceterum post hunc Vs. Samaritani addunt Vers. 7. et 8. Cap. 1. Deuteron.

11 — 14. בְּעֶשְׂרִים *Vigesimo*, scil. die, ut Gen. 8, 2. 3. 1 Sam. 30, 13. — 12. לְמַסְּעֵיהֶם *Secundum profectiones suas*, i. e. justis itineribus, *in gewöhnlichen Tagereisen.* Alii: *per turmas tuas*, suo ordine, servato ordine procedendi. בְּמִדְבַּר פָּארָן In deserto *Pharan* vid. Gen. 14, 6. Sed non unis castris illuc pervenerunt; primum enim castra posuerunt in *Kibroththaava*,

unde iverunt *Chatserothas*, vid. 11, 34. 35. Hinc moverunt in Pharaniticum desertum, vid. 12, 16. — 13. בָּרִאשֹׁנָה *Prima vice.* Significatur, primam castrorum motionem factam esse. Spectatque ad universum populum, non ad unam tantum tribum, quae primo castra moverit; uti alii vertunt cum Vulgato, qui habet: *moveruntque castra primi etc.* — 14. עַל־צְבָאוֹ *Ante* agmen suum; huic agmini praefuit etc.

21. הַמִּקְדָּשׁ i. e. כְּלֵי הַמִּקְדָּשׁ *suppellectilia sacrarii*, Arca, candelabrum, mensa aurea, altare aureum etc., vid. 4, 5. sqq. וְהֵקִימוּ וגו׳ *Erexeruntque* Gersonitae et Meraritae *tabernaculum usque venirent ipsi*, Caathitae. Sensus est, Gersonitas et Meraritas erexisse tabernaculum, dum advenirent Caathitae, qui res sanctuarii in illud inferrent. Igitur verba Hebraea continent rationem, cur Gersonitae et Meraritae non cum Caathitis incederent, sed hos praeirent; caussa fuit, ut, dum Caathitae advenirent, illis suppeteret tempus erigendi tabernaculum. Aliter illa verba intelligit Michaelis. Is enim הֵקִימוּ vertit *subsistere jusserunt*, scil. Gersonitae et Meraritae tabernaculum (*die Wohnung hatte man stehen lassen, bis sie kamen*). Ex hac interpretatione sensus erit, Gersonitas atque Meraritas parietem ex tabulis factam et aulaeam interius super vasis sacris reliquisse, ne ea sine teeto et in nudo solo jacerent, usque venirent Caathitae, qui illa auferrent.

29. 31. חֹתֵן hic non est *sponsus*, ut Ex. 4, 24. Ps. 19, 6. et alias, sed *affinis*, seu *cognatus*. Mosis soecr, Jethro (s. Chobabus, vid. ad Ex. 2, 18.), qui primo itineris anno apud eum erat, in patriam, Midian, redierat, Ex. 18, 27. Nunc autem (vid. not. ad Ex. 13, 21.) Moses precibus impetrabat, ut is ducem itineris sese praeberet. Posteri ejus vitam Nomadicam in Palaestina ducebant, Jud. 4, 11. — כִּי יְהוָה דִּבֶּר־טוֹב עַל־יִשְׂרָאֵל *Nam Jova locutus est bonum super Israel;* sensus: eris particeps eorum, quae Deus nobis daturus est; nam bona multa pollicitus est nobis. Quum Hebraei careant verbo, quod proprie respondet verbo *polliceri*, coguntur uti verbo דִּבֶּר. — 31. כִּי עַל־כֵּן יָדַעְתָּ חֲנֹתֵנוּ בַּמִּדְבָּר *Quia nosti castra ponere nostra in deserto*, i. e. ubi loca sunt apta castris ponendis. In Arabia enim, ubi aquarum penuria et rapaciuni catervarum insidiae facile magnum damnum inferre possunt, plurimum interest scire, ubi castra poni recte possint. וְהָיִיתָ לָּנוּ לְעֵינָיִם *Erisque nobis oculorum instar*, i. e. dux nobis itineris; cf. Job. 29, 15. Chobabo, homini Madianitae, per ea deserta cum gregibus saepe vagato, notissima erant omnia loca, in quibus erant pascua et fontes, quos Arabes summo studio obtegere solent. Haec igitur loca, optimumque ac cuivis regioni aptissimum castra metandi modum Chobabus ostendere, atque ita varia ac multiplici ratione Israelitis prospicere ac consulere poterat. Cf. not. ad Ex. 13, 21.

33 — 36. הַר יְהוָה *Mons Jovae* sc. Sinai, cf. Ex. 3, 1. — 34. בְּנָסְעָם מִן־הַמַּחֲנֶה *In profectione sua e castris*, i. e. cum proficiscebantur e loco, ubi tentoria fixerant. — 35. קוּמָה יְהוָה *Exsurge Jova!* Alluditur procul dubio ad morem militarem, ubi audita tuba ad arma exsurgere solet miles impiger et strenuus, cf. Ps. 35, 2. וְיָפֻצוּ אֹיְבֶיךָ *Et dissipentur hostes tui*, i. e. hostes populi tui. פוּץ coll. Arab. فاض proprie dicitur *de aqua, quae extra ripas exundat;* hinc ea radix apud Arabes in Conj. 4. valet: *cum impetu latus est et effudit se in cursum.* Haec significatio radicis פוּץ h. l. est adhibenda, sed in sensu malo eam sumendam esse, apparet ex orationis nexu. Significat igitur hic *dilabi, divagari* extra sedes suas, habetque notionem noxae, erroris, interitus conjunctam. — 36. Ante רִבְבוֹת subaud. אֶל, *ad*, quod saepius omittitur, ut Ex. 4, 19. Hos. 7, 11. 16. Sed quum alias semper רִבְבוֹת scribi soleat (e. c. Deut. 33, 17. Mich. 6, 7. al.), hic vero רִבָּבוֹת extet; in hac scriptionis anomalia nonnulli duplicis, quae olim in ea voce extiterit, lectionis indicium deprehendere sibi visi sunt; quarum una רִב, altera רִבּוֹת fuerit. Atque priori illa adhibita, coll. Arab. رَبَّ *praefuit, rexit*, sensum esse: *Revertere, Jova, Israelitarum millibus praeesse;* altera vero, ex Arab. ربأ, *curavit*, in Conjug. 2.: *revertere, Israelitarum millia curare.* Neutra tamen harum significationum Hebraeis videtur in usu fuisse.

Cap. 11.

Queritantem populum ignis coelitus immissus absumit et Mose deprecante extinguitur. Carnem flagitat populus, Mosesque muneris excusationem petit a Jova, qui septuaginta viros eum adsciscere jubet, carnemque Israelitis pollicetur et mittit, sed improbas eorum querimonias plectit.

1. וַיְהִי הָעָם כְּמִתְאֲנִנִים רַע בְּאָזְנֵי יְהוָה *Et fuit populus quasi conquerentes malum in auribus Jovae* (ab אָנַן, Arabice *gemuit*, in Hithpoel *prae dolore lugere, querulari et murmurare*, conf. Thren. 3, 39.), i. e. populus impie queritabat contra Jovam. כְּמִתְאֲנִנִים *sicut ingemiscentes*, similes se gerebant iis, qui amisso ingenti bono luctu gravissimo dejectos se sentiunt, ac gestu et voce ad exprimendum animi dolorem sese componunt. Ex hac igitur interpretatione non est opus, ut כְּ positum putemus pro כַּאֲשֶׁר הָיוּ *quum essent*, sc. ingemiscentes, sive quum ingemiscerent, ut alii voluerunt. LXX. γογγύζων πονηρὰ *murmurans mala*, Vulg. *ortum est murmur.* Rabbinorum nonnulli verbum Hebr. interpretantur *occasionem quaerere*, quasi deducatur hoc verbum ab אֲנָה *causam praebuit*, hinc תְּאֲנָה *occasio et caussa.* Sic Onkelos: *quum caussam quaererent malam* contra Jovam. וַתִּבְעַר בָּם אֵשׁ־יְהוָה *Exarsit in eos ignis Jovae.* Ita vocatur *fulmen*, cf. Job. 1, 16. 2 Reg. 1, 10. 12. Significatur, castra fulminis ictu tacta esse. Alii intelligunt *iram ardentem*, coll. Ps. 78, 21. Tunc

totus hic locus ageret de morbo pestifero, qui multos consumsit (קָצֵה הַמַּחֲנֶה). Quem morbum Israelitae, more omnium gentium nondum satis exultarum, poenam querelarum iis a Deo immissam putabant. Id quod tamen et valet, si ignem a fulminis ictu excitatum intelligimus. Alii sub *igne Jovae* ventum urentem, *Samum*, i. e. venenatum vocatum, intelligunt. Attamen prior interpretatio videtur praefereuda. וַתֹּאכַל בְּקֵצֵה הַמַּחֲנֶה *Et consumsit extremitatem castrorum.* Jarchi intelligit *extremos* s. ultimo loco positos, *qui inter eos*, Israelitas, erant, ita dictos *propter vilitatem*, fuisse enim *illos vulgus illud mixtum*, de quo Vs. 4. Sed videtur simplex esse sensus, ignem coepisse in extremis, castris, nimirum aliis in terrorem. Videtur autem fulmen dumeta et fruticeta in illis desertis frequentia, inter quae Israelitae castra posuerunt, incendisse; qui ignis non facile extinguendus, et cito huc illuc currens brevi multa tentoria consumere potuit.

2. 4. וַתִּשְׁקַע הָאֵשׁ *Et resedit ignis.* שָׁקַע proprie dicitur de *fluvio desidente*, cum aqua ejus imminuta residet, vid. Amos 9, 5. 8, 8. Ez. 32, 14. Hinc nostro loco usurpatur de *igne subsidente*, i. e. extincto. LXX. ἐκόπασε τὸ πῦρ, *cessavit ignis.* — 4. Particula ו, qua hic Vs. incipit, apte redditur: *Non ita longe post.* אֲסַפְסֻף recte Vulgatus reddidit *vulgus promiscuum (Gesindel)*; quod sese cum Israelitis Aegyptum relinquentibus conjunxerat (Ex. 12, 38.). הִתְאַוּוּ תַּאֲוָה *Desiderarunt desiderium*, i. e. ardenter concupierunt, flagrarunt desiderio, sc. aliorum ciborum. וַיָּשֻׁבוּ וַיִּבְכּוּ *Redibant et flebant*, i. e. iterum flebant, iterum queritabant. Hebraei enim verbo שׁוּב utuntur, si alicujus rei iterationem exprimere volunt. Cf. ad Gen. 26, 18. coll. ib. 30, 31. LXX. καθίσαντες ἔκλαιον. Pro יָשֻׁבוּ legerunt יָשְׁבוּ. Sic et Vulgatus: *sedens et flens.* מִי יַאֲכִלֵנוּ בָּשָׂר *Quis nobis carnem comedendam dabit*, i. e. utinam nobis daretur caro! At Israelitae ingentem pecoris et armenti copiam ex Aegypto secum duxisse dicuntur, Ex. 12, 38., quomodo igitur carnes flagitare potuerunt? Respondent nonnulli, vocem בָּשָׂר h. l. de *piscium* carne intelligendam esse, ut Lev. 11, 11., praesertim cum statim Vs. sq. de piscibus sermo sit. Sed nil impedit, quo minus בָּשָׂר etiam de carne bovilla, ovilla et caprina intelligamus. Vetantur enim Israelitae harum carnium esu, dum in itinere essent, nisi in epulis sacrificalibus, Lev. 17, 1 — 7.

5. זָכַרְנוּ — חִנָּם *Recordamur piscium quos in Aegypto gratis comedebamus.* Propter ingentem eorum in ea terra copiam, quam et antiquiores et recentiores laudant. Nilus non solum sed etiam lacus *Tennis* seu *Menzale*, cujus littora pars Gosenitidis erant, magna abundat copia piscium, qui sale conditi in multas alias regiones, inprimis Syriam et Aegyptum occidentalem mittuntur. קִשֻּׁאִים est nomen *cucumerum.* De cucumere, quem *Chate* adhuc appellant Aegyptii, hoc modo loquitur PROSPER ALPINUS *de*

Plantis Aegypti, p. 54.: *In usu habent Aegyptii genus quoddam cucumevorum Chate vocatum; quae planta a communi cucumere alia quidem re non differt, nisi magnitudine, colore et mollitie, quando cucumis Aegyptia folia habeat minora, albiora, molliora atque rotundiora, fructusque producit admodum a nostratibus differentes; quando his longiores, et viridiores sint, a cortice plano, molli, aequali spectentur, gustuique sint dulciores atque concoctu faciliores.* Quodsi verum est, cucumeres illos in Aegypto sponte nasci, vere dicere potuerunt Israelitae, se cucumeres in Aegypto gratis edisse. Cf. Celsii *Hierob.* P. II. p. 247. sqq. Egit etiam de hac planta Hasselquist p. 530. אֲבַטִּחִים LXX. et Vulgatus vertunt πέπονας, sc. σίκυας. Πέπων enim denotat *mollis*, *mitis*, hinc σίκυοι πέπονες dicitur cucumerum genus illud, quod mollius est et dulcius. Deinde omisso σικύος absolute dicitur πέπων. Plin. *H. N.* 19, 5. scribit, cucumeres quum magnitudine excessere, *pepones* vocari. Significatur procul dubio illud plantarum cucurbitacearum genus, quod Aegyptii etiammum voce Hebraica *Battich* vocant, vid. Forskal *Descrr. Plantt.* pag. 767. (*Citrullus Battich*, Hebr. אֲבַטִּחִים). Prolixe de hac planta egit Hasselquist p. 528. sqq., ubi inter alia dicit, hunc citrullum Aegyptiis potum et cibum praebere, imprimis pauperibus, quorum cibus fere unicus mense Julio hi citrulli sint, quod iis terra abundaret. Cf. Celsius P. I. p. 356. sqq. et *d. a. u. n. M.* P. II. p. 241. חֲצִיר veteres interpp. omnes *porrum* vertunt. Nomen חָצִיר, quod propric *gramen* denotat, *porro* inditum videtur ob ejus cum gramine similitudinem. Porrum (quod in Aegypto frequens fuit) inter cibos priscorum hominum fuisse, testatur Athenaeus *Deipnosophist.* 4, 6., ubi τοὺς Ἀθηναίους, inquit, ὅταν τοῖς Διοσκούροις ἐν πρυτανείῳ ἄριστον προτιθῶται, ἐπὶ τῶν τραπεζῶν τιθέναι τυρὸν (caesum), καὶ φύστην (mazam ex farina et vino), δρυπετεῖς τ' ἐλάας (olivas caducas), καὶ πράσα (porrum), ὑπόμνησιν ποιουμένους τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς. Ceterum dignus est qui conferatur de hac planta Celsius P. II. p. 263. sqq. בְּצָלִים Chaldaeis, Syris, Arabibus et Acthiopibus sunt *cepae*. Itaque nostro loco Onkelos, Syrus et Arabs illam vocem retinuerunt. LXX. κρόμυα, quae vox eandem illam plantam significat. Cepis autem non solum Aegyptum abundasse, sed etiam eas cibum fuisse hominum operariorum, quales Israelitae in Aegypto erant, docet Herodot. *Euterp.* p. 156. edit. Steph.: *In ipsa pyramide litterae Aegyptiacae scriptae indicant, quantum sit evogatum in operarios pro raphano, cepis et alliis: quod interpres earum litterarum, ut probe reminiscor, ajebat in summa mille et sexcenta talenta pecuniae esse.* Quod repetit Plinius *H. N.* 32, 12. Magnitudine et bonitate cepas Aegyptiacas excellere, iisque etiammum Orientales delectari, multi narrant, qui illas regiones adierunt. Cf. Celsius P. II. p. 83. sqq. שׁוּמִים *Allia* recte verti, dubium non est, quum in hodiernum usque diem per magnam Orientis

partem eodem nomine appellentur. Alliorum magnam copiam Aegyptum olim aluisse, docet Herodoti locus supra allatus. Ex recentioribus autem FORSKAL allia numerat inter plantas, quae in Aegypto sponte nascuntur.

6. 7. נַפְשֵׁנוּ יְבֵשָׁה *Anima nostra sicca est*, i. e. esurimus. נֶפֶשׁ hic notat *adpetentiam*, ut enim animalia halitum frequentem et vividum emittunt in id, quod cupiunt; ita factum, ut נֶפֶשׁ saepe sumatur pro *cupidine*, *adpetitu*, veluti Jes. 29, 8. 32, 6. Sic et Ps. 78, 18. de Israelitis, *tentaverunt Deum petendo cibum* לְנַפְשָׁם *animae suae*, i. e. qui adpetentiae suae satisfaceret. אֵין כֹּל וגו׳ *Nihil quidquam praeterquam ad mannam oculi nostri*, nihil nisi mannam videmus. Ideo eam fastidimus. — 7. וְהַמָּן כִּזְרַע גַּד הוּא *Manna autem instar seminis coriandri erat*. גַּד *coriandrum* vertunt veteres omnes. Est semen notissimum, etiam in Aegypto frequens, cui solum quoad magnitudinem manna confertur. Cf. ad Ex. 16, 15. וְעֵינוֹ כְּעֵין הַבְּדֹלַח *Adspectus ejus ut adspectus bdellii*, i. e. colore erat similis bdellio, quod habet alborem subflavum, ut veteres docent.

8. 9. וְטָחֲנוּ בָרֵחַיִם *Moluerunt in molis*. רֵחַיִם coll. Arab. רַחֲוָאן s. רַחֲיָאן est *mola*, a רחא, *contorsit se in spiram*. וְעָשׂוּ אֹתוֹ עֻגוֹת *Sive ex ea faciebant placentas subcineritias*. De עֻגוֹת vid. Gen. 18, 6. Etiamnum in Persia placentarum genus ex manna confici solet. Vid. ad Ex. 16, 15. Verba וְהָיָה טַעְמוֹ כְּטַעַם לְשַׁד הַשָּׁמֶן vulgo sic reddunt: *sapor ejus erat sicut sapor liquoris olei*. Quod autem non reddit sensum aptum. Quid enim est *liquor* olei, quum oleum ipsum jam sit liquor? Pro לְשַׁד veteres legisse לָשׁ *depsum aliquid*, a לוּשׁ *depsere*, quidam inde collegerunt, quod Onkelos et Syrus *massam cum oleo* reddiderunt. Similiter LXX. ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου, Vulgat. *panis oleatus*, Arabs Erpenii: *spongiosa placenta mellis*. Pro הַשָּׁמֶן autem legisse דְּבַשׁ, *mel*, non tantum Arabem Erpenii volunt; verum et paraphrasten Hierosol., qui *cocta in melle;* et Symmachum, qui tamen utramque lectionem conjungit, ponens μαστοῦν εἰς λίπος ἐκ μέλιτος, *pingue* vel *molle quid coctum ex melle*. MICHAELIS *Bibl. Orient. Nov.* P. III. p. 225. suspicatur a Mose scriptum fuisse לש דהש מן דבש *placenta mollis ex melle confecta*, (coll. Arab. דהש *molle fuit)*, nam si voces una serie scriptas nobis cogitemus, לשדהשמנדבש, facile intelligi posse originem non solum lectionis Masorethicae, sed etiam varietatis lectionis in versionibus antiquis. Hinc Michaelis etiam vertit *Honigkuchen*. Mihi tamen lectio Masorethica sensum non ineptum dare videtur, si לְשַׁד interpretamur *buccellas minutas*, sive *parvas placentas*, cujus significationis vestigium adhuc in Arab. dialecto deprehendere mihi videor; לתד enim significat: *congestâ offâ*, sive *maceratis panis frustis per partes et ordines implevit aequavitque patinam:* vid. CASTELLI *Heptagl.* p. 1973. לְשַׁד הַשָּׁמֶן igitur fuerint *buccellae in oleo maceratae*. Cum iis autem sapo-

rem mannae comparari neminem offendet, qui cogitat, oleum in illis regionibus jucundissimi esse saporis, atque placentas in oleo maceratas ab Orientalibus inter optimos haberi cibos. — 9. עָלָיו *Super castra*, vel *cum eo*, sc. rore, עַל enim saepe denotat *cum*, veluti Ex. 35, 22.

10—15. לְמִשְׁפְּחֹתָיו אִישׁ *Secundum familias suas vir*, i. e. unusquisque. וּבְעֵינֵי מֹשֶׁה רָע *Et in oculis Mosis malam*, i. e. ipsi etiam Mosi displicuerunt populi querelae. — 11. לָשׂוּם אֶת־ מַשָּׂא כָּל־הָעָם הַזֶּה עָלָי *Imponendo mihi onus totius hujus populi*, cur non exaudisti preces meas, cur tam infelicem me fecisti, ut tantum onus mihi imponeres? Respicit ad hoc, quod antea deprecatus erat suam vocationem, Ex. 3, 11. — 12. שָׂאֵהוּ — אֶת־הֵינָק *Fer eum* (populum) *in sinu tuo*, *quemadmodum fert nutritius puerum lactentem;* h. e. maximam ejus curam gerito, eumque molestias tibi creantem haud aliter ferto, ac gerulus pueruli lactentis, quem sinu gestat, clamores et lacrymas perfert. אֹמֵן (coll. Arab. אמן in Conjug. 4., vel מאן *curavit*, *prospexit alicui)*, *securum tutumque reddidit*, *protexit*. si de infantibus est sermo, denotat cum, qui eorum curam gerit, *τιθηνόν*, uti LXX. habent. Jonathan et Hierosolym. פַּדְגּוֹגָא *paedagogum.* Romani quoque *Gerulos* atque *Nutritios* habuerunt. אֲשֶׁר נִשְׁבַּעְתָּ לַאֲבֹתָיו *Quam* (terram) *jurejurando pollicitus es* te daturum *majoribus ejus.* — 13. וְנֹאכְלָה *Et comedemus*, i. e. ut comedamus, comedendam. — 14. לֹא־אוּכַל *Non possum ego solus amplius ferre hunc populum*, non possum amplius resistere huic populo, in me solum ruenti et flagitanti quae dare nequeo. כִּי כָבֵד מִמֶּנִּי *Gravior enim est me*, i. e. gravior et major est provincia illa, quam ut illam viribus meis sustinere possim. — 15. וְאַל־אֶרְאֶה בְּרָעָתִי *Ne videam malum meum.* Videt *bonum*, qui eo fruitur, *videt malum*, qui id patitur. Hinc verba Mosis denotabunt, ne cogar tanta mala pati, experiri, a populo rebellante. LXX. *τὴν κάκωσίν μου, vexationem* aut *afflictionem meam.*

16—18. אֶסְפָה־לִּי — עִמָּךְ *Congrega mihi septuaginta viros e senibus populi Israelitici*, *quos senes et praefectos populi nosti; eos ducito ad tentorium conventus*, *ut tibi adstent.* Multi fuerunt, qui Judaeorum magistros sequuti, putarent, hanc fuisse originem Synedrii Magni. Sed hoc falsum esse, facile intelligimus, si amborum Senatuum rationem atque consilium animadvertimus. Septuaginta senes, de quibus h. l. est sermo, ipso Mose testante, ideo eligebantur, *ut populum ferrent* (Vs. sq. וְנָשְׂאוּ אִתְּךָ בְּמַשָּׂא הָעָם). Satis quidem liquet hanc translationem petitam esse ab iis, qui onere premuntur, et cum onere aptissime posse conferri administrationem Reipublicae, cf. Ex. 18, 18. Deut. 1, 9. Verum h. l. facile intelligitur, Mosen non loqui de difficultate aut multitudine negotiorum, sed de indole populi ad fremitus

et seditiones proclivis, cui Moses solus resistere non poterat. Ad negotia civilia quod attinet et capitalia judicia, Moses parte oneris, quod initio sibi totum incumbebat, sese jam exoneraverat, eamque in judices transtulerat, Ex. 18, 24. Nec ad talia negotia 70 senes vocantur, quae ipsi jam, uti videtur, administrabant; erant enim *e senibus et praefectis populi.* Indigebat Moses hominibus, qui tanta auctoritate essent apud populum, ut eum res novas molientem et tumultuantem reverentia sui possent coercere atque ad officium revocare. Post Mosis obitum autem nulla hujus senatus in sacris litteris mentio amplius occurrit. Post exilium demum Babylonicum constitutum erat Synedrium magnum, et quidem (coll. 2 Chr. 19, 8.) ad *judicia ferenda*, non, sicuti hic Mosis senatus, ad populum coercendum. Vid. de hac re Mich. *J. M.* P. I. §. 50. — 17. Vid. ad Vs. 25. — 18. הִתְקַדְּשׁוּ *Sanctificamini*, date operam, ut puri sitis et incontaminati, praeparate vos. בְּכִיתֶם *Flevistis*, i. e. conquesti estis. בְּאָזְנֵי יְהוָה *In auribus Jovae*, audiente Deo.

20—23. עַד חֹדֶשׁ יָמִים *Usque ad mensem dierum*, i. e. integrum. עַד אֲשֶׁר־יֵצֵא מֵאַפְּכֶם *Donec vobis ex naso exeat*, foetor nempe carnium, quas edistis. Significatur, Israelitas carnes comesturos esse ad summam usque nauseam. וְהָיָה לָכֶם לְזָרָא *Erit vobis fastidio.* LXX. εἰς χολέραν, quae vox, docente Hesychio, denotat ventris perturbationem immodicam, per quam bilis per vomitum et secessum excernitur. Symmachus: εἰς ἀπεψίαν. Ἀπεψία autem morbus est, quo qui laborat, cibum concoquere non potest. Siquidem πέψις *concoctio.* Theodoretus hunc locum sic explicat: ὁ γὰρ ἀδηφαγία τὴν νόσον ἐπήγαγε, καὶ πολλοῖς τὸν θανατὸν ἡ θεήλατος πλαγή. יַעַן כִּי־מַאַסְתֶּם אֶת־יְהוָה *Quia sprevistis Jovam*, quoniam de Deo conquesti estis. — 22. וְיִמָּצֵא לָהֶם *Ut inveniat*, sufficiat, *iis.* Phrasis *invenire alicui* hic, ut nonnumquam alias, significat, quod ei satis esse queat nancisci, vel uti Jos. 17, 16. Jud. 21, 14. Vult Moses: fieri non potest, ut oves et boves mactari possint in tanta abundantia, ut sufficiant tantae multitudini. — 23. הֲיַד יְהוָה תִּקְצָר *Num manus Jovae brevior fieri potest?* יַד, *manus*, hic significat *robur*, *potentiam.* Robur enim hominis consistit potissimum in manibus. Sic et Hebraeis *manus breves* habere dicitur, qui parum valet. Vid. Jes. 50, 2. 59, 1. קָצַר *brevius fieri* et *minui.* Sensus igitur: num Dei potentiam minutam putas?

25. וַיֶּאֱצֶל — הַזְּקֵנִים *Detraxit de spiritu, quo erat Moses praeditus, immisitque septuaginta viris senioribus.* רוּחַ hic notat *mentem*, *animum*, ut Num. 5, 14. Ps. 34, 19. 51, 19. Eccles. 8, 8. *Animus* autem *Mosis* (רוּחַ אֲשֶׁר עָלָיו) in tota hac narratione opponitur *animo* seditioso et murmuranti *ceterorum Israelitarum.* Itaque cum dicitur, *Jovam seposuisse nonnihil ex spiritu Mosis et impertiisse id septuaginta illis senibus*, significatur pro-

cul dubio hoc: singulari Dei providentia factum esse, ut 70 illi viri, Mosis adhortatione permoti, subito animum seditiosum mutassent, ad Mosem transiissent, eumque adjuvassent. Quae interpretatio confirmatur iis, quae sequuntur. Subita illa animi mutatio in lingua et egena, et ab hominibus exculta, qui nihil fere nisi corporea cogitare solent, non facile aliter exprimi potuisse videtur, quam per metaphoricam locutionem, quae h. l. legitur. וַיְהִי כְּנֹחַ עֲלֵיהֶם הָרוּחַ *Et factum est, quando quievit super eos hic spiritus*; i. e. tali animo adfecti. כְּ ante נוֹחַ hic vertendum est *cum*, *quando*, ut Jos. 3, 13. Neh. 9, 28. וַיִּתְנַבְּאוּ plerique vertunt: *et vaticinati sunt.* At in tota hac narratione nihil de praedictione rerum futurarum occurrit, nec intelligitur, quid vaticinari debuissent; quare illa interpretatio contextui plana non est apta. נָבָא si passive adhibetur, omnem videtur significare mentis agitationem extraordinariam, quam legimus nonnumquam homines in se sensisse et ea impulsos locutos esse, ut Jer. 20, 1. Ez. 13, 16. 17., unde illud verbum et de prophetarum orationibus adhibetur. H. l., ubi sermo est de subita animi mutatione in 70 senibus, verbum הִתְנַבְּאוּ indicare videtur, viros illos praeter omnem exspectationem seditionis sedandae caussa populum hortatos esse, ut officii erga Deum et Mosen memor esset. Quae interpretatio potissimum confirmatur eo quod Vs. 29. legimus; ubi Moses, cum Josua ei nuntiat, eos etiam viros ex 70 sensibus, qui in castris remansissent, προφητεύειν, in haec verba erumpit: *num mea causa invides? utinam totus populus ita loqueretur, ut viri illi!* (מִי יִתֵּן — עֲלֵיהֶם). Ex quibus verbis satis intelligitur, viros illos populum seditiosum ad meliora hortatos esse. — Verba וְלֹא יָסְפוּ ab antiquis et recentioribus interpp. varie vertuntur. LXX. et Syrus: *et non addiderunt*, h. e. tantum hoc die prophetati sunt. Alii: *non cessarunt*, quasi יָסְפוּ enuntiassent, a סוּף, ut sensus sit, illos inde ab hoc die numquam desiisse prophetari. Cod. Samar. legit יאספו *congregati sunt* vel *fuerant*. Quod Hubigantius et Dathius praeferendum et ad Vs. 26. referendum arbitrati sunt, ut hic prodeat sensus: *non congregati autem fuerant, sed in castris manebant ambo viri.* Cf. Vs. 24. ubi legitur וַיֶּאֱסֹף שִׁבְעִים אִישׁ *congregavit septuaginta viros.* Sed multo conciniorem sensum reddunt verba prouti ea in Codd. Judaicis leguntur, si eo, quem supra primo loco indicavimus sensu accipimus, et cogitamus de illa mentis agitatione extraordinaria, quam Verbo נָבָא significari ostendimus. Bene GROTIUS: „Hebraeum cum Graeco hic convenit: οὐκ ἔτι προσέθεντο. Post id tempus non habuere spiritum propheticum, quem semel tantum iis Deus dederat, ut auctoritatem novae potestati necessariam ipsis adderet. Vide simile 1 Sam. 10, 10.“

26. 28. וְהֵמָּה בַּכְּתֻבִים *Et illi inter scriptos*, i. e. qui etiam erant inter conscriptos, sc. 70 viros, qui ad Mosem transgressi eum adjuvarent. וַיִּתְנַבְּאוּ *Et vaticinati sunt.* Quamquam

in castris remanserunt, tamen non minus ac illi, qui ad tentorium sacrum congregati erant, populo meliora suaserunt. — 28. מִבְּחֻרָיו LXX. ὁ ἐκλεκτὸς αὐτοῦ, Vulgat. *electus e pluribus.* בַּחוּרִים *delecti* interdum dicuntur; quomodo si hic interpreteris, intelligendi essent satellites Mosis, qui eum tuebantur, et ejus imperia exsequebantur. Ita illam vocem etiam intelligit Michaelis. Sed quum nusquam alias de Mosis satellitibus mentio fiat, ita ut perquam incertum sit, an ille satellibus stipatus fuerit, sequi mallem Onkelosum et Syrum, qui vertunt: *a juventute sua*, qui minister fuerat Mosis ab eo tempore, quo adhuc juvenis erat. כְּלָאֵם *Cohibe eos.* Josua procul dubio putabat, illis viris, quoniam non ad senatum convenissent, non licere populum monere, ut licebat reliquis senatoribus ad tabernaculum conventus congregatis.

31. וְרוּחַ נָסַע מֵאֵת יְהוָה *Ventus exivit a Jova*, i. e. Deo ita moderante ventus est ortus; et quidem euronotus, uti apparet ex Ps. 78, 26. וַיִּגְז שַׂלְוִים מִן־הַיָּם *Et transtulit coturnices a mari.* וַיִּגְז vulgo vertunt *avulsit*, *amovit* conturnices a mari, quasi radix sit גָּזַז. Sed aptius refertur ad rad. גוז, coll. Arab. גוז *transire*, *trajicere*, *transferre.* שַׂלְוִים esse *coturnices*, ostendimus ad Ex. 16, 13. מִן־הַיָּם autem non est vertendum *e mare*, sed *trans mare.* וַיִּטֹּשׁ עַל־הַמַּחֲנֶה *Easque sparsit super*, per *castra.* כְּדֶרֶךְ־הַמַּחֲנֶה *Secundum iter diei hinc et secundum iter diei illinc in circuitibus castrorum*, i. e. circa castra tanto spatio, quantum uno die confici potest; ab utraque castrorum parte unius diei itineris spatio. Nemincm offendat, coturnices tanta copia delapsas circa castra jacuisse, exspectantes quasi, usque Israelitae egrederentur, ipsas collecturi. Monebat enim Forskalius Michaelem in litteris Constantinopoli ad eum datis, notum ibi et quotidianum esse, coturnices mare volando superantes ita fatigari, quia residere nusquam atque quiescendo recreari possunt, ut littus nactae statim concidant. וּכְאַמָּתַיִם עַל־פְּנֵי הָאָרֶץ *Duorum cubitorum altitudine in superficie terrae.* Hoc alii intelligunt ita, coturnices in toto illo spatio ita fuisse coacervatas, ut ubique ad duos cubitos eminuerint; quod vix creditu videtur. Alii putant, verbis illis significari, coturnices ita se demisisse, ut a terra non abfuerint plus quam duobus cubitis; quasi captantium manibus ultro offerent. Ita Vulgatus: *volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram.* Hanc sententiam autem verbi נָטַשׁ significatio non videtur admittere. Puto potius verbis Hebraicis indicari, bicubitales acervos hinc illinc fuisse dispersos, ut vacua subinde spatia remanserint, per quae populus, coturnices collecturus, ire potuerit.

32—35. Nomine חֹמֶר h. l. *Chomeri*, mensurae genus, decem Ephas acquans, plane intelligi nequeunt. Coturnices enim quis modio metiatur? Sed חֳמָרִים non dubium est significare *acervos*, coll. Ex. 8, 10. Vertunt ita et h. l. Onkelos, Saadias

et Arabs Erpenii. וַיִּשְׁטְחוּ לָהֶם שָׁטוֹחַ *Expanderunt* Israelitae coturnices, ut siccarentur, quemadmodum Aegyptii hodienum pisces et carnes solis aestu siccare solent. — 33. הַבָּשָׂר — יִכָּרֵת *Caro ipsis erat adhuc inter dentes, necdum concissa*, i. e. inter ipsam adhuc coturnicum epulationem, uti plures interpretantur. Malim: *priusquam abscissa esset*, i. e. antequam desineret, quippe per mensem durare debebat, Vs. 20. מִמְּאַס — וְאַף *Et Dei ira exarsit in populum atque clade perquam magna eum affecit.* Qua phrasi videtur *repentina mors multorum hominum* indicari. Quare hoc Vs. hoc dicetur, inter ipsam coturnicum epulationem multos homines repentina morte esse sublatos; id quod prisci isti homines poenam murmurationis contra Deum existimarunt. Caussa vero subitae illius mortis procul dubio naturalis erat. Scilicet jam veteres observarunt, coturnices elleboro et aliis herbis venenatis vesci solere; qua de re plura attulit Bochartus *Hieroz.* T. II. p. 657. Sic Plin. 10, 23.: *Coturnicibus veneni semen gratissimus cibus; quam ob caussam eas damnavere mensis.* Didymus in *Geoponicis* Lib. 14. *Οἱ ὄρτυγες, ἑλλέβορον ἐπινεμόμενοι, τοὺς ἐσθίοντας εἰς κίνδυνον ἐμβάλλουσι, κατεινομένους καὶ ἰλιγγιῶντας. Coturnices, quae ellobora pascuntur, eos, a quibus comestae fuerint, in tantum discrimen agunt, ut distendantur convellanturque, ceu correpti vertigine.* Id quod confirmat Avicenna apud Bochartum l. c. Talibus coturnicibus qui vescebantur Israelitae, esu carnium harum insalubrium perierunt. Michaelis (in notis ad h. l.) existimat, foetorem ex tanta copia coturnicum mortuarum ortum caussam fuisse morbi contagiosi multos abripientis. — 34. קִבְרוֹת הַתַּאֲוָה *Sepulcra concupiscentiae*, abstractum pro concreto, *concupiscentium*, i. e. populi carnes avide concupiscentis.

35. וַיִּהְיוּ בַּחֲצֵרוֹת *Erant Chazerothis*, ibi substiterunt, ibi commorati sunt. Putcum *Hhadrah* dictum in isto tractu offendit Burckhardt, *Travels in Syria etc.* p. 495., quem conjicit eundem locum esse, qui hic חֲצֵרוֹת dicitur.

Cap. 12.

Maria et Aaron contra Mosen murmurant, qui cum Mose a Jova ad tabernaculum evocati reprehenduntur. Maria lepra percutitur, et e castris ejicitur.

1—3. וַתְּדַבֵּר — אֲשֶׁר לָקָח *Rixati autem sunt Miriam atque Aaron cum Mose, quod Cuschitam uxorem duxisset.* Cohaeret hoc cum 11, 35., hoc sensu: quo cum pervenisset populus, rixati sunt etc. Verbum דִּבֵּר si cum ב construitur, haud raro significat, *contra* aliquem loqui, *objurgare aliquem*, ut 21, 5. Ez. 33, 30. Uxor, de qua hic sermo est, non est Zippora, uti plerique interpp. voluerunt. Quis enim credat Aaronem et Miriamam cum Mose rixatos esse propter uxorem, quam ante 40 annos duxerat? Adde quod Zippora non Aethiopissa erat, sed Midianitis. Bochar-

tus quidem (*Phaleg.* L. 4. c. 2.), et post eum plures interpp., contenderunt, Cuschacos atque Midianitas unum eundemque populum fuisse; sed hoc falsum esse, satis ex eo apparet, quod (Gen. 10, 6.) Cuschaei Chamo progeniti dicuntur, Midianitae Abrahamo, Gen. 25, 2. Credibile potius est, Mosen mortua Zippora aliam uxorem duxisse et quidem Cuschitam, i. e. Aethiopissam, vid. ad Gen. 10, 6. Quum autem duplex Aethiopia esset, Africana, quam nos quoque hodie *Aethiopiam* vocamus, et Asiatica, quae pars erat Arabiae felicis (vid. *d. bibl. Alterthumsk.* T. III. p. 346. sqq.) satis est verisimile, Mosis uxorem ex hac posteriore Aethiopia fuisse. Ex priore enim Aethiopia, quae longe ultra hostilem Israelitis Aegyptum sita erat, uxorem a Mose, et vero nigram, expetitam esse non facile creditu est. Indignabantur Aaron et Miriama Mosi procul dubio ideo, quod is uxorem alienigenam duxerat. Quod tamen Israelitis non illicitum erat; hoc tantum iis vetitum erat, cum Cananaeis uxoribus matrimonia inire. — 2. הֲרַק — בָּנוּ דִבֶּר *An duntaxat per Mosem loquitur Deus, nonne etiam per nos?* Volebant igitur videri, se has nuptias non sua auctoritate, sed divino consilio improbare, quod ipsi aeque ac Moses cognitum haberent revelationibus divinis. וַיִּשְׁמַע יְהוָה *Deus audivit* hoc cum indignatione; id improbavit et punivit. — 3. וְהָאִישׁ — הָאֲדָמָה *Moses autem vir erat omnium hominum mansuetissimus.* Ipse tacuit, patienter id tulit. Causa redditur, cur Deus injuriam Mosis ulciscendam decreverit, quia ipse in suis injuriis ferendis erat lenissimus. Malim tamen cum Eichhornio (*Einleit. in d. A. T.*, P. II. §. 440.) hunc Vs. interpolatum habere. Nexus integer manet, si etiam hunc Vs. demas, imo potius eo demto sensus facilior efficitur. Accedit, quod הָאִישׁ מֹשֶׁה in libris Mosis plane novum est atque inusitatum; nusquam Moses ante nomen suum ponit vocem הָאִישׁ.

6—8. בּוֹ — אִם־יִהְיֶה *Si quis vestrum est propheta Jovae, ego ei per visionem innotescere, per somnum eum alloqui soleo.* Haec verba clare docent, *primum*, Aaronem et Miriamam non debere omnes cogitationes suas et judicia sua pro revelationibus divinis habere; *deinde* magnum esse discrimen inter eas revelationes, quae Aaroni et Miriamae, atque eas, quae Mosis obtingerent. נְבִיאֲכֶם pro נָבִיא לָכֶם *propheta vobis*, i. e. inter vos, Pron. affixum pro separato; cf. ad Ps. 115, 7. בַּמַּרְאָה *Per visionem*, aut diurnam aut nocturnam, qua homo in ἔκστασιν rapitur. — 7. בְּכָל־בֵּיתִי נֶאֱמָן הוּא *Fidelis est in tota mea domo*, ei, quasi servo omnium fidelissimo commisi omnem meam domum, i. e. populum meum, ejusque reipublicae universam administrationem. — 8. פֶּה אֶל־פֶּה אֲדַבֶּר־בּוֹ *Ore ad os loquor cum illo*, q. d. absque intermedio, nulla interposita persona, ut solent qui familiares inter se sunt; est mihi familiarissimus. וּמַרְאֶה *Et adspectu.* Hanc vocem h. l. non in eadem significatione esse accipiendam qua Vs. 6., facile intelligitur; quum hic Vs. oppositus Versui sexto. Antea,

quum מַרְאֶה oppositum haberet חֲלוֹם *somnium*, significabat species eas, quae prophetarum vigilantium oculis objiciebantur, nec diu apparebant, quomodo et nocturna visa; nunc מַרְאֶה, ut *aenigmati*, חִידָה opposita, declarat rerum ipsarum, ut erant, aut ut futurae erant, formam praesentem, eamque satis diuturnam, tamdiu videlicet praesentem, quamdiu erat satis, ut Moses res sibi monstratas libere contemplaretur, et penitus intelligeret. Ambiguitas verbi tollitur ex oppositis, ut accidere solet ceteris in linguis. בְּחִידוֹת *Per aenigmata.* חִידָה, coll. Arab. حيد *inflectere*, *obliquare*, est proprie *res inflexa*, non *recta* et *perspicua*. Hinc בְּחִידוֹת significabit *modo non satis claro et aperto*, i. e. obscure. וּתְמוּנַת יְהוָה יַבִּיט *Figuram Dei conspicit.* Cf. Ps. 17, 15., ubi est i. q. פְּנֵי יְהוָה. Omnia autem Vs. 6—8. dicta, huc redeunt, *Mosem Deo familiarissimum esse*, *hinc injuriam amico Dei illatam ab eo non inultam relictum iri.* Cf. Vs. 10.

10—12. וְהִנֵּה מִרְיָם מְצֹרַעַת כַּשָּׁלֶג *Miriama leprosa fiebat instar nivis.* Vid. ad Ex. 4, 6. וַיִּפֶן אַהֲרֹן וגו׳ *Inspexit eam Aaron*, et vidit *eam leprosam esse.* Si primum lepra erumpit, saepe fieri solet ut is, qui hoc malo afficitur, ipse id nesciat. Testantur artis medicae periti, tumorem leprosum nonnumquam inter colloquendum repente exoriri. Videtur autem lepra aliquod tempus in Miriama latuisse, et per duram illam adlocutionem ad eruptionem pervenisse. Saepe enim repentina aliqua animi commotio, inprimis terror, efficit, ut lepra jam dudum in corpore latens, erumpat. Cf. Mich. *J. M.* P. IV. §. 208. — 11. אַל־נָא תָשֶׁת עָלֵינוּ חַטָּאת *Ne nunc ponas supra nos hoc peccatum*, ne imputes nobis hoc peccatum, ejusque poenas repetas. — 12. אַל־נָא — בְּשָׂרוֹ *Ne fiat*, *quaeso*, soror, *instar mortui* foetus, *cujus*, *cum egreditur utero matris suae*, *dimidia pars carnis absumta est*, ne similis fiat fructui abortivo, qui dimidio corpore absumto ex utero materno prodit. His verbis bene depingitur terribilis iste leprae morbus. Integra membra primum sentiendi facultate privantur, tum torpescunt, denique plane decidunt.

13—16. אֵל נָא *O Deus! quaeso!* — 14. וְאָבִיהָ — תֵּאָסֵף *Si pater ei in vultum exspuisset*, *nonne per septem dies eam puderet? Includatur igitur extra castra in septiduum*, *et postea recipiatur.* Sensus videtur hic esse: si patrem filia ita irritasset, ut is ei in vultum exspuisset indignabundus (nam hoc irae et contemtus indicium, cf. Job. 30, 10. Jes. 50, 6.), nonne eam per septem dies puderet? Quum igitur Deus indignationem suam et iram adversus Miriamam manifesto leprae indicio prodiderit, nonne ea per septem dies inclusa esset extra castra? Cf. Lev. 13, 4. תֵּאָסֵף *Colligetur*, i. e. recipietur in coetum. Sic אָסַף significat *recipere eum qui derelictus fuerat* vel *neglectus*, Ps. 27, 10., ubi cf. not. — 16. De deserto *Paran* vid. Gen. 14, 6. Venerunt autem in illud desertum per stationes descriptas infra 33, 18—36., nam

co Versu ponitur statio in deserto *Zin*, unde mittuntur exploratores, 13, 18, sqq. Desertum *Zin* haud diversum esse a deserto *Paran*, aut ejus partem fuisse, apparet inde, quod *Cadesch* 13, 26. in deserto *Paran*, et 20, 1. 33, 36. in deserto *Zin* situm dicitur.

Cap. 13.

Mittuntur exploratores, qui Palaestinam lustrent et speculentur; qua considerata et lustrata, botroque in eximiae fertilitatis argumentum abscisso et in castra deportato, quae viderint, referunt; sed ceteris populum exanimantibus, et a regionis ingressu deterrentibus, soli Caleb et Josua populum animare, et in spem potiundae regionis erigere student.

2. שְׁלַח־לְךָ *Mitte tibi*, i. e. mitte; לְךָ pleonastice additum uti saepe alias, cf. Gesenii *Lehrg.* p. 736. וְיָתֻרוּ אֶת־אֶרֶץ כְּנַעַן *Et circumeant terram Canaan.* תּוּר proprie est *circuire*, *circumverti oculis circumquaque conversis*, hinc *explorare*, ut hic. אִישׁ — אֶבְתָּיו *Virum unum virum unum tribui patrum eorum*, i. e. singulos viros ex singulis tribubus. Pro תִּשְׁלָחוּ Samaritani legunt תשלח *mittes*, ut ad solum Mosen referatur. כֹּל נָשִׂיא בָּהֶם *Omnem principes inter eos*, i. e. eosdemque omnes viros principes. Ceterum quum hic dicatur, Mosen Dei jussu exploratores misisse, ex ea narratione quae Deut. 1, 20. sqq. habetur id consilium a populo profectum est. Haec ita conciliantur, ut populus primum a Mose petierit, ut mitteret exploratores, deinde ut Mosi sic visum fuerit, quem Deus eodem in consilio postea confirmarit, jubens, ut populo ea in re obsequeretur. Ita non erit necesse, cum Vatero ad h. l. statuere, quam in Deut. legimus narrationem ab alio quopiam literis consignatam esse.

11. לְמַטֵּה יוֹסֵף לְמַטֵּה מְנַשֶּׁה *Ex tribu Josephi per tribu Manassis.* „Mirum hoc addi, quum Manasse tribui non magis conveniat nomen tribus Josephi, quam tribui Ephraimi, qui Josephi filius etiam fuit, et quidem primogeniti jure donatus, Gen. 48, 19. Videtur tamen h. l. ratio habita esse nascendi ordinis, et *Josephi* nomen posteris primogeniti tributum, quamvis Ephraimi posteri alias etiam *Josephi* nomine describantur, vid. Ez. 37, 16. 19. Sic quamvis in Judae tribum translata esset primogeniti dignitas; tamen in recensione tribuum saepe *Rubenitae* primi appellantur. Vid. Vs. 4. 1, 5. 20.“ Cleric.

16. 17. וַיִּקְרָא מֹשֶׁה וגו׳ *Hoseam autem, filium Nunis, vocaverat Moses Josuam.* הוֹשֵׁעַ significat *adjuvit* se. Deus, יְהוֹשֻׁעַ autem *Jovae salus*, i. e. salus a Jova praestita. Ceterum haec verba per parenthesin sunt interjecta. Videtur Moses, quoties ad certa negotia certos viros elegit, tabulas genealogicas populi Israelitici ante oculos habuisse, atque ex iis nomina virorum electorum exscripsisse. Saltem si hoc accipimus, facillime caussa potest red-

di, cur verba illa Hebraica hic adjecta sint. Ex eo inde tempore, quo Josua minister Mosis factus erat, semper *Josua* appellatur, ut 11, 28. Exod. 17, 9. H. l. autem, ubi exploratores recensentur, vir ille nomine *Hoseae* a patre accepto vocatur, quod hoc dumtaxat nomen in tabulis genealogicis consignatum esse potuit. Jam ut lectores scirent, *Josuae* et *Hoseae* nominibus unum eundemque virum appellatum fuisse; Moses illos de hac re monendos putavit. — 17. עֲלוּ זֶה בַּנֶּגֶב *Ascendite hac via*, s. per viam hanc (זֶה pro בְּדֶרֶךְ הַזֶּה) *in meridie*, i. e. per meridianam plagam, non ratione castrorum, quorum septentrionale latus ad Palaestinam erat conversum, sed ipsius Palaestinae, cujus pars australis solebat vocari נֶגֶב seu *meridies*, vid. ad Gen. 13, 1.

19—21. אֲשֶׁר־הוּא יֹשֵׁב בָּהּ *In qua sit habitator*, i. e. quae inhabitatur. הַבְּמַחֲנִים *An in castris*, qualia erant Arabum Scenitarum et eo tempore Hebraeorum. אִם בְּמִבְצָרִים *An in locis munitis*, sc. habitent. LXX. ordine inverso: *εἰ ἐν τειχήρεσιν, ἢ ἐν ἀτειχίστοις*. Onkelos: *an in pagis aut in urbibus*. — 20. הַשְּׁמֵנָה הִוא אִם־רָזָה *Num* terra *sit pinguis an macra?* Terra *pinguis*, i. q. dives, quae multos fructus profert; terra *macra*, i. q. languida, pauper, quae non multos fructus profert, nec ad fructus ferendos idonea. הֲיֵשׁ־בָּהּ עֵץ אִם־אַיִן *Utrum in ea sit arbor nec ne? Arbor* collective pro *arboribus*, ut Gen. 3, 8. Exod. 10, 15. וְהִתְחַזַּקְתֶּם *Corroborate vos*, estote animo forti. וְהַיָּמִים יְמֵי בִכּוּרֵי עֲנָבִים *Tunc erant dies primitiarum uvarum*, i. e. tunc erat tempus, quo uvae incipiebant maturescere; id vero erat incunte aut medio Septembri. — 21. מִמִּדְבַּר־צִן *Inde a deserto Zin*; cf. ad 12, 16. רְחֹב *Rehob* urbs fuit non procul Sidone, adeoque ita ad septentrionem Cananaeae, ut simul ad ejus Occidentem esset. Haec urbs sorte obtigit Asariticae tribui Jos. 19, 28. Jud. 1, 31. De חֲמָת vid. Gen. 10, 18.

22. Pro וַיָּבֹא *et venit* legendum esse in plurali וַיָּבֹאוּ non solum suadet contextus, in quo semper de pluribus exploratoribus est sermo, sed etiam Cod. Samar. cum versionibus antiquis praeter Onkelosum. Arabs ipse Mauritanus Erpenii, ut notat Hubigantius, alias soloecismorum hebraeorum imitator, habet *et venerunt*. וַיָּבֹאוּ etiam legerunt Cod. Kennicott. 1. et 96., ו postremum autem in iis erasum est. Lectionem tamen Marorethicam praeter alios defendit LILIENTHALIUS in *Comment. Critic. Codic. Regiom.* (Lips. 1770.) p. 110., quod probabile esset, exploratores non omnes conjunctim singulas provincias Cananaeae peragrasse, hoc enim nimis periculosum fuisset; sed ita ut quilibet eorum certas regiones perlustraverit, donec in reditu convenissent. Venisse ergo unum eorum Chebronem, nimirum Calebum, Jos. 14, 9. 13. Frequentem praeterea esse verbi וַיָּבֹא enallagen, ita explicandam: *venit aliquis eorum*. אֲחִימָן שֵׁשַׁי וְתַלְמַי יְלִידֵי הָעֲנָק. Quum apud Hebraeos *filii* aut *nati* vocentur non ii dumtaxat, qui ita proprie dicuntur,

sed eo nomine etiam saepe comprehendantur *omnes posteri*, alii Interpretes יְלִידֵי verterunt *filios*, alii intellexerunt remotiorem stirpem Enaki. LXX. posterius sequuti sunt, quum habeant *γενεαὶ Ἐνὰχ*, prius Vulgatus, qui vertit *filii Enac.* Cui interpretationi quidem obstare putant, quod nomina propria personarum ה articuli non admittant, quod nomen עֲנָק ubique praefixum habet. Attamen et nominibus propriis haud raro Articulum praemitti, si eorum appellativa, quam dicunt, significatio Hebraeis vivente lingua cognita esset, pluribus exemplis probavit GESEN. *Lehrg.* p. 656. עֲנָק autem *longam et proceram staturam*, et hinc בְּנֵי הָעֲנָק *gigantes* significasse, suadet Arab. عنق *longitudo colli*, quod idem voc. aliis punctis vocal. instructum sonat *proceres hominum;* nec non معنق *prominentior et elatus terrae tractus.* Hebroni, ubi tres isti hic nominati Enakitae habitarunt, erat et nomen קִרְיַת־אַרְבַּע, vid. Jos. 15, 13. 54. Cf. ad Gen. 23, 2. Vocatur vero *Arba* Jos. 15, 13. *pater Anaxi.* Unde BOCHARTUS *Geograph. S.* P. II. p. 363. conjecit, אַרְבַּע per aphaeresin esse pro אַבִיאַרְבַּע, *ὁ πατὴρ τῶν τεσσάρων*, qua ratione infra 26, 30. אִיעֵזֶר legitur pro אֲבִיעֶזֶר Jos. 17, 2. „Nempe inter *Arbae* posteros quatuor Scriptura [hoc ipso, in quo versamur, loco] memorat, qui virtute et robore reliquis praecelluerunt. Hi fuerunt *Anak* filius, et nepotes, *Achiman*, *Sesai*, et *Thelmai.* עֲנָק, quasi *Torquatum* dicas, qualis fuit ille Gallus, quem devicit Manlius ad Anienem, familiae nomen fecit. אֲחִימָן, ad verbum, *quis frater meus?* ipso nomine significabat, sibi neminem esse comparem. Fratrem שֵׁשַׁי, quasi *Sextium*, nuncupatum verisimile est a statura sex cubitorum, qualis fuit Goliath, ut et תַּלְמַי a תֶּלֶם *sulco*, quod proceritate corporis sulci longitudinem exaequare videretur.“ Sic poetae, quod addere Bochartus potuisset, gigantum proceritatem *jugeribus* metiri solent, unde Hom. *Odyss.* 11, 575. Tityum, terrae filium, in solo jacientem describit: *ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα*, *is vero per novem jacebat jugera.* Quod imitatus Virg. *Aen.* 6, 596.: *per tota novem cui jugera corpus Porrigitur.* וְחֶבְרוֹן שֶׁבַע וגו׳ *Hebron autem condita est septem annos ante Zoan Aegypti.* צֹעַן est Graecorum Latinorumque *Tanis*, Aegyptiorum hodiernorum *Mansura.* Vid. NIEBUHR *Reisebeschr.* P. I. p. 78. Cf. not. ad Ez. 29, 3. Jes. 19, 11. et *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 280. Arabs uterque hic vertit: *locum elatum*, i. e. primarium, metropolin *Aegypti.* Terra Gosen confinis erat Nomo Tanitico, ideoque de hac urbe Israelitis nota et apud eos celebri Mosem illud observare, mirum non est.

23. עַד־נַחַל אֶשְׁכֹּל *Usque ad vallem Eschkol*, sive botri. Ita dicitur per anticipationem, ad vallem, quae postea dicta est vallis botri. Cf. Vs. 24. נַחַל Vulgatus vertit *torrentem*, i. e. *vallem*, et quidem *angustam*, *alveum habens*, *quo pluviae tempore raptim torrens defertur;* unde et ipsum *torrentem* notat.

וַיִּכְרְתוּ מִשָּׁם זְמוֹרָה *Secuerunt illic palmitem.* De זְמוֹרָה vid. Ez. 15, 2. LXX. hic bene: *κλῆμα.* וְאֶשְׁכּוֹל עֲנָבִים אֶחָד *Et botrum uvarum unum*, quem inter alios eximium elegerunt. וַיְשָׂאֻהוּ בַמּוֹט בִּשְׁנָיִם *Eumque duo vecte tulerunt;* ne forte eum unus eum gestaret, comprimeretur, e vecte suspenderunt duorum humeris sustinendum. Tantae magnitudinis botri etiamnum nascuntur in Palaestina. Plures, qui illas regiones adierunt, testantur se vidisse uvas 10—12 librarum pondere, et dimidiae vel etiam integrae ulnae longitudine; baccas autem duos interdum digiti articulos aequare. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 251.

26—28. קָדֵשָׁה *Ad Kadesum*, i. e. non procul a Kadeso, cf. Deut. 1, 19. Haec urbs fuit in Idumaeorum finibus, ut docet Moses infra 20, 16. וַיָּשִׁיבוּ אֹתָם דָּבָר *Fecerunt redire iis verbum*, i. e. retulerunt iis responsum, ut 22, 8. Jos. 14, 7. Hic אֹתָם pro לָהֶם positum. Retulerunt illis nuntium de iis rebus, ad quas explorandas missi fuerunt. — 27. לוֹ *Illi*, sc. Mosi. אֲשֶׁר שְׁלַחְתָּנוּ positum pro אֲשֶׁר שְׁלַחְתָּנוּ אֵלֶיהָ *ad quam* misisti nos. Sicuti Ez. 21, 35. בְּמָקוֹם אֲשֶׁר־נִבְרֵאתָ בּוֹ positum est pro אֲשֶׁר נִבְרֵאתָ בּוֹ *in quo creata es.* גַּם hic commode verti potest *revera, certe, profecto*, ut Gen. 27, 33. De זָבַת חָלָב וּדְבַשׁ *Fluit lacte et melle*, vid. Ex. 3, 8. — 28. אֶפֶס כִּי *Nisi quod*, proprie: *defectus* est *quod*, ut Jud. 4, 9. — וְהֶעָרִים בְּצֻרוֹת גְּדֹלוֹת מְאֹד *Et urbes munitae* et *maximae sunt.* Ita videbantur exploratoribus, qui non in urbibus, sed tuguriis habitare consueverant. Revera enim perquam exiguae erant, quum 22000 Levitarum 48 ejusmodi urbes habitarent. Si igitur Levitarum numerus ob mulieres non numeratas duplicetur, singulae urbes vix ac ne vix quidem mille incolas habebant. Videntur tamen dolose etiam egisse ignavi illi exploratores et urbes istas permagnas eo quoque consilio dixisse, ut populares suos ab iis capiendis deterrerent. De יְלִדֵי הָעֲנָק vid. Vs. 22.

29—31. *Amalekitae* erant ii ex Phoeniciis sive Cananaeis, qui Arabiam habitabant. Cf. ad Gen. 14, 7. Ex. 17, 8. — אֶרֶץ הַנֶּגֶב *Terra meridiei*, est pars meridionalis tribus Judae, sat magnam Arabiae partem comprehendens, de qua Jos. 15, 22—32. — הַחִתִּי *Chittaei* regionem circa Hebronem videntur habitasse. Abrahamus enim Genes. 23. coll. 25, 8—10. a Chittaeis speluncam Machpela emisse dicitur. Cf. ad Gen. 10, 15. — הַיְבוּסִי *Jebusitae* erant incolae Hierosolymae, olim יְבוּס *Jebus*, dictae, Jud. 19, 10. 11. Cf. ad Gen. 10, 16. — הָאֱמֹרִי *Emoraei.* Hic ii ex Amoraeis intelliguntur, qui eis Jordanem in montano tractu Judaeae, ut circa Chazazon Thamar, sive Engedi Gen. 14, 7., et circa Hebronem Gen. 14, 13. habitabant. Nonnullas Amoraeorum tribus ultra Jordanem habitasse, apparet ex Num. 21, 13. 21—32. Deut. 1, 4. 2, 24—37. 3, 8. Jos. 9, 10. — הַכְּנַעֲנִי *Cananaei κατ' ἐξοχήν* ita dicti (cf. ad Gen. 13, 7.), qui ad mare medi-

terraneum, עַל־הַיָּם, habitabant. — 30. וַיַּהַס כָּלֵב אֶת־הָעָם *Silere fecit*, i. e. compescuit *Calebus populum*, exploratorum narratione audita murmurantem. Vid. Deut. 1, 26. Sed lectionis varietatem olim in hac voce fuisse, suspicari licet inde, quod littera postrema, ס, in quibusdam Codd. majori reliquis forma scripta reperitur. Neque improbabile est, fuisse וַיַּהַ, ablata Samech, a verbo נָהַח, coll. Arab. نهى, in Conj. 4. *venire fecit*, quemadmodum וַיָּט deducitur a נָטָה. Tunc vertendum esset: *adduxit Calebus populum ad Mosem.* Verum si receptam legendi et interpretandi rationem retineas, verba אֶל־מֹשֶׁה vertenda erunt: *coram Mose*, i. e. populum, qui *coram Mose*, vel *contra* eum, murmurabat: utraque enim notione particulam אֶל verti posse, notum est. Cf. ad Gen. 12, 15. — יָכוֹל נוּכַל לָהּ *Praevalendo praevalebimus illi*, non tantus est, ut eum expugnare non possimus. — 31. לֹא נוּכַל לַעֲלוֹת אֶל־הָעָם *Non possumus adscendere in eum populum*, bellum ei illaturi feliei eventu, ut sedibus suis eum deturbemus. חָזָק הוּא מִמֶּנּוּ *Potentior nobis est.* Hoc non de numero pugnantium est intelligendum; nam exercitum 600000 hominum, qualis erat Hebraeorum, certe non habuerunt Cananaei. Sed Israelitae in servitute mollitieque Aegyptiaca educati, imbelles erant et timidi.

32 33. וַיֹּצִיאוּ דִבַּת הָאָרֶץ אֲשֶׁר תָּרוּ אֹתָהּ *Et exire fecerunt*, sc. in vulgus *infamiam terrae*, *quam exploraverunt*, i. e. infamarunt eam, detraxerunt terrae famam. Phrasis הוֹצִיא דִבָּה sensu non differt a הֵבִיא דִבָּה, Gen. 37, 2., ubi cf. not. אֶרֶץ אֹכֶלֶת יוֹשְׁבֶיהָ *Terra comedit incolas suos;* quibus verbis plures arbitrantur aëris insalubritatem indicari. Clericus tamen vult, exploratores significare, Cananaeam quidem esse terram fertilem, sed incolas ad eam servandam semper oportere esse armatos contra injurias finitimorum, qui saepe eorum agros popularentur. Ejusmodi erant Syri, Arabes, Aegyptii, Philisthaei, Idumaei etc., qui sequentibus seculis irruptionibus cladibusque vexarunt populum Hebraeum. Tempore Mosis jam similia Cananaeae veteribus colonis contigerant, uti liquet ex Deut. 2, 20. sqq. Hunc sensum phrasi Hebraicae inesse, probari posse Clericus putat ex simili loquutione Ez. 36, 31. Cf. et Lev. 26, 38. Addo, huic Clerici explicationi favere 14, 9.: לַחְמֵנוּ הֵם *panis instar eos comedemus.* אַנְשֵׁי מִדּוֹת *Viri mensurarum.* Sicuti אַנְשֵׁי לֵבָב *viri cordis* sunt *viri cordati et magnanimi*, אִישׁ לָשׁוֹן *vir linguae*, vir linguosus s. maledicus, אִישׁ חָמָס *vir violentiae*, vir violentus etc., ita אַנְשֵׁי מִדּוֹת *viri mensurarum* erunt homines procerae admodum staturae. Cf. Jes. 45, 14. Jer. 22, 14. LXX. h. l. ὑπερμήκεις, *praelongi.* — 33. De נְפִלִים et נְפִילִים vid. Gen. 6, 4. וַנְּהִי בְעֵינֵינוּ *Fuimus in oculis nostris*, i. e. nobis visi sumus. כַּחֲגָבִים *Locustarum instar*, cum illis collati. Hinc autem non sequitur, eos fuisse Gigantas. Erant dumtaxat proceriores quam vulgo Israelitae. Narratio exploratorum data opera ita erat comparata, ut timidus Israelitarum animus magis adhuc frangeretur.

Cap. 14.

Exorto populi murmure, turbaque in seditionem versa, Moses et Aaron ad orationem confugiunt. Caleb et Josua multitudinis animos frustra lenire student. Exaeerbatus Jova exitium et internecionem totius populi meditatur, sed exoratus a Mose et aliquantulum placatus, jurat fore ut nemo bellatorum Cananaeam ingrediatur, Calebo et Josua exceptis, solosque parvulos eorum post quadraginta annos vagae peregrinationis per desertum introducendos. Exploratores, hujus seditionis incentores a Jova perimuntur. Jussi ceteri in desertum recedere, sed divino imperio eontempto, ad pugnam egressi, ab hostibus caeduntur.

1 — 9. וַתִּשָּׂא כָל־הָעֵדָה וַיִּתְּנוּ אֶת־קוֹלָם *Et elevavit omnis populus*, sc. vocem, ut sequitur (cf. Jes. 42, 2. 11.), *dederuntque vocem suam*, h. e. populus elevata et sonora voce flevit et ploravit. Nomine עֵדָה intelligendi videntur legati duntaxat singularum tribuum, de quibus vid. Lev. 8, 3. Nam totus populus non poterat audire exploratorum narrationem. Legati autem illi, quo ipsi narratione exploratorum erant percussi timorem, mox propagabant in universum populum. — 3. לִנְפֹּל בַּחֶרֶב *Ut caderemus*, periremus, *gladio*, ab hostibus interfecti. — 4. נִתְּנָה רֹאשׁ *Demus*, ponamus, *caput*, ducem nobis constituamus. Cf. Neh. 9, 17. LXX. ἀρχηγόν. — 5. וַיִּפֹּל מֹשֶׁה וְאַהֲרֹן עַל־פְּנֵיהֶם *Prociditque Moses et Aaron proni in faciem suam*, cf. ad 16, 4. — 6. קָרְעוּ בִגְדֵיהֶם *Lacerarunt vestes suas.* Vestium lacerationem fuisse doloris et indignationis signum, notum est. Vid. Gen. 37, 29. 34. Lev. 10, 6. — 7. טוֹבָה הָאָרֶץ מְאֹד מְאֹד *Terra est longe optima.* Vocula מְאֹד adjectivo addita exprimit superlativum; cum autem ea iteratur, emphasin adauget, ut Gen. 7, 19. Ez. 37, 10. Loquuntur autem hic Josua et Caleb cum impetu animi. — 8. אִם־חָפֵץ בָּנוּ יְהוָה *Si propitius sit nobis Jova*, ut 2 Sam. 15, 26. — וְהֵבִיא אֹתָנוּ אֶל־הָאָרֶץ הַזֹּאת *Ducet nos in hanc terram.* ו ante הֵבִיא indicat ἀπόδοσιν. — 9. אַךְ־בַּיהוָה אַל־תִּמְרֹדוּ *Modo contra Deum ne rebelletis.* LXX. μὴ ἀποστατai γίνεσθε. Cf. Hebr. 3, 12. לַחְמֵנוּ הֵם *Panis noster erunt*, adagialis formula, qua indicare volunt: Cananaei a nobis perdentur et consumentur, ut panis consumitur ab homine, qui eum comedit. Cf. 24, 8. Deut. 7, 16. Ps. 14, 4. Sic et Graeci ὠμους καταφαγεῖν πολεμίους, *crudos comedere hostes* dicunt, pro, *eos caedere;* quae phrasis extat apud Homerum (*Il.* 4, 35.) et Xenophontem. סָר צִלָּם מֵעֲלֵיהֶם *Umbra eorum ab iis recessit.* Quemadmodum umbra solem arcet; ita qui auxilio est, vim hostilem propulsat. Hinc צֵל apud Hebraeos saepe significat *auxilium*, ut Ps. 91, 1. 121, 5. Jes. 30, 2. Sub *auxilio* Cananaeorum autem intelligitur Deus, qui nunc ab iis recessisse sistitur.

11 — 13. בְּכֹל הָאֹתוֹת *In omnibus signis*, cum tot signa fecerim ipso vidente? — 12. וְאוֹרִישֶׁנּוּ *Et exhaereditabo*, i. e. exterminabo, extinguam *eum.* Cf. Vs. 24. Gen. 45, 11. Jud. 1, 27. — 13. וְשָׁמְעוּ — מִקִּרְבוֹ *Id vero audient Aegyptii, e quibus tu hunc populum tuum virtute tua eduxisti.*

14—18. הָאָרֶץ הַזֹּאת *Hujus terrae*, intelligit Arabiam, ubi tum erant Israelitae. שָׁמְעוּ — אָמְרוּ *Dicent — se audivisse.* Formula loquendi non insolens, omissum est ante שָׁמְעוּ particula כִּי. Vel sunt verba inde a שָׁמְעוּ usque ad finem Versus in parenthesi legenda, praemisso כִּי (cf. Thren. 1, 10.): *nam audiverunt* et quae sequuntur. כִּי־אַתָּה יְהוָה בְּקֶרֶב הָעָם הַזֶּה *Te, Jovam, esse in medio hujus populi*, te hujus populi singularem curam gessisse. אֲשֶׁר־עַיִן בְּעַיִן נִרְאָה *Te esse illum, qui oculo ad oculum conspectus fuerit*, sc. a populo illo. עַיִן בְּעַיִן *Oculo ad oculum*, proverbiale, ut *ore ad os*, *facie ad faciem* (Deut. 5, 4. Jes. 52, 8.), i. e. non emimus, sed cominus: non obscure, sed aperte. נִרְאָה alii positum putant pro Participio Praes. s. Benoni, alii pro secunda persona, ita ut vertendum esset, *hujus* (populi) *oculis conspicuum te factum esse.* Alii subaudiunt כְּבוֹדְךָ *gloria tua.* Sed nihilo horum est opus, si ante אֲשֶׁר ex antecedentibus repetamus כִּי־אַתָּה, ita ut verba construenda sint כִּי־אַתָּה אֲשֶׁר נִרְאָה *te esse illum, qui conspectus est.* Onkelos: *qui oculis suis viderunt Schechinam gloriae Jovae.* Ita et Jonathan, qui addit: *super monte Sinai, et acceperunt legem.* וְעֲנָנְךָ עֹמֵד עֲלֵהֶם *Nubem tuam eis incumbere.* Cf. 9, 18. 12. 5. — 15. וְהֲמַתָּה *Si igitur occideris.* כְּאִישׁ אֶחָד *Sicut virum unum*, i. e. simul, una, ad unum omnes; ut Jud. 6, 16. וְאָמְרוּ *Dicent*, inquam Vs. 14. Cf. Deut. 9, 28. אֶת־שִׁמְעֲךָ *Famam tuam*, rei a te gestae; ut Deut. 2, 25. Habac. 3, 2. — 16. מִבְּלִתִּי יְכֹלֶת יְהוָה *Ex defectu potentiae*, quod non valeat *Jova.* Accommodate ad idololatrarum captum et sentiendi modum haec dicuntur. Ii enim Numinibus potentiam nequaquam infinitam tribuerunt. וַיִּשְׁחָטָם בַּמִּדְבָּר *Ideo jugulavit*, sive violenta morte trucidavit *eos*, veluti pecudes. Nam שָׁחַט proprium est verbum ad pecudum mactationem significandam; vid. Lev. 9, 8. 15. De trucidandis hominibus dicitur et 1 Reg. 8, 40. LXX. *κατέστρωσεν αὐτούς.* — 17. וְעַתָּה *Nunc ergo.* יִגְדַּל־נָא כֹּחַ אֲדֹנָי *Magna sit vis tua, Domine.* Ostendas populis illis, potentiam tuam non esse minutam. בַּאֲשֶׁר דִּבַּרְתָּ *Sicut dixisti*, subaudi: כֵּן תַּעֲשֶׂה *ita facias.* — 18. אֶרֶךְ אַפַּיִם *Longus ira*, i. e. tardus ad iram, longanimis. נֹשֵׂא עָוֹן וָפָשַׁע *Tollit*, i. e. ignoscit *culpam.* וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *Non tamen plane impunitum dimittit* reum; vid. ad Ex. 34, 7. Hieronymus addit: *in die judicii.*

20—23. סָלַחְתִּי *Condonabo*, ut totam gentem non prorsus deleam, uti minatus sum, Vs. 12. 15. — 21. וְאוּלָם חַי־אָנִי *Veruntamen ut ego vivo*, sed per vitam meam juro. וְיִמָּלֵא כְּבוֹד וגו׳ *Et gloria Jovae omnem terram implebit*, i. e. et fama rerum a me gestarum ubique celebrabitur. — 22. כְּבֹדִי *Gloriam meam*, res per me gestas. וַיְנַסּוּ אֹתִי זֶה עֶשֶׂר פְּעָמִים *Tentarunt me jam his decem vicibus.* Deum *tentare* est, de ejus divina providentia dubitare, negare, quidpiam a Deo fieri posse, donec id effectum conspiciatur; Deo non credere, nisi postquam ejus potentia explorata sit. Hinc

peccarunt Israelitae dubitando de Dei potentia. Ceterum dubitant Interpp., an *decem* proprie hic debeat accipi, an positus sit numerus certus pro incerto, ita ut multiplex duntaxat rebellio populi Hebraei significetur. Nobis prius illud videtur ob Pron. demonstr. זֶה. Et revera *decies* murmurasse Israelitas in itinere docet historia: 1) In littore maris Idumaei, Ex. 14, 11. 12. 2) In Mara, ibid. 15, 23. 24. 3) In Sinico deserto, ib. 16, 4. 4) et 5) Circa Mannam, ib. 16, 26 — 28. 6) In Rephidimis, ib. 17, 1 — 3. 7) Ad Chorebum circa vitulum aureum, ib. 32, 8. 8) Taberae, Num. 11, 1. 9) Kibrothhaavae, ibid. Vs. 4. sqq. 10) Kadesbarneae, de qua seditione hoc Cap. est sermo. — 23. אִם־יִרְאוּ *Si viderint*, i. e. non videbunt, jurandi formula; vid. ad Gen. 42, 15.

24. 25. עֵקֶב הֱיוֹת רוּחַ אַחֶרֶת עִמּוֹ *In compensationem ejus quod* (pro עֵקֶב אֲשֶׁר), i. e. *propterea quod alius spiritus fuit cum illo;* רוּחַ hic ut saepe alias est *animus*, *animi affectus;* sensus igitur: quia is non dubitavit de mea potentia, non murmuravit uti reliquus populus. Vid. Vs. 6. sqq. et Jos. 14, 6. sqq. Inter verba, quae sequuntur, וַיְמַלֵּא אַחֲרָי subaudiendum est לָלֶכֶת *ire;* ut vertendum sit, *et implevit ire post me.* Phrasis autem פִּי אַחַר לָלֶכֶת *ire post aliquem*, significat, *alicujus jussa sequi*, ut 2 Chr. 34, 31. Quare וְיַמֵּלֵא לָלֶכֶת אַחֲרָי *perfecit ire post me* est *plene sequutus est me*, perfectam obedientiam mihi praestitit; יְמַלֵּא igitur adverbialiter hic sumitur. Saepe enim verbum finitum cum Infinitivo junctum adverbialiter exponendum et Infinitivus in tempus et personam finiti conjuncti convertendus est; veluti Gen. 8, 10.: וַיֹּסֶף שַׁלַּח אֹתָהּ לְקַלֵּל *adjecit emittere*, iterum emisit. Ibidem Vs. 21.: לֹא אֹסִף לְקַלֵּל *non addam maledicere*, non amplius maledicam. וְזַרְעוֹ יוֹרִשֶׁנָּה *Et posteri ejus possidebunt* jure haereditario *eam*, terram. — 25. וְהָעֲמָלֵקִי וְהַכְּנַעֲנִי יוֹשֵׁב בָּעֵמֶק *Amalekitae et Cananitae sedent*, i. e. castra sua posuerunt *in valle*, i. e. in vallibus, iis montibus, quos Hebraei cernebant, subjectis. מָחָר *Cras* igitur, ne vos adgrediantur. הַמִּדְבָּרָה *In desertum*, sc. idem unde venerant et in cujus finibus septentrionalibus erant.

27 — 33. In verbis עַד־מָתַי לָעֵדָה הָרָעָה הַזֹּאת aliquid esse supplendum, quisque intelligit. Sed varia supplent varii. Vulgatus et Syrus vertunt: *usque quo murmurabunt?* quasi statim post עַד־מָתַי sequeretur מַלִּינִים; tum vero non לָעֵדָה sed in nominativo עֵדָה scriptum esse debuisset. Saadias supplet: *conservabo* vel *superstitem faciam.* Clericus אֶסְלַח *condonabo.* Nos mallemus אֶשָּׂא, eodem *condonandi* significatu, ut antea Vs. 19. legitur נָשָׂאתָה לָעָם הַזֶּה *condonasti populo huic.* — 28. חַי־אָנִי *Vivam ego*, i. e. per vitam meam juro, ni vobis fecero, i. e. certe eveniet, id quod me audiente dixistis; cum negastis vos posse bellum inferre Cananaeis aedibusque avitis eos expellere. — 30. אֲשֶׁר נָשָׂאתִי אֶת־יָדִי *De qua sustuli manum meam*, gestu jurantium. Vid. ad Gen. 14, 22. — 32. פִּגְרֵיכֶם אַתֶּם *Vestra ipsorum corpora.* Pron. אַתֶּם additum

est ex pleonasmo, apud Orientales, inprimis Arabes, satis frequenti. Exempla Hebraica vide Gen. 24, 27. 49, 8. Deut. 18, 14. Zach. 9, 11. Cf. GESENIUS *Lehrgeb.* p. 727. — 33. יִהְיוּ רֹעִים בַּמִּדְבָּר *Erunt pascentes in deserto*, Nomadum more in desertis (Arabiae). Alii cum Vulgato: *vagi erunt*. Sed *errandi* significatum רָעָה nusquam obtinet. וְנָשְׂאוּ אֶת־זְנוּתֵיכֶם *Ferent scortationes vestras. Scortatio* h. l. ut saepe est praecipue idolorum cultus, vid. ad Ex. 34, 15. *Peccatum aliquod ferre*, est, ejus poenam luere, uti ex Levitico notum est. Populum Israeliticum autem in itinere idololatriam exercuisse, apparet ex Lev. 17, 7. et Amos 5, 25. Videtur tamen h. l. sub זְנוּת non solum idolorum cultus intelligendus, verum etiam *seditiones*, quia hae tanquam defectiones a supremo populi Israelitici rege, Jova, considerabantur.

34. 35. יוֹם לַשָּׁנָה יוֹם לַשָּׁנָה *Dies in annum, dies in annum*, i. e. pro singulis diebus totidem anni. וִידַעְתֶּם אֶת־תְּנוּאָתִי. Vox תְּנוּאָתִי, quae semel tantum, Job. 33, 10., recurrit, varie redditur. Alii eam referunt ad Arab. נוי, quod verbum in Conj. 3. significat, *surrexit in aliquem, opposuit se ei;* atque nomen תְּנוּאָה intelligunt de *murmuratione* Israelitarum. Ita Onkelos et Syrus: *quod murmurastis contra me.* Alii autem, atque, uti videtur, rectius, vocem Hebr. ad illud ipsum quidem verbum referunt, sed intelligunt תְּנוּאָה de *ira Dei* atque de *poena* qua Israelitas afficit; sic LXX. τὸν θυμὸν τῆς ὀργῆς μου. et Vulgatus: *ultionem meam.* Ita sensus erit commodus, *ut experiamini quid hoc sit, cum ego in aliquem surgo;* quae verba aptissime respiciunt ad illud, quod Israelitae in Deum surrexerunt, sive contra eum murmurarunt. J. D. MICHAELIS vocem Hebr. referendam putat ad הֵנִיא (30, 6. occurrens) quod, uti Arab. נוי in Conjug. 4. significat, *inclinare, discedere fecit, avertis.* Hinc ille vertit: *Ihr sollt erfahren, was das heisse, wenn ich eine Sache rückgängig mache.* Alii vertunt: *experiemini discessionem meam* (Lutherus: *ihr sollt erfahren, was das heisse, wenn ich mich von euch entferne, meine Hand von euch abziehe*). Conferunt Arab. תنأ, *longe invicem remoti fuerunt.* — 35. הַנּוֹעָדִים עָלָי *Qui convenerant contra me*, seditionem excitaverant, ut 16, 11.

36—40. וְהָאֲנָשִׁים *Quod vero attinet ad viros*, decem reliquos exploratores. De לְהוֹצִיא דִבָּה vid. 13, 32. — 37. וַיָּמֻתוּ הַמַּגֵּפָה לִפְנֵי יְהוָה *Mortui sunt percussione coram Jova*, i. e. ante tabernaculum conventus. Videntur seditiosi illi homines Mosis jussu illo in loco interfecti esse. — 40. הִנֶּנּוּ וְעָלִינוּ *Ecce nos et ascendemus*, i. e. en parati sumus ascendere. כִּי חָטָאנוּ *Nam peccavimus;* agnoscimus nos peccavisse, cum noluimus ascendere, sed reditum in Aegyptum cogitavimus.

41—45. אַתֶּם עֹבְרִים אֶת־פִּי יְהוָה *Transitis os*, i. e. mandatum *Jovae.* Intelligit mandatum convertendi agminis ad Ery-

thraeum mare, aut interdictum, ne nunc Cananaeae fines ingrederentur, Vs. 25. וְהִיא לֹא תִצְלַח *Hoc* vobis *bene non cedet*, ut Dan. 11, 27. LXX. οὐκ εὐοδα ἔσται ὑμῖν. — 43. עַל־כֵּן שַׁבְתֶּם מֵאַחֲרֵי יְהוָה *Propterea quod rediistis a post Jovam*, i. e. Jovae morem non gessistis. מֵאַחֲרֵי pro מִמִּלְכֵּת־אַחֲרֵי *ab eundo post*, h. e. ejus legibus amplius non paruistis, cf. ad Vs. 24. — 44. Verba וַיַּעְפִּלוּ לַעֲלוֹת אֶל־רֹאשׁ הָהָר varie reddunt. Alii: *conati sunt ascendere*; alii: *corroboraverunt* (*cor suum*) *ad ascendendum*, uterque sine ulla auctoritate. Conferendum est Arab. عفل, *mentem a re aliqua aut persona averterè*, *subducere et subtrahere*, hinc *negligere*, *parvi facere*, *contemnere*. Verba autem Hebr. ita erunt vertenda: *at neglexerunt*, sc. monitum Mosis, *ascendendo*, i. e. *atque tamen ascenderunt in montem*, idem prorsus est quod Deut. 1, 41. וַתְּהַיְנוּ לַעֲלוֹת הָהֳרָה. Vulgatus: *contenebrati sunt ascendendo*. Cepit יַעְפִּילוּ pro יַאֲפִילוּ. — 45. וַיֵּרֶד *Et descendit*, i. e. descenderunt, sc. ex altioribus jugis, quae occuparunt. וַיַּכּוּם וַיְכַתּוּם *Atque caeciderunt et contuderunt eos*, sc. Amalekitae Israelitas. עַד־הַחָרְמָה *Usque ad Chormam*, i. e. usque ad illum locum, qui postea *Chorma*, h. e. exstirpatio, dictus est 21, 3. In Cod. Samar. hic additum est: וישובו אל המחנה, quod etiam LXX. habent, καὶ ἀπεστράφησαν εἰς τὴν παραβολήν, *in castra conversi sunt*. Sed quisque in hoc additamento manum glossatoris videbit.

Cap. 15.

Quae libamina holocaustis et hostiis eucharisticis adjungenda sint. Lex de separandis primitiis. De peccatis a populo vel quolibet homine privato per ignorantiam admissis, eorumque expiatione. Delictis publicis et ex certa scientia legisque contemtu admissis mors decernitur. Lapidatur numinis jussu, qui Sabbato ligna collegerat. Additur denique de fimbriis et vittis hyacinthinis.

2—8. כִּי תָבֹאוּ וגו׳ *Quando perveneritis in terram, quam vobis habitandam daturus sum.* Leges igitur, quae sequuntur, in Palaestina demum observari debuerunt, quod in deserto eam victimarum, farinae, vini et olei copiam, quae ad Sacra necessaria erat, habere non poterant. — 3. לְהַפְלִא־נֶדֶר *Ut separetis votum. Separare votum* autem ponitur pro *solvere* sive *adimplere*; quod pecudes et alia animalia, quae quis vovisset in sacrificium, a communi ac profano usu tunc separentur, cum adimplendum erat votum. Cf. ad Lev. 27, 2. et Num. 6, 2. אוֹ בִנְדָבָה אוֹ בְמוֹעֲדֵיכֶם *Sive sponte* vestra, *sive statis festis* (de quibus Lev. 23.) a vobis celebrandis. — 4. De מִנְחָה vid. Lev. 2, 1. 6, 7. — עִשָּׂרוֹן *Decimam* Ephae *partem*, vid. 28, 5. De הִין vid. Ex. 39, 40. — 5. לַנֶּסֶךְ *Pro libamine.* Cf. 28, 7. — 8. שְׁלָמִים *Salutes*, i. e. victimam salutarem, de qua vid. Lev. 3, 1. sqq.

12—16. כַּמִּסְפָּר *Secundum numerum*, sc. victimarum. Hunc Vs. alii intelligunt ita: haec observentur a vobis per singula pro

ratione eorum, ex quibus fiunt munera ac libamina; i. e. erit proportio sacrificiorum atque munerum et libaminum. Alii vertunt: *qualem numerum in his feceris, talem quoque numerum facies in illis*, q. d. tot ferta et libamina afferetis, quot pecora sacrificabitis; ita ut nullum sacrificium fiat sine ferto et libamine. — 13. כָּזֹאת תַּעֲשֶׂה כָּכָה אֶת־אֶחָת *Faciet ita haec*, observabit illa more descripto. — 14. אוֹ אֲשֶׁר־בְּתוֹכְכֶם *Aut qui in loco vestro*, quicunque erit inter vos alius gentis. לְדֹרֹתֵיכֶם *Pro aetatibus vestris*, quocunque tempore contigerit vobis vivere. — 15. הַקָּהָל חֻקָּה אַחַת לָכֶם *Quoad coetum* totum, *statutum unum* sit *vobis*. הַקָּהָל est Nominativus absolutus. Sunt, qui הַקָּהָל ad Vs. anteced. referant, ut sit: כֵּן יַעֲשֶׂה הַקָּהָל. Ita distinguunt Cod. Samar. et LXX.; nam hi habent οὕτως ποιήσει ἡ συναγωγή. Sed vix intelligitur, quid sibi velint haec: *quemadmodum facietis, sic faciet coetus.* Vulgatus et Syrus vocem הַקָּהָל plane omittunt. Michaelis, qui retinet distinctionem masorethicam, sic vertit: *Ihr, die ihr beysammen seyd, habt einerley Gesetz, ihr selbst und der Fremde, der unter euch ist.* — 16. אֶחָד תּוֹרָה — אֶחָד *Una lex idemque jus sit vobis et peregrino, qui inter vos commoratur.* Hoc videtur tam saepe repeti, ut intelligerent Hebraei nec sibi nec peregrinis intra fines Israeliticos licere Sacra facere alio ritu praeter eum, qui a Mose institutus fuerat, ne peregrini exemplo suo Hebraeos a Mosaicis ritibus avocarent.

19—26. לֶחֶם הָאָרֶץ *Panis terrae*, ita vocantur proventus terrae. תָּרִימוּ *Extolletis*, i. e. seponetis, quia quae seponuntur ex aliorum vicinia tolluntur atque alio auferuntur. תְּרוּמָה *Oblationem;* vid. Ex. 25, 2. לַיהוָה *Jovae*, i. e. sacerdoti dandam in Jovae honorem. Cf. 18, 8. sqq. — 20. רֵאשִׁית עֲרִסֹתֵיכֶם *Primitiae massarum vestrarum*, LXX. ἀπαρχὴν τοῦ φυράματος ὑμῶν, farinae aqua in massam subditae. כִּתְרוּמַת גֹּרֶן *Ut oblationem areae.* Ex segetibus solvendae erant primitiae, antequam essent mola comminutae; deinde ex massa farinae etiam placenta erat danda. Cf. 18, 26. — 22. וְכִי תִשְׁגּוּ *Quodsi erraveritis*, Lev. 4, 2. 13. — 24. אִם מֵעֵינֵי הָעֵדָה *Si ab oculis congregationis*, si quis non animadvertente multitudine admiserit peccatum aliquod. Subauditur h. l. נֶעְלַם, vid. Lev. 4, 13., ubi extat phrasis integra. — 25. וְנִסְלַח לְכָל־הָעֵדָה *Et condonetur iis*, se. עָוֹן, ut Lev. 5, 10. — 26. Ad verba כִּי לְכָל־הָעָם בִּשְׁגָגָה subaudi הָיְתָה, quia toti populo *accidit* peccare per errorem.

29—31. הָאֶזְרָח *Quod attinet ad indigenam;* videtur positum pro לָאֶזְרָח, uti statim וְלַגֵּר, *et peregrino*, sit idem statutum. — 30. בְּיָד רָמָה *Per manum excelsam*, i. e. sciens, volens, Vulgat. *per superbiam*, Onkelos: *capite aperto.* Proprie בְּיָד רָמָה significat *vi adhibita*, sic Ex. 14, 8. Num. 33, 3. Peccat autem omni *vi adhibita* is, qui legem volens et sciens perfringit, ac monitus etiam spernit admonitiones, legemque se flocci facere aperte dicit. Verba

אֶת־יְהוָה הוּא מְגַדֵּף vulgo vertunt: *Jovam contumelia afficiet;* sed mallem coll. Aethiopico *gadafa, rejecit*, vertere: *si quis volens atque temere peccans Jovam*, i. e. legem Jovae *rejecerit*, i. e. *sprevérit.* Arab. גדף in Conj. 2. denotat *ingratus fuit pro beneficiis Dei parvique ea aestimavit, et iis gaudens se infidelem gessit.* וְנִכְרְתָה וגו׳ *Exscindetur is homo e populo suo*, vid. Gen. 17, 14. Ex. 12, 15. 19. Lev. 12, 20. — 31. וְאֶת־מִצְוָתוֹ הֵפַר *Et praecepta ejus fregit, irrita fecit*, violavit. עֲוֹנָהּ בָּהּ *Iniquitas ejus in eo est*, poenam peccati sui luet. עָוֹן *peccatum* pro *poena* peccati, ut saepe; caussa pro effectu.

32—35. וַיִּהְיוּ בְנֵי־יִשְׂרָאֵל בַּמִּדְבָּר *Quum essent Israelitae in deserto;* q. d. accidit aliquando, quod, quum Israelitae adhuc in deserto essent, quidam Sabbatho ligna colligeret etc. Additur exemplum legis Vs. 30. 31. traditae ab aliquo contumaciter transgressae. Nonnulli putant, sub deserto intelligi illud ipsum desertum, in quo lex illa data fuerit; quod tamen non est necesse. מְקֹשֵׁשׁ עֵצִים *Colligentem ligna.* קָשַׁשׁ proprie de *paleis colligendis* dicitur, vid. Ex. 5, 7. — 34. כִּי לֹא פֹרַשׁ מַה־יֵּעָשֶׂה לוֹ *Non enim expressum*, i. e. lege definitum *erat, quid illi fieri deberet.* Sabbathi ferias labore quopiam violantem morti quidem damnarat Moses Ex. 31, 14. 35, 2.; sed de *genere* mortis dubitabat. — 35. רָגוֹם אֹתוֹ *Lapidando*, sc. תִּרְגֹּם *lapidabit eum* totus populus. מִחוּץ לַמַּחֲנֶה *Extra castra.* Sic solebat fieri in capitis supplicio, vid. Lev. 24, 23. Tam grave autem supplicium in violationem Sabbathi exercebatur, quod multi ejus exemplum sequi, ac tandem Sabbathum, creationis memoriam, plane negligere poterant.

38. Nomen צִיצִת proprie adhibetur de *capillorum concinno;* ita Ez. 8, 3. Sed de vestibus usurpatum denotat *peniculamentum, filamentorum fasciculum (eine Quaste)*, quae ab una extremitate compacta, ab altera vero libera, floccorum forma *floris* expansionem imitentur; nam radix צִיץ *florere* significat. Sed N. G. SCHROEDER in *Observatt. ad origg. Hebrr.* p. 158. quum coll. Arab. צוץ radicem צִיץ proprie *micare, agili motu vibrari* significare statuat, peniculamentis illis, κρασπέδοις (Matth. 9, 20. 23, 5.), nomen צִיצִת inditum censet hinc, quod illa a vestium oris dependentia *cum tremulo motu promicarent*, eodem fere modo quo *antiae* de capite *propendulae.* „Erant fila longiorum fimbriarum in quatuor vestis angulis pleno, et funiculo hyacinthini coloris, ut lex praecepit, colliganda. Quare גְּדִילִים *fila contorta* vocantur. Deut. 22, 12. Latine *cirros* posses appellare, qui proprie sunt crines nodo collectae; propter quandam similitudinem, fimbriae vestium in nodum coactae, et ad modum crinium dependentes. Unde *vestes cirratae*, de quibus SALMASIUS *Exercitt. Plin.* p. 536.“ עַל־כַּנְפֵי בִגְדֵיהֶם *Ad alas vestimentorum*, i. e. ut recte Hieronymus, *ad angulos palliorum;* nam sub כְּנָפִים hic intelligi *quatuor angulos* vestimentorum, apparet ex Deut. 22, 12. Moris fuit Aegyptiaci,

ferre ejusmodi vestes fimbriatas, uti docet Herodot. 2, 81.: *Induti sunt tunicis lineis circa crura fimbriatis, quas vocant Calasiris.* לְדֹרֹתָם *Per generationes suas*, i. e. in perpetuum. וְנָתְנוּ עַל־ צִיצִית הַכָּנָף פְּתִיל תְּכֵלֶת *Ponantque super fimbriam extremitatis filum hyacinthinum*, i. e. peniculamenta illa angulis vestium adplicentur filis hyacinthinis. Non improbabilis est conjectura Clerici, fila hyacinthina spectasse ad tunicam hyacinthinam Pontificis Maximi, atque eo colore monitos esse Hebraeos, se esse *populum sacerdotalem*, adeoque omnes Deo sacros, cf. Ex. 19, 6. et Vs. sq.

39. Additur, quem in finem illa peniculamenta vestibus sint attexenda. Verba וְהָיָה לָכֶם לְצִיצִת verti solent: *et erit vobis in peniculamentum*, vel, ut alii malunt, *in fimbriam.* Sed, ut recte Schroederus l. l. monet: „Quis hanc ferret *ταυτολογίαν*, *peniculamentum erit vobis in peniculamentum?* Quare nonnulli sic instituerunt: *et erit*, sc. פְּתִיל תְּכֵלֶת *funiculus hyacinthinus vobis ad peniculamentum.* Sed hoc nihil aliud est, quam quod modo dictum erat Vs. 38.: *ponant ad peniculamentum orae vestis funiculum hyacinthinum.* Omnino requiritur, ut צִיצִת, quod proprie *adjectivum* est, et, per *substantivi* ellipsin, varias notiones recipere potest, hic aliud quid significet, quam in proxime praecedentibus; nempe *signum promicans*, quod cum *tremulo motu* ita *prominet*, ut sua sponte in hominum oculos incurrat, eorumque animum afficiat. Ita sane Moses ipse explicat, subjungens: וּרְאִיתֶם אֹתוֹ *et videbitis illud* peniculamentum, *et recordabimini omnium praeceptorum Jovae, et facietis ea.*“ Addit Schroederus, nomen צִיץ Jerem. 48, 9. Alexandrinos per *σημεῖον* exponere. Malim tamen לְצִיצִת hic vertere: *ad adspectum*, s. *ad adspiciendum.* Verbum צִיץ et *prospiciendi* significatum obtinuisse, patet e Cant. 2, 9.; et docent cognata Arabica verba. Quae sequuntur, וְלֹא־ תָתוּרוּ אַחֲרֵי לְבַבְכֶם וְאַחֲרֵי עֵינֵיכֶם, plures sic vertunt: *ne exploretis post cor vestrum et oculos vestros*, sensu plane nullo. Observanda est propria verbi תּוּר significatio, quae cognoscitur ex Arab تار *in gyrum circumactus fuit*, hinc *vagatus*, *conversus est hinc illinc.* Unde hic locus sic vertendus erit: *et ne circumagamini, convertamini*, aut *vagemini post*; i. e. sequendo *cor vestrum et oculos vestros*; i. e. ne indulgeatis animis vestris, ne effrenatis cordis vestris desideriis affectuumque libidine abripiamini. Bene LXX. *καὶ οὐ διαστραφήσεσθε ὀπίσω τῶν διανοιῶν ὑμῶν.* Et Onkelos: *nec erretis post cogitationem cordis vestri.* אֲשֶׁר־ אַתֶּם זֹנִים אַחֲרֵיהֶם *Post quos scortamini*, i. e. quorum desideria sequimini. Cf. ad Ex. 34, 15.

Cap. 16.

A Coracho, Dathan et Abiram concitata seditio, quos terra vivos sorbet et devorat cum tota suppellectili: at 250 viri factionis Corachi, qui incensum offerebant, igne interficiuntur et occisorum thuribula divino jussu in laminas producta, altari affiguntur. Orto deinde ob interfectos populi murmure, rursum 14700 incendio a Jova perimuntur, quod ne ulterius grassaretur, oblato incenso avertit Aaron.

1: וַיִּקַּח קֹרַח *Et sumsit Corachus.* Sed quid sumsit? Id ad hunc locum supplere, mire sese exercuerunt interpretes. Alii subaudiunt: *socios* sceleris; alii explicant: *sumsit*, *tulit se ipsum ad unam partem* castrorum, ut surgeret et discederet a Mose, h. e. divisus est a toto coetu Israël, quia seditionem excitare parabat. Ita Syrus et Onkelos, cum quibus consentit Arabs Erpenii. Sed לָקַח in prima conjugatione nusquam habet significationem reciprocam, ut taceam modum loquendi plane inusitatum. Hubigantius וַיִּקַּח derivavit a קָחָא, quod verbum Syris denotare ait *rixatus est*; tunc autem ex ק excidere debet Dagesch. Nec certa est illa verbi Syriaci significatio. Dathius (quocum consentit Michaelis) וַיִּקַּח hic obvium maluit referre ad קָחַח, quod ex Syrorum quadrilitero אִתְקַחְקַח, *murmuravit, strepuit*, explicat. Verum quum וַיִּקַּח ceteris omnibus, quibus in V. T. occurrit locis, sane quam plurimis, ad verbum לָקַח sit referendum, ab eadem radice et h. l. derivari credibile est. Nec dubitamus nostram facere interpretationem R. Moseh Ben-Nachmanis (Rambaן, רמב"ן), qui monuit, לָקַח hic *consilium capere, instituere* significare, ut 2 Sam. 18, 18.: וְאַבְשָׁלֹם לָקַח וגו' *Absalom instituerat statuam sibi dum viveret erigere.* Quo ipso modo Arabes suo אחד i. q. hebr. אָחַז *cepit* utuntur. Hoc vero Numerorum loco esse prima Vs. 1. verba cum Vs. secundi initio conjungenda, hoc modo: וַיִּקַּח קֹרַח וְדָתָן וַאֲבִירָם וַיָּקֻמוּ *et suscepit Corach et Dathan et Abiram, et insurrexerunt* rel. Nec obstare huic constructioni, quod וַיִּקַּח in Singulari ponitur; nam quum Verbum praecedat Nomen agentis, non necesse esse, ut cum eo respectu numeri conveniat (cf. Gesenii *Lehrg.* p. 713. *b.*), verbum autem quod sequitur, וַיָּקֻמוּ, recte in Plurali poni. Cum hac Nachmanis fil. interpretatione consentit Saadias, qui וַיִּקַּח vertit: *et aggressus est.* Ceterum Corachi pater, *Jizhar*, frater erat *Amrami*, patris Mosis et Aaronis, vid. Ex. 6, 18. 21, 24. Alteri invidit summam auctoritatem in populo, alteri sacerdotium: forsan etiam aegre tulit, quod Cahatitarum princeps non ipse, sed *Elizaphan* constitutus esset, cf. 3, 30. *Dathan* et *Abiram* vero, Rubenitae, aegre tulisse videntur primogeniti jura in alias tribus collata; cf. Gen. 49, 4. In posteriore hujus Vs. parte filiis Rubenis adnumeratur אוֹן בֶּן־פֶּלֶת, qui tamen neque Gen. 46, 9., neque Ex. 6, 14., neque Num. 26, 5 — 9., quibus locis Rubenis filii recensentur, inter eos comparet. Sed nihil obstat, quo minus פֶּלֶת, qui hic commemoratur, Rubenis e Chezrone aut Carmi nepos fuerit.

2. 3. וַיָּקֻמוּ לִפְנֵי מֹשֶׁה *Surrexerunt coram Mose*, i. e. ansi sunt ei in faciem resistere. נְשִׂיאֵי עֵדָה *Principes populi*, ut Ex. 16, 22., ἀρχηγοί. Cf. רָאשֵׁי בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל 13, 3. קְרָאֵי מוֹעֵד *Vocati conventus*, qui vocabantur ad conciones, conventus, et comitia Senatorum, ut 1, 16.; de his legatis vid. Lev. 8, 3. Et hodie Judaei *comitia* vocant יום המועד. Alii intelligunt *convocatos ad hanc conspirationem*, coll. Vs. 11., ubi הַנּוֹעָדִים *conjurati* dicuntur. Sed priorem interpretationem commendat usus loquendi. Minus probandi, quibus מוֹעֵד h. l. est *tabernaculum sacrum*, quia ad id conveniebatur, ut קְרִיאֵי מוֹעֵד sint *qui vocari solebant ad tabernaculum conventus*. Recte Vulgatus: *qui tempore concilii vocabantur*. LXX. σύγκλητοι βουλῆς Michaelis: *Beysitzer der Rathsversammlung*. אַנְשֵׁי־שֵׁם *Viri nominis*, i. e. clari, celebres, ut Gen. 6, 4. — 3. רַב־לָכֶם *Multum est vobis*. Alii (Arabs Erp.) vertunt: *satis sit vobis*, sufficiat vobis (ut Gen. 45, 28. Deut. 1, 6.), quod vos soli hactenus sacerdotii dignitatem usurpastis, imperium in totum populum tenuistis; date et aliis locum, qui aeque atque vos illa praestare possunt. Alii: multum est vobis quod vos soli adscribitis vobis et usurpastis honorem sacerdotii, nimium vobis arrogatis: qui sensus aptissimus videtur ob id quod sequitur: *quum tamen nos omnes sancti simus Deique populus*, et nos igitur idem jus habemus quod vos (cf. et Vs. 10.) In hunc sensum Saadias: *quanta* est *aestimatio*, arrogantia *vestra quoad principatum!* Jarchi: *multum et plus, quam satis est, dignitatis sumsistis vobis.*

4—7. וַיִּפֹּל עַל־פָּנָיו *In vultum concidit*; ut eo ritu seditiosos placaret; nam hic honor regibus tantum exhiberi solebat. Idem fecit Moses in alia seditione, 14, 5. Sed Hebraei volunt, precatum esse Jovam, ut sibi patefaceret, quid conjuratis respondeat. Ita Saadias, qui addidit: *petiit revelationem.* Sane qui divina oracula exspectabant tanquam extra se raptos pronos in faciem se prostravisse, saepius legimus, ut 24, 4. de Bileamo, 1 Sam. 19, 25., de Saulo inter prophetas versante, de Ezechiele 1, 22. 3, 23., de Daniele 8, 17. 18., de Joanne, Apoc. 1, 17. — 5. בֹּקֶר *Mane*, sc. crastinae diei, cf. Vs. 7. et 16. Matutinum tempus exspectate et declarabit etc. LXX. ἐπέσκεπται. Pro בֹּקֶר etulerunt בָּקַר *inquiret*, quod verbum et alias, ut Lev. 13, 36. Ez. 34, 11. Ps. 27, 4. ἐπισκέπτων reddunt. וְיֹדַע *Tunc notum facit.* אֶת־אֲשֶׁר־לוֹ *Eum qui* sit *ei*, i. e. eum qui probatus sit ipsi. וְאֶת־הַקָּדוֹשׁ *Et quemnam sibi sacrum* ad sacerdotis munere fungendum; cf. Ex. 28, 36. וְהִקְרִיב אֵלָיו *Et quem propius sibi adesse velit*; ita describi solent sacerdotes veluti Lev. 10, 3. וְאֵת אֲשֶׁר יִבְחַר־בּוֹ יַקְרִיב אֵלָיו *Quem autem elegerit, eum ad se accedere jubebit*, i. e. eum sacerdotio fungi jubebit, is ab eo sacerdos constitutus esse intelligetur. — 7. קָדוֹשׁ h. l. sacerdotii sanctimonium significat. רַב לָכֶם *Multum vobis arrogatis.* Vos me accusatis (Vs. 3.), quasi ego mihi nimium tribuam, imo vos istud facitis.

9—14. הַמְעַט מִכֶּם *An parum* judicatur *a vobis?* מ sacpius notat *a*, veluti 32, 22. Ez. 34, 18. Job. 4, 17. Alii vertunt: *an minus prae vobis*, i. e. an videtur vobis hoc minus quam vos deceat? יְהוָה — לְהַקְרִיב Ut ad ministerium tabernaculi obeundum ad eum accedere possitis? לְשָׁרְתָם *Ut ministraretis eis* sive *ei*, sc. populo, i. e. ut ejus loco suppellectilia sacra curetis. Cf. 3, 8. — 10. וַיַּקְרֵב אֹתְךָ *Appropinquare fecit te*, sc. Corachum. Sensus: habebitis jam munera in tabernaculo, et nunc praeterea sacerdotium adfectatis? — 11. הַנּוֹעָדִים עַל־יְהוָה *Qui contra Jovam conspirastis;* Vs. 2. 14, 35. וְאַהֲרֹן מַה־הוּא *Et Aaron quid ipse*, sc. fecit, ut contra eum murmuretis? Eadem phrasis Ex. 16, 7. — 12. לֹא נַעֲלֶה *Non adscendemus*, venicmus ad judicium sive conventum. Qui ad regem aut judicem sive judicium veniunt, ii Hebraeis dicuntur *ascendere*, vid. Deut. 25, 7. Ex. 11, 8. — 13. כִּי תִשְׂתָּרֵר עָלֵינוּ גַּם־הַשְׂתָּרֵר *Quod principem te facis super nos etiam principem te faciendo?* ut principatum etiam in nos adfectes? — 14. אַף לֹא *Imo non* s. *sed.* Particulam אַף enim hic minus apte verti *etiam*, ut aliis in locis, apparet ex Vs. 13. Valet h. l. *imo* s. *sed*, ut Ps. 44, 10. 58, 3. — הֲעֵינֵי הָאֲנָשִׁים הָהֵם תְּנַקֵּר *An oculos his viris effodies*, visne nos non videre id quod videmus, nempe, te promissis nequaquam stare?

15—17. וַיִּחַר לְמֹשֶׁה *Quare exarsit Mosi*, sc. אַף *ira*, ut Gen. 4, 5. 6. 18, 30. 32. 31, 35. 36. Diserte nomen אַף adjicitur Gen. 30, 2. Job. 32, 2. 2 Chr. 25, 15. Potest et exponi: *doluit ipsi vehementer*, aegerrime id tulit, ut 1 Sam. 15, 11. 2 Sam. 6, 8. אַל־תֵּפֶן אֶל־מִנְחָתָם *Ne respicias ad oblationes eorum*, ne sint tibi gratae; ne eas suscipias cum voluntate; ut Gen. 4, 4. לֹא חֲמוֹר אֶחָד מֵהֶם נָשָׂאתִי *Ne asinum unum quidem ab iis accepi.* Pro חמור LXX. legerunt חמוד *rem cupitam*, habent enim ἐπιθύμημα; sic et Cod. Samar. legit. Ita sensus hic erit: nihil desiderabile ab illis accepi; nihil concupivi, neque accepi ab illis quidquam, quod esset concupiscibile. Sed lectio Masorethica praeferenda est. Primum enim ceteri vett. interpp. cum ea consentiunt. Deinde eadem phrasis occurrit et 1 Sam. 12, 3. וְחֲמוֹר מִי לָקָחְתִּי *aut cujus asinum accepi?* Hoc vult Moses, se non gessisse se Regis instar, qui tributa a populo exegisset, se rexisse Hebraeos gratis. — 16. לִפְנֵי יְהוָה *Coram Jova*, i. e. ante tabernaculum conventus; cf. Vs. 18. 19., ubi pro לִפְנֵי יְהוָה ponitur פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד. וַיִּעֲמְדוּ — 17. וְנִתַּתֶּם עֲלֵיהֶם קְטֹרֶת *Et imponatis iis*, thuribulis, *suffitum.* Suffixum plur. vocis עֲלֵיהֶם respicit ad אִישׁ מַחְתָּתוֹ distributive capiendum. Sed minus accurate Suffixum masc. ponitur pro femin. הֶן, uti et alias haud raro; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 731.

18—26. Post verba פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד ante *ostium tentorii conventus* Jonathan addit מִצְּטְרָא חַד *a latere uno*, et post מֹשֶׁה addit וְאַהֲרֹן מִצְּטְרָא חַד *a latere altero.* — 19. אֶת־כָּל־הָעֵדָה *Omnem coetum.* Haec verba intelligenda sunt de iis, quibus illi

250 viri, qui cum Coracho se conjunxerant, praefecti erant. Vid. Vs. 2. LXX. *πᾶσαν αὐτοῦ συναγωγήν.* — 21. וַאֲכַלֶּה אֹתָם *Et conficiem eos*, quod seditiosis non contradicerant, sed tacite potius consentirent. כְּרֶגַע *Quasi momento*, i. e. subito. LXX. *εἰσάπας.* — 22. אֱלֹהֵי הָרוּחוֹת לְכָל־בָּשָׂר *Deus spirituum*, qui insunt *omni carni*, o Deus creator et conservator vitae omnium hominum. רוּחַ hic denotat *vitam*, et כָּל־בָּשָׂר omne *humanum genus*, ut saepe alias. Cf. Job. 12, 10. Jonathan: *qui posuit spiritum spiraculi in corporibus hominum, et a quo datus est spiritus omni carni.* אִישׁ אֶחָד *Vir unus*, Corachus, tanquam auctor consilii. Cf. Gen. 18, 25. — 24. הֵעָלוּ מִסָּבִיב לְמִשְׁכַּן־קֹרַח *Submovete vos e circuitu tentorii Corachi*, i. q. Vs. 26.: סוּרוּ מֵעַל אָהֳלֵי וגו׳ *recedite a tentoriis.* — 26. פֶּן־תִּסָּפּוּ בְּכָל־חַטֹּאתָם *Ne consumamini in omnibus peccatis eorum.* חַטָּאת hic est *poena peccati*, ut saepe in Levitico. Sensus: ne eodem quo illi judicio auferamini.

27—30. טַף hic significat *impuberes sexus feminei*, puellulas, qua significatione haec vox manifeste occurrit 31, 18. Clericus tamen בְּנֵיהֶם וְטַפָּם interpretatur *tam puberes quam impuberes*; quae interpretatio non plane est repudianda; בָּנִים enim nonnumquam utriusque sexus liberos significare est notum. — 28. בְּזֹאת *In hoc*, hac ratione, hoc signo. אֵת כָּל־הַמַּעֲשִׂים הָאֵלֶּה *Omnia haec facta.* Intelliguntur eae res, de quibus contendebatur, sc. de privilegio Aaronis, de sacerdotio et de Levitarum ministerio. כִּי־לֹא מִלִּבִּי *Quod non e corde meo*, sc. *feci*, non animo meo me ad id impellente. Recte LXX. *οὐκ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ*, sc. *ταῦτα ἐποίησα.* — 29. וּפְקֻדַּת כָּל־הָאָדָם יִפָּקֵד עֲלֵיהֶם *Et* (si) *visitatione omnis hominis visitabitur super eos.* פָּקַד hic sensu malo sumendum esse docet orationis nexus, tunc autem significat *punire*, vid. Ex. 20, 5. Jes. 10, 3. Sicut autem מוֹת כָּל־הָאָדָם, *mors qua quisque homo moritur*, significat *mortem solitam, vulgarem*, ita *poena cujusvis hominis* erit poena vulgaris. לֹא יְהוָה שְׁלָחָנִי *Non Jova me misit*, לֹא quod alias proxime ante verbum ponitur, h. l. nomini praeponitur, emphaseos causa. — 30. וְאִם־בְּרִיאָה יִבְרָא יְהוָה *Si Jova creaverit creationem*, i. e. si omnipotentiae suae opus, rem prorsus novam fecerit. Similis phrasis Ex. 34, 10. *Faciam miranda*, אֲשֶׁר לֹא־נִבְרְאוּ *quae non producta sunt in tota terra et in omnibus populis.* Cf. et Jes. 48, 7. LXX. vertunt *εἰ ἐν φάσμασι δείξει Κύριος.* Videntur בְּרִיאָה ad רָאָה *videre* retulisse, et de *portentis, monstris* intellexisse. יִבְרָא autem vertunt *δείξει*, ut Jes. 40, 26. 41, 20., ubi *κατέδειξε* ponunt. Nec tamen necesse est eos pro יִבְרָא legisse יִבְדָּא per Daleth, *rem novam creabit*, a בָּדָא, quod Arab. sonat *incepit, novum quid excogitavit.* Vulgatus: *sin autem rem novam fecerit Dominus.* Expressit sensum verbi בָּרָא et inde deducti nominis, בְּרִיאָה. Kennicotti Codex 153. (anno p. C. n. 1211. exaratus) habet בריאה חרשה יברא *creationem novam creaverit.* שְׁאוֹלָה *In infernum.* Vox שְׁאוֹל proprie denotat locum infra terrae

superficiem, coll. Deut. 32, 22., ubi ἐκ παραλλήλου adponitur *fundamentis montium*. Hinc nomen *locum mortuorum*, infra terram, orcum, denotare constat, quomodo et hic capiendum. כִּי נָאֲצוּ הָאֲנָשִׁים הָאֵלֶּה אֶת־יְהוָה *Hos viros aspernatos esse Jovam*, i. e. rem a Jova constitutam, non a me.

32—35. וְאֵת כָּל־הָאָדָם אֲשֶׁר לְקֹרַח *Omnes qui ad Corachum pertinuerunt;* exceptis liberis, qui patrem videntur deseruisse, nec cum eo perierunt, ut diserte docet Moses 26, 11. Corachitas superstites mansisse arguunt et tituli Psalmorum 44. sqq. Cf. ad Ps. 42, 1. — 33. וַיֵּרְדוּ הֵם — הַקָּהָל *Sic isti cum suis omnibus vivi ad inferos descenderunt; terra eos operuit e medio coetu sublatos.* Michaelis putat, hoc factum esse labe terrae, quam Moses praedicere potuisset, quum legatus esset ab eo, sub cujus moderamine tota natura est. Fuerunt tamen, qui ea, quae hic narrantur, ita explicare vellent, ut nil in iis esset, quod consuetae rerum seriei non conveniret. Inter quos sane male rem suam egerunt, qui existimarent, Mosem curasse, ut locus, ubi tentoria Dathanis, Coraehi et Abirami fuissent, clam suffoderetur. Hi non expenderunt, quomodo tale quidquam in tanta hominum frequentia, qualis in Israelitarum castris erat, *clam* fieri potuisset, et quidem unius diei spatio, cf. Vs. 15. 16. Accedit, quod Moses tres istos viros ad tentorium sacrum convenire jussit, ut ibi delicti poenas luerent. Alium igitur hanc historiam explicandi modum instituit Eichhornius (*allg. Bibl. d. bibl. Litter.* P. I. Fasc. 5. p. 911.). Ex eo, quod Israelitae (17, 6.) clamant, a Mose et Aarone Dei populum esse perditum, colligit, poenam, qua rebellium duces affecti essent, a Mose et Aarone esse decretam. Existimat, tres viros istos seditiosos a nonnullis eorum, qui Mosem custodiendi caussa stiparent, arreptos, et ab aliis Mosis stipatoribus vivos esse defossos, una cum eorum tentoriis et facultatibus, tanquam rebus ad homines devotos pertinentibus. Quae Vs. 31. 32. leguntur, Eichhornius huic explicationi non adversari putat, si ea ex priscorum hominum loquendi et sentiendi modo interpretemur. Vs. 29. 30. hunc sensum inesse existimat: „quoniam in me, Jovae legatum, tam grave delictum commisistis, supplicio plane novo et inaudito afficiendi estis;“ qua sententia pronunciata, Mosem jussisse ut homines isti jam in custodia retenti, vivi defoderentur. Reliquos autem 250 seditiosos Mosis jussu trucidatos et deinde combustos esse. Quum autem congrue videretur, ut homines, qui contra Jovam peccassent, etiam *per Jovam* prorsus extinguerentur, ignem quo illi comburebantur, desumtum esse ex igne sacro. Id exprimi Vs. 35. ita: *ignis exiit ex Jova et rebelles consumsit.* — 34. לְקֹלָם *Ad illorum clamores.* — 35. וְאֵשׁ יָצְאָה מֵאֵת יְהוָה Vid. Lev. 10, 2.

Cap. 17.

Virgis duodecim a duodecim tribuum Principibus acceptis, repositisque a Mose cum virga Aaronis in sacro Tabernaculo, sola Aaronis virga germinat, floret, fructus profert, quam deinde jubetur Moses asservandam in tabernaculum reportare.

2 — 5. מִבֵּין הַשְּׂרֵפָה *Ex medio ambustionis*, i. e. abstracto posito pro concreto, e medio virorum combustorum. Ita LXX. ἐκ μέσου τῶν κατακεκαυμένων. וְאֶת־הָאֵשׁ זְרֵה־הָלְאָה *Et ignem sparge ultrà*, sc. altare, huc illuc spargendo ignem projicias ultra altare, extra atrium, quod ignis profanus esset. Hinc LXX. τὸ πῦρ τὸ ἀλλότριον τοῦτο σπεῖρε ἐκεῖ. כִּי קָדְשׁוּ *Nam sunt sanctificatae*, sc. acerrae, i. e. Deo consecratae, quasi anathema factae sunt, nec ad profanum usum rursus possunt adhiberi. Cf. Lev. 27, 28. — 3. הַחַטָּאִים הָאֵלֶּה בְּנַפְשֹׁתָם *Peccatorum istorum in animas ipsorum*, i. e. qui perdiderunt se ipsos propter peccata sua. Similem phrasin vid. Prov. 20, 2. 1 Reg. 2, 23. Alii נֶפֶשׁ hic vertunt *cadaver*, quam significationem haec vox haud raro habet, veluti Lev. 19, 28., ut vertendum sit: *inter cadavera eorum.* רִקְעֵי פַחִים *Extensiones laminarum* vel *dilatationes*, i. e. ductae malleo laminae; רָקַע enim propric adhibetur de diductione metallorum per malleum. Cf. ad Gen. 1, 6. Ita Ex. 39, 3.: וַיִּרְקְעוּ צְפוּי לַמִּזְבֵּחַ אֵת־פַּחֵי הַזָּהָב *Expanderunt laminas auri. Obductum altari*, quibus tegatur altare. וְיִהְיוּ לְאוֹת לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *Sintque in signum filiis Israel.* לְאוֹת hic i. q. mox Vs. 5. לְזִכָּרוֹן *in memoriam;* ut quoties viderint Israelitae altare opertum laminis, recordentur poenae, qua seditiosi isti homines plectebantur. — 5. וְלֹא יִהְיֶה כְקֹרַח וְכַעֲדָתוֹ *Ut non sit sicut Corachus et sicut caterva ejus*, ne idem ei eveniat quod Coracho et socciis ejus. Ceterum notandum est, hos Vss. 1 — 5. in nonnullis Bibliorum editionibus referri ad Cap. praecedens, quum ea, quae in iis narrantur, arctissime cohaereant cum Cap. 16. historia.

6. 7. אַתֶּם הֲמִתֶּם אֶת־עַם יְהוָה *Vos occidistis Dei populum*, vos occasionem fecistis tantae stragis in populo factae. Qui enim suo aliquo facto occasionem praebuit eventui, eidem eventus ipse interdum assignatur; veluti Ex. 5, 22., ubi *affligere populum Israeliticum* valet, imperare liberationem ejus, unde Pharaoni ansa data fuerit ad eum gravius affligendum. Vid. et 1 Reg. 18, 9. Jud. 18, 25. Gen. 42, 38. — 7. בְּהִקָּהֵל הָעֵדָה *Cum congregaret se populus* ad seditionem. וַיִּפְנוּ *Et conversi sunt*, fugerunt, fugere coeperunt, sc. Moses et Aaron. Alii ad populum referunt, ut sit: converterunt se ad eos occidendos, ut Jonathan addit.

10 — 15. הֵרֹמּוּ *Tollite vos*, semovemini, ut Ez. 10, 15. 17. וַיִּפְּלוּ עַל־פְּנֵיהֶם *Et ceciderunt*, Moses et Aaron *in faciem suam*, cf. ad 16, 4. — 11. וְהוֹלֵךְ *Et ire fac*, i. e. defer; est enim Imperativus Hiphil verbi יָלַךְ. Codd. Samarr. et 8 Hebraei habent: וְהָלֵךְ *i cito!* Forte ita legit Vulgatus: qui habet *pergens cito*,

quod tamen non certo dici potest; potuit enim et is הוֹלֵךְ legere idque pro Participio Cal verbi הָלַךְ habere. כִּי־יָצָא־הַקֶּצֶף מִלִּפְנֵי יְהוָֹה *Nam ira egressa est e facie Jovae*, anthropopathica loquendi formula, significans, Deum jam coepisse supplicium sumere de rebellibus Hebraeis. Confer illud Homeri (*Il.* τ. 91.): *Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ, Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται.* הֵחֵל הַנָּגֶף *Incepit plaga*, subitae mortis; intelligitur pestis. — 14. עַל־דְּבַר־קֹרַח *Super verbum Corachi*, i. e. ejus caussa, ob seditionem Corachi. — 15. Particula ו ante הַמַּגֵּפָה vertenda est *postquam*, ut Gen. 18, 13. Ex. 12, 44.

16 — 20. Cum hoc demum Versu Cap. 17. inchoant codices Alexandrinae versionis et Bombergii codicis Hebraei exempla. — 17. קַח מֵאִתָּם מַטֶּה מַטֶּה *Sume ab iis virgam virgam*, i. e. singulas virgas, cf. Vs. 21. et 13, 2. De לְבֵית אָב *pro domo patris*, vid. 1, 4. — שְׁנֵים עָשָׂר מַטּוֹת *Duodecim virgas*, Ephraimo et Manasse sub uno nomine Josephi numeratis, ut Deut. 27, 12. Alii duodecim virgas positas existimant, praeter virgam Aaronis, infra Vs. 21. — אִישׁ אֶת־שְׁמוֹ תִּכְתֹּב עַל־מַטֵּהוּ *Vir nomen ejus*, viri autem cujusque nomen *scribes super baculum ipsius*. — 18. כִּי מַטֶּה אֶחָד לְרֹאשׁ בֵּית אֲבוֹתָם *Nam una virga pro capite domus patrum suorum*, i. e. singulae virgae singulis principibus familiarum avitarum erunt; singuli principes singulas virgas dabunt. — 19. לִפְנֵי הָעֵדוּת *Ante legem*, i. e. ante aream in qua leges asservantur. De עֵדוּת vid. Ex. 16, 34. אֲשֶׁר עִוָּעֵד לָכֶם שָׁמָּה *Ubi vos convenire soleo.* Pro לָכֶם 4 Codd. hebrr., Cod. Sam., LXX., Vulgat. et Arabs habent לְךָ. Quam lectionem Dathius praeferendam putat, quod solo cum Mose loquebatur Deus ex illo loco. Attamen Pluralis לָכֶם cum verbo אִוָּעֵד junctus ponitur et Ex. 29, 42., et Vs. 43. לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל. — 20. עֲלֵיכֶם — וַהֲשִׁכֹּתִי *Faciam cessare a contra me fremitus Israelitarum, quibus fremunt contra vos*, fremitibus Israelitarum contra vos, quos ita interpretor, quasi contra me sint, finem imponam.

23 — 27. וַיִּגְמֹל שְׁקֵדִים *Et maturas reddiderat amygdalas.* Notionem *maturescendi* verbum גָּמַל, quod propr. *ablactavit* significat, etiam obtinet Jes. 18, 5. — 24. מִלִּפְנֵי יְהוָֹה *E conspectu Jovae*, i. e. tabernaculo conventus. — 25. בְּנֵי מֶרִי *Filii rebellionis* ex noto Hebraismo sunt homines rebelles. וּתְכַל תְּלוּנֹּתָם מֵעָלַי וְלֹא יָמֻתוּ *Ut finem imponas fremitibus contra me, neve illi pereant.* — Miram rem, quae inde a Vs. 17. narratur, Eichhorn (*allgem. Bibl.* P. I. Fasc. 1. p. 86.) hoc fere modo contigisse conjecit. Instituerat Moses populi conventum, ut, ex quanam familia in posterum sacerdotes sumendi essent, in eo constitueretur. Duodecim tribuum principes eo fine sortiebantur per baculos, quod genus sortitionis etiamnum apud Arabes in usu est. Jus sacerdotii sorte obtigit familiae Aaronis, ad cujus rei signum ipsius baculus gemmis, floribus et fructibus ornabatur. Hic baculus ad diem sequen-

tem in tentorio conventus asservabatur; eo autem die, illo baculo prolato, declarabatur populo, Jovam (ex antiquo loquendi modo) sorte elegisse Aaronis familiam, ut penes eam sacerdotii jus esset; seu, posito signo rei pro significata, baculum Aaronis a Jova gemmis, floribus et fructibus ornatum esse. Baculus ipse ad hujus rei memoriam atque ut Moses, quo in similibus populi seditionibus defendere sese possit, haberet, in loco sacro reponebatur. — Cf. quae attulimus in *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 254. — 27. הֵן גָּוַעְנוּ אָבַדְנוּ כֻּלָּנוּ אָבָדְנוּ *En exspiramus, interiimus, omnes periimus!* Incertum est, utrum haec et Vs. sq. scripta a populo dicta sint animo malo et indignante ob illas poenas divinas rebellibus illatas, an perterrito et timido, ne forte ira Dei saevire pergeret, et sibi contingeret, quod sociis Corachi contigerat. Hujus ambiguitatis caussa est in silentio Mosis populo non respondentis.

Cap. 18.

Onera et ministeria et sacerdotum et Levitarum cum eorundem vicissim juribus, proventibus, vitaeque subsidiis.

1—5. תִּשְׂאוּ אֶת־עֲוֹן הַמִּקְדָּשׁ *Feretis delictum sanctuarii*, i. e. curam geretis Sanctuarii, sed dabitis poenas, si quid vestra negligentia in illud peccatum fuerit. Alii haec verba sic interpretantur: vos custodes eritis Sanctuarii, et neminem, qui non sit de tribu vestra permittetis in illo ministrare, alioqui vos portabitis perpetratum malum. — 2. וְיִלָּוּ עָלֶיךָ *Ut adjungantur tibi*, videtur alludi ad nomen *Levi*, cf. Gen. 29, 34. לִפְנֵי אֹהֶל הָעֵדֻת *Ante tentorium legum*, sc. fungemini sacerdotio. לִפְנֵי hic indicat *partem anteriorem*, ubi erat altare holocaumatorum et ostium tentorii. Significatur rerum sacrarum administratio et custodia sacerdotibus, eo in loco plurimum versantibus, commissa. — 3. וְשָׁמְרוּ מִשְׁמֶרְתְּךָ *Observabuntque observationem tuam*, i. e. servabunt praecepta tua, vel diligentissime observabunt et facient quod illis praeceperis. אַךְ — יִקָּרֵבוּ *Nec ad vasa sacra nec ad altare accedant*, ut nempe vasa retecta tractent aut oblationes offerant, vel victimarum sanguinem effundant. Levitae, qui non ex Aaronis familia essent, officia minus sancta in tabernaculo sacro curare debebant; vid. Cap. 4. וְלֹא־יָמֻתוּ וגו׳ *Ne illi et vos moriamini*, i. e. id enim et illis et vobis mortem contraheret, cf. 4, 15. 18. — 4. וְנִלְווּ עָלֶיךָ *Adjuncti sint tibi*, modo ministri tui sint; cf. Vs. 2. — 5. וְלֹא־יִהְיֶה וגו׳ *Ne amplius ira mea in Israelitas excandescat*, cf. 17, 11.

7. 8. תִּשְׁמְרוּ אֶת־כְּהֻנַּתְכֶם *Fungemini sacerdotio vestro*, vobis iterum collato et confirmato, cf. 3, 20. — לְכָל־דְּבַר הַמִּזְבֵּחַ *Quod attinet omnem rem altaris.* Benc Syrus: *omnes ritus altaris.* וּלְמִבֵּית לַפָּרֹכֶת *Quae intra siparium* sunt peragenda. Cf. Ex. 26, 33. וַעֲבַדְתֶּם *Atque observare debetis*, ea quae observanda

sunt. עֲבֹדַת מַתָּנָה אֶתֵּן אֶת־כְּהֻנַּתְכֶם *Ministerium* s. *opus doni* singularis *dedi sacerdotium vestrum*, i. e. ex singulari gratia vos munere sacerdotii donavi. Bene Saadias: *jam enim constitui sacerdotium vestrum ministerio dono datum.* LXX. λειτουργήσετε τὰς λειτουργίας δόμα τῆς ἱερατείας ὑμῶν. Omiserunt igitur אֶתֵּן. — 8. נָתַתִּי לְךָ אֶת־מִשְׁמֶרֶת תְּרוּמֹתָי *Dedi tibi servationem oblationum mearum*, i. e. quod servatur, nec adoletur de eo, quod Deo est consecratum. Cf. 5, 9. Intelliguntur primitiae, primogenita et decimae, quae Jovae offerebantur. לְכָל־קָדְשֵׁי בְנֵי־יִשְׂרָאֵל *Omnes sanctitates Israelitarum*, i. e. omnia, quae Israelitae consecrant. Intelliguntur, quae non adolebantur in altari, seu pars earum servaretur, postquam altera flammis fuerat data, seu nihil in ignem conjiceretur, ut si domus aut ager devoveretur; cf. Vs. 9. לְמָשְׁחָה *In portionem*, de hac voce vid. Lev. 7, 35. Hebraei fere exponunt *propter unctionem*, i. e. propterea quod es unctus et sacerdos.

9 — 13. מִקֹּדֶשׁ הַקָּדָשִׁים *Ex sanctitate sanctitatum*, i. e. ex rebus sacrosanctis, ut Lev. 2, 10. — מִן־הָאֵשׁ *Ex igne*, i. e. quod igne reliquum est; quum pars tantum aliqua oblationis in altari combureretur. אֲשֶׁר יָשִׁיבוּ לִי *Quod mihi reddunt.* Sermo est de eo, qui, cum meminerit, se primitias et decimas non recte solvisse, ea, quae solvenda erant, offert, insuper addita parte quinta cum sacrificio pro delicto, vid. Lev. 5, 14 — 16. — 10. בְּקֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים תֹּאכְלֶנּוּ *In sancto sanctorum comedetis illud.* Non intelligitur pars Sanctuarii sacratior, quae est intra velum interius, sed pars illa Sanctuarii sacerdotum officiis dicata, ut externa parte Sanctuarii sanctior. — 11. וְזֶה — יִשְׂרָאֵל *Haec porro* erit *tibi sublatio doni eorum quoad omnes agitationes Israelitarum*, i. e. oblationes eas, quae offerebantur Deo agitando eas in omnes partes. Cf. ad Ex. 29, 24. — 12. חֵלֶב *Adeps*, *pinguedo*, hic pro optimo rei alicujus accipitur, ut Gen. 45, 18. Deut. 32, 13. Ps. 81, 17. Graeci quoque dicere solent, *στέαρ πυροῦ*, *pinguedo frumenti aut tritici*, quod Suidas interpretatur *κάλλιστον σῖτον*, *pulcherrimum aut optimum frumentum.* — 13. Inter רֵאשִׁית Vs. 12. et בִּכּוּרִים hoc discrimen videtur esse, ut *illud* significet primitias annuas, quae ante omnia ex proventu annuo separabantur; *hoc*, frugum initium, id quod in arbore, agro, horto primo anno nascitur.

14 — 18. חֵרֶם *Res devota*, vid. Lev. 27, 21. 28. — 15. כָּל־פֶּטֶר רֶחֶם *Omne primogenitum uteri.* Vid. 3, 13. Ex. 13, 2. Lev. 27, 26. — 16. וּפְדוּיו *Redemti*, i. e. redimendos *autem ejus.* Alii substantive: *pretium redemtionum.* LXX. καὶ ἡ λύτρωσις αὐτοῦ. בְּעֶרְכֶּךָ *Pro aestimatione tua*; vid. Lev. 5, 15. Recte Aben-Esra תִּפְדֶּה exponit: *accipies redemtionis pretium ejus e manu Israelitae illum redimentis.* De גֵּרָה vid. Ex. 30, 13. — 17. קֹדֶשׁ הֵם *Sanctum illa*, i. e. unumquodque Deo sacrum est, nascendi ordine; cf. Lev. 27, 26. — 18. כַּחֲזֵה הַתְּנוּפָה *Sicut pectus agitatae oblationis*, vid. 6, 20. De שׁוֹק הַיָּמִין vid. Lev. 7, 34.

19. 20. בְּרִית מֶלַח *Foedus salis*, stabile et numquam cessaturum. Phrasis inde desumta, quod in foedere solenni ritu contrahendo sal adponi solebat (vid. Lev. 2, 13.), quo diuturnitas foederis significabatur. Sal enim non modo non corrumpitur, verum et alias res a corruptione servat. 2 Chr. 13, 5. Deus dicitur Davidi ejusque posteris regiam dignitatem dedisse בְּרִית מֶלַח *foedere salis*, i. e. solenni et firmo. — 20. לֹא תִנְחָל *Non possidendum accipies*, h. e. sortitione nullam partem Cananaeae accipies, neque agros, quibus te sustentes, habebis; ut Deut. 10, 9. 18, 2. Nam sunt quidem urbes sacerdotibus et Levitis attributae, sed cum exiguo agri suburbani modo; cf. Cap. 35. — אֲנִי חֶלְקְךָ וְנַחֲלָתְךָ *Ego pars tua et praedium tuum ero*, h. e. quae mihi debentur, ea erunt tua, a me accipies, quod satis superque sit.

21—23. חֵלֶף עֲבֹדָתָם *In compensationem operae* s. *ministerii eorum.* Magni certe erant reditus Levitarum. Tribus enim, quae non plures quam 22,000 mares, adeoque non facile supra 12,000 viros adultos habebat, decimas a 600,000 Israelitis accipiebat: quisque igitur Levita tantum habuit, quantum quinque Israelitae metebant. Praeter decimas autem ad sacerdotes etiam pertinebant primitiae (Vs. 12. 13. 15. 28. Deut. 18, 4.), pars aliqua lege constituta cujusque sacrificii, cujus sanguis non in Sanctum Sanctorum inferebatur (Lev. 6, 9—12. 7, 6—10. 31.), ex quavis pecude ad usus quotidianos maetata, armus, maxillae et venter, Deut. 18, 3., et plura alia. Quae quum ita essent, fuerunt, qui hic rempublicam viderent, in qua sacerdotes sibi regias opes arrogassent, quum ipsi tamen reipublicae vel parum vel nihil profuissent. Sane omni jure hoc sacerdotibus exprobrari posset, si nulla alia eorum munera fuissent, quam ut sacrificia offerrent. Verum si perpendas, quod et ex ipso Mose et ex reliquis V. T. libris demonstrari potest, sacerdotes Hebraeorum more Aegyptiaco ordinem eruditorum constituisse, ita ut ipsi simul etiam fuerint medici, judices, mathematici publici et scribae, qui tabulas genealogicas Israelitarum curabant; non tam iniquum videbitur, quod illi tantos reditus habuerunt ut satis commode vivere possent. Hinc etiam intelligitur, quare sacerdotibus nulli agri iique uno tractu continui dati fuerint. Nam si sacerdotes agros habuissent ut alii, iis colendis occupati, suorum munerum curam neglexissent. Vid. de hac re Mich. *J. M.* P. 1. §. 52. — 22. וְלֹא־יִקְרְבוּ עוֹד וגו׳ *Et ne deinceps Israelitae accedant ad tentorium conventus*, ut temere factum erat a Coracho et conjuratis. לָשֵׂאת חֵטְא לָמוּת *Ad ferendum peccatum, ad moriendum*, i. e. ne peccati poenam contrahant et mortis rei fiant. ל hic est ἐκβατικόν, uti loquuntur Grammatici Graeci, ut ἵνα saepe est apud Graecos, neque enim eo animo Hebraei ibant ad sacrarium, ut ibi morerentur; sed irreverenter accedentes, eaque tangentes, quae tangi non oportebat, nisi a sacerdotibus, contingere potuisset, ut graves poenas darent. — 23. וְהֵם

וְנָשְׂאוּ עָוֹנָם *Et ferent delictum suum*, poenas neglectius aut irreverenter habiti sacrarii. Cf. Lev. 5, 1. 17. 20, 19.

26—32. מֵאִתָּם *Ab ipsis*, i. e. ex eorum fructibus solvendam. וַהֲרֵמֹתֶם מִמֶּנּוּ *Tum offeretis de illa* decima parte. — 27. וְנֶחְשַׁב לָכֶם תְּרוּמַתְכֶם *Quod reputabitur vobis pro oblatione vestra*, quasi eos fructus ex praediis vestris collegissetis. כַּדָּגָן מִן־הַגֹּרֶן *Sicut* reliquorum *frumentum de area*, cf. 15, 20. — וְכַמְלֵאָה מִן־הַיְקָב *Et sicut plenitudo e torculari*, i. e. sicut maturum vinum; nam uvae non calcantur prius in torculari, quam fuerint maturae et plene excoctae. De מְלֵאָה vid. Ex. 22, 29. — 29. מִכֹּל מַתְּנֹתֵיכֶם *Ex omnibus donis vestris*, i. e. quae vobis donata sunt. מִכָּל־חֶלְבּוֹ *Ex omni pinguedine ejus*, de quovis opimo seu praestantissimo sui generis, ut supra Vs. 12., et mox Vs. 31. 32. — אֶת־מִקְדְּשׁוֹ *Et consecrationem ejus*, quod inde conseerandum est. — 30. וְקָב — בְּהָרִימְכֶם *Quod si mihi separaveritis optimum ex quoque* frumenti genere, *eodem loco vobis sint* reliqua, *quo proventus ex area aut torculari.* Hoc repetitur ob ea, quae sequuntur, ut intelligerent Levitae, se posse frui suis decimis, si optima ex iis Deo obtulissent, haud aliter ac alii Israelitae suo proventu, solutis decimis et primitiis, utebantur. — 32. וְלֹא־תִשְׂאוּ עָלָיו חֵטְא *Sic nullam peccati poenam feretis*, i. e. tum (eum ea, quae Deo debent, seposueritis) sine ullo peccato iis decimis et primitiis fruemini, quomodocunque videbitur; quod in rebus Sacrosanctis non licebat, quas a solis sacerdotibus et quidem in atrio absumi oportebat, cf. Lev. Cap. 6. 7.

Cap. 19.

Ritus traditur conficiendi aquam expiationis ex cinere vaccae rufae combustae in aquam conjecto, qua expiandi erant, qui ex attactu cadaveris curatoque funere immundi erant; item omnes ii, totaque suppellex, quae erat in ea domo, vel eo tentorio, in quo quis moriebatur.

2. זֹאת חֻקַּת הַתּוֹרָה *Haec est definitio*, constitutio *legis*, pro simplici, *haec est lex*, hanc legem do. וְיִקְחוּ אֵלֶיךָ *Ut capiant* et adducant *ad te;* si enim post לָקַח sequitur particula אֶל *ad*, illud significationem *adducendi* ineludit (Gen. 27, 9. 13. coll. Vs. 14.). פָּרָה non tam est *vacca*, quam *juvenca*, aetatis inter vitulam et vaceam mediae, quae annum tertium nondum supergressa est, *δάμαλις*, uti recte LXX., cui jugum non impositum fuit, uti mox dicitur. אֲדֻמָּה *Subrubra* (Gen. 25, 29.). תְּמִימָה *Integram*, cui nullum insit vitium. Cf. Lev. 22, 19. sqq. Alii vertunt *aetatis integrae*, alii post Talmudicos *perfectam* sc. rubedine, s. perfecte rufam, cui non sit *macula de pilo albo*, uti Jonathan vertit. Verum ut taceamus, Accentus vetare, אֲדֻמָּה תְּמִימָה *perfecte rufam* vertere, hanc interpretationem non admittit usus loquendi Mosi observatus, qui תְּמִים semper usurpat de ea victima, cujus membra integra, non mutila sunt, vid. ad Lev. 1, 3. Et ut h. l. additur

אֲשֶׁר אֵין־בָּהּ מוּם, ita Lev. 22, 21. legitur: בָּקָר תְּמִים יִהְיֶה כָּל־מוּם לֹא יִהְיֶה־בּוֹ *bos integer esto sine ullo vitio.* — Quaerunt interpp., cur, quum in plerisque aliis sacrificiis de maribus tantum offerendis leges tam disertae sint datae, hoc loco ad populi totius immunditias expiandas bos femina adhiberi praecipiatur? Cujus praecepti varii varias comminiscuntur rationes, quas retulerunt SPENCER l. l. p. 485., A. C. ZELLER in Diss. subjuncta *Maimonidis Tractatui* a se Hebraice et Latine edito (Amstelod. 1711. 8.) Cap. 6. p. 251. sqq., et alii a J. Chr. Wolfio ad Lundium p. 767. laudati. Quae pluribus sese probavit Spenceri sententia, voluisse Mosen legem cultumque superstitioni Aegyptiorum, qui vaccam semper impensius observarunt, advorsam instituere, nobis quidem parum verisimilis videtur, quum alia haud pauca in Hebraeorum Sacris cum Aegyptiacis convenire, aut iis similia esse constet. Vix autem fieri poterit, ut omnium et singulorum rituum remotissimae antiquitatis causas eruamus, quum illi certis quibusdam vetustissimorum hominum opinionibus nitantur, quas nunc ignoramus. Unde nec ratio reddi poterit, cur vacca, e cujus cinere aqua lustralis paranda esset, *rufi* coloris esse debuerit? Neque enim quam Spencerus l. l. p. 489. affert ratio satis facit. Repetit eam inde, quod Aegyptii malo suo genio, Typhoni, quem colore rufo esse crederent, boum non nisi rufos immolarent, uti testatur Plutarch. *de Isid.* p. 362. Eo enim bovis rufi sacrificio malignum illud numen delinire ejusque gratiam inire voluerunt. *Vacca* vero rufa Hebraeis in eum finem mactari et comburi praecipiebatur, ut ejus cinerem ad purgandam immunditiem e mortui contactu haustam adhiberent; vid. Vs. 11. 12. Haud plane repudianda videtur Abarbenelis conjectura, femellam immolandam fuisse, ut imaginem totius populi, quum Hebraei civitates et populos feminis comparare ament. אֲשֶׁר לֹא עָלָה עָלֶיהָ עֹל *Cui jugum nondum impositum fuerit.* Haec sacrificii lex una est ex iis, quae pluribus antiquis populis, ut Aegyptiis, Graecis et Romanis communes erant. Hujus consuetudinis procul dubio haec caussa fuit, quod purior videbatur victima, quae nondum vulgaribus usibus inservierat, ideoque Deo dignior.

3—7. וּנְתַתֶּם *Dabitis*, sc. vos Moses et Aaron. וְשָׁחַט אֹתָהּ לְפָנָיו *Et mactabit eam coram eo*, sc. שׁוֹחֵט *mactans*, i. e. mactabitur, impersonalis loquendi formula, ut שָׂרַף quod mox Vs. 5. sequitur. Hic vero intelligendus alius sacerdos praeter Eleazarem, quod patet ex addito לְפָנָיו, *coram eo*, sc. Eleazare. Clericus Cal pro Hiphil dictum putat: *curet mactandam*, cujus Conjugationum mutationis exempla affert Gen. 2, 21. 37, 3. — 4. וְהִזָּה אֶל־נֹכַח *Spargat* sanguinem *e regione anterioris partis tabernaculi conventus.* In aliis sacrificiis victimarum sanguis inferebatur in Sacrarium (Lev. 3, 5. 6. 16. 17.). Sed in hoc sacrificio, quod pollutus esset sacerdos (infra Vs. 8.), sanguis spargebatur ex loco, qui ad orientem Sacrarii erat, versus illud. —

5. עַל־פָּרְשָׁהּ *Super fimum ejus*, i. c. cum fimo ejus, ut victimae pro peccato populi, Lev. 4, 11. — 6. עֵץ אֶרֶז וְאֵזוֹב וּשְׁנִי תוֹלַעַת Vid. Lev. 14, 4. — 7. הַכֹּהֵן *Sacerdos* is, qui juvencam mactabit. De ritu se ipsum et vestes suas lavando, cf. Lev. 16, 26. sqq.

9. 10. לְמִשְׁמֶרֶת לְמֵי נִדָּה *In asservationem pro aquis impuritatis*, i. e. diligentissime servabitur cinis ille ad conficiendam aquam lustratoriam, qua expiabuntur ii, qui propter impuritatem a commercio aliorum separabuntur. מֵי נִדָּה *Aqua impuritatis* dicitur ea, quae impuros vel immundos purgabat. Sed LXX. ὕδωρ ῥαντισμοῦ vertunt, ut Onkelos: *aqua adspersionis*, a significatione rad. Chald. נִדָּה *adspersus est*, in Aphel *adspersit*. Nec aliter Jonathan, Syrus et Saadias vertunt. Verum נִדָּה ceteris omnibus V. T. locis *immunditiei* significatum obtinet. Eadem ejus est ratio ac ejus, quae statim subjicitur, חַטָּאת הִוא *victima* est *pro peccato*. Nam ea significatione saepe vox חַטָּאת in Levitico occurrit, si de pecudibus in sacrificiis mactatis est sermo. LXX. verterunt ἁγνισμά ἐστι, *est purificatio*, quam significationem vox illa habet 8, 7., ubi notata vide. Cf. Zach. 13, 1. et ibi not., et Hebr. 9, 13. Ceterum memoratu est dignum, Ovidium *Fast.* 4, 733. inter piacula et combustorum vitulorum mentionem facere: *Sanguis equi suffimen erit vitulique favilla.* Et Vs. 639.: *Igne cremat vitulos,* — — — *purget ut ille cinis.* Paucis etiam interjectis inquit Vs. 725.: *Certe ego de vitulo cinerem, stipulasque fabales Saepe tuli plena, februa, casta manu.* — Persae in suis lustrationibus nihil sacratius habent aqua lustrali ea, quae ex *bovis* aut *vaccae urina* paratur. Ubi quis rem quamcunque immundam attigit, illa aqua purificari eum necesse est. Ritus, quibus id fieri solet, descriptos vide in *dem Zend-Avesta* a Kleukero lingua vernacula edito T. III. p. 211. 219. — 10. וְטָמֵא עַד הָעֶרֶב *Immundus usque ad vesperam erit.* Mirum videri possit, quod cineres ejusdem juvencae polluerunt simul et purificarent. Sed animadvertendum est, piacularis victimae membra polluisse, ut Moses docet Lev. 16, 26., hinc igitur ejus cineres polluebant. „Quod ideo creditum videtur, quia victima polluta censebatur peccatis, quorum poenas in ejus caput recidere precatus erat sacerdos. Illius victimae cineres mundabant immundos, quod pollutionem eorum suscipere viderentur; iidem autem mundos polluebant, quod nulla ab iis pollutio in aquam transire videri possit.“ Cleric.

11—22. הַנֹּגֵעַ בְּמֵת לְכֹל־נֶפֶשׁ אָדָם *Qui attigerit mortuum quoad omnem animam hominis*, i. c. cadaver humanum. וְטָמֵא שִׁבְעַת יָמִים *Ille immundus esto septem dies.* Diutius ergo impuros fecit cadaver humanum, quam bruti, Lev. 11, 24. Haec lex, qua ii immundi fiebant, qui hominis cadaver attingerent, simul cadaverum tollendorum necessitatem inferebat, ne immundities ad plures transiret. Sapienter igitur hae leges Leviticae cavebant, ne cadavera insepulta manerent aëremque inficerent. — 12. יִתְחַטָּא־בוֹ *Ex-*

piabit se illo cinere, Vs. 13. 20. — 15. וְכֹל כְּלִי פָּתוּחַ *Et omne vas apertum*, sc. in tentorio, ubi cadaver humanum est. אֲשֶׁר אֵין־ צָמִיד פָּתִיל עָלָיו *Super quo non est operculum junctum.* צָמִיד, quod alias, ut 31, 50. Gen. 24, 22., *armillam* denotat, a צָמַד (coll. Arab. צמד *alligavit taeniam fasciamve*), h. l. *operculum* designat a צָמַד, quatenus cum Arab. צמד *operuit*, *stipavit os* s. *caput ampullae* convenit, unde צמאד est *corium*, *quo operitur os ampullae.* פָּתִיל, quod proprie *intortum* significat, Jarchi h. l. recte *junctum* explicat, quasi intortum arctissime. Ceterum et hoc, quod vas apertum in tentorio positum, ubi cadaver humanum est, immundum declaratur, sapienter erat institutum; ita enim odor morbidus et noxius, quem cadaver exhalat, in vasa cibo potuve repleta tam facile transire non poterat. — 16. עַל־ פְּנֵי הַשָּׂדֶה *In agro*, extra urbem. אוֹ בְמֵת *Aut mortuum*, i. e. aut cadaver hominis per se mortui. — 17. מֵעֲפַר שְׂרֵפַת הַחַטָּאת *De pulvere combustionis victimae pro peccato*, de cinere juveneae combustae. Cf. ad Vs. 9. מַיִם חַיִּים *Aquam vivam*, i. e. fontis vel fluminis. Cf. ad Lev. 14, 15. — 19. בַּמַּיִם *Aqua*, aquam lustratoriam intelligit, de qua Vs. 9. — 22. וְהַנֶּפֶשׁ הַנֹּגַעַת *Anima quae tetigerit*, i. e. homo, qui tetigerit quod tactum fuit ab impuro.

Cap. 20.

Mariae, sororis Mosis, mors. Murmuranti populo aqua e petra a Mose educitur, qua in re tamen cum aliquid ab Aarone et Mose peccatum esset, ea punitio in ipsos a Jova decernitur, fore, ut ipsi non ingrediantur nec Israelitas introducant in Cananaeam. Negato Israelitis a rege Idumaeo per suos fines transitu, veniunt ipsi ad montem Hor, ubi Eleazaro, patri in Sacerdotium suffecto, Aaron moritur.

1—5. מִדְבַּר־ צִן Vid. 13, 21. בַּחֹדֶשׁ הָרִאשׁוֹן *Mense primo* anni 40., ex quo Israelitae ex Aegypto profecti erant, Vss. 22—29. coll. 33, 37. 38. Jonathan: *decimo die mensis Nisan.* Michaelis (*Bibl. Orient. Nov.* P. III. p. 234.) conjicit, h. l. olim lectum fuisse בִּשְׁנַת הָאַרְבָּעִים, uti 33, 38., quod non verisimile sit, vel mediocrem scriptorem cum in proxime antecedentibus semper de anno 2. loquutus esset, subito ad annum 40. transilire, et lectores ne verbo quidem de ea re admonere. Omnem igitur historiam septem et triginta annorum itineris et commorationis in deserto Moses silentio praeterit, sive quod eam a consilio suo alienam judicavit, sive quod in hoc temporis spatio nihil accidit, quod Mosi memoratu dignum videbatur. בְּקָדֵשׁ *Ad Kadesch*, quae in illo deserto, vid. Vs. 16. 22., et cf. ad 13, 26. — 3. לוּ גָוַעְנוּ *Utinam exspirassemus!* לוּ apud Hebraeos exprimit Optativum, cf. Jes. 64, 1. Gen. 17, 18. Ps. 81, 14. בְּגָוְעַ אַחֵינוּ *In exspirando*, i. e. eo modo quo *perierunt fratres nostri* in hac ipsa desertae Arabiae parte ante triginta octo annos, cf. 11, 33. 17, 14. — 5. הָרַע *Malum*, i. e. infoecundum, sitientem, ut mox declaratur. לֹא מָקוֹם זֶרַע *Non locum sementis*, i. e. qui sementem recipere non potest.

8. 10. קַח אֶת־הַמַּטֶּה *Sume baculum*, quo miracula illa in Aegypto patrasti. Sic et Ex. 17, 5. Moses jubetur baculum capere, quo Nilum percusserit. Quidam intelligunt Aaronis baculum, qui una nocte floruerat et amygdala protulerat. Colligunt id ex eo, quod Vs. 9. narratur, Mosen sumsisse baculum *e loco sacro*, in quo ille fuerat depositus, 17, 25. Sed mallem cum Dathio priorem illum baculum intelligere, quoniam Moses hoc Vs. simpliciter jubetur sumere baculum, et Vs. 11. narratur, eum percussisse *suo baculo* petram. Potest tamen e Vs. 9. colligi, hunc baculum aeque ac virgam Aaronis in loco sacro fuisse depositum. — 10. הַנִּקְהָל הַסֶּלַע Sunt qui הַ ante מִן positum putent pro הִנֵּה *ecce*, ut 31, 15. Ez. 20, 30. Jes. 19, 6. 1 Sam. 2, 27. Ita verba sic vertenda erunt: *ecce! ex hac petra eliciemus vobis aquam.* Alii illud הַ interrogativum existimant atque vertunt, *num ex hac petra aquam vobis eliciemus?* quae verba sunt dubitantis; cf. Gen. 18, 13. Et eo sensu et ego ea accipere mallem, partim ob Vs. 12., partim ob Ps. 106, 33., ubi dicitur, Mosem populi contumacia ad peccandum inductum esse, quod temere effutisset verba, quae dubitationem de divina potentia indicarent.

12. 13. יַעַן לֹא־הֶאֱמַנְתֶּם בִּי *Quia non credidistis in me.* De peccato Mosis variae sunt interpp. opiniones. Nonnulli putant, Mosem peccasse in eo, quod petram baculo ferierit, cum jussus esset, alloqui eam. Verum si verbo eliciendа erat aqua, cur jussus est, virgam adsumere? Nam ea non opus erat, si sermone res transigi debebat. Verisimile est, Mosem peccasse in eo, quod verba dubitationis dixit, quum populum potius admonere debuisset, ut fiduciam in potentiam Dei poneret, qui jam in simili aquae inopia (Ex. 17.) iis auxiliatus esset. לְהַקְדִּישֵׁנִי *Ut me sanctificaretis*, ut me sanctum adeoque veracem a vobis haberi, coram toto populo significaretis. Ceterum ex hoc Vs. coll. Vs. 24. apparet, Aaronem etiam murmurasse, et de divina potentia dubitasse; quamquam Moses non diserte hoc dicat. — 13. מֵי מְרִיבָה *Aquae rixae.* Simile nomen impositum aquis Chorebi, Ex. 17, 7. Ambiguitas autem tollitur additione loci vicini, ut *Meriba Cadesi*, Deut. 32, 51. Quod hic narratur VATERUS in *Commentar.* P. III. p. 97. haud diversum credit ab eo, quod Ex. 17, 6. refertur, sed diversis ejusdem rei gestae narrationibus, quae hominum ore propagatae fuerint, et quarum altera hic, altera in Exodo servata sit, idem factum fuisse duobus locis assignatum. וַיִּקָּדֵשׁ בָּם *Et sanctificatus est in illis*, i. e. apparuit Israelitis gloriosus et omnipotens; superavit diffidentiam eorum et verax ab iis habebatur. In Cod. Sam. post hunc Vs. sequitur id, quod legimus Deut. 2, 1. sqq. 3, 24. sqq., ut suppleantur circumstantiae, quae hoc in loco videntur deesse.

14 — 17. כֹּה אָמַר *Sic dicit*, haec tibi significat. אָחִיךָ *Frater tuus*, i. e. populus ortus ex fratre conditoris gentis Idumaeae, ut Deut. 23, 8. Obad. Vs. 12. כָּל־הַתְּלָאָה אֲשֶׁר מְצָאָתְנוּ *Omnis*

molestia, *quae nos deprehendit*, omnes labores et fatigationes, quas haetenus sustinuimus. — 16. מַלְאָךְ *Angelum.* Eo quidam designari existimant Mosen. Sed intelligendum est procul dubio illud divinae praesentiae symbolum, quod Ex. 23, 2. מַלְאָךְ יְהוָה appellatur. עִיר קְצֵה גְּבוּלֶךָ *Urbs extremitatis termini tui*, in extremis tuis finibus sita. — 17. נַעְבְּרָה־נָּא *Transibimus, quaeso*, liceat nobis transire. בְּשָׂדֶה *Per agrum*, sc. cultum, ut 22, 23. — וְלֹא נִשְׁתֶּה מֵי בְאֵר *Nec bibemus cisternarum aquam* gratis, aut invito domino, cf. Vs. 19. et Deut. 2, 6. דֶּרֶךְ הַמֶּלֶךְ *Via regis* non est via, quam rex Idumaeorum Israelitis praescripturus erat, ut cum Aben-Esra nonnulli voluerunt, sed via publica, quam et *militarem* vocant, *die Heerstrasse.* Solent enim reges, maxime cum stipati suis incedunt, non per diverticula, semitas et obscuras vias ambulare, sed per tritissimas et latissimas. Opponitur שָׂדֶה et כֶּרֶם quod praecedit. Vs. 19. haec via vocatur *aggesta*, *exaltata*, uti nos, *die hohe Strasse.* Hebraei a Cananaeis prohibiti, abjecta spe, ab ea parte, quae Gazam inter et lacum mortuum Palaestinae contermina est, in eam terram irrumpendi, ad orientem se convertebant, eo animo, ut circuitu facto ab austro et oriente in Palaestinam pervenirent. Sed ab ea parte difficilior adhuc aditus: nam inde a sinu Aelanitico usque ad lacum mortuum continua serie porriguntur montana Seiritica s. Edomitica (hodie *Dschebal Scherath*), per quae ab oriente occidentem versus nonnisi per paucas angustias est iter. Quas inter vias ea, quae est per vallem, quae hodie *Ghoeir* dicitur, sola numeroso exercitui faciliorem et expeditiorem transitum admittit. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 148. sqq. Hanc viam eam esse, quae hoc Vs. *via regia*, et Vs. 19. *via strata* appellatur, conjicit G. M. Leake in Praefat. Burckhardti Itinerario Syriaco a se edito praemissa p. 14.

18. 19. בִּי *Per me*, per meam ditionem. פֶּן־בַּחֶרֶב אֵצֵא לִקְרָאתֶךָ *Ne tibi gladio armatus occurram;* nisi vis Idumaeos tibi armatos occurrere, ne transeas. — 19. מְסִלָּה significat *viam aggestam (chaussée)*, a סָלַל, *exaltavit*, *elevavit*, quod lapidibus aggestis assurgat in altitudinem; quemadmodum solent esse viae publicae per loca paludosa aut inaequalia. מִכְרָם *Pretium earum*, aquarum venditarum. Verba רַק אֵין־דָּבָר בְּרַגְלַי אֶעְבֹּרָה varie redduntur. LXX. ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα οὐδέν ἐστι, παρὰ τὸ ὄρος παρελευσόμεθα. Vulgatus: *nulla in pretio erit difficultas*, *tantum velociter transeamus*, q. d. dabimus tibi justum pretium, modo nihil sit impedimento, transibimus pedibus, nec morabimur. Onkelos: *tantummodo nihil erit mali*, *pedibus meis transibo*, q. d. modo ne quid impediat transitum, sine ullo tuo detrimento transibimus. Arabs Erpenii: *sed nulla res mala*, sc. a nobis intenditur, solum *pedibus meis transibo.* Simplicissimum erit, verba hebraica, quae ad litteram ita vertenda sunt: *tantummodo*, quod *nihil rei* est, *pedibus meis transibo*, hoc sensu capere: non erit res ulla,

quae tibi nocere possit, tantum recta transibo. Ita Saadias: *nulla est res nisi ut transeamus.* In eundem sensum Dathius transtulit: *nulla re se molestos futuros, pedibus tantum transituros*, Michaelem secutus, qui sic vertit: *sie verlangten nichts, als nur für ihre Füsse den Platz zum Durchgang.*

20 — 22. וַיֹּאמֶר *Et dixit*, sc. rex Edomitarum. Ubi manifestum est, quis loquatur, interdum omittitur loquentis nomen, ut Gen. 27, 12. — בְּעַם כָּבֵד *Cum populo gravi*, i. e. numeroso, ingenti, cf. ad Ex. 8, 20. — 21. וַיֵּט יִשְׂרָאֵל מֵעָלָיו *Deflexerunt igitur Israelitae ab eo*, se. Edomo, i. e. Idumaea. Idumaea australibus Palaestinae partibus et sinui Arabico contermina, habebat etiam regiones intermedias desertas et incultas, quas Edomitae sibi non vindicabant. Ad has igitur Moses ab Edomitis deflectere et per ambages iter suum prosequi poterat. Vid. Mich. *J. M.* P. I. §. 22. Jonathan et paraphrastes Hierosol. haec addunt: *qua jussi erant a Deo, ne aciem instruerent contra illos, eo quod nondum venisset tempus, ut vindicta fieret in Idumaeis per manus ipsorum.* Cf. 21, 4. — 22. וַיִּסְעוּ מִקָּדֵשׁ *Castra moverunt e Cadesch*, vid. Vs. 1. et 33, 37. — וַיָּבֹאוּ הֹר הָהָר *Et venerunt ad montem Hor.* Duo montes, qui nomen *Hor* ferunt, sunt distinguendi. Alter borealis ac limitaneus Palaestinae cisjordanensis, de quo 34, 7. 8., alter, ab Austro Palaestinae, proxima a Cadesch statione ad ipsos Idumaeae fines, עַל־גְּבוּל אֶרֶץ־אֱדוֹם, uti Vs. sq. dicitur. De hoc monte sermo est h. l., 21, 4. et 33, 37. 38. Quum Hebraei irent ortum versus, ut Moabitidem petere viderentur, oportet hunc montem fuisse ad ortum Cadeschae. De hoc ita Hieron. in *Locis Hebrr.* ex Eusebio: *Or, mons, in quo mortuus est Aaron, juxta civitatem Petram, ubi ad praesentem diem ostenditur rupes, qua percussa Moyses aquas populo dedit.* Manifesto errore eodem in monte Aaronem mortuum, et aquas ex rupe erupisse putabant. Sed Aaronis sepulchrum haud procul a ruinis Petrae, celeberrimae olim Arabiae Petraeae urbis primariae, hodienum ostenditur in monte quodam, ad cujus pedes Arabes in honorem Aaronis victimas mactare solent. Vid. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 82. Jonathan hunc montem vocat אוּמָנוֹס. Ac sane circa haec loca *Omanos* populos collocat Plin. *H. N.* 6, 28.

24 — 29. יֵאָסֵף אַהֲרֹן אֶל־עַמָּיו *Adjungetur Aaron popularibus suis*, i. e. moriatur; phrasis inde repetenda, quod is, qui moritur, quasi ad totam stirpem suosque majores profieiscatur et cum eis commoretur. Cf. ad Gen. 15, 15. — עַל אֲשֶׁר־מְרִיתֶם אֶת־פִּי *Propterea quod rebelles fuistis ori*, i. e. mandato *meo*; cf. ad Vs. 10. 12. — לְמֵי מְרִיבָה *Ad aquas Meribae*, Vs. 12. — 26. וְהַפְשֵׁט אֶת־אַהֲרֹן אֶת־בְּגָדָיו *Tum Aaronem exue vestibus suis*, se. sacerdotalibus. Eleazar patri in Sacerdotium successurus sacerdotales vestes ab eo accipere debuit. Cf. Exod. 28, 2. — 29. וַיִּרְאוּ כָּל־הָעֵדָה כִּי גָוַע אַהֲרֹן *Totus populus intelligebat*

Aaronem esse mortuum. Quia non redibat cum Mose et Eleazaro. Fortasse Moses etiam habebat caput pulvere oppletum, quod signum erat lugentium, unde certe colligere poterant, Aaronem diem suum obiisse. וַיִּבְכּוּ וגו *Et luxerunt eum omnes Israelitae per triginta dies.* Primum sepultus est (Deut. 10, 6.), tum cohonestatus est luctu publico, qui durabat 30 dies, coll. Deut. 34, 8.

Cap. 21.

Vincitur ab Israelitis Aradi Rex. Murmuranti populo immittuntur a Jova serpentes; illisque rebellionis culpam deprecantibus, divino jussu serpens aeneus a Mose erigitur, cujus adspectu, qui a serpentibus admorsi erant, sanabantur. Post aliquot in deserto mansiones, transito Arnone, Sihon, Rex Amoraeorum, qui Israelitis transitum negarat, proelio commisso superatur, ac deinde Og, Basanis rex, eorumque ditio Israelitis in possessionem cedit.

1—3. וַיִּשְׁמַע *Interea audivit.* הַכְּנַעֲנִי *Cananaeus*, lata significatione, qua etiam Amoraei vocantur Cananaei. מֶלֶךְ־עֲרָד *Rex Aradi.* Haec erat urbs tractus meridiani, de qua Jos. 12, 14. Hieronymus in locis Hebr. ex Eusebio: „*Arad*, civitas Amoraeorum vicina deserto Kades; et usque nunc ostenditur villa ab oppido Malatis, in quarto lapide, a Chebron vicesimo in tribu Judae.“ הַנֶּגֶב *Meridiem versus*, i. e. australem Palaestinae regionem. Intelligitur praecipue ea tribus Judae pars, quae Arabiae Petraeae confinis erat. Verba דֶּרֶךְ הָאֲתָרִים Onkelos, Syrus et Vulgatus vertunt: *in via exploratorum;* quasi regi Cananaeorum nunciatum esset, Israelitas ingredi velle Cananaeam eadem via, qua olim eam ingressi erant exploratores ab eodem populo missi. Sed huic interpretationi obstat primum, quod exploratores dicuntur תָּרִים, a תּוּר, unde esse deberet הַתָּרִים. Deinde 20, 21—23. dicitur, Israelitas, eum rex Edomitarum illis transitum negasset, circuisse regionem illius; igitur illa interpretatio locum non habet. LXX. אֲתָרִים ceperunt ut nomen proprium loci: ὁδὸν Ἀθαρείμ, ita et Saadias. Quibus nos calculum addimus. Michaelis confert אֲתַר, quae vox apud Syros, Chaldaeos, Samaritanos *locum* significat. Dathius quidem opposuit constructionem cum דֶּרֶךְ, *via regionum;* sed Mich. in *Supplemm.* p. 145. monet, hoc dubium solutum videri, modo ad He nomini praefixum adtendas. Vertit igitur: *audivit rex* Edomitarum *venire Israelitas in via ad haec loca.* שְׁבִי *Captivitatem*, i. e. captivos, ut Deut. 21, 10. Ps. 68, 19. — 2. וְהַחֲרַמְתִּי אֶת־עָרֵיהֶם *Internecioni devotas delebo urbes eorum.* Id enim comprehendit verbum הֶחֱרִים, cf. ad Lev. 27, 29. Ejusmodi devotionis exemplum habemus in urbe Jericho, Jos. 6, 17. sqq. — 3. וַיַּחֲרֵם אֶתְהֶם וְאֶת־עָרֵיהֶם *Devoverunt eos urbesque eorum*, i. e. everterunt Israelitae eorum urbes, quas nempe eo tempore capere poterant, non omnes. Nam Josua demum Aradi regem cepit Jos. 12, 14., aliique reliquas tractus meridiani urbes expugnarunt et deleverunt, vid. Jud. 1, 16. 17. Si enim omnes meridiani tractus

urbes occupare potuissent Israelitae, statim essent Cananaeam ingressi. Sed tunc temporis pauculas tantum urbes easque solitudinibus vicinas invaserunt, nec ultra penetrarunt. Nomen חָרְמָה *anathema* significat, eversionem illatam funditus. Sic quoque vocabatur urbs, quae antea צְפָת dicebatur in eodem tractu, Jud. 1, 17.

4 — 7. וַיִּסְעוּ מֵהֹר הָהָר דֶּרֶךְ יַם־סוּף *Proficiscebantur e monte Hor viam maris algosi*, i. e. meridiem versus, ne fines Idumaeorum ingrederentur, ut postea iter ad Orientem et Septentrionem flecterent. וַתִּקְצַר נֶפֶשׁ־הָעָם *Et abbreviata est anima populi*, impatiens factus est animus populi, a longanimitate recessit, i. e. longo itinere fessus coepit destitui animo, non potuit amplius ferre laborem tot itinerum. Solet anima brevis fieri laborantibus et iis, qui spirare vix possunt. LXX. ὠλιγοψύχησεν *pusillanimus fuit*. Cf. Jud. 16, 16. Zach. 9, 8. — 5. לָמָּה הֶעֱלִיתָנוּ *Quare nos eduxisti?* וְנַפְשֵׁנוּ קָצָה בַּלֶּחֶם הַקְּלֹקֵל *Fastidimus levem hunc cibum*, ita contemtim Israelitae loquuntur de Manna, quae levis erat concoctionis, nec eorum adpetentiae satisfaciebat. נֶפֶשׁ hic *adpetitus*, vid. ad 11, 6. — הַנְּחָשִׁים הַשְּׂרָפִים Onkelos, Saadias et Vulgatus vertunt *serpentes urentes*, quibus Bochartus *Hieroz.* T. III. p. 211. edit. Lips. intelligit *hydros*, vel *chersydros*, qui ariditatem cutis et summum ardorem creant iis, quos morsu adpetunt. LXX. verterunt ὄφεις τοὺς θανατοῦντας. Verisimile est, intelligi *Cerasten*, qui ita dicitur a tentaculis (κεράσι), quibus caput ejus instructum est. Alio nomine dicitur *basiliscus*, regulus, quod et significare possit שָׂרָף, quod Arab. sonat *nobilitate clarus*, *nobilis fuit*. Hoc reguli nomen ille serpens adeptus videtur ob tentaculorum ejus cum diademate regio similitudinem. Cf. ad Gen. 49, 17. Tractus iste serpentibus infestatur. Vid. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 151. — 7. וְיָסֵר מֵעָלֵינוּ אֶת־הַנָּחָשׁ *Ut auferat a nobis serpentem istum*, i. e. serpentes istos, Singularis sensu collectivo positus, ut Ex. 8, 2. (al. 6.) צְפַרְדֵּעַ *rana* pro ranis. Vid. et Deut. 8, 15.

8. 9. עֲשֵׂה לְךָ שָׂרָף *Fac tibi serpentem*, sc. ex metallo (Vs. 9.). שָׂרָף per ellipsin pro נְחַשׁ שָׂרָף. Quare LXX. recte ὄφιν verterunt. וְשִׂים אֹתוֹ עַל־נֵס *Et pone eum super signum*, i. e. pertica. LXX. ἐπὶ σημείου, Vulgatus *pro signo*. Ac sane נֵס significat signum, quod attollitur, ut concurrat ad id populus, ut Jes. 5, 26. 49, 22. Cf. ad Ex. 17, 11. Verum attollebantur eo fine perticae, ut ex iis aliquid suspenderetur. Recte Jonathan et Hierosolym.: *et pone eum super locum suspensum*, i. e. excelsum, conspicuum, quae enim suspenduntur in altum suspendi solent. וְהָיָה כָּל־הַנָּשׁוּךְ וְרָאָה אֹתוֹ וָחָי *Et fiet*, *ut omnis* qui *morsus fuerit et adspexerit eum*, *is vivat*, i. e. convalescat, non moriatur. Jonathan explicationis causa addit: *si direxerit cor suum ad nomen verbi Jovae.* Similiter paraphrastes Hierosol.: *si faciem suam in oratione elevaverit ad patrem suum*, *qui est in coelis.* Saadias: *omnis morsus qui*

se converterit ad eum poenitens. Libri Sapientiae auctor 16, 7. serpentem aeneum vocat *σύμβολον σωτηρίας*, et rationem addit hanc: *ὁ γὰρ ἐπιστραφεὶς οὐ διὰ τὸ θεωρούμενον ἐσώζετο, ἀλλὰ διὰ σὲ τὸν πάντων σωτῆρα.* Hinc quemadmodum Israelitae sanationem a serpentum morsibus intuitu serpentis aenei eum animo fidei pleno obtinebant, ita tali adspectu Servatoris in cruecm sublati homines servatum iri ipse asserit Servator Joa. 3, 14. Vid. quae ad h. l. notavimus in J. G. Rosenmülleri *Scholl. in N. T.* Vol. II. (edit. 6. 1827.) p. 370. sqq. Haud praetereundum: Aesculapii et Salutis simulaeris *draconem*, i. e. serpentem subjunctum fuisse; rationem exponit Macrobius *Saturnall.* 1, 20. — 9. וַיַּעַשׂ מֹשֶׁה נְחַשׁ נְחֹשֶׁת *Fecit igitur Moses serpentem aeris*, aeneam. Quaerunt Hebraei, cur Moses, quum ei Deus serpentem urentem (שָׂרָף) facere mandasset, illum ex aere fecerit. Cujus rei varii varias comminiscuntur rationes, partim frivolas. Veram reddidisse puto auctorem Commentarii *Chaskuni* dicti (R. Chiskia), quia, inquit, aes fulgidum est et splendidum, ut dicitur Ez. 1, 7.: וְנֹגְהִצְצִים כְּעֵין נְחֹשֶׁת קָלָל *et scintillantes instar aeris politi.* Ceterum serpentem aeneum a Mose confectum usque ad Hiskiae regis aetatem servatum esse, inde patet, quod rex ille serpentem, propterea quod Hebraei ei cultum superstitiosum praestarent, conterere jussit, vid. 2 Reg. 18, 4.

10—13. בְּאֹבֹת *Obothis* castra posuerunt. Vox hebr. significat *utres;* fortasse ibi utres aqua impleverunt. Ceterum haec mansio non proxima erat post mansionem in monte Hor, sed duae aliae mansiones intercesserunt in Zalmona et in Phunon, vid. 33, 41. sqq. — 11. וַיַּחֲנוּ בְּעִיֵּי הָעֲבָרִים *Tentoria fixere in Ijehaabarim*, quod quidam *cumulos vadorum* s. *terminorum*, sc. Moabiticorum interpretantur; fuit enim haec statio proxima post eam, quae fuerat in Oboth in finibus Moabitarum, ut diserte Vs. 13. et 33, 44. dicitur. — 12. בְּנַחַל זָרֶד plerique interpp. vertunt *ad torrentem Zared.* Sed nulla mentio fit transitus supra torrentem infra 33, 44—46., ubi totum iter Israelitarum diligenter enarratur. Igitur בְּנַחַל h. l. procul dubio vertendum est *in valle*, cf. ad 13, 23. — 13. מֵעֵבֶר אַרְנֹן *Trans Arnonem*, ratione cuntium. אֲשֶׁר בַּמִּדְבָּר *Qui est in deserto*, sc. Arabiae. De hoc fluvio Joseph. *Ant.* 4, 5, 1.: *ἐκ τῶν τῆς Ἀραβίας ὀρῶν ὁρμώμενος, καὶ διὰ πάσης ἐρήμου ῥέων, εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν λίμνην ἐκδίδωσιν, ὁρίζων τήν τε Μωαβῖτιν καὶ Ἀμωρῖτιν.* Hodie fluvius ille appellatur *Wadi Mudschib*, permeatque vallem praecipitem et confragosam. Cf. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 208. sq.

14. Ut probetur, Arnonem tangere Moabitarum fines, vel, quae aliorum est sententia, ut Israelitas ad Arnonem usque victricia arma protulisse, testimonio fide digno confirmetur, *e libro bellorum Jovae* locus quidam affertur, sed e medio contextu desumtus, filoque orationis abrupto, quare totus hic locus (Vs. 14. 15.) non

potest non perquam obscurus esse. עַל־כֵּן יֵאָמַר בְּסֵפֶר מִלְחֲמוֹת יְהוָה *Hinc dicitur in libro bellorum Jovae.* Qui qualis fuerit, sententiae admodum variant. Sunt, qui illo indicari existiment scriptum Amoritarum continens epinicia propter Sihonis victorias, ex quo Moses quae sequuntur excerpserit. Librum ab Amoraeo conscriptum intelligendum esse, et J. D. Michaelis contendit hoc potissimum argumento motus, quod quum Moses contra Moabitas probare voluerit, fines eorum non ultra Arnonem extendi; huic consilio non consentaneum fuisset, si verba excitasset e scriptore Israelitico, cujus nulla apud Cananaeos auctoritas fuisset. Quum vero non credibile sit, librum a scriptore exotico confectum, in quo bella Amoraeos inter et Moabitas enarrata essent, *librum bellorum Jovae* inscriptum fuisse; idem Michaelis conjicit in *Bibl. Orient. Nova* P. III. p. 234., יהוה hic esse Verbum; nam pro היה a Cananaeis, uti adhuc a Syris, pronunciatum fuisse הוה; posset itaque legi יְהֹוֶה. Vel in libro Amoraeo forsan scriptum fuisse והוה, hoc autem a librariis oscitantibus in יהוה tanquam magis notum immutatum fuisse. Sed nihil est opus hac conjectura, quum omnis illa sententia de Amoraeo libri hic laudati scriptore, atque de consilio, quo locus ex illo libro hic adducitur, nulla ratione nitatur, et nihil habeat probabilitatis. LXX. verba Hebraea alia, qua Masorethae, ratione interstinxere, vertunt enim ita: *διὰ τοῦτο λέγεται ἐν βίβλῳ· πόλεμος Κυρίου κ. τ. λ.*, quod intelligi potest vel ita: *in libro, qui inscriptus est bellum Domini;* vel: *in libro* (aliquo) *narratur, bellum Domini* consumsisse etc. מִלְחֲמוֹת יְהוָה *Bella Jovae* haud alia esse possunt, quam quae Israelitae, Jovae populus, gesserunt. Talis liber vero, in quo facta fuisset mentio eorum, quae ad Arnonem ab Israelitis, Mose duce, gerebantur, ejus aetate nondum exstare potuit. Quare duos hosce Versus a scriore manu insertos esse necesse est. Pro וְהֵב LXX. legerunt זהב; verterunt enim *τὴν Ζοὸβ ἐφλόγισε.* Nonnulli Kennicottiani Codices אֶת־וָהֵב conjunctim legunt, tanquam unicum vocabulum (אתוהב), quod jam Kimchius in libris veteribus se invenisse testatur. Hoc autem ex dialecto Aramaea esset forma Ethpaal verbi יְהַב, *dedit.* Placuit id Geddesio, qui in Notis ad versionem V. T. Anglicam a se Londin. 1792. edit., nomen יְהוָה a מִלְחֲמוֹת divellens, verba יְהוָה אֶתוָהֵב בְּסוּפָה ita reddit: *Jova dedit*, i. e. manifestavit *se in turbine.* Quod ab usu sermonis Hebraici prorsus alienum est. Sed in longe plurimis iisque emendatissimis codicibus duae voces divisim scriptae אֶת־וָהֵב leguntur. Vocis וָהֵב vero variae sunt explicationes. Nonnulli putant nomen regis Moabitarum, quem Sichon, Amoraeorum rex, devicerit, et ex lubitu hunc locum ita supplent: *Vahebum vicit Sichon.* Vir quidam doctus in *Biblioth. Orient. Nova* a J. D. Michaele edita P. VII. p. 111., Alexandrini interpretis interpungendi rationem sequutus, hunc Vs. sic vertit: *quare legitur in libro* (quo fortassis veterum canticorum syntagma aliquod designetur): *Jovae bella cum Vahebo*, i. e. *contra Vahe-*

bum, in Sufa, atque in valles ad Arnonem. Clericus וָהֵב nomen proprium loci alicujus existimat, et quidem ejusdem, qui infra Vs. 18. מַתָּנָה vocatur, ubi not. confer. Sane dubium vix est, ut סוּפָה et אַרְנוֹן, ita et וָהֵב esse nomen loci aut torrentis, praepositum אֵת vero esse Accusativi notam, ut ante הַנְּחָלִים. Sensum perfectum et absolutum hisce verbis non inesse, non est quod mireris, quum illa e medio contextu sint deprompta. בְּסוּפָה LXX. verterunt ἐφλύγισε, accepisse videntur pro Gerundio verbi סוּף, *in consumendo.* Sed recte Clericus סוּפָה nomen esse ait ejusdem loci, cujus mentio fit Deut. 1, 1. ut loci vicini iis campis, in quibus Deuteronomium edidit, hoc solo discrimine, quod quum h. l. nomen cum terminatione feminina ponatur, Deut. 1, 1. סוּף appelletur. וְאֵת־הַנְּחָלִים אַרְנוֹן *Et torrentes Arnon.* Plurali utitur, quod Arnon varios rivos in se recipit; vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 208.

15. אֲשֶׁד הַנְּחָלִים *Effusio* s. *defluxus torrentium* designat humiliores planities, in quas torrentes e montibus feruntur, quales erant montibus Moabiticis subjectae circa Arnonem. Haec enim ipsa loca vocantur Deut. 3, 17. 4, 49. אַשְׁדוֹת הַפִּסְגָּה, *defluxus Pisgae*, i. e. radices montis, ad quas largi rivi effunduntur. Pro אשד LXX et Syrus videntur אשר *direxit* legisse. Illi enim habent: *καὶ τοὺς χειμάῤῥους κατέστησε*, hic: *constituit rivos.* אֲשֶׁר נָטָה לְשֶׁבֶת עָר *Qui sese vertit*, sive, qui torrentes sese vertunt *ad habitationem Aris.* Ar erat urbs Moabitica, ad Arnonem sita, vid. Vs. 28. — וְנִשְׁעַן לִגְבוּל מוֹאָב *Et nititur finibus Moabiticis*, i. e. fines Moabiticos tangit, eos praeterlabitur. Ex sententia Viri illius docti in Biblioth. Orient. Nov., cujus supra ad Vs. praeced. mentionem fecimus, hic Versus continet verba a Mose addita, ita vertenda: *valliumque illarum declivitas Arem versus deflectit, finesque tangit Moabiticos* (*Der Abhang dieser Thäler ist es, der sich gegen Ar hinzieht, und an die Grenze der Moabiter anstösst*).

16. 17. בְּאֵרָה *Ad puteum*, sc. venerunt, i. e. ad locum, ubi foderunt puteum, aut puteos. Moses Israelitis videtur promisisse, se in hac regione fontem antea ignotum iuventuros esse; quae promissio revera implebatur. Sane fontes invenire in terra tam siticulosa et arida, qualis Arabia est, ubi fontes etiam alte sub terra latent, res magni momenti est. Nonnumquam in locis superne aridis lacus subterranei reperiuntur; cujus rei exemplum eximium Shawius narrat *Itiner.* p. 62. vers. germ. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 264. Niebuhr *Descr. Arab.* p. 402. refert, in nonnullis Arabiae locis, veluti *Faranae* et in valle *Girondel*, aquam 1½ vel 2 pedum profunditate inveniri. Eo loco tamen, ubi Israelitae fontem reperierunt, aqua videtur alte sub terrae superficie latuisse. — 17. עֲלִי בְאֵר *Ascende putee.* Jubetur *ascendere puteus*, h. e. fons e terra scaturire, ut populo potum praebeat. עֲנוּ־לָהּ *Accinite ei.* Hoc alii intelligunt de carmine responsorio; sed עָנָה etiam latius

usurpatur de quavis cantione, ut Ex. 32, 18. Hos. 2, 15. Ps. 147, 7. *Singet ihm entgegen!*

18. בְּאֵר חָפָרוּהָ שָׂרִים *Puteus* est, quem *foderunt principes.* בְּמְחֹקֵק *Cum legislatore*, i. e. Mose. ב *cum*, ut, 20, 20. Alii vertunt: *cum sceptro* ducis, i. e. Mosis, coll. Gen. 49, 10., ubi τῷ שֵׁבֶט ex parallelismo respondet. Sed potest et ibi, ut Deut. 33, 21. Jes. 33, 22. Ps. 60, 9. *legislatorem*, ducem, designare. Jarchi בְּמְחֹקֵק haud male interpretatur, *per mandatum legislatoris*, quomodo Moses et Deut. 33, 21. appellatur. בְּמִשְׁעַנֹתָם *Cum scipionibus suis*, quos populi primores honoris causa gestabant. Sensus videtur hic esse, principes auctoritate sua et imperio, quo populum ad fodiendum impulerunt, puteum fodisse. Antiqui interpp. in vocum בְּמְחֹקֵק בְּמִשְׁעַנֹתָם versione admodum variant, praecipue in priore vocis interpretatione. LXX. ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτῶν, Vulgatus: *in datore legis*, sine sensu. Onkelos: *scribae cum baculis suis;* hic igitur ante מְחֹקֵק nullum Beth legisse videtur. Syrus: *et indicarunt cum baculis suis;* cum quo Saadias consentit, ita tamen ut verba textus aliter nectat: *nobiliores populi signarunt cum baculis suis.* Ita etiam vertit Dathius, additque in notis ad h. l., se conjicere ab illis interpp. lectum fuisse vel וְחֻקָּה vel וְחֻקָּה. — וּמִמִּדְבָּר מַתָּנָה *Ex deserto Matthanem*, sc. profecti sunt. Intelligendum est desertum, in quo puteus ille effossus est. Continuatur itaque nunc descriptio stationum populi Israelitici. *Matthanem* Clericus existimat eundem locum esse, qui Vs. 14. vocatur וָהֵב, eam vocem enim idem significare Arabice quod מַתָּן Hebraice, *donum.* Recte monuit Clericus, breve hoc canticum constare ὁμοιοτελεύτοις ita dispescendis:

עֲלִי בְּאֵר עֱנוּ־לָהּ
בְּאֵר חָפָרוּהָ
שָׂרִים כָּרוּהָ
נְדִיבֵי הָעָם
בְּמְחֹקֵק בְּמִשְׁעַנֹתָם

20. וּמִבָּמוֹת — הַיְשִׁמֹן *E Bamothis venerunt in vallem, quae est in agro Moabitico, caput Pisgae, prospiciens super solitudinem.* Mirum sensum efficere videntur verba, *vallis quae est in agro Moabitico, caput Pisgae.* Hinc Clericus ante רֹאשׁ הַפִּסְגָּה subaudit תַּחַת, ut sensus sit, *sub vertice Pisgae*, vallem enim non posse esse nisi sub monte. Tamen non opus est ut illud vocabulum suppleamus: potest enim intelligi planities in descensu montis, summo ejus jugo subjecta, sed editior campis, per quos late prospicit vertex planus humilioris promontorii. פִּסְגָּה est nom. propr. jugi Moabitici montis, coll. 23, 14. pluribusque Deuter. locis. Cf. et not. ad Deut. 34, 1. יְשִׁמוֹן nonnulli interpp. nomen propr. loci alicujus existimant. Mallem tamen sequi veteres interpp., qui omnes illam vocem *desertum, solitudinem* verterunt.

24. 25. וַיַּכֵּהוּ יִשְׂרָאֵל לְפִי חָרֶב *Et percussit Israel eum* (hostem) *ore gladii. Os gladii* ejus acies dicitur, quae ad eum

modum consumit et devorat homines, quo os cibum, cf. Ex. 17, 13. De torrente יַבֹּק *Jabbok* vid. Gen. 32, 23. Cf. et Deut. 2, 37. Jud. 11, 13. — כִּי עַז גְּבוּל בְּנֵי עַמּוֹן *Quia terminus terrae Ammonitarum firmus erat.* Terra Ammonitarum a natura munita erat montibus, quos Israelitae haud facile superare potuerunt. — 25. אֵת כָּל־הֶעָרִים הָאֵלֶּה *Omnes has urbes*, inter Arnonem et Jabbokum torrentem sitas. De חֶשְׁבּוֹן Eusebius et Hieronymus *in locis Hebraicis:* Hesebon nunc vocatur *Esbus*, *quae urbs Arabiae est in montibus contra Jericho.* Abulfedae temporibus haec urbs fuit metropolis provinciae *Balka* (cf. ad 22, 1.). Vocat eam *Chosban; est*, inquit, *hoc oppidum parvum situm in valle*, *obsitum arboribus et molis*, *hortisque et arvis.* Cf. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 266. וּבְכָל־בְּנֹתֶיהָ *Et in omnibus filiabus ejus*, i. e. in urbibus illius ditionis minoribus. Chesbon erat metropolis, et castella, vici et oppida minora circa illam vocantur ejus *filiae.* Sic Jos. 13, 17. dicitur *Chesbon et urbes ejus.* Et Ez. 16, 44. sqq. villae vocantur *urbium filiae.* Recte igitur Onkelos h. l. *pagos ejus.*

26 27. כִּי חֶשְׁבּוֹן — אַרְנוֹן *Chesbon enim fuit urbs Sihonis, regis Amoraeorum*, *isque antea bellum gesserat cum rege Moabitarum*, *et omnem terram ejus ad Arnonem usque ei eripuerat.* Occurrit Moses objectioni, cur Hebraei occupaverint Chesbonem, urbem Moabitarum, contra divinam prohibitionem (Deut. 2, 9.)? Respondet, Chesbonem non amplius fuisse *Moabitarum* sed *Amoraeorum*, captam bello. הָרִאשׁוֹן variae interpretantur. LXX. τὸ πρότερον, *antea.* Chaldaeus, Syrus, Arabs, *primum*, quod significaret, Sihonem, nulla injuria lacessitum, bellum Moabitis intulisse. Alii connectunt מֶלֶךְ מוֹאָב הָרִאשׁוֹן *regem Moabitarum priorem*, i. e. qui regnaverat ante Balakum tum regnantem, 22, 1. Sed videtur הָרִאשׁוֹן *prior* potius significare: antequam Israelitae regi Amoraeorum bellum inferebant. — 27. עַל־כֵּן יֹאמְרוּ הַמֹּשְׁלִים *Hinc dicunt*, canunt *poetae.* מֹשְׁלִים sunt *poetae;* nam מְשָׁלִים omnia in universum carmina vocantur, prophetica, epinicia, lugubria, invectiva (cf. c. 23. 24. Ps. 49, 5. Jes. 14, 4. Habac. 2, 6.), ob figuratum dicendi genus, a מָשַׁל *assimilavit.* Quod sequitur interpretum plures habent pro fragmento Epinicii Cananaei, quo fides afferatur ei quod supra Vs. 26. dictum erat, totum illum terrae tractum, in quo Chesbon sita erat, esse Moabitis ab Amoraeis ereptum. Verum contextui magis congruum videtur, hos Vss. pro Epinicio Hebraeorum in victoriam de Amoraeis parta capere. Cf. quae de h. l. disseruit Eb. Bleek in *dem bibl. exeget. Repertor.* a nobis edito P. I. p. 4. sqq. בֹּאוּ חֶשְׁבּוֹן *Venite Chesbonem.* Verba Hebraeorum adhortantium se ad firmandam et restaurandam urbem, bello dirutam. תִּבָּנֶה *Struatur*, i. e. restauretur; videtur primo impetu capta ab Hebraeis incensa esse, uti fieri solet, si hostes urbem antea diu obsessam capiunt. Apud Syros etiam verbum בנא non solum significat *urbem exstruere*, sed etiam eam *munire* et

restaurare. וְתִכּוֹנֵן *Et firmetur*, muniatur. עִיר סִיחוֹן *Urbs Sihonis*, regia ejus.

28. 29. כִּי־אֵשׁ — אַרְנֹן *Nam egressus est ignis Chesbone, et flamma ex urbe Sihonis, quae absumsit Arem Moabi et eos, qui loca excelsa ad Arnonem incolebant.* Idem ille hostilis ignis, qui Chesbonem conflagraverat, Ari illatus, hanc in cineres redegerat. Poëta significat, Chesbonem primo, deinde Arem ab Hebraeis, vel, ut alii volunt, ab Amoraeis esse captam. Videtur tamen haec urbs postea rursus a Moabitis recuperata, cf. ad Jes. 15, 1. — בַּעֲלֵי *Qui habent*, tenent, i. e. incolae, habitatores, ut Jos. 24, 11. Jud. 9, 2. sqq. — בָּמוֹת אַרְנֹן *Excelsa Arnonis*, cf. ad Vs. 13. Ceterum duos hosce Versus Jer. 48, 45. 46. offert. — 29. אוֹי לָךְ — סִיחוֹן *Vae tibi, Moabe! periisti! populo Cemoschi! filios suos qui evaserant et filias suas dedit in captivitatem regi Amoraeorum, Sihoni.* עַם־כְּמוֹשׁ *Populus Cemoschi* vocantur Moabitae, quorum idolum erat *Cemosch*, cf. 1 Reg. 11, 7. Jer. 48, 46. Coluisse illud et Ammonitas patet ex Jud. 11, 24. Nonnulli interpp. eundem denm putant, qui Graecis κῶμος, comessationum, compotationum et omnis lasciviae et proterviae Deus. Alii conjiciunt כְּמוֹשׁ idem esse ac Arab. כַּמּוּשׁ, quod *culices* significat: fuisseque imaginem culicis, astrologica arte confectam ad averruncandos culices. Sic Accaronitae בַּעַל זְבוּב *dominum muscarum* colnerunt. Alii putant nomine כְּמוֹשׁ significare *solem*, coll. Arab. כמשׁ *celerem esse*, *properare*, quod sol summa celeritate utrumque hemisphaerium peragrare videatur. Hackmann (*de Cemoscho Moabitarum idolo*, Brem. 1730.) a verbo כמשׁ, quod non solum summam celeritatem ac promtitudinem, verum et omnem strenuitatem et fortitudinem exprimere ait, nomine כְּמוֹשׁ numen bellicum, sive strenuum belli praesidem, Martem, significare existimat. Quum porro Hebraei tradant, Cemoschum fuisse nigrum lapidem, quem pro idolo colerent Moabitae, Hackmannus illum haud diversum censet a lapide illo nigro in angulo templi Meccani, *Caaba* dicti, quem prisci Arabes adorabant. Equidem malim כְּמוֹשׁ ex Arabico כمוש *tetricus*, *austerus* pro nomine aliquo saevo, terribili habere. נָתַן בָּנָיו פְּלֵיטִם *Dedit*, reddidit *filios suos evasores*, profugos. Cemoschus eo redigi cultores suos sivit, ut quaerendus eis esset modus et ratio evadendi, nisi gladio perire vellent. Uti Hebraei *filii Dei*, ita Moabitae hic vocantur filii Cemoschi. Ad וּבְנֹתָיו בַּשִּׁבְיוּת repetendum est נָתַן *filias suas in captivitatem dedit*, i. e. abducendas permisit.

30. וַנִּירֵם — מִידִבָא *Jaculis confecimus eos. Periit Chesbon usque ad Dibonem; desolavimus omnia usque ad Nofach, quod usque ad Medba* extenditur. וַנִּירֵם est 1. Plur. Fut. a יָרָה *jaculatus est* praefixo Vau conversivo, pro וְנִירָה אוֹתָם, sive וַנִּירֵם, ut et alias Suffixum mase. plur. praemisso *Camez* loco *τοῦ Segol* adjicitur, vid. Gesenii *Lehrg.* p. 206. Aben-Esra quoque exponit: *posteaquam jaculis confecimus eos*, periit Chesbon, et quae se-

quuntur. In alia omnia discesserunt veteres interpp., qui וַנִּירָם pro nomine ceperunt, quamvis in ejus interpretatione in diversas partes abeunt. LXX.: *τὸ σπέρμα αὐτῶν ἀπολεῖται*, quasi legissent נִינָם *soboles eorum*. Onkelos: *cessavit regnum Chesboni*. Videtur נִיר cepisse pro nomine, *lucernam*, hinc metaphorice *regni et posterorum gloriam* significante, ut 1 Reg. 11, 36. 15, 4. Ita et Arabs Erpenii: *dominium eorum periit una cum Chesbone*. Saadias: *ablatum est vestigium eorum e Chesbone*. Vulgatus: *jugum ipsorum* (coll. Arab. نير et Syr. ניראא *jugum*) *disperiit ab Hesebon usque Dibon*, ut sensus esset, totam illam ditionem inter Chesbonem et Dibonem, quae antea Moabitis subdita esset, eorum imperio ac dominationi avulsam fuisse, sic ut intra terminos longe angustiores Moabitae concluderentur; *jugum* enim saepe *dominium* significat, cf. Jer. 27, 8. 11. 28, 2. 14. Syrus: *et agri Chesbonis perierunt*. Similiter nos olim verba וַנִּירָם אָבַד interpretati sumus *agri eorum virentes perierunt*. Etenim a primaria verbi נור, *splendendi*, *lucendi*, notione, nomen נִיר Arab. praeter alia etiam significat *tractus lucidos viae*, *sulcosve nitentes*; unde Hebraei agrum, qui aut a spinis et sylvis, aut ab herbis, quae quiescenti increverant, liberatur ad novam sementem accipiendam, נִיר solent appellare, quasi *sulcum lucidum agri novalis*. Qua significatione legitur Jer. 4, 3. Hos. 10, 12. Prov. 13, 23. Hinc verti possit *ager virens*. Sed quo minus נִירָם pro nomine cum Suffixo habeamus, prohibet primo *Vau* conversivum, quod nusquam nominibus praefigitur, sed tantum verbis. Nec, quod aliqui sumunt, וַנִּירָם contracte positum esse pro וְהַנִּירָם, locum habere potest, quum nominibus, quae pronomina suffixa adjecta habent, Articulus praemitti non soleat, nisi pauca quaedam loca excipias; vid. Gesenii *Lehrg.* p. 658. Deinde vero אָבַד cum וַנִּירָם jungere vetant Accentus, qui אָבַד חֶשְׁבּוֹן nectere jubent. Denique וַנִּירָם manifeste parallelum est וַנְּשִׁים *desolavimus*, altero Vs. hemistichio. אָבַד חֶשְׁבּוֹן עַד־ דִּיבֹן *Periit Chesbon usque ad Dibon*, depopulati sumus totum illum tractum Chesbonem inter et Dibonem, quae erat urbs agri Moabitici, vid. Jes. 15, 2. Jer. 48, 18. 22. Hieron. in locis Hebraicis: „*Dibon*, villa praegrandis, juxta Arnonem, quae, quum primum fuisset filiorum Moab, et post eam Sihon, rex Amoraeorum, belli jure tenuisset, a filiis Israel capta atque possessa, in partem venit tribus Gad.“ Urbis *Diban* ruinae in planitie Arnoni ad septentrionem sitae sunt. Vid. *Alterthumsk.* II. 1. p. 269. sq. Quae sequuntur, וַנַּשִּׁים עַד־נֹפַח, LXX. reddunt: *καὶ αἱ γυναῖκες αὐτῶν ἔτι προσεξέκαυσαν πῦρ*, quia נָשִׁים significat *mulieres*, et נָפַח *flavit*. Vulgatus: *lassi pervenerunt in Nopheh*, quasi נשים esset a נָשַׁם Chald. et Syr. *spiravit*, *anhelavit*, spirantes, i. e. lassi. Sed non dubium est, vertendum esse *vastavimus*, est enim וַנַּשִּׁים 1 Plur. Fut. Hiph. a שָׁמַם. Forma est chaldaizans, Dagesch inserto primo radicali; vid. Gesenii *Lehrg.* p. 369. *Vastavimus* interpretantur Onkelos, Syrus et Saadias. Verba אֲשֶׁר עַד־מֵידְבָא vulgo sic intelligunt:

quod, sc. extenditur *usque ad Medbam* vastavimus. Sed אֲשֶׁר a Masorethis ut suspectum est notatum puncto extraordinario literae ר imposito, quo videntur indicare voluisse, eam in aliis codd. decesse. Ac sane in cod. Sam. legitur אש, et LXX. habent πῦρ. Qua adscita lectione vertendum erit: *ignis* belli *usque ad Medbam*, scil. saeviit. Hillerus *de arcano Kethibh et Keri* p. 156. puncto extraordinario literae ר imposito aliam vocum distinctionem, quae in codd. nonnullis obtinuerit, indicari existimat, videlicet hanc: עַד־ נָפְחָא שֶׁעַד־ מֵידְבָא desolavimus *usque ad Nophcham*, *quae Medebam usque* pertingit. נָפְחָא, inquit, „idem quod נֹפַח, ut eodem sensu manente permutantur שָׂבְעָה et שָׂבְעָ *saturitas*, רֹגְזָה et רָגְזָה *commotio*, אֹמְצָה et אָמְצָה *robur*. Alephi enim venit pro He femineo, ut in גִּבְעָא civitatis nomine 1 Chr. 2, 49. pro גִּבְעָה; in עֻזָּא 2 Sam. 6, 3. pro עֻזָּה 2 Sam. 6, 7. 8., et in aliis.“ Ceterum de Medeba Hieronymus: „*Medaba usque hodie urbs Arabiae, antiquum nomen retinens, juxta Esebon.*“ Urbis *Madba* rudera describit Burckhardt. Vid. *Alterthumsk.* l. l. p. 267. sq.

31—35. וַיֵּשֶׁב יִשְׂרָאֵל בְּאֶרֶץ הָאֱמֹרִי *Consedit ergo*, castra posuit, *Israel in terra Amoraeorum.* Hoc jam dictum est Vs. 25., sed repetitur post insertum illud carminis fragmentum. — 32. לְרַגֵּל *Ad explorandum*, ut Gen. 42, 9. De יַעְזֵר Hieronymus: „*Jaezer* civitas Amoraeorum in decimo lapide Philadelphiae, ad solis occasum trans Jordanem, quae fuit terminus tribus Gad, extenditurque usque Aroer, quae ipsa respicit usque Rabbam. Fuit autem separata a Levitis et distat ab Esebon quindecim millibus, e qua magnum flumen erumpens a Jordane suscipitur.“ Vid. *Alterthumsk.* l. l. p. 272. אֶת־ בְּנֹתֶיהָ *Filias ejus*, cf. ad Vs. 25. וַיִּירַשׁ (hisce enim Vocalibus legendum est, quod in textu exstat, sive *to* כְּתִיב) *Et possedit*, occupavit, sc. Israel. Sed in margine legi praecipitur in Hiphil, וַיּוֹרֵשׁ *ex expulit* Amoraeos. Ita et Cod. Sam. et LXX., qui ἐξέβαλον reddiderunt. — 33. וַיַּעֲלוּ דֶּרֶךְ הַבָּשָׁן *Ascenderunt viam Basanis.* Basan, Syris בתנא, Arabibus בַּתַנִיה, Graecis *Batανεία* vel *Βαταναία*, regio erat trans Jordanem inter Jabbocum et Arnonem pascuis felicissima, unde et nomen est nacta, quod significat *solum planum et ferax.* Hodie veteris Bataneae pars septentrionalis vocatur *Hauran* (חוֹרָן Ez. 47, 16.); reliquam ejus partem ii tractus, qui nunc *Belad Erbad*, *Belad Beni Obeid* et *Dscholan* vocantur, occupant; vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 127. sqq. 276. sqq. P. II. p. 7. sqq. לְמִלְחָמָה *Ad bellum*, i. e. ut proelium committeret. אֶדְרֶעִי *Ad Edrei.* Hieronymus: „*Edrai*, ubi interfectus est Og, rex Basan. — Nunc autem est Adara insignis civitas Arabiae in vicesimo quarto lapide a Bostra.“ Abulfeda dicit eam abesse a Damasco 24 milliaria Arabica, i. e. circiter 6½ Germanica. Ex qua situs descriptione manifestum esse monet Michaelis in *Supplemm.* p. 29. multo magis ad boream deflexisse Mosem, quam vulgo putatur. Rudera hujus urbis, hodie דרעה *Dra*, su-

persunt. Vid. *Alterthumsk.* II. I. p. 277. — 35. עַד־בִּלְתִּי הַשְׁאִיר־לוֹ שָׂרִיד *Usque adeo ut non relinqueret ei residuum*, superstitem. Nam Amoraei erant e septem populis, quos ad internecionem delere jussi sunt Hebraei.

Cap. 22—24.

Balacus, Moabitarum Rex, Bileamum ariolum, ut male precaretur populo Israelitico, evocat: cujus adventu aegre post secundam legationem impetrato, in iter se dat Bileamus, ob cujus pravum animum angelus illi se in itinere opponit, prostrataque ejus asina, et inusitato prodigio herum alloquente, tandem etiam ei se videndum Angelus praebet, eumque reprehendit, a quo tamen abire ad Balacum Bileamus permittitur (c. 22.). *Bileamus populo Israelitico bene precatur, et prospera de illo praenuntiat, additis de Moabitarum gentiumque finitimarum excidio oraculis* (c. 23. 24.).

Quae de Bileamo narrantur Cap. 22—24. tantis impedita sunt difficultatibus, ut non mirandum sit, hujus pericopae Interpp. in partes diversissimas secedere. Atque primo quidem in eo magnus est Interpp. dissensus, num Bileamus, quum in ejus historia varia occurrant, quae cum pessimum et lucri cupidissimum hominem arguere possent, verus propheta, an impostor fuerit? *Illud* contenderunt ex veteribus Josephus (*Ant.* 4, 6.) et Tertullianus, e recentioribus Drusius (ad Joa. 13, 22.), Bonfrerius (in Commentar. in Pentat. Antverp. 1625.), Deylingius (*Obss. SS.* T. III. p. 102.), Michaelis ad h. h., Donatus (*Auszug aus Scheuchzers Physica sacra*, T. III. P. I. p. 317.), Herderus (*Briefe* etc. P. I. p. 26. *Vom Geist d. Ebr. Poes.* P. II. p. 234.), Lessius (*Vermischte Schrr.* P. I. p. 130. sqq.), cui Bileamus non tam impius videtur, ut multi eum describunt. E ceteris autem Bonfrerius, Buddeus *Hist. eccl. V. T.* T. I. p. 753.), Deylingius et Michaelis concedunt, Bileamum fuisse hominem impium; id vero non impediisse, quo minus verus propheta esse potuerit. — Bileamum fuisse *impostorem*, contenderunt Tindal (*Beweiss dass d. Christenth. so alt als d. Welt sei*, p. 437. vers. germ.), Damm (in notis ad Matth. 24, 29. 2 Petr. 2, 15. 16.) et Jerusalem (*Betrachtungen* etc. p. 382. sqq.), qui omnem hanc narrationem a Mose desumtam existimat ex annalibus Moabiticis, quod multum valere illam putaret ad confirmandos Israelitarum animos. — Quod attinet ad narrationem de *asinae loquela*, aeque diversae sunt Interpp. sententiae. E veteribus plerique existimarunt, asinam vere esse loquutam, seu voces humanas edidisse. Cui sententiae etiam adstipulati sunt Clericus, Deyling, Herder, Donatus; efficere enim, ut asina loqueretur, Dei omnipotentiae aeque facile esse ajunt, ac mundum hominesque creare. Alii vero, quibus non est verisimile, Deum ob rem haud magni momenti tantum prodigium, cui nunquam postea simile contigit, fecisse, existimant, Bileamo haec omnia in visione visa esse fieri. Ita post Maimonidem Michaelis et Dathius. Lessio tota haec de asinae lo-

quela narratio nihil aliud videtur significare, quam hoc: asinam Deo ita moderante pavidam factam fuisse; hoc autem Bileamo occasionem dedisse, ut apud se ipsum cogitaret ea, quae c. 22, 28—35. narrantur. Id vero ex antiquo loquendi modo ita exprimi, *Deum aperiisse os asinae.* Quae etiam fere est sententia Justi (Diss. *de Bileami asina loquente*, Marb. 1774.) et Hezelii ad h. l., nisi quod existimant, hanc narrationem a Mose esse insertam ex carmine, in quo Bileamus ipse suum iter cecinisset. Hinc etiam factum esse, ut stylus hujus historiae plane poeticus sit. Itaque in illius interpretatione easdem leges esse observandas, quae in carminis interpretatione solent observari. Eo fine conferri jubet similem Homeri locum *Il.* 19, 405. sqq. — Singularis plane Ditmari (*Gesch. d. Israeliten bis auf d. Cyrus, zur Ehre u. Vertheid. d. Bibel, u. zur Berichtigung des Wolfenbüttelschen Fragmentisten.* Berl. 1788. p. 60.) sententia. Videtur ei tota haec narratio mythologica et allegorica esse; sicuti nos quoque narrationes de Amphione et Orpheo intelligimus, si legimus, illum lyrae suae sonu Thebarum muros aedificasse, hujus vero lyram boves et tigres esse sequutos. Ceterum putat ille, Bileamum tum ab Israelitis, tum a Balako donis fuisse corruptum; ab illis, ut ipsis bene precaretur (quod populi inculti incantatorum votis magnam vim adscribere solerent), a Balako autem, ut Israelitas ad scortationem cum puellis Moabiticis perduceret. Hac enim re Balakum sperasse, se effecturum esse, ut Israelitae a Jova (sub quo nomine hujus sententiae auctor summum senatum [*Staatsrath*] intelligit) abducerentur, et hoc modo inter se ipsos discordes facti, eo facilius vinci possent. Plura vid. in Winer *bibl. Realwörterbuch*, p. 115. sqq.

1. 4. בְּעַרְבוֹת מוֹאָב *In campestribus Moabiticis*, quae se. olim Amoraei Moabitis eripuerant; nam Moabitae tenebant montana, ut apparet ex iis, quae sequuntur. Moabitarum ditio erat ea in regione, quae in N. T. dicitur *Περαία* (i. e. *πέραν τοῦ Ἰορδάνου, trans Jordanem*), hodie *Balka*. Cf. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 160. sqq. P. II. p. 2. sqq. מֵעֵבֶר לְיַרְדֵּן *Trans Jordanem.* Ita vocatur omnis regio ad ortum Jordanis sita. Cf. ad Deut. 1, 1. — 4. אֶל־זִקְנֵי מִדְיָן *Senibus*, i. e. primoribus *Madian.* Moabitae ad Midianitas iverunt, ut communi consilio quid factu opus esset, dispicerent. Quae hic memoratur Midian, non eadem est, cujus Gen. 25, 1. Ex. 3, 1. mentio fit; haec enim sita erat in orientali maris Erythraei littore, in ipso Arabiae felicis ingressu; quae autem hic memoratur, vicina erat Moabitarum terrae. Hieronymus, postquam de priore illo loquutus esset, de nostra Midian haec dicit: *Haec alia civitas ὁμώνυμος ejus, juxta Arnonem et Areopolin, cujus nunc ruinae tantummodo demonstrantur.* Nostrae Midianis mentio fit Gen. 36, 35., quo ex loco apparet, Moabitas et Midianitas inimicas olim gentes fuisse; sed nunc ex metu Israelitarum pacem ineunt. הַשְּׂדֵה — וְלֹחֲכוּ *Depascet nunc hic populus quidquid*

circa nos est, ut bos pascui gramen depascit. Haec imago ex vita nomadica desumta rem ipsam bene adumbrat, licet nostris moribus aliena videatur.

5. וַיִּשְׁלַח *Et misit* Balakus consilio inito eum Midianitis finitimis. אֶל־בִּלְעָם בֶּן־בְּעוֹר *Ad Bilcamum filium Beoris.* Bileamum impostorem et hominem admodum superstitiosum fuisse, satis apparet inde, quod non solum artibus magicis, incantationibus et auguriis captandis publicum quaestum faciebat (Vs. 7.), verum etiam Jovae et Baal-Peori simul sacrificia offerebat, et populum Israelitieum ad turpissimum idololatriae genus inducebat. Talem hominem, qui verum Dei prophetam et apparitionibus divinis dignatum esse putant, ii ne dignitati patefactionum divinarum plane contrarium aliquid contendant et hominibus malevolis ansam praebeant, contra omnes patefactiones divinas suspicionem movendi, valde vereamur. פְּתוֹרָה nonnulli cum Vulgato et Syro vertunt *hariolum*, quia פָּתַר est *interpretari* et *aenigmata solvere.* Sed nomen proprium loci alicujus esse, apparet et ex ה huic voci adnexo, quod h. l. est locale, *in*, *ad*, et ex Deut. 23, 4., ubi Praepositio מִן plane id postulat. Hieronymus: „*Fatura* urbs Mesopotamiae, unde fuit Balaham ariolus.“ Cf. 23, 7. Deut. 23, 5. אֲשֶׁר עַל־הַנָּהָר אֶרֶץ בְּנֵי־עַמּוֹ *Quae est* (urbs) *ad fluvium patriae suae.* הַנָּהָר *Fluvius*, Euphrates, cf. ad Gen. 2, 14. coll. 15, 18. Jos. 24, 2. 15. אֶרֶץ בְּנֵי־עַמּוֹ *Terra filiorum populi sui*, sive popularium suorum, est *patria* Bileami. Sed pro עמו legunt עמון 14 Codd. Kennicottiani et duo Rossiani cum textu Samar. et versione Vulgata et Syriaca. Sed quod in Codd. Judaeo Hebraicis longe plerisque scriptum reperitur, עמו, recte se habere, docet locorum situs. Constat enim, Ammonitas Euphrati nentiquam confines fuisse. Accedit quod 23, 7. diserte dicitur, Bileamum arcessitum esse ex *Mesopotamia.* כִּסֶּה אֶת־עֵין הָאָרֶץ *Tegit oculum terrae*, i. e. ejus superficiem, ut Ex. 10, 5. 15. וְהוּא יָשַׁב מִמֻּלִי *Et consedit e regione mei*, contra me, mihi et regno meo imminet.

6 — 8. אָרָה־לִי אֶת־הָעָם הַזֶּה *Male precator mihi*, i. e. in mei gratiam, *huic populo.* Vatum imprecationibus magnam vim adscribebant plures antiqui populi. Existimabant enim, eos Numini gratiores esse quam alii homines, ita ut ab eo, quod peterent, facile impetrare possent. Sic et Romani credebant, se posse carmine quodam urbes, exercitusque hostiles perdere; cf. Macrobii *Saturnal.* 3, 9. et Plutarchi *vita Crassi.* Eadem superstitio tenuit et Indos ac Mexicanos; vid. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 266. E nostro loco discimus, Orientales quoque populos credidisse, Numen precibus eo posse adduci, ut iisdem adfectibus ac ipsi laboraret, iisque male faceret, quibus ipsi male vellent. — 7. קְסָמִים *Incantamenta*, i. e. merces incantamentorum. Sic בְּשׂוֹרָה *faustum nuncium* 2 Sam. 4, 10. significat *praemium* ejus *nuntii.* Legati pecuniam secum ferebant, ut, si Bileamus ante operam praestitam mercedem vellet, ea statim solvi

posset, ne quid ejus iter moraretur. — 8. Credibile est, Bileamum ex legatis cognovisse, Israelitas multitudine longe superare Moabitarum et Midianitarum exercitus; et fortasse jam ante legatorum adventum rerum ab Israelitis gestarum fama ad aures ipsius pervenerat. Facile igitur conjicere poterat, Moabitas Israelitis succubituros esse. Simul vero homo versutus bene intelligebat, si populo Israelitico male precaretur, et is nihilominus victoriam super Moabitis reportaret, id sibi et arti suae incantatoriae magno detrimento fore. Nec tamen propterea, quod legati ab eo postularent, plane denegare voluit, partim quod hoc malum de arte sua suspicionem movere potuisset, partim quod ita lucrum non contemnendum amisisset. Quae quum ita essent, ita sese gerere decrevit, ut, si etiam Israelitis non male precaretur, nihilominus tamen non desineret a Moabitis et gentibus finitimis amplius pro Dei familiari haberi. Eo fine finxit consultationes, quas cum Deo habuerit, et responsiones, quas ab eo acceperit.

11—19. קָבָה־לִּי *Maledic mihi*, in mei gratiam, ut Vs. 6., et quemadmodum ibi אָרָה Imperativus Cal verbi אָרַר erat, ita hic קָבָה est Imper. verbi קָבַב addito He paragogico. — 12. בָּרוּךְ *Benedictus* a Deo, felix, cui omnia ex voto cedunt. — 15. וַיֹּסֶף עוֹד שְׁלֹחַ *Addidit mittere*, i. a. denuo misit. נִכְבָּדִים מֵאֵלֶּה *Graviores*, honoratiores *illis*; ut Gen. 34, 19. — 16. אַל־נָא תִמָּנַע מֵהֲלֹךְ אֵלָי *Noli, quaeso, prohibere te ipsum ne venias ad me*, i. e. ne causeris quidquam quo minus venias. Alii: ne sinas te prohiberi, sc. interdicto Dei. — 17. כַּבֵּד אֲכַבֶּדְךָ מְאֹד *Honorando honorabo te valde*, i. e. maximis te cumulabo muneribus. De donis hoc esse intelligendum, patet e Vs. 18. coll. 24, 13. Eodem sensu Graecum τιμᾶν usurpatur Act. 28, 10. 1 Tim. 5, 17., et ab exteris scriptoribus. — 18. אִם־יִתֶּן־לִי — וְזָהָב *Si Balacus mihi dederit plenitudinem domus suae argentum et aurum*, i. e. domum suam argento et auro plenam. לֹא — גְדוֹלָה *Non potero transgredi os Jovae, ut faciam parvum aut magnum quid*, i. e. nihil quidquam a me contra Dei jussa impetrabit, quodcunque offerat pretium. Phrasis *nec parvum nec magnum* apud Hebraeos significat *nihil quidquam*, vid. v. g. 1 Sam. 20, 2. Simulat Bileamus, se hominem esse integerrimum et ab omni lucri cupiditate alienissimum; id quod legatis Balaci eo majorem de illo opinionem injicere debebat. — 19. וְעַתָּה *Et nunc.* Sed haec particula h. l. habet significationem adversativam, *attamen, interea*, uti Deut. 5, 22. Ruth. 3, 12.

22—25. וַיִּחַר־אַף אֱלֹהִים כִּי־הוֹלֵךְ הוּא *Sed iratus est Deus ei, quod iter adgrederetur.* Qui vere hoc factum putant, ii difficultate inexplicabili impediuntur, quomodo Deus irasci potuerit, quod Bileamus proficisceretur, quum tamen ipsi proficisci permiserit, Vs. 20. Hujus difficultatis varii varias explicationes excogitarunt, quarum tamen nulla nodum solvit. Sunt, qui dicant, Deum Bileamo ideo esse iratum, quod iverit animo nocendi et maledicendi.

Clericus verba illa Vs. 19. censet hoc significasse, *permitto tibi proficisci cum legatis, si modo nihil abs te petant, quod sit praeceptis meis contrarium;* Bileamum autem ita intellexisse, quasi Deus potestatem ei faceret abeundi cum Moabitis, si modo in posterum nihil faceret, quod contrarium esset Dei praeceptis. Quae omnia artificiose excogitata atque e longinquo petita videntur. Magis credibile est, scriptorem his verbis suam ipsius de eo, quem dehinc narrat, miro eventu, sententiam praemisisse. — 23. Si vera sunt, quae ad Vs. 8. diximus, sponte intelligitur, totam hanc, quae nunc sequitur, narrationem de asina, a Bilcamo fictam esse hoc fine, ne ab ejus auctoritate detraheretur, si Israelitis bene precaturus esset. Insunt enim huic historiae tam multa inter se contraria, ut qui eam sine praeconcepta opinione legat, primo statim intuitu videat eam esse viri versuti figmentum, quod homines duntaxat inculti et superstitione occoecati credere potuerunt. Alias explicationes vid. supra ad init. huj. Cap. בַּשָּׂדֶה *In agrum*, sc. consitum, aut cultum, ut 20, 17. לְהַטֹּתָהּ הַדָּרֶךְ *Ut declinare eam faceret* ad *viam*, i. e. ut eam in viam reduceret. Vel, *ob declinare facere* etc., i. e. eo quod insum divertere fecerat a via — 24. בְּמִשְׁעוֹל הַכְּרָמִים *In semita vinearum*, i. e. in angusta calle, inter vineas maceriis (גֶּדֶר מִזֶּה וְגֶדֶר מִזֶּה) cinctas. מִשְׁעוֹל h. l. tantum obvium coll. שַׁעַל *pugillus* (Jes. 40, 12.) videtur proprie esse spatiolum, quod in pugno seu contracta manu cernitur. — 25. וַתִּלָּחַץ אֶל־הַקִּיר וגו׳ *Pressit sese ad murum; ita ut simul Bileami pedem comprimeret.*

28 — 33. וַיִּפְתַּח יְהוָה אֶת־פִּי הָאָתוֹן *Aperuitque Jova os asinae.* Ita Hom. *Il.* 19, 407. de Xantho, Achillis equo: *Αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη*, *vocalem*, loquentem *reddidit dea ulnas-candida Juno.* Si vere id accidit, quod hoc Vs. narratur, admodum mirandum est, Bileamum, tanto prodigio territum, non prorsus obmutuisse, sed ita respondisse bruto animanti, quasi non tum primum cum eo esset colloquutus. — 30. מֵעוֹדְךָ עַד־הַיּוֹם הַזֶּה *Ab eo tempore quo es, usque ad diem hodiernum*, i. e. tam longum tempus. Similis phrasis Gen. 48, 15. הַהִסְכֵּן חִסַּכְתִּי לַעֲשׂוֹת לְךָ כֹּה *Num tentando tentavi facere tibi ita?* i. e. num te jam antea ita tentavi? — 32. In verborum פִּי־וָרַט הַדֶּרֶךְ לְנֶגְדִּי interpretatione et veteres et recentiores ob וָרַט praeter hunc locum duntaxat Job. 16, 11. obvium admodum variant. Illorum conjecturas aut somnia si quis scire cupit, adeat MICHAELIS *Suppll.* p. 1164. Illustrandum est וָרַט ex Arab. وَرَطَ *praeceps ruit, exitialis, periculosus fuit*, ut verba ita sint vertenda: *praeceps*, i. e. *periculosa est via coram me*, video tibi ingens periculum imminere, ut tutius tibi sit in via non pergere. Ita Saadias: *praeceps, periculosa est via.* In cod. Sam. legitur, כי הדע דרכך *quoniam mala est via tua.* Sed ea videtur esse Critici Samaritae emendatio, quales plurimae in cod. Sam. occurrunt. Affixum tamen secundae personae addendum

esse דַּרְכְּךָ e lectione Samaritana, Dathius existimat cum Clerico. — 33. וַתֵּט לְפָנַי *Et declinavit coram me*, declinavit a via trita me spectans. הַחֲיִיתִי — אוּלַי *Nisi declinasset, profecto te, illa conservata, occidissem.* Quis hic non videt inconcinnum hominis figmentum?

36—41. וַיֵּצֵא לִקְרָאתוֹ *Exivitque ei obviam*, honoris causa, ut Ex. 18, 7. — עַל־גְּבוּל וגו *Ad terminum Arnonis, qui* est *in extremo finis*, i. e. ad Arnonem, qui alluit fines Moabitarum. Hoc observatur, ut lector intelligat, Bileamum summo honore a rege Moabitarum fuisse exceptum. — 37. לָמָּה לֹא הָלַכְתָּ אֵלָי *Quare non venisti ad me?* quum prima vice ad te miserim. הַאֻמְנָם לֹא אוּכַל כַּבֶּדְךָ *An vero nullo possum te honorario donare?* De כַּבֵּד vid. ad Vs. 17. — 38. הֲיָכֹל אוּכַל דַּבֵּר מְאוּמָה *Ad quidquam possum eloqui?* i. e. nec pro meo nec pro tuo arbitrio quidquam hac in re dicere possum, quum a Deo plane pendeam. — 39. קִרְיַת חֻצוֹת, quod proprie *urbem platearum* significat, procul dubio est nomen proprium urbis alicujus Moabiticae. Alii: *in civitatem divisionum*, s. *separationum*, a חָצָה, quod urbs illa fines Moabitarum ab exfernorum finibus quasi separaverit. Ita Vulgatus: *in urbem quae in extremis regni ejus finibus erat.* LXX. εἰς πόλεις ἐπαύλεων, quasi pro חצורות legissent חצרות, quam quidem vocem per ἐπαύλεις reddunt Gen. 25, 16. Jos. 13, 23. Neh. 12, 29. — 41. בָּמוֹת בָּעַל *Excelsa Baalis;* intelliguntur loci eminentes et nemorosi Moabiticorum montium, in quibus more Orientalium Baali sacra fieri solebant. Vid. Lev. 26, 30. Ceterum בַּעַל, quae vox proprie significat *dominum*, commune Diis Phoeniciis nomen videtur fuisse. Cf. SELDENUM *de Diis Syris* p. 194. sqq. edit. Lips.

Cap. 23, 1—3. בְּנֵה־לִי — אֵלֶּה *Aedifica mihi hic septem altaria, septemque juvencos et septem arietes mihi parato.* Videtur Bileamus numerum septenarium ideo elegisse, quod ille ab omnibus fere gentibus antiquis sacer haberetur et quadam superstitione quasi colceretur. Hinc ad auguria captanda ab incantatore perquam apte eligebatur. Cf. Virg. *Aen.* 6, 38. 39. — 2. וַיַּעַל *Et ascendere fecit*, sc. in altare, obtulit, sive, obtulerunt Bileamus et Balakus, sc. לָעוֹלָה *in holocaustum.* בַּמִּזְבֵּחַ *In altari*, sc. unoquoque. — 3. אוּלַי יִקֶּרֶה יְהוָה לִקְרָאתִי *Fortasse Jova obviam mihi veniet*, ut mihi quid faciam revelet. Verba וַיֵּלֶךְ שָׁפִי variae exponuntur. Onkelos et Arabs Erp.: *abiit solus;* Vulgatus שָׁפִי vertit *velociter.* Ex Chaldaico שָׁפָה *contrivit, attrivit*, nonnulli ex Judaeis vocem illam interpretati sunt de animo Bileami quasi attrito, h. e. sollicito et anxio. Equidem sequi mallem LXX., qui habent: ἐπορεύθη εὐθεῖαν, sc. εἰς χώραν, *abiit in regionem planam*, subaud. montis ubi sacra fiebant. שָׁפִי enim coll. Syr. שפיא significat *locum complanatum*, hinc h. l. ubi sermo est de monte, significari videtur *locus planus in monte, in quo liber detur pro-*

spectus quoquo versum. Durior quidem Dathio videtur ellipsis praepositionis אֶל in וַיֵּלֶךְ שְׁפִי. Sed observandum est, Hebraeos interrogantibus *quorsum?* respondere Accusativo usurpando, sive nomen *urbis* commemorandum sit, ut 1 Reg. 14, 2. 2 Chr. 20, 36., sive nomen *regionis* aut *loci* appellativum, ut Ps. 104, 8. 2 Sam. 15, 27. Num. 14, 26. Plura exempla vid. in Gesenii *Lehrg.* p. 685. Accommodate igitur ad Hebraeorum loquendi modum h. l. וַיֵּלֶךְ שְׁפִי positum est pro וַיֵּלֶךְ אֶל־שְׁפִי *discessit in locum, ex quo prospectum haberet minus impeditum.*

5. 7. וַיָּשֶׂם יְהוָה דָּבָר בְּפִי בִלְעָם *Et posuit Jova verbum in os Bileami*, i. e. mandatis eum instruxit, suggessit ei, quae responderet. — 7. מְשָׁלוֹ *Figuratam suam orationem*, carmen suum fatidicum, cf. ad 21, 27. מִן־אֲרָם *Ex Aram*, subaudi נַהֲרַיִם *duorum fluviorum*, quod Mesopotamiam designat, vid. Deut. 23, 5. Hinc LXX. ἐκ Μεσοποταμίας. מֵהֲרֵי־קֶדֶם *Ex montibus orientis*, nam Mesopotamia est ad orientem regionis Moabitarum. Intelliguntur loca montana ad Euphratem, ubi Phetora, Bileami patria, sita erat. — Ceterum quae nunc sequuntur Bileami oracula, neutiquam probant, quod multi voluerunt, eum fuisse verum prophetam. Partim enim illa satis lata et obscura sunt, partim Bileamus, si mediocrem dumtaxat cognitionem de Israelitarum et ceterorum populorum statu sibi paravit, facile praevidere potuit, Israelitas, qui jam ut Nomades et potentes et a vicinis metuendi fuissent, multo terribiliores fore, si quando sede fixa potirentur. זְעֹם יִשְׂרָאֵל *Exsecrare Israelem*, eodem significatu verbum זָעַם et Vs. 8. et Prov. 24, 24. obvium est.

9. 10. מֵרֹאשׁ צֻרִים *E vertice petrarum.* אֶרְאֶנּוּ *Video eum*, sc. populum. Fut. pro Praes. לְבָדָד יִשְׁכֹּן *Solus*, seorsim *habitabit*, peregrinos non admittet in ditionem suam. Alii putant, indicari hac phrasi securitatem, quod qui securus est, nec timet solitudinem nec necesse habet accersere quo in tuto sit. Securitatem imago illa significare videtur quoque Deut. 33, 28. Ps. 4, 9. Jer. 49, 31. Cf. ad Mich. 7, 14. וּבַגּוֹיִם לֹא יִתְחַשָּׁב *Cum* ceteris *gentibus non numerabitur*, non miscebitur cum aliis gentibus, sed ab omnibus separatus et singularis erit. — 10. מִי מָנָה עֲפַר יַעֲקֹב *Quis numerat*, i. e. potest numerare *pulverem Jacob?* i. e. posteros Jacobi pulverem multitudine aequantes. Cf. Gen. 13, 16. 28, 14. Onkelos: *parvulos domus Jacobi, de quibus dictum est: multiplicabuntur instar pulveris terrae.* Verba וּמִסְפָּר אֶת־רֹבַע יִשְׂרָאֵל plures sic reddunt: *et numerum quartae partis populi Israelitici.* אֶת volunt esse Genitivi notam, ut 10, 2.: מַסַּע אֶת־הַמַּחֲנוֹת *profectio castrorum*, et Jes. 11, 9. Deut. 11, 22. Hab. 3, 13. Sed hisce locis Nomina posita sunt pro Infinitivis, quae Casus Verborum suorum regunt. Sunt, qui pro מִסְפָּר h. l. divisim legi velint מִי סָפַר, ut respondeat τῷ מִי מָנָה in membro antecedenti. Verum etsi huic conjecturae faveant 3 Codd. Samaritani et LXX., qui sic vertunt:

καὶ τίς ἐξαριθμήσεται δήμους Ἰσραήλ; tamen vix credibile, scripturam illam, sensum faciliorem reddentem, si unquam in Codd. Hebrr. exstitisset, ex iis ita evanuisse, ut nc in uno quidem illorum servata sit. Sed nihil difficultatis verbis וּמִסְפָּר אֶת־רֹבַע יִשְׂרָאֵל inerit, si nomen מִסְפָּר pro Verbo unde est derivatum positum capiamus, quod in poetico stylo haud raro fieri observat GESEN. *Lehrg.* p. 726., veluti Gen. 49, 4. פַּחֲזָתָ pro פָּחַזְתָּ, Jes. 8, 6. מְשׂוֹשׂ pro שָׂשׂ, vid. et Jud. 5, 8. Job. 36, 18. Erunt igitur verba illa sic reddenda: *et* quis *numerabit* vel *quartam partem Israelis?* רֹבַע procul dubio est quatuor illarum castrorum Israeliticorum partium, in quas duodecim tribus erant divisae (Num. 2.), una, quam fortasse Bileamus eminus prospectabat. Ita Onkelos: *aut* quis numerabit *unum e quatuor castris Israelis?* תְּמֹת נַפְשִׁי מוֹת יְשָׁרִים *Moriatur anima mea*, i. e. utinam moriar *mortem justorum*, i. e. Israelitarum, uti ex serie orationis liquet, allusione ad literas ישר facta, a quibus Israelitarum nomen incipit. Sensus esse videtur: Israelitae tanta fruentur felicitate, qualem ipse mihi usque ad mortem opto; q. d. utinam mihi contingat aeque fortunatum mori. וּתְהִי אַחֲרִיתִי כָּמֹהוּ *Sitque ultimum meum sicut illius!* אַחֲרִית aliis non est *finis dierum* sive *vitae*, sed *tempus futurum*, ut Gen. 49, 1. DOEDERLINIO in *Biblioth. Theolog.* P. I. p. 299. אַחֲרִית *est felix rerum in hac vita successus posteritatisque prosperitas.* Innuit Bileamus, totum populum Israeliticum per omnia futura tempora felicissimum fore, neque ullum malum esse experturum. Ceterum quisque sponte intelligit, Bileamum non de singulis Israelitis, sed de toto populo simul sumto haec verba protulisse, sibique ejusdem fata esse adprecatum.

13. 14. לֶךְ־נָא — לֹא תִרְאֶה *Veni mecum ad locum alium, unde eum* (populum) *videbis, sed extremitatem ejus tantum cernes, totum non videbis.* Totus populus non potuit prospectari propter ingentem castrorum ejus amplitudinem, quae cum ad radices montium essent, partim occultabantur montibus aut collibus. וְקָבְבוֹ־לִי *Execrare eum mihi*, mea causa. *Nun* est epentheticum; vid GESEN. *Lehrg.* p. 206. — 14. הַפְסְגָּה — וַיִּקָּחֵהוּ *Igitur secum eum duxit per campos speculatorum in fastigium Pisgae.* Campus speculatorum videtur planities fuisse in summo monte, in qua speculatores collocari solebant. In iis enim regionibus, perpetuis paene latrociniis infestis, erant in altis jugis homines, qui voce aut signo adventum latronum significarent, vid. Jes. 21, 11. 52, 8.

18 — 20. הַאֲזִינָה עָדַי *Audi me.* הַאֲזִין sequente עַד occurrit et Job. 32, 11. Hic non est opus, ut cum Michaele pro עָדַי *ad me*, legamus עֵדִי *testis meus (sey aufmerksam und sey mein Zeuge)*, praeeuntibus LXX. ἐνώτισαι μάρτυς (עֵד) υἱὸς Σεπφώρ. Syrus et interpres Samaritanus: *audi testimonium meum.* בְּנוֹ צִפֹּר *Fili Zipporis!* וֹ ad בֵּן est paragogicum, vid. ad Ps. 50, 10. — 19. לֹא אִישׁ אֵל וְיכַזֵּב *Deus non homo est ut*, i. e. qui *mentiatur.*

Quod semel dixit, non revocat ut homines, hinc quum semel promiserit, se Hebraeis benefacturum, promissa implebit, et neutiquam sacrificiis vatisque precibus ab eo impetrabitur, ut illis male faciat. — 20. בָּרֵךְ לָקָחְתִּי *Benedicere accepi*, sc. a Deo, i. e. benedicere jussus sum. Infinitivus apud Hebraeos aeque ac Graecos frequens. וּבֵרַךְ וְלֹא אֲשִׁיבֶנָּה *Benedixit enim* Israelitis Deus, *et ego non revocabo eam* benedictionem, ego eam non possum prohibere aut irritam facere.

21. בְּיִשְׂרָאֵל לֹא הִבִּיט — LXX. reddiderunt: *Οὐκ ἔσται μόχθος ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ ὀφθήσεται πόνος ἐν Ἰσραήλ.* Videlicet אָוֶן subinde est *dolor*, ut Gen. 35, 18. Deut. 26, 14., et עָמָל *labor* item *molestiam*, *aerumnam* denotat, Ps. 73, 5. Job. 7, 3. 11, 16. Verba activa הִבִּיט et רָאָה vero Graecus interpres impersonaliter cepit et pro Futuris. Quum autem nomina אָוֶן et עָמָל et *vanitatem*, *iniquitatem* significent, alii sic vertunt: *nullum peccatum in Jacobo animadvertit*, sc. Deus, i. e. Deus condonat ei peccata; vide similem loquutionem Jer. 50, 20. Sed huic interpretationi non favent, quae sequuntur. Alii אָוֶן et עָמָל intelligunt de *cultu idolorum*, ut 1 Sam. 15, 23. Ita Onkelos: *Video non esse colentes idola in domo Jacobi*, *nec servos molestiae vanitatis in Israele*; et Vulgatus: *Non est idolum in Jacob*, *nec videtur simulachrum in Israel.* Sed omnibus hisce interpretationibus praeferenda videtur illa, quam GATACKERUS dedit in *Adversarr. Miscellann.* L. 2. c. 4. *Opp. Critt.* p. 289., quae talis est: *Non intuetur* Jova, i. e. non sustinet intueri, *iniquitatem in Jacobum*, i. e. injuriam Jacobo illatam, *nec videt*, videre sustinet *molestam*, afflictionem, vexationem, *adversus Israelem.* בְּ nominibus יַעֲקֹב et יִשְׂרָאֵל praepositum valet *adversus*, *contra*, ut Ex. 14, 25. *Deus pugnat* בְּמִצְרַיִם *contra Aegyptios*, 20, 16. בְּרֵעֲךָ *contra socium tuum*, Num. 12, 1. בְּמֹשֶׁה *contra Mosen.* Huic sententiae: non permittit Jova Israelem suum injuste gravari, vel affligi, egregie quadrat quod sequitur: יְהוָה אֱלֹהָיו עִמּוֹ *Jova Deus suus cum eo est*, ei adest, averruncator omnium malorum quae Israelitis imminent, cf. Gen. 39, 2. תְּרוּעַת מֶלֶךְ בּוֹ *Et clamor regis in eo.* Videntur intelligi lactae vociferationes, quae circa tentorium sacrum quod Deus, *rex* Israelitarum habitare credebatur, a gratias agentibus et post salutaria saera convivantibus mittebantur. Recte igitur Coccejus: Israelitae acclamant Jovae ut regi suo, et in eo gloriantur. LXX. *τὰ δὲ ἔνδοξα ἀρχόντων ἐν αὐτῷ.*

22. כְּתוֹעֲפֹת רְאֵם לוֹ *Quasi celsitudines orygis illi* sunt. רְאֵם idem est *capreārum* genus, quod Arabes רִים vocant. Cf. ad Ps. 22, 22. et *d. a. u. n. M.* P. II. p. 269. sqq., ubi et de *monocerote*, quod animal hic pro רְאֵם LXX. posuerunt, egimus. תּוֹעֲפֹת variae vertunt. LXX. *δόξαν*, Vulgatus, Onkelos, Syrus, Arabs Erp. *fortitudinem.* Sed neutram harum significationum nomen illud in dialectis cognatis obtinet. MICHAELIS in *Suppll.* p. 1129. huic loco

celeritatis notionem aptissimam arbitratur, et vertit: *Deus eduxit eum ex Aegypto, celeritas est illi ut gazellarum.* Quae imago minus apta videtur. Existimaverim, תּוֹעֲפֹת רְאֵם idem esse quod Arab. ايفاد أكارم *elatio caprearum*, qua phrasi Arabes indicant, capreas capite sursum elato arrectisque auribus adstare, id quod haec animalia prae alacritate solent facere. Sic pulchra imagine sistetur populus Israeliticus antea sub Aegyptiorum servitute oppressus, nunc vero in libertatem assertus et in feliciorem statum evectus. Unde hunc Vs. ita vertere mallem (sensum magis quam propriam verborum vim exprimens): *Deus hunc populum eduxit ex Aegypto, alacritas ei est ut gazellis (Aus Aegyptens Sklaverey führte Gott dies Volk; fröhlich schaut es nun, gleich Gazellen, umher!).* Ceterum monendum est, ex hac interpretatione vocem תּוֹעֲפֹת non esse referendam ad רֵעַ, sed, admissa metathesi litterarum, ad Arab. يفع *ascendit, procerus, altus fuit.* Cf. ad Job. 22, 25.

23—28. כִּי לֹא־נַחַשׁ בְּיַעֲקֹב וְלֹא־קֶסֶם בְּיִשְׂרָאֵל *Nullum enim augurium in* (i. e. *contra*, vid. ad Vs. 21.) *Jacobum, et nihil incantamentorum in Israelem*, sc. valet, i. e. nihil artes magicae adversus Jacobum, nihil praestigiae contra Israelem efficiunt. Verum alii: *nullum augurium in Jacobo, nulla incantatio in Israele*, i. e. Israelitae non sunt dediti auguriis et divinationibus, nec opus iis habent. כָּעֵת יֵאָמֵר וגו׳ *Sicut hoc tempore*, s. *juxta hoc tempus*, ita et in posterum *dicetur de Jacobo et de Israele: quanta fecit Deus!* Quasi dicat: non haec tantum, sed adhuc multo plura faciet Deus admiranda Israelitarum in gratiam. — 24. הֶן־עָם — יְתַנַּשֵּׂא *Ecce* hic *populus quasi leaena surget, et instar leonis se eriget!* Vid. Gen. 49, 9. — 27. אוּלַי יִישַׁר בְּעֵינֵי הָאֱלֹהִים *Fortasse rectum videbitur in oculis Dei*, i. e. fortasse hoc loco Deus permittet, ut populo male preceris. Putabat procul dubio Balaeus, quod non esset impetratum sacrificiis prioribus, id fortasse posse victima nunc immolanda impetrari. Quae aliorum quoque populorum opinio fuit. — 28. וַיִּקַּח בָּלָק אֶת־בִּלְעָם רֹאשׁ הַפְּעוֹר *Et Balacus Bileamum secum duxit in verticem Pehoris.* Fortasse eo loco Baal-Peor colebatur, de quo 25, 2. Erat quoque in hac vicinia *Bethpheor*, urbs, quam Israelitae Sihoni eripuerant, et quae Rubenitis cessit, Deut. 3, 29. Jos. 13, 15. 20. — הַנִּשְׁקָף עַל־פְּנֵי הַיְשִׁימֹן. Cf. 21, 20.

Cap. 24, 1—4. כְּפַעַם־בְּפַעַם *Hac vice ut prima vice*, inverso ordine verborum, i. e. uti antea solebat. לֹא־הָלַךְ כְּפַעַם בְּפַעַם לִקְרַאת נְחָשִׁים *Non ivit in occursum incantationum*, non discessit ad auguria captanda, uti antea fecit, 23, 3. 15., ubi praetendit se Deum velle consulere; sed statim incepit carmen suum fatidicum. — 2. וַיִּרְא אֶת־יִשְׂרָאֵל שֹׁכֵן לִשְׁבָטָיו *Prospexit ad Israelem secundum tribus suas habitantem*, i. e. tentoria tendentem. Hanc enim significationem verbum שָׁכַן habet h. l. sicuti Ps. 78, 60. וַתְּהִי עָלָיו רוּחַ אֱלֹהִים *Fuitque super eo spiritus Dei.* Afflatu quodam tan-

quam divino correptus, quum ingentem illam multitudinem Israelitarum prospiceret, in ea quae nunc sequuntur verba, seu potius carmen, erumpit. Id quod ex antiquo loquendi modo ita exprimitur, spiritum Dei super Bileamum venisse. — 3. נְאֻם בִּלְעָם *Dictum*, oraculum *Bileami;* cf. Gen. 22, 16. 2 Sam. 23, 1. שְׁתֻם הָעָיִן *Cui apertus est oculus* mentis, ut futura intelligat (Vs. 4. גְּלוּי עֵינָיִם). שָׁתַם Chaldaeis signif. *perforare*, hincque *aperire*. Sic quoque ex antiquis interpretibus LXX. ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν. — 4. נֹפֵל *Procidens* in terram. Indicat, se, ut prophetam, in terram pronum se prostravisse ut perciperet, quae Numen sibi patefacere vellet; vid. ad 16, 4. Bene Syrus: qui *quum prosternit aperiuntur oculi sui.*

6. כִּנְחָלִים נִטּוּ *Instar torrentium exporrecta sunt*, scil. tentoria longo ordine, quae late se diffundunt. *Exporrigendi sese* significatu Niphal verbi נָטָה legitur et Zach. 1, 16. כְּגִנַּת עֲלֵי נָהָר *Instar hortorum ad flumen*, qui semper virent et florent. Horti ad fluviorum ripas siti in magnam longitudinem porriguntur, dum propter aquam cultores hortorum fluminis ripas sequuntur. Atque hoc praesertim fit in locis calidioribus, ut quae sunt circa Euphratem, unde Bileamus venerat. In iis regionibus ubicunque est aquae copia, omnia felicissime proveniunt, nec quidquam potest esse locis irriguis et umbrosis amoenius. Cf. Ps. 1, 3. Jer. 17, 8. כַּאֲהָלִים נָטַע יְהוָה *Ut xylaloe* quas *plantavit Jova*, non hominum opera. אֲהָלִים esse *xylaloem*, satis verisimile est. Haec arbor, quae et *agallochum* vocatur, perquam magna et umbrosa est, ligna autem ejus perquam odorata. Ingens earum aestimatio est apud Muhammedanos omnes, illos imprimis, qui barbam promittunt, Turcas videlicet et Arabes, qui eum se mutuo invisunt nihil antiquius habent, quam ut frustulo ligni aliquantulum madefacto et in acerram conjecto, odorem excitent fragrantissimum, quo barbas illi suffumigant. Nascitur Agallochum in India Orientali, inprimis in regno Tunquinensi. Optimum in Chambas, vicina regno Chinae regione, et in Cochin-China. In Arabia non provenit. Nihilominus haec arbor nota esse poterat Bileamo Euphratis accolae per mercatores. Optima hujus ligni species apud nos *Calambac* nomine est nota. Verbis *quas plantavit Jova* videntur indicari arbores, quae non sint hominum opera plautatae atque excultae. Sic Ps. 104, 16. dicitur *Deus plantasse cedros Libani*, ubi sine opera humana et procerissimae provenerunt. Possunt tamen illa phrasi et tales arbores indicari, quarum tanta est praestantia, ut non humana manu satae, sed divinitus datae dicendae sint. Ceterum pro אֲהָלִים extulerunt כְּאֹהָלִים *(sicuti tentoria quae fixit Deus)* LXX., Vulgatus, Syrus, Saadias, Samaritanus, amboque Chaldaei recentiores. Sed huic lectioni non favet parallelismus membrorum.

7. יִזַּל־מַיִם מִדְּלָיו *Fluet aqua ex ejus situla;* erit foecundus, multos proereabit liberos; sicut situla plena copiosam dat

aquam, ita prosapia Israelitarum erit foecunda. Propagatio liberorum saepe per aquas significatur, veluti Ps. 63, 27. Jes. 47, 1. Nah. 2, 9. Alii: *fluet aqua ex ejus ramis*, quam significationem femininum דְּלִיּוֹת habet Jer. 11, 16. Ez. 17, 6. 23., ut h. l. significetur arbor, quae non modo aqua fluviatili, sed etiam coelesti rorum et pluviarum irrigatur. Utraque haec irrigatio etiam conjungitur Gen. 49, 25. Attamen prior interpretatio ob parall. membrorum praeferenda videtur. וְזַרְעוֹ בְּמַיִם רַבִּים *Et semen ejus in multas aquas*, sc. se diffundet, i. e. hic populus mirum in modum multiplicabitur, magnum capiet incrementum. Haud infrequens comparatio, cf. Ps. 144, 7. Jer. 47, 2. וְיָרֹם מֵאֲגַג מַלְכּוֹ *Et sublimior erit Agago rex ejus.* Agag regis Amalekitarum Sauli tempore regnantis nomen fuisse, patet ex 1 Sam. 15, 8. Oportet autem eo tempore Amalekitarum res floruisse, cf. Vs. 20. Hinc alii Agagi regis mentionem arguere, totum hoc oraculum Sauli tempore, qui Amalekitas devicit, huic libro insertum esse, conjiciunt; alii putant, *Agag* nomen esse regis multo antiquioris ac majoris, Mosi aut coaevi, aut cujus memoria Mosis tempore recens fuisset. Sed malim adstipulari vulgo receptae sententiae, אֲגַג nomen appellativum regibus Amalekitarum commune fuisse. *Haman*, Persa, ad gentem nomine אֲגָגִי refertur Esth. 3, 1.

8—15. אֵל מוֹצִיאוֹ מִמִּצְרַיִם *Deus eduxit eum* populum *ex Aegypto.* De תּוֹעֲפֹת רְאֵם vid. 23, 22. וְחִצָּיו יִמְחָץ *Et tela ejus*, unumquodque telorum ejus *transfiget*, sc. eos, hostes, subaudito Suffixo ex עַצְמוֹתֵיהֶם, quod praecedit. Vel: *tela ejus*, hostis, *conquassabit* populus Israelitieus. Sensu haud multum abludit, quod Hos. 1, 6. *arcus confringi* dicitur. — 9. כָּרַע — וְיָקוּמֶנּוּ *Procumbit et recubat instar leonis ac leaenae, quis eum excitabit?* Videtur haec similitudo, quae et supra 23, 24. aderat, ista aetate usu vulgata, in modum adagii, fuisse. — 10. וַיִּסְפֹּק אֶת־כַּפָּיו *Et complosit manus suas.* Saadias addit: *prae indignatione.* — 14. אִיעֲצְךָ — הַיָּמִים *Praedicam tibi, quid hic populus populo tuo post multas aetates facturus sit.* יָעַץ hic habet notionem *praedicendi*, quasi *monendi* de rebus futuris, non vero *consilium dandi*, uti non pauci interpp. voluerunt, qui de consilio Bileami 31, 16. memorato cogitarunt. — 15. De שְׁתֻם הָעָיִן vid. Vs. 3.

17. אֶרְאֶנּוּ וְלֹא עַתָּה *Video illud sed non nunc*, i. e. praevideo rem multa post secula futuram, non brevi; rem, quam, inter futuros eventus veluti remotam, intueor. Alii Suffixum ad אֶרְאֶנּוּ vertunt *eum*, sc. *regem*, ex Israele prodituram, de quo statim. דָּרַךְ כּוֹכָב מִיַּעֲקֹב וְקָם שֵׁבֶט מִיִּשְׂרָאֵל *Procedet stella ex Jacobo, surgetque sceptrum ex Israele. Stella* significat praeclarum regem per eandem metaphoram, qua Ovid. *Epist. ex Ponto* 3, 3, 2. Fabium Maximum *suae gentis sidus* vocat, et Jes. 14, 12. regem Babylonis *luciferum.* שֵׁבֶט *sceptrum* ad regis deseri-

ptionem pertinet. וּמָחַץ פַּאֲתֵי מוֹאָב *Contundet angulos Moabi*, i. e. fines, terras ejus. Ita Saadias: *et debilitabit regiones Moabi.* Alii *angulis* per metaphoram putant duces, rectores populi significari, qui illum continent et sustinent. Ita LXX. ἀρχηγοὺς, Vulgatus *duces*, Onkelos *principes* et Syrus *fortes*. Jeremias, qui 48, 45. hunc locum imitatus est, posuit: וַתֹּאכַל פְּאַת מוֹאָב *devorabit*, consumet, *angulum Moabi.* In verborum וְקַרְקַר כָּל־בְּנֵי־שֵׁת versione magnopere dissentiunt interpretes. Et ante omnia notandum, codicem Sam. pro קרקר legere קדקד, *vertex*, quod referri deberet ad מָחַץ, ita ut sensus esset, *contundet* principes Moabi et *verticem filiorum Seth.* Fortasse hunc locum ita legit olim Jeremias, qui huc manifeste adludit 48, 45., ubi calamitates Moabitarum describit: *ignis exiit Chesbone, et flamma e Sichone* (cf. 21, 28.), *et absumsit angulum Moabi, verticemque* (קָדְקֹד) *filiorum sonitus* (שָׁאוֹן), i. e. tumultus, belli, bellicosos. *Vertex* autem *Moabitarum* esset Rex ejus gentis. Sed potuit etiam fieri, ut Jeremias קַרְקַר data opera mutarit in קָדְקֹד, sicuti pro שֵׁת posuit שָׁאוֹן. Lectionem tamen Masorethicam referunt omnes interpp. antiqui, quamquam in illius interpretatione in diversas abeunt partes. LXX. קַרְקַר vert. *προνομεύσει*, quod Hesychio est, *ἁρπάζει, κατασύρει, αἰχμαλωτεύει*, Suidae *ληΐζει* et *αἰχμαλοτίζει.* Symmachus *ἐρευνήσει*, quomodo hoc verbum hebr. etiam reddunt Syrus et Chaldaeus Jes. 22, 5. Onkelos et Arabs Erp.: *dominabitur.* Vulgatus: *vastabit.* Syrus: *et subjiciet, subjugabit.* Saadias: *et tremefaciet.* E recentioribus Castellus in Heptaglotto verbo קַרְקַר notionem *dominandi* tribuit, quam praeter interpretes antiquos etiam confirmari dicit usu Arabum, quibus קרקה *regionem patentem* significat, et hinc etiam Armenis *Kirak, karuk*, sit *potens.* Sane significatio *dominandi* huic loco bene conveniret, modo ea probari possit argumentis solidioribus quam Castellus attulit. Vix dubium est, קַרְקַר esse verbum *privativum* a קִיר *murus* derivatum, et significare *diruere, destruere*, quo significatu קַרְקַר Talmudicis usurpatur, uti iisdem קַרְקוּרָא est *vastatio, destructio.* Eodem *destruendi* significatu Particip. hujus verbi occurrit Jes. 22, 5., ad quem loc. cf. not. De בְּנֵי־שֵׁת similis est interpp. dissensus. Plures *filiis Sethi* indicari putant omnes homines, quod nos omnes Sethi, filii Adami (Gen. 4, 25), posteri sumus. Ita Onkelos. Sed non est credibile, vatem hoc dicere voluisse, omnes populos ab Israelitis vastatum iri. Quodsi שֵׁת h. l. nomen proprium sit, magis probabile fuerit, *Sethitis* indicari populum aliquem Moabitis et Amalekitis vicinum, cujus notitia interiit. Qui שֵׁת pro nomine appellativo habent, in diversas abeunt partes. Nonnulli, illud ad שִׁית *ponere* referentes, vertunt *filiis fundamenti* sive *sedis*, intelliguntque populos, qui sedem firmam et tranquillam habeant; quod de Moabitis dicitur Jer. 48, 11. Alii interpretantur *filios natis* sive *ani* (quo significatu שֵׁת legitur 2 Sam. 10, 4. Jes. 20, 4.), qua appellatione intelligi

existimant vel populos incestuoso cultui Baal-Peoris deditos, quales erant Moabitae. Alii aliter explicant. Ceteris verisimilior est eorum sententia, qui arbitrantur, שֵׁת positum esse contracte pro שְׁאֵת sive שְׁאָת a שָׁאָה, quod dicitur de strepitu et tumultu, v. c. undarum, et deinde de strepitu et tumultu militari Jes. 13, 4. Jer. 51, 55. Am. 2, 1., quibus locis forma substantiva שְׁאוֹן legitur. Extat vero שְׁאֵת cum א radicali Thren. 3, 47., ubi jungitur שֹׁד וָשֶׁבֶר quod de eversione rerum et calamitate gravissima dicitur. Quae explicatio eo magis probatur, quod qui h. l. vocantur בְּנֵי־שֵׁת, iidem Jer. 48, 45. dicuntur בְּנֵי שְׁאוֹן, vocabulo prorsus synonymico. Qui hanc interpretationem adsciscunt, per *filios strepitus* sive *tumultus bellicosi* intelligendos putant populos Israelitis vicinos, Moabitas, Ammonitas, Edomitas, eis semper infestos, sive, ut verbis Prophetae utamur, belli strepitus excitantes.

18. 19. וְהָיָה — אֹיְבָיו *Eritque Idumaea possessio, eritque Seir possessio hostium suorum*, i. e. Israelitarum. יְרֻשָּׁה Aben-Esra monet esse nomen adjectivum formae טְמֵאָה Lev. 15, 33. et שְׁבֻעָה Prov. 27, 7., hic vero pro substantivo יְרֻשָּׁה usurpari. *Seir* fuit nomen montium Idumaeorum, quos hujus terrae aborigines habitaverant, qui nominantur Gen. 36, 20 — 30., et postea cum Esavi posteris in unam gentem coaluerunt. Hic autem *Seir* ex parallelismo membrorum positum est pro Idumaea. Verba וְיִשְׂרָאֵל עֹשֶׂה חָיִל plures vertunt: *Israel opes* s. *divitias comparabit*, quod חָיִל nonnullis in locis hanc significationem habet. Sed עֲשׂוֹת חַיִל potius significat *agere strenue et feliciter*, veluti 1 Sam. 14, 48. Ps. 60, 14. 108, 14. 118, 15. 16. — 19. וְיֵרְדְּ מִיַּעֲקֹב *Et dominabitur* ei, Edomo, *e Jacobo* oriundus rex. וְהֶאֱבִיד שָׂרִיד מֵעִיר *Et perdet residuos ex* quaque *urbe*. עִיר collective denotat reliquas Edomitarum urbes. Oraculo, quod Vss. 17 — 19. continetur, victorias, quibus Saulus et Davides Amalekitas, Moabitas et Idumaeos subjugerunt (1 Sam. 15. 2 Sam. 8, 2. 14.), innui persuasum sibi habet DE WETTE (*Krit. d. Isr. Gesch.* p. 363. sqq.), nec dubium ei est, confictum esse hoc oraculum in populi Hebraici laudem et gloriam. Cur vero nec devictorum a Saulo Ammonitarum, Zobaeorum, et Philisthaeorum (1 Sam. 14, 47.), h. l. fit mentio? Nobis quidem, cur hanc pericopam seriori Mose tempori tribuamus, causa justa non esse videtur. Nam quod impedit, quo minus statuamus, percrebuisse jam Bileami aetate inter suos populares gentesque eis finitimas opinionem illam Orientem longe lateque inde a remotissimis seculis pervadentem, de magno aliquo rege futuro, qui populos sit debellaturus, et quo regnante maximae rerum conversiones sint eventurae? Istum igitur regem Bileamus, qui causâ nobis ignotâ populo Israelitico fausta quaeque praenuntiare animum induxerat, inter *Hebraeos* oriundum esse praesagit. Neque vero ad rerum gestarum veritatem, quae Vss. 17 — 24. praedicit Bileamus, examinanda arbitramur.

20. 21. וַיַּרְא אֶת־עֲמָלֵק *Vidit quoque Amalekitas.* Ne quis miretur, quomodo Bileamus ex monte tam multos populos prospicere potuerit, reminiscendum est, populos illos tanquam Nomades cum pecoribus in illis regionibus vagatos esse. רֵאשִׁית גּוֹיִם *Principium gentium.* Ita vocantur Amalekitae, quod hic populus illo tempore antiquissimus inter populos Cananaeos erat, coll. Genes. 14, 7. Nec minor Amalekitarum antiquitatis apud Arabes gloria, ut non Ismaelitae solum, sed et ipsi Joctanitae recentes illis videantur. Vid. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 90. 91. וְאַחֲרִיתוֹ עֲדֵי אֹבֵד *Postrema ejus tempora ad perniciem*, i. e. ipsi quoque tandem peribunt. Cod. Samar. pro עדי אבד distinguit עַד־יֹאבֵד, ita et Syrus: *et posteritas ejus peribit in aeternum.* Hanc lectionem praeferendam quoque putat Michaelis. — 21. וַיַּרְא אֶת־הַקֵּינִי *Viditque Kinaeos.* Memorantur inter alios Cananaeos populos Gen. 15, 19. Eos regionem Moabitis et Amalekitis conterminam tenuisse, et in montium caeuminibus inter rupes petrasque habitasse, ex hoc ipso, in quo versamur, loco patet. Sauli tempore Kinaei inter Amalekitas habitarunt, vid. I Sam. 15, 6. Vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 250.

22. *Tamen submovebitur Kain. Quousque? Assur te captivum abducet.* יִהְיֶה לְבַעֵר *Erit ad abolendum* s. *summovendum*, i. e. summovebitur. Ita Infinitivus cum praemisso ל post verbum הָיָה et alias est *passive* capiendus, ut Jos. 2, 5. וַיְהִי הַשַּׁעַר לִסְגֹּר *erat porta ad claudendum*, i. e. instabat tempus, quo claudi debuit porta; Deut. 31, 17. הָיָה לְאֵכֶל *consumetur.* Cf. GESEN. *Lehrg.* p. 787. Quod Bileamus hic praenunciat, eos haud longe, uti videtur, post tempore ab Assyriis captivos abductum iri, ita evenisse, non est proditum. Veteres in hoc Vs. nonnulla aliter ac nos legisse videntur. In Cod. Sam. pro עד־מה אשור תשבך ita legitur: עד מאשור תושבך *donec ex Assyria inquilinus*, incola, *tuus redeat:* תושבך exhibet quoque unus codex ex illis, quos Rossius inspexit. LXX. καὶ ἐὰν γένηται τῷ Βαίωρ νοσσιὰ πανουργίας, Ἀσσύριοι αἰχμαλωτεύσουσί σε, *et si factus fuerit Beor nidus astutiae, Assyrii te capient*, ac si in codice suo ita scriptum reperissent: וְאִם־יִהְיֶה לְבֹעַר קֵן עֶרְמָה. *Beor* autem pro nomine proprio, forsan Ducis alicujus Kinaeorum vel Moabitarum, videntur accepisse. Itaque juxta illam legendi rationem sensus hic erit: si posueris in petra nidum tuum, illaque rupes Kinaeorum duei *nidus* sit *astutiae*, hoc est, habitatio et quasi nidus, in quo astute latitet; tamen Assyrii te captivum abducent. Vulgatus: *sed si in petra posueris nidum tuum, et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te;* quasi ita Hebraea legisset: כי אם תשים בסלע קנך ותהיה לבחור קין, hoc sensu: sed etiamsi ad rupes tuas confugeris, et ibi habitationem tuam in loco adhuc munitiore constitueris, imo quantumvis extiteris juvenis electus et robustus; non tamen poteris diu consistere; Assyrii enim te depopulabuntur et captivum abducent. Quod atti-

net ad codices hodiernos, in cod. Rossiano 16. omissum est מה. Totum autem עד מה omittunt varii codd. Targumici, ex Rossianis 5. 12. 16. ac quatuor editi, Constantinopolitani ab annis 1502. 1522. 1546., Thessalon. 1516. Ex quibus omnibus hoc saltem potest intelligi, hunc Vs. ad ea pertinere loca, quae critici vocant adfecta.

23. אוֹי מִי יִחְיֶה *Heu! quis vivet?* quis tamdiu viveret, ut posset coram intueri, quae porro vaticinor? מְשׂוֹמוֹ אֵל *A ponendo eum istud*, vel *ista*, i. e. cum Deus id fecerit. Sunt, qui אֵל hic pro *Dei* nomine habeant, hoc sensu: quis vivet, quum fecerit illud Deus? Sed malumus אֵל h. l. pro Pron., quod alias אֵלֶּה est, habere, ut Gen. 19, 8. 25. 26, 3. 4. Lev. 18, 27. 1 Chr. 20, 8. Illustratur haec constructio ex Jes. 44, 7., ubi post מְשׂוּמִי cum Suffixo sequitur *casus accusativus* (מְשׂוּמִי עַם־עוֹלָם). Vid. et Ez. 15, 7.: בְּשׂוּמִי אֶת־פָּנַי בָּהֶם *cum posuero faciem meam in eos.* Recte Onkelos hujus loci sensum expressit ita: *vae peccatoribus qui vivent, cum fecerit Deus ista.* מְשׂוֹמוֹ nonnulli post interp. Samar. referendum putant ad שָׁמֵם, *desolari, vastari.* Nec obstare putant puncti diacritici diversitatem, quum constet ש olim una ratione pronuntiatum fuisse, nempe ut Syriacum ܣ. Tunc erit sic vertendum: *quis vivet, cum Deus eum vastarit*, i. e. perdiderit. Sic Michaelis quoque haec verba videtur intellexisse; nam in notis ad vers. vernaculam h. l. dicit, proprium sensum esse: *wer kann leben, wenn Gott ihn unglücklich macht?*

24. וְצִים מִיַּד כִּתִּים *Et naves ex manu*, i. e. *a parte Cittaeorum*, sc. advenient. צִים significare *naves*, patet ex Jes. 33, 21., ubi צִי tanquam synonymum τοῦ אֳנִי ponitur. Scribitur Pluralis hic defective, pro צִיִּים, cf. ad Ez. 30, 9. Sed pro וְצִים olim videtur voc. lectum fuisse ad יָצָא *egredi* referendum. Nam 1) LXX. legerunt וְיֹצְאִים, vertunt enim: καὶ ἐξελεύσονται ἐκ χειρῶν Κητιαίων. 2) Textus Samar. exhibet יוציאם et interpres ejus: *exire eos fecit* (liberavit) *ex manu Cuthaei*, cod. Samarit. 61. vero habet מוציאם, et 62. cum Alexandrinis יוצאים. 3) Unus cod. Kennicottianus, sed recentioris aetatis ex Seculo 15. Hebraeo-Latinus (No. 69.), cum Jod legit ויצם, et alius, vetustus, cum rasura יוצים; legebatur sine dubio olim ויוצים. Cod. de Rossianus secundus יצים, et decimus primus ויצים. Vulgatus habet: *venient in triremibus de Italia.* Onkelos: *coetus emittentur ex Cittaeis*, Syrus: *et legiones egredientur e terra Cittaeorum.* Attamen hos quoque interpp. cum LXX. pro וצים legisse ויצאים, certe dici nequit, quoniam substantiva illa, *triremes* Vulgati, *coetus* Onkelosi, et *legiones* Syri respondent nomini וצים, ad quod necessario verbum ei aptum supplendum fuit. Michaelis et Dathius lectionem Alexandrinorum praeferunt masorethicae. *Chittim* esse *Latium* opinio erat multorum. Verum seriore

aetate Maccabaica Hebraeos כִּתִּים *Macedoniam* appellasse (1. Macc. 1, 1. Alexander egressus dicitur ἐκ τῆς γῆς Χεττιείμ), ex iis quae MICHAELIS attulit in *Suppll.* p. 1377., dubium esse vix nequit. Attamen proprie כִּתִּים fuisse priscum Cypri insulae nomen, persuasum est GESENIO in *Commentar. ad Jes.* 23, 1., auctoritate potissimum Josephi, qui *Antiqq.* 1, 6, 1. Geneseos cap. 10. illustrans haec scribit: *Chethimus insulam Chethim occupavit, quae nunc Cyprus vocatur, unde Hebraei translato nomine omnes insulas et maritima pleraque Chethim dixerunt. Indicium meae explicationis in una Cypri urbe superest, quae sola nomen servavit. Citium enim ab his, qui ad Graecismum nomen detorserunt, vocatur, ne sic quidem multum a Chethimo abludens.* Conf. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 378. Additur: וְעִנּוּ אַשּׁוּר וְעִנּוּ עֵבֶר *Et affligent Assurem et affligent Heberum*, „nomine γενεάρχου vocantur, pro more Scripturae, posteri Heberi, hoc est, Phelegi et Joctanis soboles, Hebraei et Arabes, qui paruerunt Alexandro ejusque successoribus: aut *Hebr* dicuntur *Trans-Euphratenses* (בְּנֵי עֵבֶר Gen. 10, 21.). At posterior quidem sensus magis placet, quod Bileamus vaticinatur Assyriorum clades in superioribus verbis, quibus nullos aptius potuit conjungere, quam reliquos populos, qui trans Euphratem in vicina degebant, quos omnes Alexander, ejusque successores, subegerunt.“ CLERIC. Verum ad Alexandrum Macedonem haec sine ratione idonea referuntur; cf. ad Vs. 19. Nomine עֵבֶר et HYDE in *Histor. Relig. Vett. Persar.* p. 51. sqq. edit. sec., ubi pluribus de hoc loco disputat, regionem *Trans-Euphrateam*, seu potius *Trans-Tigritanam* significari autumat, ut sit exegeticum τοῦ אַשּׁוּר, hoc sensu: *affligent Assyriam et totam transfluvialem regionem.* וְגַם־הוּא עֲדֵי אֹבֵד *Et tandem et hic peribit*, quod num de *Hebero*, an vero de illo, qui ipsum sit oppressurus, intelligendum sit, dubium est.

25. וַיָּקָם בִּלְעָם וַיֵּלֶךְ וַיָּשָׁב לִמְקֹמוֹ *Surrexitque Bileamus et abivit, rediitque ad locum suum.* Sed quum 31, 8. Bileamus inter Midianitas versatus occisus dicatur, statuendum est, vel illum domum quidem rediisse, sed mox ad Midianitas abiisse; vel, abiisse animo revertendi in patriam, sed a Midianitis detentum fuisse. Constat enim, haud raro *fieri* dici, quae quis facere apud se constituit. Cf. Gen. 37, 21. Ex. 8, 14. „Ante abitum autem dedit consilium, cujus exsequutio in Cap. 25. est. Id habetur ex traditione, quam probat Petrus 2, 2, 15., Judas Vs. 11. Joannes Apoc. 2, 14.“ GROTIUS.

Cap. 25.

Israelitae a Moabitidibus et Midianitidibus mulieribus ad incestum deastrorum cultum pellecti, jubentur occidi. Phineas, zelo succensus, publico scortatore cum suo scorto confosso, promissionem a Jova accipit pro se et posteris sacerdotii perpetui.

1 — 3. וַיֵּשֶׁב יִשְׂרָאֵל בַּשִּׁטִּים *Quum Israelitae commorarentur in Schittim.* Haec est quadragesima secunda et ultima mansio in deserto, ubi gesta sunt, quae narrantur usque ad finem Deuteronomii. Infra 33, 49. hic locus vocatur *Abel-Sittim*, q. d. *luctus Schittim* ob acceptam ibi cladem. Hebraei enim saepe solent partem priorem nominum compositorum omittere; veluti *Hermon*, pro *Baal-Hermon*, Jud. 3, 3. *Tholad*, 1 Chr. 4, 29. pro *Eltholad*, Jos. 19, 4. *Nimrim*, Jes. 15, 6. pro *Beth-Nimrim*, Num. 32, 36. Ceterum Schittim fuit pars planitiei magnae Moabiticae, coll. 33, 49. Nomen fortasse accepit a frequentia arborum *Schittim*, i. e. acaciorum, vid. Ex. 25, 5. Plura vid. in *Alterthumsk.* II. I. p. 161. II. p. 38. וַיָּחֶל הָעָם לִזְנוֹת אֶל־בְּנוֹת מוֹאָב *Coepit populus ad Moabitides scortatum ire;* sive si cum LXX. pro וַיָּחֶל legas וַיֵּחַל, *profanatus est populus scortando cum Moabitidibus*, ἐβεβηλώθη ὁ λαὸς ἐκπορεῦσαι εἰς τὰς θυγατέρας Μωάβ, *contaminavit se populus scortatione cum filiabus Moab.* Sermo vero hic est de scortatione quae cum idololatria conjuncta erat. Mos enim erat apud quosdam populos orientales, ut virgines, antequam nuberent, vel certe mulieres quaecunque semel in honorem Dei Deaeve cujusdam pro pecunia sacerdotibus sacra vitiarentur. Hoc erat factum ex consilio Bileami (31, 15. 16.), qui cum nosset, felicitatem populi Hebraei totam pendere ab observatione Legum divinarum, eam aliter infringi non posse intelligebat, quam si Israelitae a legum illarum observatione aliquo astu avocarentur. Hoc commodissime effici posse putavit per meretrices, quae copiam sui facientes, Hebraeos facile ad peregrina sacra pellicere poterant. — 2. וַתִּקְרֶאן לָעָם לִזִבְחֵי אֱלֹהֵיהֶן *Invitaverunt autem* (filiae Moabitarum) *populum* (Israeliticum) *ad sacra Deorum suorum.* Sacra haec videntur fuisse anniversaria in honorem Baal-Peoris more supra dicto celebrari solita. לִזְבְחֵי *ad sacrificia*, ut convivio, quod post sacrificium celebrabatur, adessent. וַיֹּאכַל הָעָם *Comeditque populus* eum iis in conviviis sacris, id quod diserte vetitum erat Ex. 34, 14. 15. — 3. וַיִּצָּמֶד יִשְׂרָאֵל לְבַעַל פְּעוֹר *Et adjunxit*, adhaesit *Israel Baal-Peori*, qua phrasi significatur summum studium, quo Israelitae hujus idoli cultum prosequuti sunt. *Baal-Peorem*, i. e. dominum Peoris, nomen habuisse a monte Peor, 23, 28. memorato, ubi hoc idolum delubro et sacris honorabatur, satis verisimile est.

4 — 6. קַח — הַשְּׁמֶשׁ *Comprehende omnes principes populi eosque suspende Jovae coram sole.* כָּל־רָאשֵׁי הָעָם *Omnes principes* sive primores *populi*, וְהוֹקַע אוֹתָם *et suspende eos*, non

principes, sed eos ex populo qui peccarunt, aut cum peccantibus consenserunt. Patet hoc e Vs. sq., ubi divini mandati exsequutio describitur: *Dixit Moses* אֶל־שֹׁפְטֵי יִשְׂרָאֵל *ad judices Israelis: occidite quisque* rcl., ubi quos antea *principes*, nunc *judices* vocat, qui a Mose convocantur, ut judicium divinum exsequantur in peccatoribus. Pertinet igitur Pron. suffix. in אוֹתָם ad nomen diserte non expressum, sed ex contexto sermone intelligendum, ut alias haud raro, vid. ad Ps. 114, 2. Hinc recte Onkelos: *duc principes populi, judica, et occide eum, qui reus erit mortis.* לַיהוָה *Jovae*, i. e. ut poenas dent Jovae. נֶגֶד הַשֶּׁמֶשׁ *Coram sole*, i. e. usque ad solis occasum; non enim licebat quemquam in patibulo noctu relinquere, Deut. 21, 22. 23. Ceterum homines non vivi suspendebantur, sed postquam gladio occisi essent, cf. Gen. 40, 19. — 5. הִרְגוּ אִישׁ אֲנָשָׁיו *Occidite quisque viros suos*, i. e. quibus praefecti estis; cf. Ex. 18, 25. — 6. וַיִּקְרֵב אֶל־אֶחָיו אֶת־הַמִּדְיָנִית *Adduxit ad fratres suos Midianitidem.* Ne cui mirum videatur, Midianitidum hic fieri mentionem, tenendum est, Moabitas tum cum aliquot Midianiticis tribubus conjunctos fuisse (vid. 22, 4. 7.). וְהֵמָּה בֹכִים פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד *Et flebant ante tentorium conventus*, ut veniam delicti obtinerent, et impetrarent a Deo revocationem edicti per Mosen promulgati. Ceterum observandum est, hoc factum esse palam, coram Mose universoque populo. Moabitae igitur consequuti sunt id quod volebant; non tantum pellexerunt multos Israelitarum ad idololatriam, sed effecerunt quoque, ut iidem magistratibus nullum amplius obsequium praestarent, atque seditionem commoverent, quae omnem legum vim frangeret. Omni igitur jure Midianitis bellum inferri potuit, Vs. 16 — 18.

8. 9. וַיָּבֹא — הַקֻּבָּה *Et insequutus est Israelitam in interiorem tentorii partem.* קֻבָּה, quod interpretes varie reddant, est i. q. Arab. *kubbah* vel *kobbah*, et cum Articulo *alkobbah*, nempe *conclave camerati operis, quo lectus circumdatur*, a rad. קָבַב in Conjug. 2. *concamerare* aut *cameratum opus struere.* Hispanis *alcoba* dicitur et *alcova*, quae vox apud nos quoque habet vicinam significationem. Intelligitur *posterior* sive *interior* tentorii *pars*, in qua cubiculum erat. אֶל־קֻבָּתָהּ recte LXX. διὰ τῆς μήτρας αὐτῆς, et Vulgatus *in locis genitalibus.* הַמַּגֵּפָה *Plaga* divinitus inflicta, pestis. — 9. וַיִּהְיוּ — אָלֶף *Peste autem illa viginti quatuor hominum millia interierunt.* At Paulus 1 Cor. 10, 8. duntaxat 23000 ponit. Plerique respondent, 23000 a Deo, 1000 a Pinehaso ejusque sodalibus et judicibus caesa esse, Paullum vero intelligere tantum illa 23000. Sed Apostolus non ipsa verba Mosis hic allegavit, sed sensum; nec propositum ei fuit accurate illam historiam describere, sed tantum Corinthios monere, quae ob peccatum illud poena sit a Deo immissa, multa millia ob id occubuisse.

11 — 13. הֵשִׁיב אֶת־חֲמָתִי *Redire fecit*, averruncavit *iram meam* (ut Prov. 24, 18.), effecit, ut ceteris pepercerim. בְּקִנְאוֹ

אֶת־קִנְאָתִי *Cum zelaret zelotypiam meam*, i. e. vindicaret honorem meum; qui ostendit, se non magis sustinere posse populum Hebraeum cum aliis contra leges misceri, quam vir pati potest, uxorem suam se aliis prostituere. Hoc sensu Deus ipse *zelotypus* vocatur; vid. ad Ex. 20, 5. Hinc postea fervor pius, quo Dei timentes ostendebant, se aegre ferre quod Leges violarentur, dictus est *zelus* Dei, i. e. pro divinis legibus. — 12. הִנְנִי נֹתֵן לוֹ אֶת־בְּרִיתִי שָׁלוֹם *Do ei foedus meum pacis*, i. e. promitto ei omnis generis felicitatem. *Pax* enim saepe res omnes secundas complectitur; *foedus* vero *promissum*, ut Gen. 9, 9. — 13. — וְהָיְתָה עוֹלָם *Eritque ei ejusque posteris foedus sacerdotii perpetuum*; foedus sacerdotii est promissio de sacerdotio inter ejus posteros perpetuum futuro. Fuit quidem aliquamdiu illa dignitas in familia Ithamari, e qua *Eli* primus eam nactus est, sed Zadoco (1 Chr. 5, 34.), ex posteris Pinehasi, restituta est, 1 Reg. 2, 26. 27. 35. coll. 1 Sam. 2, 30. sqq., et apud hos permansit usque ad finem Levitici sacerdotii. Cf. 1 Chr. 5, 30. sqq. וַיְכַפֵּר עַל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Expiavit Israelitas*, id fecit, quo iis placatus est Deus.

14 — 16. De בֵּית־אָב cf. 1, 2. — 15. רֹאשׁ אֻמּוֹת וגו׳ *Is erat caput tribus inter Midianitas.* Filia Midianitae nobilis hominem inter Hebraeos nobilem corruperat; unde apparet, Moabitas et Midianitas non perfunctorie paruisse Bileami consilio, cum viri principes filias suas prostituerint. Fortasse sperabant, fore, ut iis connubiis non modo iram Dei in eos, qui alienigenas ducturi essent, concitarent, sed et aliquam partem Hebraeorum ad se pertraherent. רֹאשׁ אֻמּוֹת בֵּית־אָב *Caput familiarum domus patris*, est caput tribus alicujus in gente sua. Idem Vs. 18. vocatur נְשִׂיא מִדְיָן *princeps Midianita*, et 31, 8. numeratur inter מַלְכֵי מִדְיָן *reges Midianiticos.* — 16. צָרוֹר אֶת־הַמִּדְיָנִים *Hostiliter invade Midianitas*, quia eorum praecipua culpa erat, conf. Vs. 6. et 18.

Cap. 26.

Censu facto rursum pugnatorum in singulis tribubus numerus initur, et tribus singulas in varias familias distribuuntur, antequam Palaestinam ingrediantur.

2 — 4. שְׂאוּ אֶת־רֹאשׁ *Summam subducite.* Cf. ad 1, 2., ubi quoque לְבֵית אֲבֹתָם explicatum est. Institutus est hic census, postquam priores perierant (14, 23. 29.). — 3. עַל־יַרְדֵּן יְרֵחוֹ *Contra Jordanem Jericho*; i. e. qua parte Jordanes haud procul distat a Jerichunte. — 4. Ad hujus Vs. initium aliquid deesse, quivis qui verba textus vel negligenter inspexerit, intelliget. Desinit Vs. 3. in לֵאמֹר, et quartus incipit cum verbis מִבֶּן עֶשְׂרִים שָׁנָה וגו׳. Quodsi librariorum culpa quidquam omissum fuerit, hunc errorem valde antiquum esse, apparet ex eo, quod cod. Samar. et LXX. cum textu Hebraeo consentiunt. Nec potest ex reliquis ve-

teribus interpretibus vera lectio constitui, quoniam omnes variant et nexum verborum faciunt, qui eis facillimus videretur. Michaelis supplendum censet וַיִּסְפֹּר, ut habet Syrus: *et numeravit eos.* Nos quidem subaudimus שְׂאוּ אֶת־רֹאשׁ *tollite summam*, ut eadem verba iterentur, quae leguntur Vs. 2. — Sed alia adhue difficultas est in hoc Versu. Nam quae sequuntur verba, כַּאֲשֶׁר צִוָּה יְהוָה אֶת־מֹשֶׁה *quemadmodum praecepit Jova Mosi*, non possunt esse verba Mosis ad populum loquentis. Numquam enim de se in tertia persona loquitur, si ad populum verba facit. Hubigantius igitur ante כַּאֲשֶׁר supplet וַיַּעֲשׂוּ, ut sensus sit, *et fecerunt Israelitae sicut praeceperat Jova Mosi.* Quae vero sequuntur, וּבְנֵי יִשְׂרָאֵל connectit cum Vs. 5., hoc sensu: *illi autem sunt filii Israel, qui Aegypto egressi sunt: Ruben primogenitus Israel etc.* Dathius vero aliter verba connectit; vertit enim: atque numerum inierunt eorum, qui annum vicesimum excesserant, quemadmodum Jova praeceperat Mosi et Israelitis, eum ex Aegypto essent egressi. Attamen idem ille Dathius in nota ad h. l. dubitat, annon tunc fortasse ex genio linguae repetenda esset nota Casus: וְאֶת־בְּנֵי. Contra Hubigantii autem connectendi modum obvertit, sensum, quem ille reddit, alias a Mose hae exprimi solere formula וְאֵלֶּה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל. Quidquid statuas, hoc saltem est certum, locum hunc esse adfectum, qui opem criticam adhue exspectet. — Ceterum qui nunc refertur census, eo consilio institutus est, ut familiis agri in subigenda mox Cananaea dividerentur.

5—11. רְאוּבֵן בְּכוֹר Nempe *Ruben primogenitus* erat, Gen. 29, 32. — 7. וַיִּהְיוּ וְשִׁלְשִׁים *Fueruntque eorum censi quadraginta tria millia septingenti triginta.* In priore censu Num. 1, 21. idem tribus habuit 46500. Imminuta igitur erat haec tribus trigesimo octovo anno post 2770 viris. — 10. בְּמוֹת הָעֵדָה *Cum moreretur coetus ille*, eum nempe comburetur ignis (16, 35.). וַיִּהְיוּ לְנֵס *Fuere in signum*, i. e. exemplum. נֵס proprie signum erectum, vexillum (21, 8.), hic significat documentum, quo admoneantur ceteri, ne pereeent, i. q. אוֹת 17, 4. (al. 16, 38.), et זִכָּרוֹן 17, 5. (al. 16, 40.). — 11. וּבְנֵי־קֹרַח לֹא־מֵתוּ *Filii Corachi autem non perierunt*, addit paraphrastes Hieros.: *eo quod non fuerunt in consilio patris sui non sunt mortui.* Cf. ad 16, 32.

12—14. ל ante נְמוּאֵל hic redundat seu explet Nominativum, ut saepe, veluti 1 Chr. 3, 2. 2 Reg. 7, 2. Jos. 10, 21. Deut. 24, 5. Cf. Gesen. *Lehrg.* p. 681. Qui hic vocatur *Nemuel*, idem Gen. 46, 10. Ex. 6, 15. dicitur *Jemuel.* Hanc nominis diversitatem non tribuerim librariorum coeitantiae, uti nonnulli fecerunt. Nomina hominum propria in omnibus fere linguis diverso modo pronuntiari et scribi solent; hinc quoque horum nominum diversitas originem traxisse videtur. Sic etiam is, qui Vs. 15. צְפוֹן nominatur, Gen. 46, 16. levi mutatione צְפִיוֹן appellatur, itemque Vs. 42. שׁוּחָם, Gen. 46, 23. חֻשִׁים litteris transpositis. — 13. זֶרַח

Ita quoque hujus viri nomen scriptum est 1 Chr. 6, 24., at Gen. 46, 10. Ex. 6, 15. (ubi cf. not.) vocatur idem vir צוֹחַר. Multi Hebraei duo habuerunt nomina; vide ad Gen. 26, 34. — 14. שְׁנַיִם וְעֶשְׂרִים אֶלֶף וּמָאתַיִם *Viginti duo millia ducenti.* In priore censu erant 59300. Multi fortasse pericrunt peste et occisi sunt judicum manu, quod Zimrin tribulem suum imitati essent.

16. 18. אֶזְנִי Gen. 46, 16. vocatur אֶצְבוֹן. — 18. אַרְבָּעִים וגו׳ *Quadraginta millia quingenti.* In censu priore fuerant 45650. Haec igitur tribus 5150 imminuta erat.

22—25. שִׁשָּׁה וגו׳ *Septuaginta sex millia quingenti.* Haec tribus aucta fuerat 1900 viris, nam Num. 1, 27. numerati erant 74600. At id augmentum in tanta hominum multitudine pene est nullum. — 24. De יָשׁוּב vide Gen. 46, 13. — 25. אַרְבָּעָה וגו׳ *Sexaginta quatuor millia trecenti.* Haec tribus aucta erat 9900 capitibus, nam Num. 1, 29. recensentur 54400. Itaque magnopere erant aucti, si cum aliis conferuntur.

27—37. שִׁשִּׁים וגו׳ *Sexaginta millia quingenti.* Hi quoque erant aucti, nempe 3100 capitibus; Num. 1, 31. numerati fuerant 57400. — 30. Pro אִיעֶזֶר LXX. et unus cod. Kennicottianus habent אֲחִי עֵזֶר. — 34. שְׁנַיִם וגו׳ *Quinquaginta duo millia septingenti.* Fuerant 1, 35. censi 32200. Igitur haec tribus aucta fuit 20500 capitibus. Magnum sane augmentum intra spatium 40 annorum. — 37. מֵאוֹת — שְׁנַיִם *Triginta duo millia quingenti.* Cap. 1, 33. censi fuerant 40500. Itaque haec tribus imminuta erat 8000 capitibus, id vero est quinta fere parte.

38—40. Si hoc tres Vss., in quibus Benjamini posteri nominantur, conferamus cum Gen. 46, 21., ubi iidem recensentur, adeo magnam inter utraque loca diversitatem invenimus, ut librariorum culpae non pauca adscribenda videantur. בֶּלַע et legitur in Genesi. Sed qui ibi sequitur, בֶּכֶר, nostro loco omissus est. Conjici tamen potest, Becheri et nonnullorum aliorum Benjamini filiorum, qui h. l. non leguntur, posteros, Mosis tempore nondum ita multiplicatos fuisse, ut inter majores tribuum familias recenseri potuerint; omni igitur jure nostro loco, ubi de majoribus familiis est sermo, omitterentur. אַשְׁבֵּל legitur quoque in Genesi, sed qui ibi sequitur, גֵּרָה, hic non legitur, fortasse ob caussam modo allatam. אֲחִירָם in Gen. 26, 21. vocatur אֲחִי, fortasse contractum ex illo nomine, ut 1 Chr. 8, 1. אֲחַרַח. Sed qui in Genesi legitur, רֹאשׁ, nostro loco omissus est. — 39. שְׁפוּפָם apud Samaritanos שופם, quos sequuntur LXX. Σωφὰν pro Σωφὰμ, quod Graecis μ in fine vocis male sonat. Gen. 46, 21. idem vir dicitur מֻפִּים, at 1 Chr. 7, 12. שֻׁפִּים. Qui hic vocatur חֻפָּם in Genesi dicitur חֻפִּים levi mutatione. — 40. וַיִּהְיוּ בְנֵי־בָלַע אַרְדְּ וְנַעֲמָן *Filii Belae erant Ardus et Naaman.* Id quod plane contradicit Gen. 46, 21., ubi Naaman est quintus, Ardus vero decimus Benjamini filius.

Sed LXX. in Genesi consentiunt cum nostro loco, nisi quod illi Benjamino plures adscribunt nepotes; habent enim: *Ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Βαλὰ, Γηρὰ καὶ Νοεμὰν, καὶ Ἀγχεὶς* (אהי), *καὶ Ῥως, καὶ Μαμφεὶμ, καὶ Οφιμὶρ*, et nunc addunt pronepotem: *Γηρὰ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀρὰδ.* Sed Benjaminum, Jacobi filium natu minimum, jam nepotes adeoque pronepotes habuisse, quum familia Jacobi in Aegyptum migrasset; id veri est dissimillimum. Tamen ex hac diversitate saltem apparet hoc, Benjamini genealogiam in antiquissimis libris jam corruptam esse. Cod. Sam. verba, quae h. l. difficultatem pariunt, ויהיו בני בלע ארד ונעמן, prorsus omittit; sed hoc sapit correctricem Critici alienjus Samaritani manum, et nullius est auctoritatis. Michaelis in *Bibl. Orient. Nov.* P. V. p. 223. conjicit legendum esse וַיִּהְיוּ בִּבְנֵי בֶלַע אַרְד וְנַעֲמָן *in filiis Belae erant Ardus et Naaman*, i. e. hi, quod eorum familiae minores erant refcrebantur ad Belae filios, non effecerunt majores tribus Benjamini familias.

41—43. חֲמִשָּׁה וגו׳ *Quadraginta quinque millia, sexcenti.* Antea fucrant censi 35400. Igitur haec tribus aucta fuit 10200 capitibus. — 42. Pro שׁוּחָם Gen. 46, 23. legitur חֻשִׁים transpositione litterarum. — 43. אַרְבָּעָה וגו׳ *Sexaginta quatuor millia quadringenti.* Haec tribus aucta erat dumtaxat 1700 viris; 1, 39. fuerant 62700.

46. 47. וְשֵׁם בַּת־אָשֵׁר שָׂרַח *Et nomen filiae Ascheri* erat *Serach.* Quare haec speciatim commemoretur, varia comminiscuntur Hebraei. Abarbenel eam, ut Mirjamam, insignem feminam fuisse existimat. Jarchi cum aliis eam tum adhuc in vivis superfuisse censet. Quod vix credibile; ita enim ad minimum 265 annos vixisset. Magis verisimilis quam alii afferunt causa, quod non filia fuerit Ascheris, sed privigna ex priore uxoris marito, cujus haeres illa postea exstiterit, ut filiae Zelophchadis, 27, 7. sqq. — 47. שְׁלֹשָׁה וגו׳ *Quinquaginta tria millia quadringenti.* 1, 41. fuerant 41500. Igitur tribus Ascher aucta fuit 11900 capitibus.

50—54. חֲמִשָּׁה וגו׳ *Quadraginta quinque millia quadringenti.* 1, 43. fuerant 53400; itaque haec tribus aucta fuit 8000 viris. — 51. אֵלֶּה — וּשְׁלֹשִׁים *Censi ergo sunt ex Israelitis sexcenta millia, mille, septingenti, triginta.* Ante annos 39 fuerant 603550, cf. 1, 46., itaque minutus fuerat populus capitibus 1820. Nam praeterquam quod multis morbis contagiosis multi perierunt; alii innumeri casus, qui errantibus per invias solitudines acciderunt, plurimos absumsere. Tamen in tanto populo hoc decrementum sane exiguum, et manifesto indicio est, matrimoniorum fecunditatem et natorum numerum perquam magnum fuisse; quum in secundo censu post tot tantasque strages Israelitarum ex Aegypto egressorum duo tantum viri supercssent ex censu primo. — 53. בְּמִסְפַּר שֵׁמוֹת *Pro numero nominum*, i. e. singulorum capitum.

— 54. לָרַב תַּרְבֶּה נַחֲלָתוֹ *Numeroso majorem dabis possessionem.* לָרַב *Multo*, i. e. familiae aut tribui viris potentiori. Conf. Jos. 17, 14.

55. 56. אַךְ־בְּגוֹרָל יֵחָלֵק אֶת־הָאָרֶץ *Sed sorte tamen dividetur terra.* אֶת hic Nominativo praefigitur, ut alias saepe, cf. ad Ex. 10, 8. Quum numerosioribus tribubus amplior, tenuioribus minor agri modus dandus esset, quaeri possit, quare praeterea sorte agri dividendi fuerint? Alii sortitionem factam esse ajunt propter portiones melioris deteriorisque conditionis commodius distribuendas, ne rixae et concupiscentiae pravae locus esset. Alii existimant, sortem spectasse tantum plagam coeli et viciniam, non extensionem agrorum. Sic Simeonitis contigit sors, qua collocati sunt partim ad austrum partim ad occasum Judae tribus (Jos. 13.). Ceterum scite monet Clericus, hoc sapienter factum esse, ne quis queri posset, Josuam, agris dividendis praefectum, non satis aequum omnibus tribubus egisse. Potuisset etiam fieri, ut qui sibi injuriam factam existimassent, a querelis ad arma devenissent et bellum civile concitassent. At in sortis judicio acquiescebant Hebraei, quod Deum ei praeesse existimabant. Vid. Prov. 16, 33. 18, 18. Sic et aliae gentes antiquae fecisse videntur, cum agros aut vacuos aut vi captos dividebant, ne inter novos colonos rixae orirentur; unde et Graecis κλῆροι dicebantur prisca praedia, olim primis colonis divisa, dein quaevis haereditates. — 56. עַל־פִּי הַגּוֹרָל *Secundum os sortis*, i. e. secundum sortem, pro sorte, quomodo עַל־פִּי et Lev. 27, 8. Deut. 17, 11. capiendum. בֵּין רַב לִמְעָט *Inter numerosum et tenuem*, cf. Vs. 54.

58. 59. אֵלֶּה מִשְׁפְּחוֹת לֵוִי *Hae sunt familiae Levi.* Non recenset hic omnes Levitarum familias (nam singuli Levi filii plures alios, qui hic non nominantur, habuerunt liberos), sed pauculas duntaxat et confuse, quasi diceret: habuerunt hae primariae familiae, Gerson, Cahath et Merari, plures alias familias, in quas ulterius divisae, cujusmodi erant familia *Lobni*, *Hebroni*, rel. Sed singulas hasce minores ad suas majores non refert. Haec ita esse constat; neque enim omnes hae familiae, hic recensitae, fuerunt alicujus unius e tribus filiis Levi; nam Lobni erat filius Gersonis, Hebron filius Caathi, Ex. 6, 17. 18., Mocholi et Musi filii Merari, Ex. 6, 19. et supra 3, 20. 33., rel. — 59. בַּת־לֵוִי *Filia Levi.* Incertum est, an Jochebed *filia*, quae ita dicitur, *Levi* fuerit, an per hanc locutionem tantum indicari debuerit, eam e gente Levitica fuisse; id quod veri similius videtur; nam si prius illud accipiamus, sequeretur, Jochebedam a Levi genitam esse, quum is jam 135 annos natus esset. Aeque incertum est, utrum Amramus Kahathi filius, an tantum unus ex posteris ejus fuerit (cf. ad Ex. 12, 40.). אֲשֶׁר יָלְדָה אֹתָהּ לְלֵוִי בְּמִצְרָיִם *Quam ei in Aegypto peperit*, sc. אִשְׁתּוֹ *uxor ejus.* Aben-Esra notat: *Meminit Jochabedae propter honorem filiorum ejus; non meminit autem*

ejus, quae illam peperit (matris ejus, uxoris Levi), *brevitatis studio*, sicut 1 Chr. 7, 14.: *Aschriel, quem peperit*, scil. mater ejus, uxor Menassis. Similis locus est 1 Reg. 1, 6.: *et pepererat eum post Absolonem*, sc. mater ejus, Chaggitha. LXX. hunc locum sic reddiderunt: ἡ ἔτεκε τούτους τῷ Λευὶ ἐν Αἰγύπτῳ, quasi pro אֹתָם legissent אֹתָהּ. Quae interpretatio falsum quid dicit. Jochabed enim, uxor Amrami, peperit Mosen et Aaronem non τῷ Levi, sed Amramo.

60 — 65. וַיִּוָּלֵד לְאַהֲרֹן וגו׳ Cf. Ex. 6, 23. — 61. וַיָּמָת נָדָב וַאֲבִיהוּא Cf. 3, 4. Lev. 10, 2. — 62. שְׁלֹשָׁה וְעֶשְׂרִים אָלֶף *Viginti tria millia.* Mille ergo viris creverant, coll. 3, 39. — 63. עַל יַרְדֵּן יְרֵחוֹ Vid. ad Vs. 3. — 65. כִּי אָמַר יְהוָה לָהֶם *Dixerat enim Jova de iis;* vid. 14, 28. 29.

Cap. 27.

Filiae Zelophchadi haereditatem vice patris accipiunt, lexque ea perpetua statuitur, ut defuncto patre sine haeredibus masculis filiae relictae patri succedunt. Moses paulo post moriturus Josuam, successorem suum, inaugurat.

1 — 4. וַתִּקְרַבְנָה *Accesserunt autem*, sc. ad Mosen, sive, ad locum judicii, i. e. ad ostium tentorii sacri, Vs. 2. Eadem ellipsis est 36, 1. — בְּנוֹת צְלָפְחָד Vid. 26, 33. Viderunt enim, sine praedio se futuras esse, quod nulla sui in censu habita fuisset ratio. — 3. וְהוּא — עַל־יְהוָה *Et ipse non fuit in coetu illo* rebellium illorum, *qui conspiraverant contra Jovam* (16, 11.). כִּי־בְחֶטְאוֹ מֵת *Nam in peccato suo mortuus est*, i. e. in proprio peccato, quo nulli praeterquam sibi nocuit. Jonathan addit: *nec peccare fecit alios.* — 4. לָמָּה — מִשְׁפַּחְתּוֹ *Quare detrahetur*, tolletur *nomen patris nostri ex familia sua?* Extincta nempe alicujus familia, nomen ejus non amplius scribebatur in genealogicis et censualibus libris. Sic in censu Cap. 26. non exstat Ohadi nomen, qui filius fuit Simeonis, Gen. 46, 10. Ex. 6, 15., quod extincta ejus familia esset. Id vero ab Israelitis pro magno infortunio habebatur. Hoc igitur deprecantur pro suo parente Zelophehadi filiae, sibique praedium ejus, quod filio ejus, si filium habuisset, dandum erat, dari postulant. Ceterum ex h. l. apparet, illis temporibus apud Israelitas filias nullas possessiones haereditarias accepisse. Ditiores tamen subinde exceptionem a more consueto videntur fecisse, ut colligi potest ex Job. 42, 15. 2 Sam. 19, 35 — 41. coll. Neh. 7, 63. Ne autem filiae innuptae patre mortuo omni spe essent destitutae, occasione h. l. memorata ea lex est sancita, ut, si pater filium non haberet, jura possessionis haereditaria in filiam filiasve transferenda sint. Filia tamen ejusmodi viro cuidam e tribu paterna nubere debebat, ne possessio ejus alteri alicui tribui accresceret. Similiter ex jure Attico filiae nullum accipiebant praedium haereditarium, si fratres habuerunt; his autem deficientibus haereditas pertinebat ad

filias, quae tamen etiam uti apud Hebraeos proximo cognato nubere debebant. Vid. Mich. *J. M.* P. II. §. 78.

7. 11. Suffixa masculina in לָהֶם et אֲבִיהֶם ad filias Zelophchadi respiciunt, pro populari et minus correcte loquendi modo, et alias haud raro obvia; cf. ad Ex. 1, 21. In cod. Sam. et in paucis quibusdam Judaicis leguntur Suffixa feminina, quae vix dubium est intempestivo emendandi studio deberi. — 11. וְאִם־אֵין — אֹתָהּ *Si neque patris fratres supersunt, cedat haereditas in reliquos de propinquitate ejus familia.* לִשְׁאֵרוֹ הַקָּרֹב אֵלָיו *Carni ejus quae proxima est ei*, i. e. proxima agnatione ei conjunctis, vid. Lev. 18, 6. Itaque deficientibus liberis utriusque sexus ad fratres haereditas pertinebat; his quoque deficientibus, ad patruos; qui si nulli essent, proxima agnatione conjuncti haereditatem adibant. Maternae consanguinitatis hic nulla habebatur ratio, ne haereditas in aliam tribum, ex qua mater esse poterat, transferretur, cf. c. 36.

12—14. עֲלֵה אֶל־הַר הָעֲבָרִים הַזֶּה *Ascende in hunc montem Abarim.* *Abarim* mons erat, vel montium plurium continuatio, in confinibus Amoraeorum et Moabitarum. Jugum, in quod ascendit Moses, fuit Nebo ejusque vertex Phisga, vid. 33, 47. 48. Deut. 33, 38. 34, 1. — 13. וְרָאִיתָה אֹתָהּ *Cum enim videris eam,* וְנֶאֱסַפְתָּ אֶל־עַמֶּיךָ גַּם־אָתָּה *congregaberis ad tuos et tu*, cf. 20, 24. et not. ad Gen. 15, 15. — 14. מְרִיתֶם פִּי *Rebellastis contra os*, i. e. mandatum *meum*, mihi non morem gessistis. Ante פִּי suppl. אֶת, quod 20, 24. expressum est. לְהַקְדִּשֵׁנִי *Ad sanctificandum me*, i. e. ut me sanctum, adeoque veracem, a vobis haberi, coram toto populo significaretis. Hoc referendum est ad initium Versus, *imperio meo rebelles fuistis sanctificare me*, i. e. qua occasione honorem mihi tribuere debebatis coram toto populo; ubi ostendere debebatis vos meae omnipotentiae fidere. LXX., Vulgatus, Syrus et Saadias sensum expressserunt: *non sanctificastis me.*

16—21. אֱלֹהֵי הָרוּחֹת לְכָל־בָּשָׂר *Deus spirituum*, qui *omni carni* insunt, i. e. qui omnibus dat vitam, cf. 16, 22. — 17. אֲשֶׁר — וְיבִיאֵם *Qui ante eos egrediatur et ingrediatur, qui eos educat et inducat*, i. e. qui eorum sit dux. Cf. Deut. 31, 2. 1 Sam. 18, 16. Metaphora ducta videtur a pastoribus greges ducentibus. — 18. אִישׁ אֲשֶׁר־רוּחַ בּוֹ *Vir in quo spiritus*, vir sapiens atque prudens, multa intelligentia praeditus. וְסָמַכְתָּ אֶת־יָדְךָ עָלָיו *Et impone tibi manus*, ritus inaugurationis ad novum officium; cf. 8, 10. Deut. 34, 9. — 19. וְצִוִּיתָה אֹתוֹ *Et manda ei*, i. e. instrue ipsum, officiaque ejus edoce eum. — 20. וְנָתַתָּה מֵהוֹדְךָ עָלָיו *Et dabis de honore tuo super eum*, honoris, qui tibi jam a populo exhibetur, fac eum participem, dum tu adhuc dux populi eris. Similem loquutionem vide 1 Chr. 29, 25. — 21. וְשָׁאַל לוֹ בְּמִשְׁפַּט הָאוּרִים *Et interroget*, consulat *eum*, sc. Josua Eleazarem, *per judicium τοῦ Urim*, de quo vid. Ex. 28, 30. Verbum שָׁאַל nomini personae, quam quis interrogat, jungitur per ל, ut 2 Reg. 8, 6.

Sed potest et sic verti: *interroget*, sc. sacerdos *pro eo*, Josua, in ejus gratiam (ut 22, 11. 17.), *judicium τοῦ Urim*, eadem constructione, quae 1 Sam. 22, 15.: הַיּוֹם הַחִלֹּתִי לִשְׁאֹל־לוֹ בֵּאלֹהִים *num hodie incepi interrogare pro eo Deum?* עַל־פִּיו *Secundum os suum*, jussa sua. וְיֵצְאוּ וָבֹאוּ *Exibunt et egredientur.* Hac phrasi cum expeditiones tum cetera omnia publica populi negotia significantur, cf. Deut. 28, 6.

Cap. 28.

Praescribuntur quotidiana Sacrificia, diei Sabbathi, Neomeniarum, Paschatis, Pentecostes.

2—8. לַחְמִי *Panis Dei* hic vocantur carnes et victimae in sacrificiis oblatae, cf. Lev. 3, 11. 21, 6. Repetuntur hae leges in Moabiticis campis, quod quum Israelitae pecore devictorum populorum aucti essent et brevi Jordanem trajecturi, possent ab hoc tempore solemnia Sacra facere; quod non potuerant in deserto, rerum necessarium copia destituti. אֶת־קָרְבָּנִי — בְּמוֹעֲדוֹ Oblationes mihi sacras, quae sicut dapes meae igne sacro mihi immolantur, diligenter curate suis quasque temporibus. — 3. עֹלַת תָּמִיד *Holocaustum perpetuum*, i. e. quotidie mane et vespere offerendum, 29, 38. — 4. בַּבֹּקֶר *Mane.* LXX. *τοπρωΐ*, Jonathan addit: *ad expiandum pro peccatis noctis.* בֵּין הָעַרְבָּיִם *Inter duas vesperas*, vid. Ex. 12, 6. LXX. πρὸς ἑσπέραν. Jonathan addit: *ad expiandum pro peccatis diei.* — 5. וְעִשִּׂירִת הָאֵיפָה *Et decima pars Ephae*, vid. Ex. 16, 36. De מִנְחָה vid. Lev. 2, 1., cf. supra 15, 4. — בְּשֶׁמֶן כָּתִית *Cum oleo tuso*, s. *tusione expresso*, vid. Ex. 27, 20. — 6. הָעֲשׂוּיָה בְּהַר סִינַי *Factum in monte Sinai*, sc. primum. — 7. וְנִסְכּוֹ *Et libamen ejus* erit, vid. 15, 5. — בַּקֹּדֶשׁ *In sanctuario*, *περὶ τὸν βωμὸν*, ut ait Joseph. *Ant.* 3, 10. Sed Jonathan: *In vasis Sanctuarii.* הַסֵּךְ *Libato*, *effundito*, Jer. 7, 18. De שֵׁכָר vid. Lev. 10, 9. Onkelos vertit: *vini veteris*, quocum Syrus et Saadias consentiunt. — 8. בֵּין הָעַרְבָּיִם vid. Vs. 4.

9—14. וּבְיוֹם הַשַּׁבָּת *Die vero Sabbathi*, cf. 29, 38. et Matth. 12, 5. — 10. עֹלַת שַׁבַּת בְּשַׁבַּתּוֹ Hoc sit *holocaustum Sabbathi in Sabbatho suo*, i. e. singulis Sabbathis proprium, עַל־עֹלַת הַתָּמִיד *super* i. e. *praeter holocaustum jugis*, quotidianum (Vs. 3.) offerendum. Ita Vs. 14. עֹלַת חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ. — 11. וּבְרָאשֵׁי חָדְשֵׁיכֶם *At initiis mensium vestrorum*, i. e. noviluniis. Neomenias vero celebrarunt sacrificiis et tubarum cantu (10, 10.), et conviviis, 1 Sam. 20, 5. 6., et claudendo tabernas, Amos 8, 15., et sacris coetibus, 2 Reg. 4, 23. — 12. וּשְׁלֹשָׁה עֶשְׂרֹנִים *Tres autem decimae partes* Ephae; vid. 15, 9. — 13. עִשָּׂרוֹן עִשָּׂרוֹן Denique *decima decima* erit, i. e. singulae decimae, ut 13, 2. אִישׁ אֶחָד אִישׁ אֶחָד notat *singulos viros.* — 14. חֲצִי הַהִין *Dimidium Hinis*, vid. 15, 4. In verbis וּרְבִיעִת הַהִין לַכֶּבֶשׂ יָיִן *et quarta pars Hinis*

vini pro agno יַיִן ad calcem est positum, quod ad tria Versus membra ex aequo refertur. זֹאת עֹלַת חׇדֶשׁ בְּחׇדְשׁוֹ *Hoc est holocaustum novilunii in novilunio suo*, cf. ad Vs. 10. חׇדֶשׁ et *mensem* et *neomenium* significat, quod menses a renovatione lunae inciperent. לְחׇדְשֵׁי הַשָּׁנָה *Per menses anni*, i. e. sic fiet per omnia initia mensium anni.

15—23. עַל *praeter*, ut Vs. 10. — 16. De Paschate cf. Ex. 12, 6. sqq. Lev. 23, 5. sqq. — 18. מִקְרָא־קֹדֶשׁ *Convocatio sacra*, ut Vs. 25. 26. Vid. Lev. 23, 7. — כָּל־מְלֶאכֶת עֲבֹדָה *Omne opus laboris*, vel *servitutis*, servile, quod ad Deum non pertinet, sed ad homines. Saadias: *omne opus lucri.* Vid. Lev. 23, 7. — 21. עִשָּׂרוֹן עִשָּׂרוֹן תַּעֲשֶׂה *Decimam decimam facies*, i. e. singulis agnis singulas decimas tribuetis; vid. Vs. 13. — 22. חַטָּאת hic est *oblatio pro peccato*, ut Vs. 15. 29, 5. LXX. περὶ ἁμαρτίας, quod et Hebr. 10, 6. — 23. מִלְּבַד עֹלַת הַבֹּקֶר *Praeter holocaustum matutinum*, quod perpetuum, s. quotidianum erit, vid. Vs. 3.

24. 26. כָּאֵלֶּה *Secundum haec*, i. e. secundum has oblationes diei primi. לֶחֶם אִשֶּׁה *Panem igniti*, i. e. cibum igne absumendae oblationis, vid. Vs. 2. עַל־עֹלַת הַתָּמִיד יֵעָשֶׂה וְנִסְכּוֹ *Praeter holocaustum perpetuum ejusque libamen haec quoque mactabuntur.* עָשָׂה saepe significat, ubi de sacrificiis est sermo, *mactare victimas.* Sic quoque apud veteres Graecos ῥέζειν et θύειν, et apud Latinos *facere* et *mactare* idem erant. — 26. בְּיוֹם הַבִּכּוּרִים *Die Primitiarum*, festo Pentecostes, vid. Lev. 23, 17. 20. חָדָשָׁה *Novum*, i. e. de proventu novo. בְּשָׁבֻעֹתֵיכֶם *In hebdomadibus vestris*, i. e. cum completae erunt septem hebdomades post Pascha; vid. Lev. 23, 15. 16.

Cap. 29.

Sacrificia, quae offerenda mense septimo, et inprimis die primo, Tubarum festo, deinde die decimo, Expiationis festo, die decimo quinto, Scenopegiae festo, et septem insequentibus diebus.

1—7. בַּחׇדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי *Mense septimo*, anni ecclesiastici, de quo Ex. 12, 2., mense vero primo anni civilis. יוֹם תְּרוּעָה יִהְיֶה לָכֶם *Dies clangoris tubae sit vobis*, vid. 10, 5. Lev. 23, 24. — 2. וַעֲשִׂיתֶם עוֹלָה *Offeretis holocaustum.* Hoc sacrificium erat praeter quotidianum et praeter sacrificium Neomeniae, de quibus 28, 11. sqq. Cf. infra Vs. 6. — 3. שְׁלֹשָׁה עֶשְׂרֹנִים vid. 28, 12. — 5. חַטָּאת hic est *sacrificium* pro *peccato*, ut 28, 22. — 6. כְּמִשְׁפָּטָם *Juxta suum jus*, i. e. juxta consuetudines jure pontificio definitas, rite. — 7. וּבֶעָשׂוֹר לַחׇדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי *Decimo die mensis septimi.* Vide Lev. 16, 29. 23, 27. — וְעִנִּיתֶם אֶת־נַפְשֹׁתֵיכֶם *Et adfligetis animas vestras*, jejunio et abstinentia, cf. Lev. 16, 29.

12—17. וּבַחֲמִשָּׁה עָשָׂר יוֹם לַחׇדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי *Die decimo quinto mensis septimi*, sc. anni ecclesiastici, Vs. 1. Vide Lev. 23, 34. 41.

וְחַגֹּתֶם חַג *Et agitabitis festum*, sc. tabernaculorum. Cf. Ex. 12, 14. — 13. פָּרִים בְּנֵי־בָקָר *Juvencos filios armenti*, matribus adhuc adhaerentes, ut Zach. 9, 9. עַיִר בֶּן־אֲתֹנוֹת *pultus filius asinarum* est adhuc affectans matrum gregem, atque nondum insessus. — 14. וּמִנְחָתָם סֹלֶת *Donarium vero eorum farreum*, vid. Lev. 2, 1. — 17. Quum die primo festi tabernaculorum 13 juvenci in sacrificium pro peccato mactandi essent (Vs. 13.), die secundo 12 offerri praecipiuntur, et ita ad septimum usque diem eadem sacra, detracto tamen quotidie uno juvenco facta sunt.

35. 39. De עֲצֶרֶת vid. Lev. 33, 36., et cf. Deut. 16, 8. — 39. אֵלֶּה תַּעֲשׂוּ *Haec* sc. sacra publica *facietis*. בְּמוֹעֲדֵיכֶם *In statis festis vestris*, vid. Lev. 23, 2. — לְבַד מִנִּדְרֵיכֶם *Seorsim a votivis vestris*, i. e. praeter vestras votivas oblationes, quomodo לְבַד et Ex 12, 37. Jos. 17, 5. usurpatur. וְנִדְבֹתֵיכֶם *Et* praeter *spontaneas vestras oblationes*, vid. Lev. 7, 16. LXX. τὰ ἑκούσια ὑμῶν. וּלְשַׁלְמֵיכֶם *Et salutaria vestra sacrificia*, Ex. 20, 21. Lev. 3, 1., quae privatus quisque offert. Sacrificia ordinaria non excludent extraordinaria.

Cap. 30.

Virorum vota a nullo irrita reddi possunt; puellarum et uxorum vota a patre et marito irrita reddi possunt, confirmantur tamen patris et mariti assensu vel expresso vel tacito. Viduarum et repudiatarum vota firma sunt, nec a quopiam irrita reddi possunt.

3—6. אִישׁ כִּי־יִדֹּר נֶדֶר *Vir si voverit votum*, sc. de rebus licitis, et ad quas lege non tenebatur; cf. Lev. 27, 2. Deut. 23, 22. sqq. — אוֹ־הִשָּׁבַע שְׁבֻעָה *Aut juraverit jusjurandum.* Infinitivus pro Verbo finito נִשְׁבַּע, ut saepius, vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 782 לֶאְסֹר אִסָּר עַל־נַפְשׁוֹ *Ad ligandum ligamen super animam suam, i. e. ut jurejurando se obstringat*, ut mox Vs. 4. sqq. Falsi sunt, qui hac phrasi significare putant votum, quo quis se interdicit re aliqua, seu promittit ab aliqua re, veluti vino, se abstinere. Tale votum vocatur אִסַּר לַעֲנוֹת נַפְשׁ (Vs. 14.). לֹא יַחֵל דְּבָרוֹ *Non profanabit verbum suum*, i. e. illud non quasi rem profanam negliget, non irritum faciet, sed praestabit, quod sancte est promissum. Similis loquutio est Ps. 55, 21. de foedifrago חִלֵּל בְּרִיתוֹ *profanavit foedus suum.* כְּכָל־הַיֹּצֵא מִפִּיו יַעֲשֶׂה *Secundum omne quod ore suo exierit*, *faciet.* Vota non censebantur obligare nisi verbis prolata, cf. Deut. 23, 23. — 5. וְאֵסָר *Et vinculum*, obligationem *ejus*, ut Vs. 6. 8. 15. וְהֶחֱרִישׁ לָהּ אָבִיהָ *Et si pater illi tacuerit*, i. e. tacendo consenserit. Silentium pro consensu sumebatur. וְקָמוּ *Tum stabunt*, i. e. rata erunt, pater ex suo ea solvere obligatus erit. — 6. וְאִם־הָנִיא אָבִיהָ אֹתָהּ *Et si averterit*, revocaverit, irritum fecerit, *pater ejus illi*, sc. votum. Feminae enim in perpetuum a parente aut marito pendere debebant.

7. 8. וְאִם־הָיוֹ תִהְיֶה לְאִישׁ *Ac si* nupta jam *fuerit viro*, ut Lev. 22, 12. Ruth. 1, 12. 13. וּנְדָרֶיהָ עָלֶיהָ *Et si vota ejus super ea*, i. e. si votis obstricta sit. Quae debemus, ea Hebraice *super nos esse* (עָלֵינוּ) dicuntur. Cf. 1 Reg. 4, 7. et ad Ps. 56, 13. מְבָטָא שְׂפָתֶיהָ *Temere prolatum labiorum suorum*, vid. ad Lev. 5, 4. — 8. בְּיוֹם שָׁמְעוֹ *In die τοῦ audire ejus.* Saadias bene: *quocunque demum die audierit illud.*

10—16. יָקוּם עָלֶיהָ *Stabit*, ratum erit *super ea*, i. e. ut illud praestare debeat, cf. ad Vs. 7. — 11. וְאִם־בֵּית אִישָׁהּ נָדָרָה *Si vero* in *domo mariti sui voverit.* בֵּית pro בְּבֵית, ut saepe. Quod quum non animadverteret Lutherus, בֵּית אִישׁ de *familia* intellexit, vertitque: *Wenn jemands Gesinde gelobet.* — 12. יָקוּם *Ratum erit* votum ejus. Quamvis paullo post vidua facta sit aut repudiata. Versus enim 10—13. intelligendi sunt de tempore viduitatis aut repudii post votum conceptum. — 13. כָּל־נֶדֶר וְכָל־אִסַּר נְפָשָׁהּ *Quod votum aut vinculum ejus*, vid. Vs. 3. sqq. — 14. לְעַנּוֹת נָפֶשׁ Quo se adstrinxerit *ad affligendam animam* suam, jejunio, aut abstinentia a loco. Cf. Lev. 16, 29. — 16. אַחֲרֵי שָׁמְעוֹ *Aliquamdiu postquam audiverit.* Si illico quo audiverit votum uxoris suae id taecendo comprobaverit, postea autem illud rursus irritum pronuntiaverit. וְנָשָׂא אֶת־עֲוֹנָהּ *Tunc feret delictum ejus* (uxoris), i. e. voti ab uxore non soluti poenas dabit, quasi ipse vovisset, nec tamen votum solvere voluisset.

Cap. 31.

Jovae jussu de Midianitis vindicta repetitur. Masculi omnes caeduntur, et mulieres non virgines, virginesque reservantur. Lustratur et expiatur exercitus a proelio reversus, cunctaque supellex e praeda a Midianitis reportata. Spolia inter eos, qui pugnarunt, et reliquam multitudinem ex aequo dividuntur; horum primitiae Sacerdotibus et Levitis exhibentur, donaria ab exercitus ducibus Jovae offeruntur.

2. 3. נְקֹם נִקְמַת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Ulciscere ultionem filiorum Israelis*, i. e. ulciscere Israelitas; cf. Lev. 26, 25. מֵאֵת הַמִּדְיָנִים *De Midianitis*, ob duplicem injuriam; primum, quod eum Moabitis conati essent, Israelitas per Bileamum diris devovere (22, 6. 7.); deinde, quod a Jovae cultu eos per meretrices avocassent, 25, 16. sqq. Rationem, cur de solis Midianitis, nec etiam de Moabitis Israelitae vindictam sumere jubeantur, Jarchi reddit hanc, quod Moabitae bellum contra Israelitas metu suscepissent, et hi ab illis spolia abduxissent, Midianitae vero haud lacessiti sese hostiliter adversus Israelitas gessissent. אַחַר תֵּאָסֵף אֶל־עַמֶּיךָ *Deinde congregaberis ad populum tuum*, i. e. morieris, 27, 13. — 3. Verba הֵחָלְצוּ מֵאִתְּכֶם אֲנָשִׁים לַצָּבָא nonnulli vertunt: *eligentur ex vobis viri ad exercitum*, quasi חָלַץ, coll. Arab. خَلَصَ, proprie sit *extrahere*. *Extrahere* autem *exercitum* esse *deligere ad exercitum*; cf. 32, 17. 21. 27. 29. 30. 31. Verum melius et hisce locis, et ei,

in quo versamur, loco quadrabit, si a חֲלָצִים *lumbi*, חָגַר interpretamur *lumbos accingere*, se. ad bellum, *se armare*. Cf. ad Ex. 13, 18. LXX. ἐξοπλίσατε, Vulgatus: *armate*. Consentiunt Syrus et Onkelos. וְיִהְיוּ עַל־מִדְיָן *Qui sint contra Midianitas*, i. e. pugnent contra Midianitas. עַל *contra*, ut Gen. 14, 15. 34, 30. Ex. 14, 3. 15, 24. et saepe alias. לָתֵת נִקְמַת־יְהוָה בְּמִדְיָן *Ut dent ultionem Jovae in Midianitas*, i. e. *vel*, ut Jovam a Midianitis laesum, ulciscerentur, *vel*, ut vindictam sumerent a Midianitis, ut Jova eam sumi vellet. Cf. Ez. 25, 14. 17. Quoniam Vs. 2. dicitur: *ulciscere Israelitas*, hic vero dicitur: *ad exercendam ultionem Jovae*, hinc Jarchi ad h. l. notat: nam qui contra Israelitas stat, perinde habetur, ac si contra ipsum staret Deum.

4—6. אֶלֶף לַמַּטֶּה אֶלֶף לַמַּטֶּה *Mille in tribum mille in tribum*, i. e. millenos de singulis tribubus, cf. 13, 2. לְכֹל מַטּוֹת *Ex omnibus tribubus*, exceptis Levitis, cf. Vs. 30. et 1, 47. — 5. וַיִּמָּסְרוּ LXX. reddiderunt ἐξηρίθμησαν. Sed Onkelos, Syrus et Saadias: *delecti* s. *segregati sunt*, quae interpretatio et rei, de qua hic agitur, convenit, et confirmatur Arab. מסר, quod proprie est *extrahere*, unde מֻסָּר, si de exercitu est sermo, erit: *ad militiam eligere*. Recentiores Hebraei fere capiunt significatione *tradendi*, quam Verbum apud Chaldaeos obtinet. Ita et Arabs Erpenii: *et traditi sunt*. מֵאַלְפֵי יִשְׂרָאֵל *Et millibus Israelis*, cf. 1, 16. Deut. 33, 17. et not. ad Mich. 5, 1. שְׁנֵים עָשָׂר אֶלֶף חֲלוּצֵי צָבָא *Duodecim mille expediti ad militiam*. Sane non magnus exercitus! Enimvero non debellandus erat totus Midianiticus populus, sed supplicium tantum sumi debebat a quinque tribubus Midianiticis, quae Israelitarum castris vicinae erant, et festum Baal-Peori sacrum celebrantes, Israelitas contra Mosem sollicitare studuerunt, cf. 25, 6. 16. Istas vero tribus non fuisse magnas, colligi potest ex numero captivorum infra Vs. 40. — 6. וְאֶת־פִּינְחָס בֶּן־אֶלְעָזָר הַכֹּהֵן *Et Pinehasum, filium Eleazaris, sacerdotem*, non ut esset dux exercitus, sed ut Levitis, qui exercitum comitabantur, res sacras et tubas deferentes praeesset. Is vero ad eam rem procul dubio quoque eligebatur, ut exercitum ad acriter pugnandum contra tales hostes exciteret, quum zelum suum hac in re jam ostendisset, 25, 7. sqq. וּכְלֵי הַקֹּדֶשׁ *Et vasa sacra*, res sacras; non diei potest quasnam? Quidam intelligi putant Urim et Thummim, ut consuleretur Deus per id de rebus in bello gerendis. Alii indicari existimat *arcam legum*, coll. 14, 35. 1 Sam. 4, 5. Clerico כְּלֵי הַקֹּדֶשׁ est i. q. sequens הַחֲצֹצְרוֹת, vertit enim, *instrumenta sacra*, *id est*, *tubas*, quod ו saepe significet *id est*, veluti Gen. 13, 15. Zach. 9, 9. Equidem intelligere mallem tum arcam legum tum Urim et Thummim.

7—10. וַיַּהַרְגוּ כָּל־זָכָר *Atque omnes mares interfecerunt*, ex jure belli omnium populorum antiquorum, cf. Deut. 20, 13. et Mich. *J. M.* P. 1. §. 64. — 8. מַלְכֵי מִדְיָן *Reges Midianis*. Qui hic

dicuntur מְלָכִים, iidem Jos. 13, 21. נְסִיכֵי סִיחוֹן *principes Sihonis*. Videntur post Sihonis mortem pro regibus se gessisse, quemadmodum, mortuo Alexandro, Satrapae diadema et regium nomen sumserunt. עַל־חַלְלֵיהֶם *Super occisis eorum*, sc. subditis suis. Significatur, prius aliorum magnam stragem editam fuisse, tum et reges ipsos necatos super interfectos corruisse. וְאֶת־צוּר Cf. 25, 15. 18. וְאֶת בִּלְעָם בֶּן־בְּעוֹר הָרְגוּ בֶּחָרֶב *Et Bileamum, Beoris filium, gladio occiderunt.* Hinc liquet eum interfuisse proelio. Sunt qui opinentur, cum domum redire vellet, occisum esse in itinere. Sed huic sententiae obstat, quod 24, 25. diserte dicitur, eum in patriam rediisse. Credibilius igitur est, cum, quum jam in patriam rediisset, rursus accersitum esse a Midianitis, ut Israelitis male precaretur. — 9. חֵילָם *Opes eorum.* חַיִל, proprie *robur*, vires corporis, haud raro designat *opes*, *facultates*, ut Ruth. 2, 1. — 10. בְּמוֹשְׁבֹתָם *Per habitationes eorum*, i. e. quae erant in locis, ubi habitare solebant. טִירֹתָם *Castella eorum.* טִירָה, proprie *caulae ovium* (vid. Gen. 25, 16. Ps. 69, 26.), hic, ubi proximo antea de *urbium* incendiis sermo erat, videtur notare *vicos*, *castella*, ut Cant. 13, 9.

12—15. עַל־יַרְדֵּן יְרֵחוֹ *Ad Jordanem Jerichuntis*, i. e. qua parte Jordanes non procul abest a Jerichunte. — 14. פְּקוּדֵי חֲבָאִים מִצְבָא הַמִּלְחָמָה *Praefecti roboris*, duces exercitus. הֶחָיִל *Qui veniebant ex militia belli*, i. e. qui de exercitu militari redibant; ut Jes. 13, 4. 1 Chr. 7, 4. — 15. הַחִיִּיתֶם *An vivas servastis?* Cf. Vs. 18. Ex. 1, 17. Deut. 20, 16.

16—20. הֵן הֵנָּה הָיוּ לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *En! istae fuerunt filiis Israelis*, causa peccandi. בִּדְבַר בִּלְעָם *Pro verbo Bileami*, i. e. prout dixerat Bileamus; auctore Bileamo. Verba לִמְסָר־מַעַל connectanda sunt cum initio hujus Vs. הֵן הֵנָּה הָיוּ לִבְנֵי בִיהוּדָה יִשְׂרָאֵל, hoc sensu: *illae* Midianitides *Israelitis fuerunt* auctrices, *ut auderent praevaricationem in Jovam.* מָסַר explicandum adhibito Syr. מסר, *opus aggressus est, ausus est.* עַל־דְּבַר־פְּעוֹר *Super verbo*, i. e. in negotio *Peoris*, vid. 17, 14. 25, 18., in festo Peori sacro. וַתְּהִי הַמַּגֵּפָה בַּעֲדַת יְהוָה Cf. 25, 1. sqq. 27, 17. — 17. הָרְגוּ כָל־זָכָר בַּטָּף *Occidite omnes masculos inter impuberes.* Dicit Moses *inter* impuberes, quia in captivis etiam erant puellae impuberes. Interfecti autem videntur impuberes masculi, quia ingens copia servorum, qui scirent, se natos esse liberos, et ideo servire, quod patres sui olim ab heris ad internecionem essent deleti, reipublicae summopere timenda fuisset. — 18. הַחֲיוּ לָכֶם *Vivificate vobis*, i. e. servate, vivere permittite. — 19. חֲנוּ מִחוּץ לַמַּחֲנֶה שִׁבְעַת יָמִים *Residete*, manete, *extra castra septem dies*, cf. 19, 11. 16. Lev. 15, 13. כֹּל הֹרֵג נָפֶשׁ *Quicunque occidit hominem*, cf. 6, 16. 15, 27. תִּתְחַטָּאוּ *Expiate vos*, ex lege 19, 12. 19. data. Cf. etiam ad Vs. 24. — 20. כְּלִי־עוֹר *Vasa pellicea*, pellibus obducta (Lev. 13, 49.), qualia etiamnum in usu sunt

apud Arabes Nomadicos; vide ARVIEUX *d. Sitten d. Beduinen-Araber*, p. 178. vers. nostrae. כָּל־מַעֲשֵׂה עִזִּים *Omne opus caprarum*, omnia quae ex pilis caprarum confecta sunt.

21 — 24. הַבָּאִים לַמִּלְחָמָה *Venientibus ad bellum*, i. e. qui ad bellum gerendum iverant, הָלַךְ et בּוֹא haud raro miscentur. — 23. כָּל־דָּבָר אֲשֶׁר־יָבֹא בָאֵשׁ *Omnis*, inquam, *res quae venit in ignem*, i. e. ignem sustinet, per ignem solet mitti. בְּמֵי נִדָּה *Aquis immunditiei*, i. e. aqua lustrali, vid. 19, 9. et Lev. 12, 2. — 24. וְכִבַּסְתֶּם — וְטֻהַרְתֶּם *Lavate vestes vestras die septimo et purgate vos.* Hujusmodi ablutionem et per aquam fluentem expiationem post reditum ex bello apud barbaras quoque gentes invenimus. Sic *Aeneid.* 2, 718. *Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates. Me, bello e tanto egressum et caede recenti Adtrectare nefas; donec me flumine vivo Abluero.*

26 — 30. שָׂא אֶת רֹאשׁ *Summam subduc*, ut Vs. 49. 1, 2. 5, 7. מַלְקוֹחַ הַשְּׁבִי *Praedae captivitatis*, i. e captorum. רָאשֵׁי אֲבוֹת הָעֵדָה *Capita patrum concionis*, s. *coetus.* Intelliguntur principes tribuum, quorum quisque vocari solebat רֹאשׁ בֵּית אָבוֹת, 1, 4. — 27. תִּפְשֵׂי הַמִּלְחָמָה *Tractantes bellum*, qui bello hoece decertarunt. His conferendam esse dimidiam praedae partem Moses constituit. Igitur pugnantes, quorum tantum 12000 erant, longe plus acceperunt quam singulis e populo obtigit; idque hoe merito, quum illi pugnae aleam sustinuissent. — 28. מֶכֶס vulgo interpretantur *partem, portionem*, a כָּסַס *numerare*. Sed mallem vertere *tributum*, coll. Arab. مكس *tributum, decimas aut vectigal collegit*. Sic LXX. τέλος. — 29. תְּרוּמַת יְהוָה *Partem oblatam Jovae*, quae in usum sacerdotibus cedebat, cf. Vs. 41. et 18, 19. — 30. מַחֲצַת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל *Dimidia Israelitarum*, i. e. dimidia praedae pars, quae iis ex Israelitis, qui in castris remanserunt, cessit. אָחֹז *Apprehensum.* Transeuntibus pecudibus aut puellis coram Mose quingentesima aut quinquagesima adprehendebatur. Sic et Vs. 47. De שֹׁמְרֵי מִשְׁמֶרֶת מִשְׁכַּן יְהוָה vid. 1, 53.

32 — 35. יֶתֶר הַבַּז *Residuum praedae*, quod pars ejus ad alimentum exercitus consumta erat in itinere. — 33. וּבָקָר שְׁנַיִם וְשִׁבְעִים אָלֶף *Boum septuaginta duo millia*, et ovium 675000 (Vs. 32.). Videntur igitur hae tribus Midianiticae maxime in re oviaria et in agricultura operam suam impendisse. Equorum mentio non injicitur, quia tum eorum usus in Arabia nondum fuit. — 35. נֶפֶשׁ אָדָם מִן־הַנָּשִׁים *Animae hominum ex mulieribus*, i. e. homines sexus muliebris.

41. 42. כַּאֲשֶׁר צִוָּה יְהוָה אֶת־מֹשֶׁה Vid. Vs. 29. Cf. 18, 29. — 42. וּמִמַּחֲצִית — הַצֹּבְאִים *De dimidia praedae parte, quam Israelitae a militibus acceperunt.* Alterum orationis membrum est Vs. 47. Quatuor Versus intermedii parenthesi sunt includendi.

47 — 50. וַיִּקַּח מֹשֶׁה מִמַּחֲצַת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *De illa*, inquam, *praedae parte, quae Israelitis cessit, sumsit Moses etc.* אֶת־הָאָחֹז

vid. ad Vs. 30. — 48. Hoc Vs. Clericus tria ducum genera recenseri existimat: 1) הַפְּקֻדִים אֲשֶׁר לָאַלְפֵי הַצָּבָא, qui pluribus Chiliadibus praecssent, ut imperator apud Romanos, et illius legati; 2) שָׂרֵי הָאֲלָפִים, Chiliarchos; 3) שָׂרֵי הַמֵּאוֹת, Centuriones. Sed הַפְּקֻדִים אֲשֶׁר לָאַלְפֵי *praefecti millibus*, qui supra Vs. 14. פְּקוּדֵי הֶחָיִל *praefecti exercitui* vocantur, comprehendunt *chiliarchos* et *centuriones*, unde infra Vs. 52. *chiliarchorum* tantum et *centurionum* fit mentio. Recte Luthcrus *chiliarchis* praemisit *nämlich.* — 49. נָשְׂאוּ אֶת־רֹאשׁ Vid. Vs. 26. אֲשֶׁר בְּיָדֵנוּ *Qui sub manu*, i. e. sub potestate *nostra* sunt, quibus praefecti sumus; cf. 4, 28. 33. וְלֹא נִפְקַד מִמֶּנּוּ אִישׁ *Et ne unus quidem ex nostris desideratur.* Id multis non facile creditu visum est. Sed similia exempla occurrunt in historia extera. Sic apud Tacitum *Annall.* 13, 39. Corbulo, Romanus, castellum quoddam Parthicum ccpisse narratur *nullo milite amisso*, trucidatis vero omnibus, qui illud defenderent. Et apud Strabonem Lib. 16. deseribitur praelium, in quo mille Arabes et duo dumtaxat Romani occisi sunt. Accedebat fortasse, quod Midianitae non bellicosi erant et ex insidiis oppressi. — 50. אֶצְעָדָה *Armilla*, coll. 2 Sam. 1, 10. Recte LXX. *χλιδῶνα.* Suidas: *χλιδόναι κοσμοὶ περὶ τοὺς βραχιόνας, καλοῦνται δὲ βραχιόλια.* צָמִיד *Armilla* virginis (Gen. 24, 22.). טַבַּעַת LXX. ubique vertunt *δακτύλιον.* Fuit manus ornamentum, coll. Gen. 41, 42. Esth. 3, 10. עָגִיל *Inauris* rotundus, vid. Ez. 16, 12. De כִּפֻּר עַל־נַפְשֹׁתֵינוּ לִפְנֵי יְהוָה vid. Ex. 35, 22. *Ut expientur animae nostrae coram Deo*, ut hac oblatione propitium nobis reddamus Deum. Feminis pepercerant, quas occidi oportuit.

52—54. שְׁקָל — שִׁשָּׁה 16750 sicli aurei ex ratione vulgari circiter 68000, ex Michaelis vero computatione circiter 24550 ducatos efficiunt. — 53. אַנְשֵׁי הַצָּבָא בָּזְזוּ אִישׁ לוֹ *Viri exercitus vero*, i. c. milites, scil. gregarii (opponuntur enim praefectis, de quibus antea sermo crat) *praedati sunt quisque sibi.* Sensus est, milites gregarios praedam non tradidisse praefectis, sed sibi eam retinuisse. Alii connectunt hoc cum iis, quae praccedunt, hoc sensu: *quos*, sc. siclos (Vs. 52.) *milites quisque sibi praedati erant.* — 54. זִכָּרוֹן לִבְנֵי־יִשְׂרָאֵל לִפְנֵי יְהוָה Ut esset *monimentum*, i. e. in memoriam bonam Israelitis coram Jova.

Cap. 32.

Rubenitis et Gaditis et dimidiae tribui Manasse possessio assignatur in trans-Jordanica regione, ea tamen conditione, ut celeros Israelitas armis juvent in reliqua terrae Cananaeae possessione adeunda, ceterisque Cananaeis hostibus debellandis.

1—4. מִקְנֶה רַב *Multum pecus*, praecipue *oves*, ut apparet ex iis, quae sequuntur, ubi saepe mentio fit *caularum ovium.* Ceterum cf. 31, 31. Deut. 3, 19. Ex. 12, 38. De אֶרֶץ יַעְזֵר vid. 21, 32. אֶרֶץ גִּלְעָד Haec regio, nomen nacta a monte Gilead

(Gen. 31, 21. 47.), libera pascua usque ad Euphratem complexa est, exceptis angustis et fertilibus vallibus, quae alicubi non ultra vicesimam milliarii germanici partem patentes, Euphratem a deserto dirimunt, aratro parentes. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* II. I. p. 84. 128. 262. מִקְנֶה מָקוֹם *Locus pecoris*, i. e. regio pascendis pecoribus aptissima. — 3. Quae nunc recensentur urbes erant regnorum Ogis et Sihonis, Vs. 33. Quae hic nominatur urbs *Atharoth*, distinguenda est ab alia urbe ejusdem nominis in tribu Ephraim ad occasum Jordanis, de qua Jos. 16, 2. 5. 7. De דִּיבֹן vid. 21, 30. Jos. 13, 17. נִמְרָה plenius בֵּית נִמְרָה, *locum aquae limpidae et copiosae* significat, coll. Arab. نَمِرٌ *aqua limpida et salubris*. Cf. Vs. 36. Fortasse eadem urbs, quae Jes. 15, 6. vocatur נִמְרִים, et cujus ager a Propheta laudatur tanquam pascuis abundans. Hieronymus duo haec loca distinguit, et Nemram ait fuisse suis temporibus *vicum grandem*. De חֶשְׁבּוֹן vid. 21, 26. אֶלְעָלֵה Hieronymus de ea: *Eleale, civitas Amorrhaeorum in Galaad, quae cecidit in sortem tribus Ruben. Meminit hujus et Jesajas in visione contra Moab* [15, 14.] *et Jeremias* [48, 34.]: *sed et usque hodie villa grandis ostenditur, in primo ab Esbus milliario.* Extat adhuc villa, quae vetus nomen *Eleale* retinuit. Vid. *Alterthumsk.* II. I. p. 265. שִׂבְמָה infra Vs. 38. vocatur שִׂבְמָה. Ejus ager vinetis erat celebris, ut liquet ex Jes. 16, 8. 9. De נְבוֹ Hieronymus: *Nabo, civitas filiorum Ruben in regione Galaad, cujus meminit Esajas in visione contra Moab — sed et usque hodie ostenditur locus desertus Naba, distans a civitate Esbus milliaribus octo contra meridianam plagam.* Nomen habuit haec urbs ab idolo, *Nebone* (cf. ad Jes. 46, 1.), quod ibi colebatur. בְּעוֹן Hoc oppidum mutato nomine dictum est בַּעַל מְעוֹן, ut est Vs. 38. Sed Jos. 13, 17. vocatur בֵּית בַּעַל מְעוֹן, Jer. 23. בֵּית יְשִׁמוֹת: Rudera hujus urbis *(Maein)* supersunt. *Alterthumsk.* II. I. p. 267. — 4. אֲשֶׁר הִכָּה יְהוָה *Quam percussit Jova*, i. e. cujus incolas Dei auxilio vicimus et ad internecionem delevimus.

7 — 15. וְלָמָּה תְנִיאוּן אֶת־לֵב בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Quare Israelitas absterretis?* הֵנִיא 30, 6., ubi sermo est de voventibus, significat, *revocare, irritum facere.* Hic, conjunctum voci לֵב, videtur sonare *animum frangere*, hoc est, animum ab agendo quod constituerat, revocare, adeoque consilium irritum facere. Kethib est h. l. תְּנוּאוּן in Cal. — 8. Quae hic respicit Moses vid. 13, 3. — 9. לְבִלְתִּי־בֹא *Ut nollent ingredi.* — 11. אִם־יִרְאוּ *Non videbunt.* Vid. 14, 23. sqq. כִּי לֹא־מִלְאוּ אַחֲרָי *Quia non compleverunt post me*, sc. לָלֶכֶת *ire*, cf. ad 14, 24. — 12. הַקְנִזִּי *Kenizaeus*, ex posteris Kenazi de tribu Judae, Jos. 15, 17. Jud. 1, 13. 1 Chr. 4, 13. — 13. יְנִעֵם *Vagari fecit*, circumegit *eos.* עַד־תֻּם *Donec absumta est*, cf. 17, 28. — 14. תַּרְבּוּת אֲנָשִׁים חַטָּאִים *Educatio*, i. e. progenies, *hominum improborum*, uti et nos, *eine Zucht gottloser Leute.* Verba לְסֹבַּת עוֹד וגו׳ LXX.

reddunt: προσθεῖναι ἔτι ἐπὶ τὸν θυμὸν τῆς ὀργῆς Κυρίου ἐπὶ Ἰσραήλ, tribuerunt verbo סָפָה significatum verbi יָסַף *addidit*, ut interpretes reliqui omnes. Sed GUSSETIUS in *Commentarr. L. H.* rad. סָפָה lit. B. huic radici *addendi* significationem prorsus abjudicat, eamque nonnisi *consumere*, *auferre* denotare ait, ut Deut. 29, 18. Jes. 13, 15. 30, 1. Unde hunc locum sic interpretatur: *ad pereundum* s. *ut pereatis adhuc propter iram Jovae in Israelem.* — 15. כִּי תְשׁוּבֻן מֵאַחֲרָיו *Si avertetis vos a post eum*, ab obsequio ejus, si Jovae recusetis obsequium. וְיָסַף עוֹד לְהַנִּיחוֹ *Et addet adhuc quiescere facere eum in deserto*, ulterius populum in deserto detinebit.

16. 17. וַיִּגְּשׁוּ אֵלָיו *Et accesserunt ad eum*, altera vice, aliquod tempus post. גְּדֵרֹת צֹאן *muri ovium*, LXX. ἐπαύλεις προβάτων. Videtur indicari locus in deserto muro circumdatus, intra quem Nomades gregem noctu cogunt, ut securus sit a lupis aliisque feris, i. q. Graeci vocant μάνδρα, qua voce et LXX. Zeph. 2, 6. utuntur. Apud Arabes quoque גְּדֵרָה *mandra* seu *sepimentum pecorum ex saxis factum* significat. וְעָרִים לְטַפֵּנוּ *Et urbes parvulis nostris*, se. נִבְנֶה, *aedificabimus*. Observa, בָּנָה h. l. et in toto hoc Cap., ubi de urbibus est sermo, non solum designare *aedificare*, sed, ut Syr. בנא et *instaurare*, *munimentis cingere*. Manifeste haec significatio confirmatur ex Vss. 34. 35. Jos. 6, 26. 1 Reg. 16, 34. — 17. נֶחְלָץ *Expediti erimus*, vid. ad 31, 3. — חֻשִׁים *properantes*, alacres, promti. וְיָשַׁב — הָאָרֶץ *Et sedeant parvuli nostri in urbibus munitis propter incolas hujus terrae*, interea maneant parvuli nostri in oppidis munitis, ut tuti sint ab hujus terrae incolis.

22 — 25. וְנִכְבְּשָׁה הָאָרֶץ לִפְנֵי יְהוָה *Cumque subacta fuerit terra coram Jova*, i. e. eo auxiliante. וְהִיִּיתֶם נְקִיִּם מֵיְהוָה וּמִיִּשְׂרָאֵל *Et eritis insontes coram Jova et Israelitis*, i. e. vos promissis vestris apud Jovam et Israelitas soluti eritis. — 23. וּדְעוּ חַטַּאתְכֶם אֲשֶׁר תִּמְצָא אֶתְכֶם *Et scitote peccatum vestrum, quod vos apprehendet*, h. e. poenas ei peccato debitas non effugietis. Alii יָדַע h. l. vertunt: *experientia cognoscere*, *experiri*, et, ubi de poena est sermo, *luere poenas*, ut Hos. 9, 7. Job. 21, 9. 35, 15. — 25. וַיֹּאמֶר בְּנֵי־גָד וּבְנֵי רְאוּבֵן *Et dixit filii Gadi et filii Rubenis*, i. e. qui unus omnium Gaditarum et Rubenitarum nomine loquebatur. Sed quum Vs. 2. 5. 16. de filiis Gadi et Rubenis legatur וַיֹּאמְרוּ, in Plurali, et eundem et hic exhibeant haud pauci codices; nonnulli in textum recipiendum volunt. Verum usu invaluit apud sacros scriptores, ut sicubi eis de pluribus ita sermo est, ut vel unanimis plurimum sententia describatur, vel aliquid dictum aut factum esse nomine omnium intelligi debeat, praedicatum adhibeant numero singulari. Sic Jud. 8, 6. וַיֹּאמֶר שָׂרֵי סֻכּוֹת, non quidem: *dixerunt quilibet principum Succoth*; sed unus ex his principibus dixit, nomine omnium, vel, haec fuit communis om-

nium sententia. Vid. et I Sam. 16, 4. 19, 22. Cf. GESEN. *Lehrg.* p. 713.

28—36. לָהֶם *Iis*, hoc est, de iis, ad eos pertinentia. — 30. וְנֶאֱחֲזוּ *Possessionem vel haereditatem sortientur* (cf. Vs. 29. Gen. 31, 10. Jos. 22, 19.), et quidem integrae illae tribus eandem cum reliquis sortem subibunt, sine privilegio speciali. — 32. וַאֲחֻזָּתֵנוּ אֲחֻזַּת נַחֲלָתֵנוּ *Et* hic *apud nos* erit s. manebit *possessio haereditatis nostrae.* מֵעֵבֶר לַיַּרְדֵּן *Cis Jordanem*, Vs. 19. 34, 15. — 33. וַלַחֲצִי שֵׁבֶט מְנַשֶּׁה *Et dimidiae tribui Manassi* concessit Moses partem regionis trans-Jordanicae, possidendam, etsi ab illa non rogatus, vid. Vs. 2. 25. 29., ubi Rubenitarum tantum et Gaditarum fit mentio. Vid. quae de hac re diximus in *d. Alterthumsk.* II. I. p. 262. — 34. עָרֹעֵר Urbs ad Arnonem sita, Deut. 2, 36. — 35. עַטְרֹת שׁוֹפָן videtur haud diversa esse ab ea urbe, quae Jos. 13, 27. עַטְרוֹת צָפוֹן vocatur. — 36. בֵּית הָרָן Urbs in valle sita, Jos. 13, 27. De גְּדֵרֹת צֹאן vid. ad Vs. 16.

37—39. קִרְיָתַיִם Jos. 13, 19. Olim gigantum sedes, Gen. 14, 5., a Moabitis recepta, Jer. 48, 1. 23. Hieronymus: *Civitas, quam exstruxerunt filii Ruben. Nunc autem est vicus Christianis omnibus florens juxta Medebam, urbem Arabiae, et appellatur Coriajatha in decimo milliario supra dictae urbis, contra occidentalem plagam, vicinus ejus loci, qui adpellatur Bara.* Distabat a Palmyra duorum dierum iter. Vid. *Alterthumsk.* II. I. p. 269. — 38. De בַּעַל מְעוֹן vid. Vs. 3. מוּסַבֹּת שֵׁם *Versas nomine*, i. e. mutatis nominibus. Mutarunt Rubenitae illarum urbium nomina, quod *Baal* et *Nebo* essent nomina idolorum. Nomina tamen ab Israelitis indita illis urbibus numquam in consuetudinem videntur venisse; nam apud seriores V. T. scriptores semper legimus urbes istas nominibus pristinis appellatas; vid. Ez. 25, 9. Jes. 15, 2. Jer. 48, 1. 22. De שִׂבְמָה vid. ad Vs. 3. — וַיִּקְרְאוּ בְשֵׁמוֹת אֶת־שְׁמוֹת הֶעָרִים אֲשֶׁר בָּנוּ *Et vocaverunt nominibus nomina urbium, quas aedificarunt.* Indiderunt urbibus, quas aedificarunt, sua ipsorum nomina; exemplum habemus Vs. 42. — 39. מָכִיר בֶּן־מְנַשֶּׁה Gen. 50, 23.

41. 42. וְיָאִיר בֶּן־מְנַשֶּׁה *Et Jair Manassis filius*, i. e. abnepos, ex filia, quae nupsit Chezroni, de tribu Juda, et peperit Segubum, patrem Jairi, vid. I Chr. 2, 21. 22. Contra morem igitur in tribu materna mansit, quod tamen non prorsus caret exemplo; vid. Esr. 2, 61. — וַיִּלְכֹּד חַוֹּתֵיהֶם *Et cepit villas eorum.* חַוָּה est referendum ad Arab. حوي *collegit*, *congregavit*, in Conj. 5. *rotundus fuit*; inde حوا *tabernaculum ex lana et pilis caprinis*, quale Arabum campestrium esse solet, et אֲחוִיָּה *complures domus tales inter se propinquae*, id vero est Nomadum Arabum vicus, a rotunditate dictus; in orbem enim poni tuguria solent. Hinc חַוּוֹת proprie erunt *pagi Nomadum ambulatorii ex tentoriis in orbem positis*, Tatarico nomine, sed in nostras linguas recepto,

Horde dicercs. Sed חַוֹּת יָאִיר villas stabiles fixasque fuisse, patet inde, quod in eodem tractu positae memorantur et Deut. 3, 14. Jos. 13, 30. Jud. 10, 4. 1 Reg. 4, 13. — 42. וְאֶת־בְּנֹתֶיהָ *Filiasque ejus*, vid. ad 21, 25. Dicuntur *sexaginta urbes*, 1 Chr. 2, 23. Quum Jud. 10, 4. legamus, fuisse Jairo, Gileadensi, qui post Tholam reipublicae Hebraeorum praefuit 30 filios, qui 30 oppida possiderent, ab iis חַוֹּת יָאִיר appellata; VATERO magis verisimile videtur, villas istas a Jairo Judice nomen nactas esse; hoc vero Numerorum loco denominationis illius originem a seriore quodam interpolatore ad Mosis aetatem esse relatam. Sed nihil obstat, quo minus Jairus ille junior Jud. 10, 4. memoratus, qui quum Gileadensis vocetur, procul dubio e posteris prioris fuit, qui Mosis tempore Gileaditidem occupavit, villas a Jairo seniore captas, et deinde amissas iterum recuperarit, et nonnullis eis adjecerit, ut adeo nomen חַוֹּת יָאִיר *villae Jairi*, quod iisdem a Jairo seniore datum, a Jairo juniore renovatum sit. Nepotibus et abnepotibus haud raro avorum nomina reddebantur non solum inter Hebraeos, verum etiam apud Graecos et Romanos. Cf. *Alterthumsk.* II. I. p. 279. sqq.

Cap. 33.

Quadraginta duo mansiones Israelitarum per desertum recensentur. De Cananaeis omnibus perimendis deque dividenda terrae possessione praecepta dantur.

1. 2. בְּיַד מֹשֶׁה וְאַהֲרֹן *Mose et Aarone ducibus.* Milites dicuntur esse *in manu*, i. e. sub potestate ducum, cf. ad 31, 49. — 2. מוֹצָאֵיהֶם לְמַסְעֵיהֶם *Exitus eorum secundum profectiones eorum*, i. e. stationes. Duae enim hae voces significant unum idemque, *castrorum ex locis, in quibus per aliquot dies substiterant translationes in alia, ubi aliquamdiu essent.* Nam non omnia, in quibus substiterunt aliquantum Israelitae, loca Moses hic notat, sed ea duntaxat, in quibus diutius castra habuerunt. Quantum temporis in qualibet statione transegerint, haud constat. In plerisque vero per aliquot annos permansisse, ex eo colligitur, quod spatio 37 annorum 17 duntaxat stationes enumeratae reperiuntur. Ea, qua apud Cades-Barnea, seu Rithmae (Vs. 18.) commorati sunt, omnium maxime diuturna fuisse videtur, vid. Deut. 1, 46. Omnino vero tenendum est, populum Hebr. non statis continuisque itineribus ex Aegypto in Palaestinam commigrasse, sed ex decreto divino (14, 22. 23. 29. 30.) tam diu populo in deserto commorandum fuisse, quam eorum, qui tum vivebant, omnes, qui viginti annis majores fuissent, obiissent. Longo illo 37 annorum spatio videtur Moses novam progeniem legibus et institutis a se traditis assuefacere voluisse, ut non prius, quam stabilita et confirmata re publica Cananeam expugnare aggrederentur. Quae quum ita sint non est, ut cum WOLFG. GOETHE in libro, cui titulum fecit *Westöstlicher*

Divan p. 446. sqq., quatuordecim stationes hoc solo Capite Vss. 12. 13. 18. sqq., nec vero in Exodo et Deuteronomio commemoratas, spurias statuamus, quippe quae eo fine confictae et inscrtae essent, ut quadraginta annorum spatium, quo Hebraeus populus per desertum vagatus traditur, probabili stationum numero cxpleretur. Cf. omnino quae de stationum indice, qui hoc Capite legitur, observavimus in *d. Alterthumsk.* III. p. 137. sqq.

3 — 9. רַעַמְסֵס vid. Ex. 12, 37. בְּיָד רָמָה *Manu elata*, potenter vindicati, invitis Aegyptiis plagisque multis erepti. Cf. ad Ex. 14, 8. — 4. וּבֵאלֹהֵיהֶם עָשָׂה יְהוָה שְׁפָטִים *Et in eorum deos Jova judicia exercuerat*, etiam ab iis poenas sumsit; vid. ad Ex. 12, 12. — 5. סֻכֹּת Vid. Ex. 12, 37. — 6. אֵתָם Vid. Ex. 13, 20. — 7. פִּי הַחִירֹת Vid. Ex. 14, 2. — 8. וַיַּעַבְרוּ בְתוֹךְ־הַיָּם הַמִּדְבָּרָה *Et transierunt per medium maris*, i. e. sinus Arabici, *desertum versus*, vid. Ex. 14, 12. מָרָה Vid. Ex. 15, 23. — 9. אֵילִם Ex. 15, 27.

11 — 18. בְּמִדְבַּר־סִין Vid. Ex. 16, 1. — 14. רְפִידִם Vid. Ex. 17, 1. Hic Israelitae leges plerasque ex monte et ex tabernaculo acccperunt. Cum eo venissent initio tertii mensis anni primi ab exitu, illinc abierunt vigesimo die mensis secundi anni secundi, vid. 10, 11. 12. — 16. קִבְרֹת הַתַּאֲוָה Vid. 11, 34. Ut a monte Sinai huc venirent, Israelitae tres dies absumserunt, 10, 33. Hinc confirmatur, quod ad Vs. 2. notatum est, loca hoc Cap. memorata non esse stationes, qualcs in aliis itinerum descriptionibus memorantur, in quibus quotidie ad *stationem* veniunt iter facientes. — 17. חֲצֵרוֹת Vid. 11, 35. — 18. רִתְמָה Hic locus non procul fuit a Kadesa in Pharanicae solitudinis partibus septentrionalibus, cf. 12, 16. Hujus autem loci, et eorum, quae sequuntur, uti supra Vs. 12. 13. Dopheae et Aluschae, in Exodo nulla fit mentio, quod Moses ibi non tam scriberet historiam itinerum populi Hebraei per Arabicas solitudines, quam miraculorum in iis editorum, legumque divinarum. Non necesse ergo erat, memorari loca, in quibus nihil ad illud institutum pertinens contigerat.

31 — 38. בְּנֵי יַעֲקָן *Jaakan* 1 Chr. 1, 42., sive ut Gen. 36, 27. vocatur, עֲקָן, nepos fuit Sciri Horaci. Cetcrum cf. ad Deut. 10, 6. — 35. עֶצְיֹן גֶּבֶר portus maris crythraei, sive Idumaci, vid. 1 Reg. 9, 26., cf. Deut. 2, 8. — 36. De קָדֵשׁ vid. 13, 26. 20, 1. Deut. 1, 19. — 38. Cf. 20, 24. sqq.

42. — 46. De פּוּנֹן Hieronymus: *Fenon, castra filiorum Israelis in deserto, fuit autem quondam civitas principum Edom, nunc viculus in deserto, ubi aeris metalla damnatorum suppliciis effodiuntur inter civitatem Petram et Zoaram.* — 43. אֹבֹת vid. 21, 20. — 44. עִיֵּי הָעֲבָרִים vid. 21, 11. — 45. דִּיבֹן גָּד vid. 21, 30. — 46. בְּעַלְמֹן דִּבְלָתָיְמָה *In Almone Diblathaim versus.* Diblathaim fuit urbs Moabitarum, quae Jer. 48, 22. memoratur, nec diversa, uti videtur, a Dibla, Ez. 6, 14.

47—55. בְּהָרֵי הָעֲבָרִים *In montibus Abarim*, vid. 27, 12. — 48. De עַרְבֹת מוֹאָב *campestribus Moab*, vid. 22, 1. — 49. בֵּית הַיְשִׁמֹת vid. ad Ez. 25, 9. De אָבֵל הַשִּׁטִּים vid. supra 25, 1. 52. מַשְׂכִּיּוֹת vid. Lev. 26, 1., et de בָּמוֹת ibid. ad Vs. 30. — 54. Cf. ad 26, 55. — 55. בְּעֵינֵיכֶם — וְאִם־לֹא *Nisi e conspectu vestro hujus terrae incolas expuleritis, erunt ii, quos reliqueritis, instar spinarum in oculis vestris.* Locutio proverbialis, qua significatur res molestissima. Nihil enim potest esse molestius spina in oculo, cf. Jos. 23, 13. Ez. 28, 24. צֹרְרִים אֶתְכֶם *Hostili in vos erunt animo.* Non poterunt enim aequo animo videre alienigenas sua praedia possidentes, nec ullam occasionem Hebraeis nocendi praetermittent.

Cap. 34.

Terrae Israeliticae cis Jordanem fines et termini quavis ex parte et mundi plaga describuntur. Qui illius terrae divisioni praesidere debeant, nominatim exprimuntur.

3—5. פְּאַת־נֶגֶב *Angulus* s. *extremum austri*, terminus extremus meridionalis. מִמִּדְבַּר־צִן Cf. 33, 36. Jos. 15, 1. עַל־יְדֵי אֱדוֹם *Ad manus*, i. e. juxta Idumaeam, ut Jud. 11, 26. Sensus est, fines terrae Israelitarum ad meridiem fore Idumaeam et solitudines, quae inter Aegyptum et Palaestinam jacent. מִקְצֵה יַם־הַמֶּלַח *Ab extremo maris salsi*, i. e. mortui sive Asphaltitidis, vid. ad Gen. 14, 3. Pars ejus maxime australis intelligitur, coll. Jos. 15, 2. קֵדְמָה *Ad* vel *in Orientem*, h. e. ubi latus orientale concurrere debet cum meridionali et angulum communem efficere. — 4. וְנָסַב לָכֶם הַגְּבוּל *Circumibit* (Niphal verbi סָבַב) *vobis terminus*, i. e. vergant porro termini. לְמַעֲלֵה עַקְרַבִּים *In adcensum* (jugum) *scorpionum.* Hic tractus Idumaeae vicinus vocatur quoque Ἀκραβατίνη 1 Macc. 5, 3. Videtur nomen traxisse a copia scorpionum (hoc enim animal designatur voce עַקְרָב), cf. Deut. 8, 15., Jos. 15, 3. Etiamnum in hac regione scorpiones sunt frequentes. Vid. *Alterthumsk.* II. 1. p. 287. צִנָה Cf. Jos. 15, 1. וְהָיוּ תּוֹצְאֹתָיו *Et sint exitus ejus*, sc. fines, i. e. extremi in eam coeli plagam fines. Pro וְהָיוּ, quomodo legendum esse ad marginem praecipitur (ut est in textu Vs. 5.), in textu est Singularis הָיָה *sit*, distributive capiendus, cf. Gesenii *Lehrg.* p. 713. וְיָצָא *Et exibit*, limes, finis. חֲצַר־אַדָּר *Ad Chazar* s. *Chezron* prope *Addar*, vid. Jos. 15, 3. 4. LXX. εἰς ἔπαυλιν Ἄδαρ, Vulgatus: *in villam nomine Adar*, propriam voeis חָצֵר significationem respicientes, de qua vide Gen. 25, 16. — 5. De נַחַל מִצְרַיִם *torrente Aegypti*, vid. Gen. 15, 18. וְהָיוּ תּוֹצְאֹתָיו הַיָּמָּה *Et sint exitus ejus mare versus*, i. e. fines terrae desinant in mari.

6—8 וּגְבוּל יָם *Ad terminum autem maris*, i. e. occidentalem, quod attinet. יָם h. l. est *occidens*, qui ita vocabatur a Cananaeis, quod mare mediterraneum ad occidentem habuerunt. הַיָּם

הַגָּדוֹל *Mare magnum*, quod nos *mediterraneum* nuncupamus. Vocatur *magnum*, ut distinguatur a lacubus, veluti mortuo et Gennesarethico, qui ipsi quoque יַמִּים dicebantur. וּגְבוּל *Et terminus*, i. e. hoc mare constituit finem ad plagam occidentalem; hac plaga nullum alium habetis terminum. — 7. תְּתָאוּ *Designabitis* fines, h. l. commode verti potest, lineam ducetis. הֹר הָהָר *Ad montem Hor*. Non intelligendus ille mons Hor in australibus Idumaeae finibus, in quo Aaron obiit, 33, 38. 20, 22., sed alius quidam borealis ultra Libanum situs, ut ex hoc ipso et sq. Vs. apparet. Scilicet terminus borealis incipit a mari, ab hac linea ducitur ad montem Hor, inde Hamatham; manifestum ergo, medio inter mare mediterraneum et Hamatham montem Hor situm fuisse. Hamatham vero ultra Libanum jacere, tabula geographica ad manus sumta, quisque videt. LXX. et Vulgatus pro הר videntur legisse הַר. Illi enim vertunt ὄρος τὸ ὄρος, hic *mons altissimus*. Intellexerunt fortasse Libanum. Quum nusquam alias mentio fiat montis *Hor;* Relandus *Palaest.* p. 119. suspicatus est, הֹר non esse nomen proprium, sed Infinitivum verbi הָרַר, unde הַר *mons* deducitur. „Fateor," inquit, „ignotam esse significationem verbi הָרַר, quum in V. T. non legatur; sed haud dubitandum videtur, quum הַר *mons* inde ducat originem, aliquid eo indicari, quod monti conveniat, uti *assurgere*, *eminere*, *attolli*, aut simile quid. Quapropter, quodcunque sit, illud הֹר הָהָר velim heic accipi pro רוֹם *assurgere montis*, vel re simili. Nec est, quod quis dicat, montis nomen addi oportuisse. Certe quum *Libanus* heic fuerit, mons notissimus, facile colligitur, *illum*, *non alium*, *hic indicari*. *Quamvis forsitan pars ipsius Libani* nomine *Hor dicta fuit.*" Quod ipsum et inde est verisimile, quod interpretes Orientales, Chaldaeus uterque, Syrus et Saadias, *Hor*, ut nomen proprium, retinuerunt. — 8. תְּתָאוּ *Designabitis*, sc. fines, ut Vs. 7. — לְבֹא חֲמָת *Usque dum venitur Chamatham*, cf. ad Gen. 10, 18., h. l. universa regio, quae ad urbem istam pertinebat, videtur intelligenda esse. Ditionem enim Israeliticam usque ad urbem ipsam pertigisse, non est credibile. וְהָיוּ תוֹצְאֹת הַגְּבֻל צְדָדָה *Erunt exitus termini in Zedad*, h. e. Zedad et Chatsar-Henan (Vs. sq.) erunt ultima loca finium Hebraeorum ad septemtrionem.

10. 11. וְהִתְאִיתֶם *Hinc lineam ducetis vobis*, a radice תָּוָה s. תָּאָה Vs. 7. 8. Pro שְׁפָם Jonathan et interpres Samaritanus ponunt *Apameam*, urbem Syriae ad Orontem. — 11. וְיָרַד *Descendet* (finis) a septemtrione in meridiem. רִבְלָה *Ribla*, urbs Syriae in terra Hamath, in vallibus Antilibani sita. Cf. 2 Reg. 23, 33. 25, 6. 20. מִקֶּדֶם לָעִין *Ab oriente Ain*, nomen quum *fontem* constet notare, fuere, qui fontem Jordanis, qui in tractu isto est, hic significari putarent. Sed vix dubium, עַיִן hic esse nomen proprium oppidi, ut Jos. 15, 32., quo tamen loco quod memoratur *Ain* diversum est a nostro; illud enim in australi parte tribus

Judae situm erat. וּמָחָה עַל־כֶּתֶף יָם־כִּנֶּרֶת קֵדְמָה *Et feriet*, i. e. stringet, adtinget (ex usu Chaldaico verbi מָחָה) *ad humerum*, sive latus *lacus Cinnereth ad orientem versus*, sc. terminus. Sensus est: ampleetetur terras, quae sunt ad ripam orientalem laeus, qui nomen habet ab urbe Cinnereth in tribu Naphtali, Jos. 19, 35. Idem ille intelligitur laeus, qui postea lacus Genesareth, Galilaeae aut Tiberiadis vocatus est. Cf. Jos. 11, 2. 12, 3. De tota hac pericopa (Vs. 2—12.), qua fines Cananaeae, proprie sic dictae, describuntur, cf. *die bibl. Alterthumsk.* II. 1. p. 77. sqq.

13—19. אֲשֶׁר תִּתְנַחֲלוּ אֹתָהּ *Quam* terram *in haereditatem accipietis*, ut 32, 18. — 14. כִּי לָקְחוּ מַטֵּה בְנֵי הָרְאוּבֵנִי Cf. 32, 29. 33. — 15. מֵעֵבֶר לִירְדֵּן *Cis Jordanem* cf. 32, 19. 35, 14. יְרֵחוֹ E regione *Jerichuntis*. קֵדְמָה מִזְרָחָה *Ad anteriorem* mundi *partem ortum versus*, i. e. orientem versus. Similis loquutio Ex. 27, 13. — 17. אֲשֶׁר־יִנְחֲלוּ לָכֶם אֶת־הָאָרֶץ *Qui possidendam* sive *in haereditatem dabunt*, i. e. qui distribuent *vobis terram*. Alii: *qui vestro nomine partientur*, aut *possidendam accipient*, vid. Vs. 18. Jos. 14, 1. — 18. נָשִׂיא — תִּקָּחוּ *Principem unum*, *principem unum e tribu*, i. e. ex singulis tribubus unum virum principem assumetis. לָנָחֹל *Ad possidendum*, ad distribuendam possessionem. — 19. כָּלֵב בֶּן־יְפֻנֶּה Vid. 14, 6. 24. 30. Nachschon et reliqui tribuum principes supra 1, 5. sqq. constituti, erant mortui.

Cap. 35.

Urbes cum suburbanis Levitis jubentur assignari, quarum aliquae refugii urbes statuuntur, ad asylum homicidis involuntariis. De homicidiis voluntariis et involuntariis leges dantur. Homicida testibus pluribus revincendus, ut condemnetur.

1—3. בְּעָרְבֹת מוֹאָב vid. 22, 1. — 2. מִנַּחֲלַת אֲחֻזָּתָם *De haereditate possessionis suae*, i. e. de possessionibus suis haereditariis. מִגְרָשׁ לֶעָרִים LXX. verterunt *τὰ προάστεια τῶν πόλεων*. Est enim מִגְרָשׁ spatium vacuum, quod civitatem ambit, solum suburbanum, a גָּרַשׁ, quod in V. T. quidem non nisi *expellendi*, *ejiciendi* significatu occurrit, verum et cognatam *evacuandi* notionem obtinuisse, inde credibile est, quod גורשא *vacuum nudum* denotat. Ez. 45, 2. מִגְרָשׁ dicitur de pomoerio templi. Spatium illud extra urbes Levitis in hunc finem adtribuebatur, ut decimas pecudum armentorumque lege ipsis concessas in hoc agro subdiali usque ad diem maetationis pascere possent, Vs. 3. — 3. וְלִרְכֻשָׁם *Et facultatibus eorum.* רְכוּשׁ in genere *facultates* seu possessionem quamvis denotat, in specie vero, ut hic, pecus quodvis et jumentum, quibus potissimum divitiae veterum constabant. Cf. Gen. 14, 11. 21. 1 Chr. 27, 31. Particula לְ vocibus in posteriore membro praefixa vertenda est *pro*.

4. 5. *Et* quod attinet ad *pomoeria oppidorum*, *quae Levitis dare debetis*, *ea foras extra murum oppidi* (מִקִּיר הָעִיר a muro

urbis) *mille cubitos* pateant. 5. *Scilicet mensurabitis extra oppidum a latere orientali duo cubitorum millia, totidem a latere meridionali, occidentali et septentrionali. Ipsum autem oppidum sit in medio. Sic se habeant omnium oppidorum pomoeria.* אַלְפַּיִם בָּאַמָּה *Duo millia in cubito*, i. e. bis mille cubitorum, cf. Ex. 26, 8. זֶה sc. מִד *haec* sit *mensura*. Magnopere hic locus Interpp. exercuit. Nam Vs. 4. suburbanis magnitudo tribuitur mille cubitorum, at Vs. 5. 2000 cubb. eadem magnitudo dicitur. Talmudici duos hosce Vss. ita conciliare solent, ut dicant, מִגְרָשִׁים esse loca urbibus proxima, quae inambulationi tantum, lotioni, hominumque recreationi inservirent, et haec cubitorum 1000 fuisse. Sed praeter haec fuisse alia his contigua spatia, quae ab urbe remotiora, cubitos alios mille patuerint, et in his Levitas potuisse arare, serere vineasque plantare; ac idcirco ista superioribus juncta spatia vere 2000 cubb. in omnem terrae plagam fuisse. Sed hoc Rabbinorum commentum merito improbarunt plerique Interpp, quum sola Levitis data fuerint *pascua*. Alii existimant, Vs. 4. intelligi cubitos sacros (de quibus 1 Reg. 6, 2. 7, 15.), Vs. 5. autem communes, illis duplo minores. Sed quo signo colligi potest, Mosem modo loqui de sacris, modo de communibus cubitis? Deinde sacri cubiti adhibebantur quidem ad structurarum et aedificiorum sacrorum dimensiones, non vero ad vacuas terrae areas emetiendas. — Ut alias minus adhuc probabiles explicationes hic praetereamus, simplicissima Versum 4. et 5. conciliandi ratio videtur haec esse, ut statuamus, definiri suburbiis a muris urbis longitudinem *mille* cubitorum, et *bis mille* in circuitu ab omni latere, i. e. in universum 8000, ut haec ostendit figura:



Ubi apparet, unumquodque suburbiorum latus esse duplo longius, quam linea ex urbe extrinsecus producta, quae est *mille* cubitorum (Vs. 4.), adeoque singulis lateribus relinquuntur 2000 cubiti. Nihil itaque opus est, ut cum LXX. in Vs. 4. pro אֶלֶף legamus

אַלְפַּיִם, uti Vs. 5. habetur. Nam quod ille interpres Vs. 4. *δισχιλίους πήχεις* posuit, vix dubium esse potest, ab eo factum esse, difficultatis tollendae causa. Ceterum vero interpp. vett. omnes, et textus Samar. cum nostro textu hebr. conspirant. Ei quidem adversari videtur Josephus, qui *Ant.* 4, 4, 3. de urbibus Levitarum haec dicit: *Mandavit Deus* (Hebraeis), *ut urbes* 48 *praeclaras et eximias Levitis distribuerent*, *et agrum* pro moenibus *ad cubitos bis mille in circuitu iis assignarent.* Similiter Philo (*de praemiis sacerdotum*, T. II. p. 236. edit. Mangey.) ait, Levitas 48 oppida accepisse, *et in cujusque pomoerio duo millia cubitorum in circuitu*, *pascendis pecudibus*, *et in reliquos usus oppidis necessarios.* Sed Philonem ubique *τοὺς* LXX. sequi constat, et Josephus h. l. ut in pluribus aliis, eosdem LXX. sequutus est.

6. 8. וְאֵת הֶעָרִים *Et cum urbibus*, i. e. inter eas urbes, quas dabitis Levitis, dabitis etiam sex urbes asyli. Alii אֵת prius *quod attinet* vertere malunt, atque alterum אֵת, quod vocem שֵׁשׁ praecedit, pro nota Nominat., vel potius pro verbo substantivo, ut Aramaeorum אית accipere, quomodo subinde usurpatur. Conf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 682. עָרֵי הַמִּקְלָט sunt qui *urbes collectionis* sive *retentionis* vertant, quod is, qui propter homicidium commissum fugiebat ad urbes Levitarum, in illis se continere debuit usque ad mortem Pontificis M., coll. Vs. 25. Sed praestat מִקְלָט a significatu *recipiendi*, *excipiendi*, quem קָלַט apud Chaldaeos obtinet, *locum refugii*, quo quis se recipit, interpretari. הָרֹצֵחַ *Homicida.* רָצַח, quod apud Arabes proprie notat *lapidibus aliquem petere*, *lapidibus jactis aliquem occidere*, apud Hebraeos universe dicitur de *caede* s. *homicidio* quocunque. Hinc in nostro Cap. modo dicitur generatim de *caede*, ut hoc Vs., modo speciatim de homicidio per imprudentiam facto et fortuito (Vs. 11. 25. 26. 28.), de homicidio per leges seu licito (Vs. 27.), aut praecepto (Vs. 30.), vel de homicidio doloso (Vs. 16 — 19.). וַעֲלֵיהֶם *Et praeter illos.* עַל *praeter*, ut 6, 20. 28, 10. — 8. — מֵאֵת תַּמְעִיטוּ *A multo multiplicabitis*, *et a pauco diminuetis*, i. e. plura oppida dabitis ab eo, qui habet plura, pauciora ab eo, qui habebit pauciora (similes phrases 33, 54. 26, 54.). Sensus: oppida, quae de possessionibus vestris dabitis Levitis, ita dispertiantur, ut quo majores vel minores illae sint, eo vel plura vel pauciora oppida hunc in usum conferantur.

11. 12. וְהִקְרִיתֶם לָכֶם *Obviam facietis vobis*, i. e. opportunas seligatis, constituatis *urbes.* מַכֵּה־נֶפֶשׁ *Percutiens animam*, occidens aliquem, vid. Gen. 37, 21. בִּשְׁגָגָה *Per errorem*, imprudens, vid. ad Ex. 21, 13. — 12. וְהָיוּ — מִגֹּאֵל *Sintque vobis haec oppida in asylum a vindice caedis.* Loca sancta, veluti templa, arae et apud alios antiquos populos jus asyli habere censebantur. Ea igitur asyli oppida, quae Moses constituit, sanctitatem habebant a sacerdotibus ea incolentibus. גֹּאֵל propr. *redimens*,

est qui bona a consanguineo proximo vel venditione, vel quocunque alio modo devoluta, *jure propinquitatis sibi assereret*, vid. Lev. 25, 25. 26. Hinc גֹּאֵל omnino est *assertor jure propinquitatis*, qui, si de bonis agerctur, cognati facultates jure suo sibi vindicabat, vel, si quis interemtus esset, consanguinitate proximus hoc sibi sanctissimum officium impositum esse judicabat, caedis auctorem propria manu interficiendi. Hinc Vs. 21. גֹּאֵל הַדָּם *vindex sanguinis* vocatur. Ceterum cf. ad Ex. 21, 13. וְלֹא יָמוּת הָרֹצֵחַ *Neque morietur homicida* manu vindicis aut propinqui ejus, qui occisus est. עַד־עָמְדוֹ לִפְנֵי הָעֵדָה לַמִּשְׁפָּט *Donec steterit coram coetu ad judicium.* הָעֵדָה *coetus*, sc. judicum, vel populi illius loci, sic Vs. 24. 25. Hac re jus asylorum apud Hebraeos sapientius erat constitutum quam apud alias gentes, ubi iuvitum in jus trahere non licebat eum, qui in asylum confugerat. At apud Hebraeos asylum hoc tantum praestitit homicidae, ne indicta causa poenas lueret.

16. 17. Versuum 16—18. sensus est: *mortis esse poenam qualicunque telo* (ita Romanae leges vocant lapidem, ferrum, lignum, quo quis percussus mori possit) *quis hominem occiderit.* Ex telo praesumitur malum consilium, quamvis percussor id neget. — 17. בְּאֶבֶן יָד *Lapide manus*, qui manu projicitur. Significat legislator lapidem data opera projectum, ut quispium percutiatur, cujus ictu si contigerit, percussum mori, cum qui projecit lapidem, capite poenas luere vult, quia non potuit ignorare, ejusmodi lapidem, vi impactum, potuisse lethale vulnus adfligere. אֲשֶׁר־יָמוּת בָּהּ *Quo quis morietur*, sed Futurum hic ut saepius hanc habet vim, ut significet id quod fieri *potest* vel *solet;* hinc, *quo quis mori potest*, aut quo probabile est, aliquem interfici posse: id quod vi oppositionis eo pertinet, ut si qui lapide vel fuste (Vs. sq.) tam exiguo percussus sit, ut vix opinabile sit, eo lapide vel fuste interfici posse, percutiens capitis poena absolvendus sit.

19—25. גֹּאֵל הַדָּם Vide ad Vs. 12. יָמִית *Interficere poterit*, impune occidet adjutus etiam a magistratibus, Deut. 19, 12. בְּפִגְעוֹ־בוֹ *Cum illi occurret*, ut Vs. 21. Jonathan addit: *extra civitates istas.* — 20. וְאִם־בְּשִׂנְאָה יְהָדְפֶנּוּ *Si quis alium per odium impulerit.* Ponuntur hic alii modi, quibus caedes voluntaria committi possit, videlicet per impulsum et deturbationem ex alto loco et praecipitationem in aquas, per dejectionem lapidis vel alterius rei in caput infra deambulantis; et de his, si mors insequuta fuerit, idem statuitur quod de superioribus caedibus. — 22. בְּפֶתַע *In momento*, i. e. subito casu, ex improviso, ut 6, 9. בְּלֹא אֵיבָה *In non-inimicitia*, sine antecedente inimicitia. — 23. בְּלֹא רְאוֹת *In non videndo*, dum cum non vidit. וְלֹא מְבַקֵּשׁ רָעָתוֹ *Nec quaerens malum ejus*, nec malum ei intenderit, ut 1 Sam. 24, 10. — 24. וְשָׁפְטוּ הָעֵדָה *Judicent coetus* judicum urbis in cujus agro contigerit homicidium; cf. Vs. 12. „Hi homicidam ex asylo ad se

tuto duci curabant, et eo reduci, si ab invito commissum appareret homicidium.“ Clériс. עַל הַמִּשְׁפָּטִים הָאֵלֶּה *Secundum haec jura*, ex his legibus, ut Ex. 21, 1. — 25. אֲשֶׁר מָשַׁח אֹתוֹ *Quem unxit*, sc. ungens, qui unctus est, impersonalis loquendi forma, qualis Vs. 30. Gen. 27, 36. al.

26—31. Quod si vero excedat homicida אֶת־גְּבוּל עִיר מִקְלָטוֹ *terminum urbis asyli sui*, i. e. ambitum 8000 cubitorum, quibus ager ejus urbis continebatur, vid. Vs. 5. — 27. אֵין לוֹ דָּמִים *Non ei sanguis*, i. e. non erit caedis reus. Cf. ad Ex. 22, 1. — 28. יֵשֵׁב *Sedebit*, i e. manere debebat. — 29. Sensus: secundum has leges semper apud posteros vestros in omnibus oppidis debet judicari. — 30. כָּל — הִרְצַח *Omnis qui occiderit animam*, aliquem, *juxta os*, pro depositione sive verbis *testium* duorum aut plurium *occidet eum*, i. e. occidetur (cf. ad Vs. 25.). וְעֵד אֶחָד וגו׳ *Unus testis non respondeat* judicibus interrogantibus *in anima ad mortem*, i. e. unus tamen testis in causa capitali admittendus non est. Cf. Deut. 17, 6. 19, 15. — 31. לָמוּת — וְלֹא־תִקְחוּ *Non accipiatis pretium pro vita homicidae, qui mortis est reus.* Apparet ex h. l. apud Israelitas jam ante Mosis tempora hanc consuetudinem viguisse argento vitam a Goele redimendi. Apud Arabes illam consuetudinem confirmavit et in jus vertit Muhammedis auctoritas, vid. Suram 2, 173. 174. Moses vero hunc morem lege h. l. data abrogat. Et vero erat prudentiae legislatoris, turpem et abjectam consuetudinem prohiberi; interest enim non familiae solum, sed et reipublicae, ut in homicidas animadvertatur, nec judex dolori potius cognatorum servit, quam exemplum poenarum proponit, quo terreantur improbi, atque boni tuto degere possint. Et hodie apud ipsos Arabes Thehamanenses ignominiosum est a Goele vitam argento redimere. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 293.

32—34. הַכֹּהֵן — וְלֹא־תִקְחוּ *Ne accipiatis redemtionem*, i. c. muletam aut pecuniam judici oblatam, *ut fugiat*, qui de industria caedem commisit, *ad sui asyli urbem, ut revertatur ad habitandum in terra ante mortem sacerdotis.* Sunt qui putent ante לָשׁוּב omissam esse particulam אוֹ *aut*, ut sensus sit, nulla muletae persolutione, nulla mercede perduci te sines, ut *vel* is, qui ab urbe asyli sub praesidio publico ad judicium perductus est, si cognoscatur, deliberato fecisse homicidium, remittatur ad asyli urbem; *vel* ut ei, qui est in urbe asyli, permittatur alibi habitare ante mortem Pontificis maximi. Alii vero hunc solum hujus legis sensum esse putant, qui in altero illius interpretationis membro propositus est; nempe, ne qui in asylum perfugisset, ulla pecunia ante obitum summi sacerdotis jus ad pristinam sedem revertendi sibi posset redimere. עַד h. l. est *antequam* (ut Ex. 22, 25. Lev. 25, 30.). כֹּהֵן, sc. הַגָּדוֹל. — 33. 34. וְלֹא־תַחֲנִיפוּ אֶת־הָאָרֶץ *Ne profanetis terram*, i. e. ne polluite terram sanguine. Bene LXX. *μὴ φονοκτονήσητε τὴν γῆν*, quod verbum proprie significat

caede polluere, *caedis maculam et foeditatem inurere*, quod non male terrae congruit. וְלָאָרֶץ לֹא יְכֻפַּר *Neque potest expiari terra*, purificari, munda haberi. Sensus duorum horum Versuum: nisi sanguis sanguine eluatur, profanam a Deo habitum iri Palaestinam, eamque terram, quam singulari cura atque indulgentia fovere decreverát, caedibus madentem ab eodem desertum iri.

Cap. 36.

Ne possessiones tribuum et familiarum permisceantur, lex datur, ne filiae haeredes relictae nubant alteri, quam iis, qui sunt de eadem tribu et familia.

1—4. בְּנֵי־גִלְעָד Non intelliguntur ii ex Gileaditis, qui jam acceperant possessionem in terra Gilead (c. 32.), sed qui trans Jordanem accepturi erant; et inter hos filias Tzelophchad haereditatem accepisse liquet ex Jos. 17, 3. — 2. אֶת־אֲדֹנִי צִוָּה יְהוָה *Dominum meum jussit Jova.* Unus loquitur nomine omnium, cf. 32, 25. 27. — 3. וְהָיוּ־לְנָשִׁים *Quodsi ergo fuerint cuipiam e filiis tribuum Israelitarum in uxores*, i. e. si nupserint. וְנִגְרְעָה *Tum detrahetur.* אֲשֶׁר תִּהְיֶינָה לָהֶם *Eorum quibus fuerint*, quibus nupserint. Haereditas enim transiisset ad illarum liberos. Quum autem hi in aliam tribum transituri fuissent, jam ea possessio in jus alterius tribus esset translata. — 4. Sensus est: etiamsi futurus est annus Jubilaeus, nihilominus tamen manebit haereditas illarum penes alios. Etsi enim Manassitae fortasse ea praedia redimere voluissent, attamen ea anno Jubilaeo ad filias Tzelophchad sive earum haeredes rediissent ex lege Lev. 25, 10. data.

6—12. לַטּוֹב בְּעֵינֵיהֶם תִּהְיֶינָה לְנָשִׁים *Ei qui bonus est in oculis earum uxores erunt*, nubant, prout ipsis placebit, pro lubitu. — 7. כִּי אִישׁ וגו׳ *Quisque enim Israelitarum haereditati tribus patrum suorum adhaerebit*, quisque in possessione tribus paternae maneat. Alii vero verbum דָּבַק non referunt ad haereditatem, sed ad juncta inter se connubia. — 8. כָּל־בַּת יֹרֶשֶׁת נַחֲלָה *Omnis igitur filia haereditate praedium consequens*, ἐπίκληρος, uti talem filiam vocabant Attici, apud quos similis fuit lex. לְמַעַן יִירְשׁוּ וגו׳ *Ut haereditatis jure possideant filii Israelis quisque haereditatem patrum suorum.* Sic quisque Israelita manebit in sua possessione. — 12. מִמִּשְׁפְּחֹת בְּנֵי־מְנַשֶּׁה Viris *ex familiis Manassitarum.* וַתְּהִי *Atque fuit*, i. e. mansit in tribu, quomodo verbum הָיָה et capiendum Ruth. 1, 2. Dan. 1, 21.

SCHOLIA

IN

DEUTERONOMIUM.

Quintum Pentateuchi librum Hebraei a vocibus quibus incipit, אֵלֶּה הַדְּבָרִים, et מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה *repetitionem legis* (17, 18.), vel simpliciter מִשְׁנֶה nuncupant. Similiter LXX. hunc librum inscripserunt *Δευτερονόμιον*, non quod *δεύτερον νόμον*, secundam et novam legem, contineat; sed quod *δεύτερον*, *denuo*, lex repetitur et explicatur. — *Prima* libri parte (1—4, 40.) Moses in solenni populi concione, quae inde ab egressu ex Aegypto usque ad stativa in agro Moabitico facta et gesta essent, post relatas de rege Basanis, Amoraeis et Midianitis victorias, percurrit, et hortatur Israelitas ad leges divinas observandas. Parte *secunda* (4, 45. — 30, 20.) quae universo populo scitu necessaria essent praecepta, per tres superiores libros sparsa, exceptis iis, quae ad solos sacerdotes pertinerent, comprehenduntur, nonnullis quoque plane de novo additis, gravibus intermixtis adhortationibus, quibus pondus additum et promissionibus praemiorum, quae leges divinas observantibus proponuntur, et comminationibus poenarum, quae illas negligentes manent. Subjicitur Cap. 31. Epilogus, quo exponit Moses, se 120 annorum aetate grandaevum, ferendo Reipublicae et exercitus oneri imparem esse, quare illud reputasse, ut a principatu sese abdicans Josuam sibi a Deo datum successorem statueret; legumque codicem a se consignatum et in manu Levitarum Seniorumque populi depositum jussit singulis septenniis in Festo Tabernaculorum in solenni populi concione legi. Sequitur duplex Carmen, Cap. 32. 33. Postremâ

libri pericopâ (Cap. 34.) Mosis mors et sepultura describitur. — A Mose hunc librum saltem usque ad 32, 47. consignatum esse, diserte dicitur 31. 9. 19. 24., ubi ipse de se Moses testatur scriptis mandasse Carmen, quod libri partem constituit (32.), additque insuper, scripto itidem redegisse omnes a se propositas leges quarum legum contextus adeo cum reliquis totius libri partibus conjungitur, ut aegre divelli possit. Testimonio de Mose scriptore libri fidem faciunt loca illius quamplurima, quae *nondum expugnatam*, sed *brevi occupandam* ab Hebraeis *terram Cananaeam* arguunt, ut 6, 1. 10. 11. 18. 19. Cap. 7, 1 — 5. 16 — 26. et 20, 16. 17. Moses jubet Cananaeos, quorum agros occupaturi erant Hebraei, ad internecionem delere. Cf. et 11, 10. 11. 12, 8 — 10. 25, 19.[1]) Dicat aliquis, talia a seriore libri scriptore callide ita esse conficta, ut legentibus persuaderet, esse hunc librum a Mose literis mandatum. Verum si haec ratio valeat, quis demum liber fuerit, de cujus auctore et aetate ex argumentis internis judicium certum fieri possit? Praeterea quae 2, 20 — 23., 3, 8 — 10. legimus de priscis Cananaeae populis et ditionum eorum finibus, vix ulla alia, quam Mosis aetate tam accurate tradi potuerunt. Quodsi et haec conficta esse regeras, rogamus, quem in finem talia quis ementitus fuerit? Attamen ut a Mose scriptum esse Deuteronomion credamus, haud admittere diversum a prioribus libris et peculiare hujus libri ingenium, styli, narrationum et legum diversitatem, et plura in illo serioris, Mose, aetatis indicia, perhibent Vater [2]), de Wette [3]), Gesenius [4]) et Bleek [5]).

---

1) Alia plane similia loca vid. 8, 1. 7. 12. 9, 1 — 6. 11, 23 — 25. 29 — 31. 12, 14. 16, 6. 17, 14. 18, 14. 19, 1. 21, 1. 23, 20. 26, 1. 27, 2. 4. 30, 18. 31, 2. 3. 6.

2) In Commentat. de scriptore Pentateuchi ad calcem Commentarii Vol. III. p. 458. et 492. sqq.

3) In Diss. *Qua Deuter. a prioribus Pentat. libris diversum, alius cujusdam recentioris auctoris opus esse monstratur*, Jen. 1805. 4. Cf. auctoris *Kritik d. Isr. Gesch.* p. 385. sqq. et *Lehrb. d. hist. krit. Einl. in d. A. T.* p. 180.

4) *Geschichte der hebr. Sprache* p. 32.

5) In *dem Bibl. exeget. Repertor.* a nobis edito P. I. p. 18. et 53.

Et dicendi quidem genus quod attinet, quinti hujus libri eloquentiam ornatam, copiosam, garrulam, magnopere abhorrere dicunt a priorum librorum sermone brevi et conciso [6]). Sed quum quintus hic liber, tanquam epitome quaedam trium priorum librorum totius populi usibus, ut supra monuimus, destinata, septimo quoque anno publice praelegendus esset (31, 10 — 13.); prudentis scriptoris erat, tali in opere copiosa et oratoria eloquutione uti, et per totum librum iterum iterumque gravi et pathetica oratione legentes et audientes admonere, ut propositas ipsis leges sanctissime observarent. Ex eo, quem indicavimus, libri usu et ratio repetenda videtur quarundam loquendi formularum et singularum vocum, quae huic tantum libro sunt propriae [7]), quod eae, ut credibile est, ad sensum et usum vulgarem popularemque adcommodatae essent. Magnam ceteroquin Deuteronomio cum prioribus styli totiusque dicendi generis similitudinem esse multaque loca ita

---

ubi cum De Wettio *Einleit.* p. 184. Deuteronomium sub Josia demum haud diu ante expugnata a Chaldaeis Hierosolyma scriptum arbitratur. Sed scriptorem ejus aetatis 28, 68. Hebraeos divina praecepta negligentes in Babyloniam potius, quam *navibus in Aegyptum* abducendos comminatum esse credibile est.

6) Quod potissimum urget DE WETTE in *Diss.* p. 5. sqq. Ita quae Ex. 20, 19. in uno Vs. expressa sunt, ea Deut. 5, 19 — 24., in 5 Versus dilatata et exornata habentur. Simplicem Versum Ex. 21, 1. legis Deut. 5, 28. extensum, sensu minime amplificato. Quae Ex. 34, 11 — 17. simpliciter expressa sunt, ea paullum immutata Deut. 7, 1 — 12. nimis exaggerata reperias. Cf. et Ex. 23, 20 — 32. cum Deut. 7, 12 — 26., Lev. 26. cum Deut. 28.

7) Sic de criminum punitione semper usurpata est formula בַּעַרְתָּ הָרָע מִקִּרְבֶּךָ 13, 6. et alias saepissime, quam in prioribus libris nusquam invenies, sed ejus loco solennem illam (in quinto plane exulantem): *ejus anima exstirpanda est e gente sua.* Occurrit etiam ubi de criminibus puniendis sermo est, frequenter haec formula: *quo audito populus timebit neque amplius peccabit*, 13, 11. 17, 13. 19, 20. 21, 21., quarum nihil simile habent priores libri. In enotandis singulis vocibus huic libro peculiaribus, ut דָּבַק in phrasi *Jovae adhaerere*, 10, 20. 11, 22. 13, 5. et saepius, מְשֻׁלַּח יָדִים *negotium*, 12, 7. 15, 10. al., גְּדֻלָּה *magnitudo* de Deo pro כָּבוֹד in prioribus libris obvio, et aliis quibusdam, diligentiam adhibuit De Wette in Diss. p. 9.

cum illorum locis congruere, ut ab eodem auctore, memoriter ea retractante, quae prius jam scripserit, conscripta videantur, nec De Wette negare potest; sed tanti consensus causam inde censet repetendam, quod Deuteronomii scriptor priores illos libros non solum novisse et legisse, sed in sinu quasi gestasse, memoriaque comprehendisse, et in hoc suo libro conscribendo tamquam exemplar sibi proposuisse videatur. Quod tamen non omnibus aeque verisimile videbitur. Ad ea loca quod attinet, quae vel in rerum gestarum narratione a libris prioribus aut vere discrepant, aut discrepare videntur [8]), vel in quibus Viri Docti, quos laudavimus, serioris Mose aetatis vestigia deprehendere sibi visi sunt [9]), de iis videbimus in illorum interpretatione. Ceterum uti duo postrema libri Capita, ita et alia quaedam aut addita (3, 11. 10, 6 — 9.), aut paulum immutata a serioribus manibus facile concedimus. Neque tamen eorum locorum tantus est numerus, qui totum librum Mosi abjudicare nos cogat. — Chronologia libri, ex Cap. 1, 3. 4. et Jos. 4, 19. 5, 10. petenda, ultimorum duorum mensium anni post exitum quadragesimi complectitur.

---

8) Veluti 1, 15. coll. Ex. 18. et Num. 11., 1, 20 — 23. coll. Num. 13, 1. 2., 1, 44. coll. Num. 14, 45., 2, 28. 29. coll. Num. 21, 22., 10, 6. sqq. coll. Num. 33, 30 — 38.

9) Talia De Wette inesse putat legibus nonnullis, huic libro proprias, quae ad hierarchiam augendam, ad templi Hierosolymitani et Levitarum auctoritatem spectare videantur, ut c. 12. 14, 23. sqq. 15, 10. 26, 2.

Cap. 1.

Brevi narratione comprehenduntur, quae populo acciderant a Sinai monte usque ad Cades-Barnea, et inprimis de constitutis Judicibus, de speculatoribus missis, qui Cananaeam lustrarent, de seditione, horum occasione exorta, et quae deinde eodem loco consecuta.

1. אֵלֶּה — יִשְׂרָאֵל *Hi sunt sermones, quos Moses ad universum populum Israeliticum habuit.* Non est verisimile, hosce sermones a Mose habitos fuisse coram toto populo. Quomodo enim ille tam clara voce loqui potuisset, ut tot hominum millia eum audirent? Videtur potius Moses semper egisse per legatos populi (cf. ad Lev. 8, 3.). Hi Mosis mandata referebant ad singulos. Coram hoc igitur senatu ex omnibus tribubus electo Moses hos sermones habuit. בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן *In transitu Jordanis*, in ora illius orientali, cf. Cap. 3, 8. 4, 41. 47. עֵבֶר, quod proprie significat *transitum, trajectum*, deinde denotat omnem tractum, qui fluvio alluitur aut interfluente aqua dirimitur, sive tractus ille sit citerior, sive ulterior. Hic intelligitur orientalis Jordanis ripa, Moses enim hunc fluvium numquam transiit. Nominantur nunc singula loca, in quibus Moses sermones in hoc libro consignatos proloquutus fuerit. בָּעֲרָבָה *In planitie*, sc. Moabitica, coll. Vs. 5. עֲרָבָה verti quoque potest *desertum;* nam in Oriente loca plana ob fontium et pluviarum defectum, sterilia sunt atque deserta. מוֹל סוּף *E regione Suph.* Quum hic de campestribus Moabiticis sermo sit, *Suph* videtur locus esse in illa regione situs, ita dictus fortasse quod in finibus regionis situs esset; nam סוּף *finire* et *finitionem*, *terminum* denotat. Haud diversus fuerit a סוּפָה, Num. 21, 14. LXX., Onkelos et Hieronymus סוּף esse putarunt i. q. יַם־סוּף, *mare erythraeum.* Sed nusquam vocc סוּף sola illud mare indicatur. פָּארָן vocabatur desertum Idumaeae finitimum, de quo vid. Gen. 14, 6. Num. 12, 16. תֹּפֶל tantum h. l. occurrit, nec dici potest ad quam coeli plagam hic locus situs fuerit. לָבָן videtur idem locus esse, qui alia pronuntiatione dici solebat לִבְנָה, decimus septimus Israelitarum stathmus, Num. 33, 20. חֲצֵרוֹת cf. Num. 13, 1. 33, 17. דִי זָהָב proprie significat *locum auro praeditum.* Hic non dubium est, esse nomen proprium loci in plaga orientali et australi mare mortuum inter et Sinum Aelaniticum siti.

2 — 5. אַחַד — בְּרַנֵּעַ *Undecim dierum iter est a monte Hor usque ad Kades-Barnea, via per montanam Seiri regionem facta.* יוֹם hic est mensurae nomen. Generatim describit Moses longitudinem viae a monte Hor ad Kades-Barnea per montanam Seiri regionem ducentis, quae plerumque undecim dicbus confici soleat. Sed hoc temporis spatio iter illud a tanto populo cum mulieribus, infantibus et pecudibus non potuit confici. Saepe etiam per ambages eundum et ubi aquae facultas data, subsistendum erat. Cete-

rum hoc iter aliis quoque viis institui posse, videntur indicare verba דֶּרֶךְ הַר־שֵׂעִיר. *Kades-Barnea* locus fuit ad septentrionem Chorebi et meridiem Seiris, atque inde ad dextram per Idumaeae fines juxta mare mortuum deflectendum fuit Moabitidem petentibus. Cf. Num. 20, 16. 4. אַחֲרֵי הַכֹּתוֹ אֶת סִיחוֹן *Postquam Sichonem profligaverat.* Cf. Num. 21, 24. בְּאֶדְרֶעִי non est referendum ad participium יוֹשֵׁב, sed ad הַכֹּתוֹ coll. 3, 1. Num. 21, 33. — 5. הוֹאִיל *Incepit*, animum induxit, ut Gen. 18, 27. coll. Arab. אול *praecessit*, in Conj. 2. *instituit*, *direxit*. בֵּאֵר *Explanavit* cum repetitionibus, tum additionibus variis, „in gratiam," ut ait Grotius, „eorum, qui tempore latae legis aut nondum nati, aut intelligendi incapaces fuerunt."

6 — 13. רַב־לָכֶם שֶׁבֶת *Multum vobis sedere*, satis din commorati estis in hoc monte, ferme annum, cf. Ex. 19, 1. coll. Num. 10, 11. 12. — 7. פְּנוּ *Convertite* agmen. וְאֶל־כָּל־שְׁכֵנָיו *Et ad omnia vicina ejus*, montis Amoraei, ad loca eis, montibus Amoriticis, finitima. בָּעֲרָבָה *In planitie.* Intelligitur planities illa, tria circiter milliaria Germanica lata, per quam Jordanes a lacu Genesareth usque ad mare mortuum labitur. הָר *Mons*, pars montana, postea tribui Judae assignata. שְׁפֵלָה *Loca humilia*, ad mare mediterraneum sita in terra Philistaeorum; contigerunt postea tribui Judae. נֶגֶב *Auster*, terra meridionalis, sc. tribus Judae. חוֹף הַיָּם *Littus maris*, proprium regionis Palaestinae littoralis inde a monte Carmelo nomen; ut apud Arabum Geographos ساحل, *littus*, proprium *Phoenices* est nomen. עַד־הַנָּהָר הַגָּדֹל נְהַר פְּרָת *Usque ad fluvium magnum Euphratem*, vid. Gen. 15, 18. — 8. נָתַתִּי לִפְנֵיכֶם אֶת־הָאָרֶץ *Posui ante vos hanc terram*, vobis (invadendae terrae) potestatem facio, *ich habe es euch Preiss gegeben.* — 9. Fecit Moses, quod hic narrat, suggerente Jethrone. Cf. Ex. 18, 10. sqq. לֹא־אוּכַל לְבַדִּי שְׂאֵת אֶתְכֶם *Non possum solus sustinere vos*, h. e. causas vestras audire et tantae multitudinis litibus intendere. — 10. וְהִנְּכֶם — לָרֹב *Et en! vos estis hodie sicut stellae coeli multitudine.* Cf. Gen. 15, 5. — 11. אֶלֶף פְּעָמִים *Mille vicibus*, millecuplo, ut 1 Chr. 21, 3. מֵאָה פְּעָמִים *centies*, centuplo major. — 12. טָרְחֲכֶם *Onus vestrum*, molestiam quam mihi creatis. — 13. הָבוּ לָכֶם *Date* igitur *vobis.* וַאֲשִׂימֵם בְּרָאשֵׁיכֶם *Et ponam eos in capitibus*, quasi capita eos vobis praficiam.

15 — 19. וָאֶקַּח *Sumsi*, constitui, quos populus elegerat. רָאשֵׁי שִׁבְטֵיכֶם *Capita tribuum vestrarum*, non intelliguntur dumtaxat duodecim Capita aut principes tribuum, sed etiam minores praefecti, ut quae sequuntur, docent. Ceterum Ex. 18, 25. Moses elegisse hos dicitur. Quae facta sunt a multis sub unius ductu, dicuntur fieri ab *illo* vel ab *illis*. De שֹׁטְרִים vid. Ex. 5, 6. — 16. שָׁמֹעַ *Audiendo*, sc. audite. Infinitivus pro Imper. ut Ex. 20, 8. זָכוֹר *memor esto!* Vid. et Jer. 2, 2. 3, 12. — בֵּין־

אֲחֵיכֶם *Inter fratres vestros*, causam de qua inter populares vestros agitur. וּשְׁפַטְתֶּם צֶדֶק וגו *Et judicate justitiam*, juste disceptate, *inter virum*, quemque, *et inter fratrem ejus*, h. e. inter ipsos Hebraeos, *et peregrinum ejus*, intelligendus גֵּר תּוֹשָׁב *peregrinus inquilinus*, nondum circumcisus. Nam circumcisorum eaedem erant leges, seu Hebraei, seu alienigenae essent. — 17. לֹא תַכִּירוּ פָנִים בַּמִּשְׁפָּט *Non agnoscetis facies in judicio*, de iis judicabitis quasi de hominibus perinde ignotis, notos ignotis non praeferetis. כַּקָּטֹן כַּגָּדֹל תִּשְׁמָעוּן *Sicut parvum ita magnum*, tenuem aeque ac potentem *audiatis*. לֹא תָגוּרוּ מִפְּנֵי־אִישׁ *Ne timeatis a facie viri*, neminem timeatis, non minas potentium. כִּי־הַמִּשְׁפָּט לֵאלֹהִים הוּא *Nam judicium est Dei.* Cf. ad Ex. 21, 6. — הַדָּבָר — אֵלַי *Res quae difficilior erit vobis*, *admovebitis mihi*, de causa autem, quae vobis nimis difficilis erit, ad me referte. Cf. Ex. 18, 26. — 18. וָאֲצַוֶּה *Praecepi etiam;* sic particula ו sumenda est quoque Lev. 7, 16. Prov. 24, 27. — 19. וַנֵּלֶךְ אֵת כָּל־הַמִּדְבָּר *Et peragravimus totum illud desertum.* Eadem loquendi forma Job. 29, 3.: אֵלֵךְ חֹשֶׁךְ *perambulabo tenebras.* דֶּרֶךְ הַר הָאֱמֹרִי *Per viam montis Amoraeorum*, pergendo recta Amoraeorum montana versus. Amoraei meridionalem Cananaeae traetum incolebant.

22—28. Cf. ad Num. 13, 1. sqq. וְיַחְפְּרוּ לָנוּ אֶת־הָאָרֶץ *Ut explorent nobis hanc terram.* חָפַר proprie *fodere*, *fodiendo quaerere*, hic est *explorare*, ut Jos. 2, 2. 3. Job. 39, 29. — 24. וַיִּפְנוּ וַיַּעֲלוּ *Et versi sunt et adscenderunt.* פָּנָה de abeuntibus solet usurpari, quod ii humeros convertunt. עַד־נַחַל אֶשְׁכֹּל Vid. Num. 13, 24. — 25. וַיִּקְחוּ בְיָדָם *Sumserunt in manus suas*, i. e. secum, ut Gen. 24, 10. — 26. וַתַּמְרוּ אֶת־פִּי יְהוָה *Rebellastis contra os*, mandatum, *Jovae.* מָרָה passim eum Accusativo construitur, ut Vs. 43. 9, 23. Jos. 1, 18. — 27. וַתֵּרָגְנוּ בְאָהֳלֵיכֶם *Et murmurastis in tentoriis vestris*, quae ipsa verba de eodem facto, ex h. l. haud dubie deprompta, usurpantur Ps. 106, 25. בְּשִׂנְאַת יְהוָה אֹתָנוּ *Propter odium Jovae nos*, i. e. adversum nos. Infinitivus seu Nomen verbascens, ut Gen. 19, 20.: בַּאֲהֲבָתוֹ אֹתָהּ *pro amore ejus*, *erga illam*, cf. etiam infra 7, 8. — 28. אֲחֵינוּ *Fratres*, i. e. populares *nostri.* הֵמַסּוּ אֶת־לְבָבֵנוּ *Liquefecerunt*, i. e. fregerunt, desperatum fecerunt animum nostrum. Eodem sensu נוּג *liquefieri* usurpatur Jos. 2, 9. Jer. 49, 23. בְּנֵי עֲנָקִים Cf. Num. 13, 22. 23.

31—33. אֲשֶׁר נָשָׂאֲךָ *Quod tulerit*, gestaverit *te.* LXX. ὡς ἐτροποφόρησέ σε, quo ipso verbo, de eadem re loquutus, utitur Paulus Act. 13, 18. כַּאֲשֶׁר יִשָּׂא־אִישׁ אֶת־בְּנוֹ *Sicut bajulare solet vir filium suum.* Similis imago summae Dei curae Num. 11, 12. Vid. et Ex. 19, 4. — 32. וּבַדָּבָר — אֱלֹהֵיכֶם *Et in hac re non creditis Jovae*, *Deo vestro;* ne per hanc quidem mirificam vestri sustentationem in deserto permoti estis ad fidem Deo haben-

dam. — 33. הַהֹלֵךְ לִפְנֵיכֶם *Ibat ante vos*, Ex. 13, 21. לָתוּר תּוּר לָכֶם מָקוֹם לַחֲנֹתֵכֶם *Ut exploraret locum stationibus vestris.* תּוּר enim proprie est *circuire* aliquid, deinde, *circumspicere* explorandi causa. לַרְאֹתְכֶם Infinitivus Hiphil pro לְהַרְאֹתְכֶם (ut Ex. 13, 21. לַנְחֹתָם) *ut videre vos faceret*, sc. luce sua.

35—39. אִם־יִרְאֶה *Non videbit.* Notum est, in jurandi formulis particulam אִם negare; nam negat gravissime, qui dixerit, puniat me Deus, *si* (אִם) hoc vel illud faciam. Cum vero Deus ipse jurat, ante hoc אִם supplendum videtur חָלִילָה לִי *profanum mihi* esto! Id quod exprimitur 2 Sam. 20, 20. Job. 27, 5. Quod ad rem cf. Num. 14, 23. 28. — 36. מִלֵּא אַחֲרֵי יְהוָה *Implevit* (et ivit) *post Jovam*, absolute, exquisite Jovam sequutus est; constanter pius fuit in Jovam. Verbum מִלֵּא h. l. habet vim adverbii ut saepe, veluti 1 Sam. 13, 7. חָרְדוּ אַחֲרָיו *trepidarunt* (et iverunt) *post eum*, trepide sequuti sunt. 1 Sam. 16, 4. וַיֶּחֶרְדוּ זִקְנֵי הָעִיר לִקְרָאתוֹ *properarunt seniores urbis* (et iverunt) *obviam ei* propere obviam iverunt. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 826. — 37. גַּם־בִּי הִתְאַנַּף יְהוָה *Mihi quoque indignatus est Deus*, Num. 20, 10. 11. — 38. הָעֹמֵד לְפָנֶיךָ *Qui coram te stat*, ut administer, qui tibi servit. אֹתוֹ חַזֵּק *Confirma eum*, jube cum esse animo forti. יַנְחִלֶנָּה *Possidendam tradet eam* terram Israelitis, hic Israelitas immittet in hujus terrae possessionem. — 39. אֲשֶׁר לֹא־יָדְעוּ הַיּוֹם טוֹב וָרָע *Qui discrimen inter bonum et malum ignorant*, descriptio infantis omnium rerum ignari, cf. Jon. 4, 11. Aetas adultior dicitur, quae novit malum rejicere, bonum eligere, vid. Jes. 7, 14. 15, 6. Sic Hom. *Od.* 20, 309. *novi quae bona, quae mala sunt, fueram puer inscius ante.*

41—46. וַתַּחְגְּרוּ אִישׁ אֶת־כְּלֵי מִלְחַמְתּוֹ *Et accinxistis quique instrumenta belli sui*, i. e. arma vestra sumsistis. Pron. suff. apponitur posteriori nominum constructorum; cf. ad Jes. 2, 20. וַתָּהִינוּ non est vertendum cum Clerico, *parastis vos*, sed, *contemsistis*, neglexistis Dei monitum, et adscendistis montem contra hostes. Nam Arab. radix הון s. האן in Conj. 4., quae respondet Hiphil Hebraeorum, significat *contemsit*, *vilipendit*, *despexit*. Magnopere confirmat hanc interpretationem locus Num. 14, 44., ubi quod hic exstat verbum per עָפַל *negligere* exprimitur. — 43. וַתָּזֵדוּ *Petulanter et proterve vos gessistis*, mandatum meum neglexistis. Verbum זיד proprie notat *tumescere*, atque usurpatur de olla bullientc, Gen. 25, 29. nec non de aquis fluvii altius intumescentibus, Ps. 124, 5. Deinde זיד transferri solet non tantum ad fastum et superbiam, sed audaciam insolentem et contumaciam indomitam. Vid. Deut. 17, 12. 13. 18, 20. Convenit הֵזִיד cum הֶעְפִּיל tam in propria quam in translata significatione. — 44. וַיֵּצֵא הָאֱמֹרִי *Prodiitque Amoraeus.* Conf. Num. 14, 45. כַּאֲשֶׁר תַּעֲשֶׂינָה הַדְּבֹרִים *Sicuti facere solent apes*, quae mirum in modum solent eos, qui ipsas irritarunt, insectari, ut ultionem su-

mant. Hinc iis acerrimi hostes comparantur, vid. Jes. 7, 48. Ps. 118, 12. Cf. Bochartı *Hieroz.* P. II. Lib. IV. Cap. 10. T. III. p. 360. edit. Lips. Syrus addit: *fumigatae*, vel, *fumo irritatae.* Et interp. Arab. manuscriptus: *et expulerunt vos sicut expelluntur apes fumo.* Qui interpres תֵּעָשַׁנָּה *fumigantur* videntur legisse; levi in literis mutatione, nec sensu incommodo. Notum enim est, eos qui castrant alvearia, apes prius fumo absterrere. בְּשֵׂעִיר *In Seir*, i. e. ad Seiris montis radices, nam Seiris montana, quae Idumaei incolebant, ingressi non sunt Israelitae; vid. 2, 1. — 46. בְּקָדֵשׁ *In Cades*, i. e. in deserto, quod est ad austrum Cades; nam ad austrum converterat se agmen. כַּיָּמִים אֲשֶׁר יְשַׁבְתֶּם *Pro diebus, quibus* illic *mansistis*, ut ipsi nostis. Alii: *prout* antea, ante reditum exploratorum, *satis diu illic mansistis.*

Cap. 2.

Breviter commemoratur iter Israelitarum per desertum in terminis Idumaeorum et Moabitarum, cum quibus vetiti sunt a Jova pugnare. Item Sihonis regis, totiusque regionis huic subditae expugnatio.

1—5. וַנָּסֹב אֶת־הַר־שֵׂעִיר *Circumivimus montem Seir*, lentis nempe itineribus et varie errando, dum ad austrum redibamus. Cf. Num. 21, 4. sqq. יָמִים רַבִּים *Dies multos*, quibus hic anni complures intelligendi. Iste enim circuitus coeptus ab anno secundo de Cades-Barnea continuatus est usque ad annum 40; nam etiam hoc anno circumibant terram Idumaeorum, coll. Num. 20. 21. — 3. רַב לָכֶם סֹב אֶת־הָהָר הַזֶּה *Multum*, sive *satis est vobis circumivisse*, sat diu vagati estis circa *hunc montem.* פְּנוּ לָכֶם צָפְנָה *Convertite vos contra Aquilonem;* via scilicet, quae ad extremos Idumaeorum fines orientales et terram Moabitarum ducebat. Hoc praeceptum datum est sub initium anni 40., priusquam venirent Cadesam, cf. Num. 20. — 4. אַתֶּם עֹבְרִים *Vos transeuntes*, sc. תְּהִיוּ *eritis*, mox transituri estis. Partiecip. pro Fut., ut Gen. 6, 17. 2Reg. 4, 16. — 5. אַל־תִּתְגָּרוּ בָם *Ne incitate eos ad bellum.* Hanc enim *lacessendi* significationem גָּרָה cum ב personae constructum in lingua Chaldaica atque Syriaca habet. Saadias recte: *ne eos provocetis.* עַד מִדְרַךְ כַּף־רָגֶל *Usque ad calcationem plantae pedis*, quod vel plantâ pedis calcari possit ne tantillum quidem, ne minimam quidem partem.

6—8. אֹכֶל תִּשְׁבְּרוּ מֵאִתָּם בַּכֶּסֶף *Cibum ab eis emetis pecunia.* ב ante כֶּסֶף indicat pretium. Conf. Num. 20, 19. — 7. כִּי בֵרַכְךָ יְהוָה בְּכֹל מַעֲשֵׂה יָדֶךָ *Nam fortunavit te in omnibus negotiis tuis*, ita, ut satis vobis sit ad emenda illa necessaria. Ex h. l. apparet, Israelitas quadraginta illis peregrinationum suarum annis ab aliarum gentium consuetudine non separatos vixisse; sed commercia exercuisse cum gentibus, in quarum finibus degebant. Magna Israelitarum pars rei pecuariae operam dedit, ex qua satis lucrari potuerunt; nec decrant inter eos artifices, uti constat ex taberna-

culi suppelleetiliumque saerorum opificio. Cf. ad Ex. 35, 22. — יָדַע לֶכְתֶּךָ *Novit ire*, i. e. *iter tuum*, curam gessit itineris tui per desertum, prosperum fecit et in eo te variis beneficiis affecit. לֹא חָסַרְתָּ דָּבָר *Non eguisti ulla re;* verba copiae et inopiae construuntur cum sequente Accusativo, cf. Gen. 27, 45. Ex. 1, 7. — 8. וַנַּעֲבֹר מֵאֵת אַחֵינוּ *Transivimus vero a fratribus nostris*, deflexeimus ab eorum finibus, quum ultiorem transitum negarent, cf. Num. 20, 20. — מִדֶּרֶךְ הָעֲרָבָה *A via planitiei*, juxta Idumaeam, cf. 1, 1. — אֵילַת *Aelath* celeberrima ad maris rubri sinum orientalem extremum urbs, *Aelana* exteris dicta, a qua et ipse sinus nomen accepit Aelanitieus. Hodie haec urbs vocatur *Akaba*. Hieronymus: *Ailath in extremis finibus Palaestinae, juncta meridianae solitudini et mari rubro, unde ex Aegypto Indiam et inde Aegyptum navigatur.* עֶצְיוֹן גֶּבֶר itidem portus Edomitarum ad sinum Arabicum, et Num. 33, 35. commemoratus. וַנֵּפֶן *Defleximus* a regionibus cultis terrae Edomitieae.

9 — 12. אַל־תָּצַר *Ne hostiliter invadas.* עָר *Ar* Mosis temporibus et diu postea fuit Moabitarum metropolis. Videtur ex ea tota regio appellata fuisse, cf. Num. 21, 15. 28. *Abulfedae* (Tab. Syr. p. 90.) dicitur *Mab*, et *ar-Rabbath*, quod nomen vicus, qui illius locum occupat, etiamnum gerit. — 10. De אֵימִים *Emaeis*, vid. Gen. 14, 5. לְפָנִים *Antea*, olim, ut Vs. 12. 20. Jos. 14, 15. De עֲנָקִים cf. Num. 13, 22. Ceterum quae Vs. 10 — 12. et 20 — 23. inserta sunt de origine et sedibus gentium quarundam antiquissimis, probabile est a Mose addita esse, cum hos sermones ad legatos populi habitos, litteris mandaret. Alii tamen volunt, illa prorsus non esse a Mose, sed ab alia manu historiae illustrandae caussa addita. — 11. De *Rephaeis* vid. Gen. 14, 5. — 12. De חֹרִים vid. Gen. 36, 20 — 30. — וַיַּשְׁמִידוּם מִפְּנֵיהֶם *Et exterminaverunt eos a conspectu suo.* כַּאֲשֶׁר עָשָׂה יִשְׂרָאֵל לָאָרֶץ יְרֻשָּׁתוֹ *Quemadmodum facit*, i. e. in eo est, ut faciat *Israel terrae haereditatis suae.* Verba, quae actionem indicant, haud raro sunt capienda de re, quae in procinetu est, ut fiat. Non est igitur, cur haec verba post Mosen inserta arbitremur.

13 — 15. עַתָּה *Jam vero*, conjungendum hoc cum fine Vs. 8. De נַחַל זֶרֶד cf. Num. 21, 12. — 14. עַד־תֹּם *Donec absumta esset.* אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה *Virorum belli*, i. e. bello aptorum. Cf. Num. 31, 28. — 15. יַד יְהוָה *Manus Dei*, plaga, morbi pestilentiales. לְהָמֵם *Ut eos exturbaret*, quo significatu הָמַם et Ex. 23, 27. Jer. 51, 3. 4. occurrit.

19 — 23. וְקָרַבְתָּ מוּל בְּנֵי עַמּוֹן *Et propinquas e regione Ammonitarum*, accedes ad Ammonitas, victo Sihone, Num. 21, 24. אַל־תְּצֻרֵם *Ne hostiliter invadas eos*, ut Vs. 9. — וְאַל־תִּתְגַּר בָּם vid. Vs. 5. — 20. זַמְזֻמִּים MICHAELIS *Supplemm.* p. 627. existimat ex Meccana Arabia advenas, quum זמזם sit nomen fontis celebris prope Meccam. Alii זַמְזֻמִּים eosdem esse volunt ac זוּזִים

Gen. 14, 5. Saadias nomen videtur ad זָמַם *cogitavit, molitus est*, retulisse, vertit enim: *homines qui magna moliuntur.* Simonis in *Onomast. V. T.* p. 135., vel *viros superbos*, ex Arab. زمم *sursum sustulit caput, superbivit*, vel *gigantes*, coll. Arab. زمزم *vir crassus, fortis, audax*, nomine זַמְזֻמִּים indicari arbitratur. — 23. הָעַוִּים *Avvaei* oram Palaestinae maritimam ante Philistaeos incolebant, cf. Jos. 13, 3. 18, 24. — בַּחֲצֵרִים *In pagis*, vid. Gen. 25, 16. De כַּפְתֹרִים vid. Gen. 10, 14.

24—27. אֶת־נַחַל אַרְנֹן Cf. Num. 21, 13. — 25. Pro אָחֵל *incipiam*, LXX. legerunt הָחֵל *incipe*, ut Vs. praeced. תַּחַת כָּל־ הַשָּׁמַיִם *Sub omni coelo*, ὑπερβολικῶς dictum, nam intelliguntur gentes Hebraeis vicinae. אֲשֶׁר יִשְׁמְעוּן שִׁמְעֲךָ *Qui* cum *audierint famam tuam.* — 26. קְדֵמוֹת quod *anteriora* denotat, a *situ* orientem versus nomen videtur naetum esse. Hoc desertum eessit postea Rubenitis (Jos. 13, 18.). דִּבְרֵי שָׁלוֹם לֵאמֹר *Verba pacis dicendo*, qui humanissime rogarent. Conf. Num. 21, 21. — 27. בַּדֶּרֶךְ בַּדֶּרֶךְ אֵלֵךְ *Continenter in via publica ibo*, non deflectendo de ea. Sic Hebraei solent rei alicujus continuationem indicare verbis dupliciter positis, veluti Gen. 39, 10. *die die*, i. e. die ex die. Cf. infra 28, 43.

28. 29. Cf. Num. 20, 19. תִּשְׁבְּרֵנִי *Facies me frangere*, comparare (vid. Gen. 47, 14. 41, 15.); concede me comparare, potestatem hujus rei praebe. Verba, quae actionem sive effectum notant, haud raro de promissione seu concessione ejus rei sunt intelligenda, ut 1 Sam. 14, 36.: לֹא־נַשְׁאֵר בָּהֶם אִישׁ *non reliquum faciemus ex eis* (Philistaeis) *quemquam*, h. e. superesse permittamus. Jer. 15, 15.: אַל־לְאֶרֶךְ אַפְּךָ תִּקָּחֵנִי *ne in longanimitate tua auferas me*, ne ita longanimis sis erga persecutores meos, ut me consumant. — 29. כַּאֲשֶׁר — בְּשֵׂעִיר *Sicut fecerunt filii Esavi, qui in Seire habitant.* Hoc non repugnat iis, quae legimus Num. 20, 14—21., ubi Edomitae Israelitis transitum per corum ditionem negasse dicuntur. Nam de quibus in Num. agitur *Idumaei* (אֱדוֹם), qui Hebraeis transitum negarant, diversi sunt ab iis, qui hic memorantur, *filiis Esavi, qui in Seire habitant.* Hi igitur Esavitae, qui montana in australibus Palaestinae finibus, hodie *Dschebal* (גְּבָאל) dicta, tenebant, Hebraeis transitum concesserunt. Cf. *Alterthumsk.* P. III. p. 69. sq. Interpres Samar. h. l. pro שֵׂעִיר posuit גבלה, intellexit procul dubio eam regionem, quae Ps. 83, 8. גְּבַל vocatur nomine eodem, quod hodiernum tenet. Sita erat prope Ammonitas, Idumaeae proprie dictae ad orientem.

30—33. וְלֹא — בּוֹ *Sichon vero, Chesbonis rex, noluit pati nos eum*, i. e. ejus terram *transire;* vid. Vs. 27. De formula הִקְשָׁה יְהוָה אֶת־רוּחוֹ cf. Ex. 4, 21. כַּיּוֹם הַזֶּה *Sicut die hoc*, sc. patet; quod etiam factum est, ut 4, 20. Gen. 50, 20. — 31. הַחִלֹּתִי תֵּת לְפָנֶיךָ *Coepi ponere coram te*, i. e. in potestatem tuam tradere, ut 1, 8. — הָחֵל רָשׁ *Incipe occupa*, i. e. occupare inci-

pe; duo verba finita posita pro uno verbo finito cum Infinitivo; ut Num. 22, 6. אוּכַל נַכֶּה־בּוֹ *fortasse potero percutiemus*, fortasse possumus profligare eum. Cf. et Gen. 9, 20. — 33. Pro וְאֶת־בְּנוֹ *et filium ejus*, quemadmodum in textu exstat, ad marginem legi praecipitur וְאֶת־בָּנָיו *et filios ejus*, quod interpp. vett. omnes exprimunt. Eadem varietas est 33, 9.

34—37. וַנַּחֲרֵם *Devovimus eos* interneccioni, vid. Num. 21, 2. 3. — אֶת־כָּל־עִיר מְתִם *Omnem urbem virorum*, i. e. viros cujusque urbis; hypallage, qualis in vocibus in statu regiminis junctis haud infrequens, vid. Lev. 12, 4. 22, 4. Syrus: *et perdidimus omnes illas urbes plene*, funditus. Videtur מְתִם legisse. — 36. De עֲרֹעֵר vid. Num. 32, 34. עַל־שְׂפַת־נַחַל *Ad labium*, i. e. ripam *torrentis*. וְהָעִיר אֲשֶׁר בַּנַּחַל *Et urbs*, i. e. urbes aliae, *quae ad* illum *torrentem* sitae erant. אֲשֶׁר שְׂגֻבָה מִמֶּנּוּ *Quae altior fuerit quam nos*, quae munitior fuerit, quam ut a nobis capi possit. Munitarum nempe urbium alta erant moenia. — 37. לֹא קָרַבְתָּ *Non accessisti* ut eam invaderes (Vs. 19.). כָּל־יַד נַחַל יַבֹּק *Omne spatium torrentis Jabboc*, omnem illum tractum ad Jabboeum. יַד נַחַל est *ripa fluvii* vel *rivi*, cf. Ex. 2, 5. Num. 2, 17. Jes. 58, 8. — וְעָרֵי הָהָר *Et urbes regionis montanae*, Ammonitae fines suos etiam praesidiis firmaverant, ut dicitur Num. 21. Verbum צִוָּה hic vertendum est *interdixit*, ut 4, 23. Gen. 2, 16. 3, 11.

Cap. 3.

De expugnato Og, Rege Basanitico, ejusque et Sihonis terris, possessis ac distributis Rubenitis, Gaditis, Manassitis, brevis commemoratio. De negato transitu ultra Jordanem Mosi, Josuaque ad ceteros Cananaeos Reges debellandos corroborato.

1—5. Cf. Num. 21, 33. — 3. עַד־בִּלְתִּי *Donec non*, ut Jos. 8, 22. — 4. כָּל־חֶבֶל אַרְגֹּב *Totum tractum Argob*, cui et nomen חַוֹּת יָאִיר (Num. 32, 41.) fuit, cf. infra Vs. 14. חֶבֶל *Funis*, hinc tractus, regio. Nam (Am. 7, 17. Mich. 2, 5. Zach. 2, 5.) agri seu fundi extento fune metiri solebant, quod apud nos virga seu decempeda peragitur. Hinc חֶבֶל metonymice pro portione agri accipitur, quae alicui in dispertienda terra obtigit, ut Jos. 17, 14. 19, 9. — 5. לְבַד מֵעָרֵי הַפְּרָזִי *Seorsim ab urbibus*, praeter urbes (Num. 29, 39.) *planitiei* (coll. Arab. פרז *planities*), i. e. campestres, i. e. oppida minora, quae nos quoque vocare solemus *Landstädte;* opponuntur urbibus majoribus, munitis.

8—10. חֶרְמוֹן *Hermon*, jugum Libani, sub quo oritur Jordanes, hodie ab Arabibus *Dschebel-esch-Scheich*, i. e. *senis auctoritate conspicui* dictum, vid. *Alterthumsk.* I. II. p. 235. Cetcrum חֶרְמוֹן proprie significat *prominentem montis verticem.* — 9. Utrumque nomen, שִׂרְיֹן, quo Zidonii, et שְׂנִיר, quo Amoraei Chermonem montem appellarunt, idem significant, videlicet *lori-*

cam, illud coll. Syr. שִׂרְיֹנָא, hoc coll. Arab. سَنَام. „Apprime autem," inquit SIMONIS in *Onomast. V. T.* p. 71. not., „montibus altis id nominis convenit, quia naturali sua construetione praestant gentibus inexpugnanda munimina . . . . . Sic *Θώραξ*, *lorica*, nomen montis est in Magnesia; et pars Alpium vocatur *Brennus*, *Bren* autem, vel *Bryn* veteribus Germanis *galeam* notavit, ut ex antiquis earminibus heroum constat." Abulfedae aetate סניר appellabatur septentrionalis Libani pars, ubi subsidens in progressu et humilior Damasco est borcalior, Graecorum *Antilibanus*. Recenset Moses varia Libani nomina, quia intererat Israelitarum, quibus hic mons finis septentrionalis erat, varietate nominum non falli. — 10. כָּל־הַגִּלְעָד *Universum Gilead*, quae sc. sub ejus imperio erat; neque enim totam Gilead Og tenebat, sed mediam ejus tantummodo partem, ut indicatur Vs. 12. 13. Urbs סַלְכָה hodie *Salkhat* superstes adhuc est. Sita est urbs illa in extremis Hauranitidis finibus desertum versus. Vid. *Alterthumsk.* II. I. p. 284. II. p. 23. De אֶדְרֶעִי vid. Num. 21, 33.

11. מִיֶּתֶר הָרְפָאִים *De reliquiis Gigantum*, de quibus 2, 11. Gen. 14, 6., cf. Jos. 13, 12. — עַמּוֹן — הִנֵּה *Ecce lectus ejus, lectus ferreus, nonne est in Rabbath* urbe *Ammonitarum?* Mirum, lectum hujus regis Rabbae, Ammonitarum metropoli, et non potius Astarothae, urbe ejus regia (vid. 1, 41. Jos. 13, 12.) extitisse. Sed videntur Ammonitae bello eum Ogo dimicantes lectum illum tanquam spolium, secum abstulisse. — Pro הֲלֹה Masorethae ad marginem praecipiunt הֲלֹא legere, quod ipsum et Cod. Sam. et 11 Codd. Kennicott. exhibent. הֲלֹא vero est i. q. הִנֵּה, ut 11, 30. Cf. GESENII *Lehrgeb* p. 834. Favent huic interpretationi LXX., qui habent *ἴδου*, consentientibus reliquis vet. interpp. *Rabbath* metropolis erat et regia Ammonitarum, sita ad fluvium Jabbok; postea, debellata a Ptolemaeo Philadelpho, Philadelphia appellata est. Abulfeda in sua Syriae descriptione p. 91. edit. Koehler. hanc urbem vocat *Amman* (2 Sam. 12, 26. רַבַּת בְּנֵי עַמּוֹן). *Urbs*, inquit, *est antiqua, quae jam ante Islamismum destructa est. Saepe ejus mentio fit in Annalibus Israelitarum. Nunc vero est ingens area ruderibus obsita.* Graeci illam urbem vocarunt *Ραββατάμμανα*. LXX. vero h. l. verterunt *ἐν τῇ ἄκρᾳ τῶν υἱῶν Ἀμμάν*, *in arce*, in urbe regia et regni arce, *filiorum Amman*. Rudera urbis supersunt. Vid. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 43. sqq. תִּשַׁע אַמּוֹת אָרְכָּהּ *Longitudo* (lecti) *est novem cubitorum*, et quidem secundum mensuram cubiti virilis (בַּאַמַּת־אִישׁ). Sub hoc vero cubito intelligitur proprius et naturalis, *inferior* nempe *pars brachii a flexu ejus usque ad manum*, sive staturae humanae pars sexta, quam nos vocamus *pedem*. Ex hac igitur mensura Ogi lectus novem pedum longitudinem habuit; id quod non est incredibile. Longior enim procul dubio lectus homine. Gigas, *Bernardus Gilli*, a. 1766. mense Martio in multis Germaniae locis visus,

quatuor cubitorum Goettingensium et sex digitorum statura repertus est; hunc novem pedum lectus non dedecuisset. Ceterum scite monet Dathius, hanc pericopam a seriore manu insertam esse; minime enim necesse fuisse, ut Moses Israelitas doceret, Ogum fuisse gigantem, qui eum viderant, et proelio cum eo decertarant. Deinde quae de ejus lecto narrantur, Israelitis non potuerunt innotescere, antequam David hanc Ammonitarum metropolin expugnaret, 2 Sam. 12, 26., multo minus Mosi, qui non longe post illud proelium cum Ogo commissum e vita discessit.

12—14. וַחֲצִי הַר־הַגִּלְעָד *Et dimidium montis Gilead*, partem nempe ad meridiem Jabboki sitam, cf. Vs. 16. לָרְאוּבֵנִי וְלַגָּדִי Cf. Num. 32, 33. Jos. 12, 6. — 13. De חֶבֶל vid. Vs. 4. — יִקָּרֵא אֶרֶץ רְפָאִים *Vocari solebat terra gigantum.* Fama de gigantibus, qui olim hanc regionem incolucrint, etiamnum in Arabia superest, eosque gigantes sex-cubitales fuisse tradit, terramque in qua habitarint, *Hadrach* (cf. Zach. 9, 1.) vocat. Haec Michaelis ab Arabe fide digno trans Jordanem tribus circiter milliaribus a Damasci urbe nato relata refert in notis ad vers. vernac. h. l. — 14. יָאִיר בֶּן־מְנַשֶּׁה *Jair Manassis filius*, i. e. abnepos ex filia cf. Num. 32, 4. Hic Jair non est confundendus cum eo, qui fuit judex populi Hebraci post Tholam, de quo Jud. 10. — עַד־גְּבוּל הַגְּשׁוּרִי *Usque ad terminum Geschuris.* Geschur erat populus ab Oriente Jordanis in Gileaditicis vicinia, ut apparet partim ex hoc loco, partim ex Jos. 12, 5. 13, 13. 1 Chr. 2, 23., fortasse ad aliquem Jabboki aut alius fluvii pontem; vox enim Hebraica in omnibus dialectis cognatis *pontem* denotat. מַעֲכָה regio, quae 1 Chr. 19, 6. אֲרַם מַעֲכָה *Syria Maachensis* vocatur, videtur in orientali Jordanis ripa infra Antilibanum sita fuisse. Memoratur et Jos. 12, 5. 13, 11. 13. — וַיִּקְרָא אֹתָם עַל־שְׁמוֹ אֶת הַבָּשָׁן חַוֹּת יָאִיר *Et vocavit eas nomine suo Basan villas Jairi*, i. e. terram Basan vocavit (Jairus) nomine suo Jairis villas. Cf. Num. 32, 41. — אוֹתָם non potest referri ad חֶבֶל, sed in animo videtur Moses habuisse חַוֹּת. Verba עַד הַיּוֹם הַזֶּה non esse a Mose, sed ab alia manu, res ipsa loquitur. Moses enim iis uti non potuit, quia inde ab occupatione istorum pagorum usque ad mortem ejus pauci menses praeterierc. Ista enim omnia ultimo vitae ejus anno evenerunt. Num. 32, 40., ubi id ipsum a Mose loco suo proprio narratur, non addita est illa formula.

16—20. וְעַד־נַחַל אַרְנֹן *Usque ad torrentem Arnon.* Incipit describere circumeundo, quibus terminis tota illa duarum tribuum terra contineatur. A meridie constituit torrentem Arnon (vid. Num. 21, 13.), et quidem mediam et extremam ejus partem (תּוֹךְ הַנַּחַל וּגְבֻל) quae in mare mortuum fluit. Verba וּגְבֻל וְעַד־יַבֹּק הַנַּחַל secundum Accentus ita sunt distinguenda, ut גְּבֻל referatur non ad וְעַר, sed ad nomen הַנַּחַל, quod praecedit, hac sententia: *et dedi Rubenitis et Gaditis* מִן־הַגִּלְעָד *a Gilead us-*

que ad fluvium Arnon, תּוֹךְ הַנַּחַל וּגְבֻל *medium fluvii et termini*, vel *terminum*, id est omne illud, quod est inter fluvium et hunc terminum, vel, ut Jarchi, fluvium et aliquid amplius pro termino, *et usque ad Jacob fluvium*, *terminum filiorum Ammon.* — 17. וְהָעֲרָבָה *Et planitiem* ad orientalem Jordanis ripam. וּגְבֻל—הַמֶּלַח *Et terminus* est *a Cinnereth* (de quo vid. Num. 34, 11.) *usque ad mare planitiei*, id est, *mare salis*, i. e. mortuum: quod tractum planitiei illius occupat, quam Jordanes permeat. *Mare planitiei* autem lacus ille vocatur. תַּחַת אַשְׁדֹּת הַפִּסְגָּה *Sub radicibus Pisgae.* Proprie אַשְׁדֹּת sunt *effusiones*, hinc, montium radices, quia ad eas largi rivi effunduntur. Cf. ad Num. 21, 15. — 18. וָאֲצַו אֶתְכֶם *Jussi vos*, sc. Rubenitas, Gaditas et dimidiam tribum Manasses. De חֲלוּצִים vid. Num. 31, 3. — בְּנֵי חַיִל *Filii fortitudinis*, viri fortes, ut Jud. 18, 2. 1 Sam. 14, 52. — 19. יָדַעְתִּי כִּי־מִקְנֶה רַב לָכֶם *Novi vobis multos greges esse.* Haec verba in parenthesi sunt includenda. — 20. בְּעֵבֶר *Trans* Jordanem, ad occasum hujus fluvii, vid. ad 1, 1.

24. 25. 29. אֲשֶׁר *Nam*, quia, ut Genes. 31, 49. — 25. אֶעְבְּרָה־נָּא *Transeam*, *quaeso*, i. e. transire mihi liceat. הָהָר הַטּוֹב הַזֶּה *Regionem montanam illam fertilissimam.* In Oriente enim regiones montanae, fontibes rivisque irriguae, admodum fertiles et amoenae sunt (vid. ad 1, 1.). Hic vero intelligit Moses montana, quae ad Libanum porriguntur, Galilaeam, regionem fertilissimam. — 29. וַנֵּשֶׁב בַּגָּיְא מוּל בֵּית־פְּעוֹר *Consedimusque in Gai*, *e regione Beth-Peoris.* גַּיְא quod proprie *vallem* denotat, ut גַּי, hic ut Num. 21, 20. infra 4, 46, et 34, 6., procul dubio est nomen proprium loci, cujus situs Num. 21, 20. describitur De בֵּית־פְּעוֹר vid. Num. 23, 28.

Cap. 4.

Hortatur Moses Israelitas ad divina praecepta servanda, seque in omnem partem versans, nunc eos laudando, nunc divina beneficia commemorando, nunc coelum terramque contestando, nunc interminando a divinae legis violatione, inprimisque deastrorum cultu dehortatur. Tres refugii civitates trans Jordanem a Mose separatae.

2. 3. לִשְׁמֹר *Observando*, i. e. ita ut observetis, seu: sed observetis. — 3. עֵינֵיכֶם הָרֹאֹת *Oculi vestri videntes*, הָיוּ fuere, i. e. viderunt. Particip. pro Praeterito, ut Ex. 10, 11.: כִּי אֹתָהּ אַתֶּם מְבַקְשִׁים, sc. הֱיִיתֶם *fuistis*, h. e. hoc enim quaesivistis. Ex. 13, 21.: יְהוָה הֹלֵךְ לִפְנֵיהֶם *Jova antecedens eos*, הָיָה *fuit*, antecessit eos. בְּבַעַל פְּעוֹר *Propter Baal-Peoris* cultum, cf. Num. 25, 3. sqq. Recte Onkelos: *in iis*, *qui colebant idolum Peor.*

6—11. כִּי הִוא—הָעַמִּים *Nam hoc sapientia vestra et prudentia vestra sit in oculis gentium*, sc. vicinarum, i. e. hoc (illarum legum observatio) sapientiae et prudentiae laudem vobis apud alias nationes conciliabit. — 7. אֲשֶׁר־לוֹ אֱלֹהִים קְרֹבִים

אֱלָיו *Cui adeo propinqui sint Dii sui*, tam parati auxilium ferre; nam quibus sumus propinqui, eos possumus adjuvare. — 9. וְהוֹדַעְתָּם לְבָנֶיךָ וְלִבְנֵי בָנֶיךָ *Cognoscere facias*, tradas *ea* quoque *filiis et nepotibus tuis.* — 10. יוֹם pro אֶת־יוֹם *diem inprimis*, se. הוֹדַעְתָּ *doceas filios tuos*, Vs. praeced. Vel pendet ab אֲשֶׁר רָאוּ עֵינֶיךָ *quae viderunt oculi tui die* illo, quo stetisti coram Jova, et quae porro sequuntur. Respicitur ad ea, quae Ex. 19, 16. narrantur. לְיִרְאָה אֹתִי *Ad timendum me*, ut me timeant. Feminina Infinitivi verbi יָרֵא forma, quae fere sola in usu est. — 11. עַד־לֵב הַשָּׁמַיִם *Usque ad cor coelorum*, i. e. usque ad medium coelum. *Cor* animalis, qui propemodum in medio pectoris et interius in corpore est, per metaphoram pro rei enjusque medio seu interiore parte accipitur. Sic 2 Sam. 18, 14. *in corde quercus*, in media quercu.

16—19. תַּבְנִית זָכָר אוֹ נְקֵבָה *Formam masculi vel feminae*, qualia erant Osiridis et Isidis, aliaque multa Aegyptiorum simulaera. — 18. מִתַּחַת לָאָרֶץ *Sub terra*, infra terrae superficiem, quae aqua superior est, ut 5, 8. Vid. ad Ex. 20, 4. — 19. אֲשֶׁר חָלַק יְהוָה וגו׳ *Quae* (sidera) *Jova Deus tuus reliquis totius terrarum orbis gentibus divisit*, quae cultu divino prosequerentur, ut unus populus solem, alius lunam, rel., coleret. Versu proximo subjicitur: *at vos sumsit Jova.* Hebraeis familiaris est loquendi usus, ex quo hominum facta et consuetudines, instituta a Deo profecta solent appellare.

20. 21. מִמִּצְרַיִם — וַיּוֹצֵא *Duxitque vos e fornace ferri*, *ex Aegypto.* כּוּר הַבַּרְזֶל notat *fornacem ferri*, *fornacem* sive *officinam ferrariam* (Germanis, *hoher Eisenofen*). Rotunda solet esse forma (unde nomen hebr. ductum, radix כּוּר enim in dialecto Arab. denotat *rotundus fuit*), triginta fere aut plurium pedum altitudine, strata habens carbonum mineraeque ferri contusae, sibi invicem imposita, ita tamen ut summum stratum carbonum esse oporteat, ingenti folle ignem exsufflante, qui pulchrum oculis et terribile spectaculum praebet. In hac fornace ferrum ex minera excoquitur, flagrantissimo et acerrimo, quem ars metallurgorum efficere potest, igne. Ob hunc vero ignis ardorem non ferendum, et ob adspectum, quem noctu inprimis praebet, terribilem, talis fornax apte dicitur de servitute ista intoleranda, qua Israelitae in Aegypto pressi fuerunt, cujusque memoria iis terribilis esse debebat. נַחֲלָה *haereditaria possessio*, i. q. 7, 6. סְגֻלָּה *peculium*, *peculiaris possessio.* — 21. עַל־דִּבְרֵיכֶם *Propter res vestras*, vestrum caussa. Redit ad id quod jam 1, 37. 3, 26. tetigerat. Cf. Num. 20, 12.

24—28. אֵשׁ אֹכְלָה *Ignis absumens*, sui contemtorum acerrimus ultor, ut 9, 3. — 25. וְנוֹשַׁנְתֶּם בָּאָרֶץ *Et* si *inveteraveritis in terra illa*, diu in eo habitaveritis. LXX. χρονίσητε. — 26. הַעִידֹתִי בָכֶם הַיּוֹם אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ *Testes voco contra vos hodie coelum et terram*, totam rerum naturam, ut 8, 19.

30, 19. 32, 1. Jes. 1, 2. In verbis quae sequuntur conjunge אֲשֶׁר לֹא־תַאֲרִיכֻן שָׁמָּה *quo*, trajecto Jordane, ibitis, ad eam occupandam. יָמִים עָלֶיהָ *Non prolongabitis dies super ea*, non manebitis diu in hac terra. Cf. Vs. 40. 30, 18. — 27. וְהֵפִיץ יְהוָה אֶתְכֶם בָּעַמִּים *Dispergetque vos Jova inter gentes*, ut 28, 64. — וְנִשְׁאַרְתֶּם מְתֵי מִסְפָּר מִמְתֵי מִסְפָּר *Pauci numero supereritis.* מְתֵי מִסְפָּר proprie *homines numeri*, i. e. pauci, cf. ad Gen. 34, 30. Jes. 10, 19. — 28. מַעֲשֵׂה יְדֵי אָדָם *Opus manuum hominis*, Dii factitii, arte humana fabricati.

29 — 34. וּבִקַּשְׁתֶּם מִשָּׁם אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Illinc autem quaeretis Jovam Deum vestrum*, cognita idolorum vanitate Deum verum iterum invocare incipietis. וּמָצָאתָ *Et invenies*, sc. eum tibi propitium, iterum sentietis vobis faventem. כִּי תִדְרְשֶׁנּוּ וגו׳ *Si quaeres eum cum toto corde tuo et cum toto animo tuo*, si modo toto animi affectu eum quaesiveritis, non verbis solis vel precibus. — 30. בַּצַּר לְךָ pro בַּצַּר אֲשֶׁר לְךָ *in angustia* quae *tibi* erit, vel pro בְּהְיוֹת צַר לְךָ *cum angustia tibi fuerit.* Cf. Jud. 11, 7. כַּאֲשֶׁר צַר לָכֶם *cum angustia vobis* est. — 32. כִּי שְׁאַל־נָא לְיָמִים רִאשֹׁנִים *Nam interroga quaeso dies priores*, praeteritorum seculorum historias evolvite. וּלְמִקְצֵה הַשָּׁמַיִם עַד קְצֵה הַשָּׁמַיִם *Ab* una *coeli extremitate usque ad alteram*, ab una coeli plaga usque ad alteram oppositam; totum genus humanum. — 33. וַיֶּחִי *Et* tamen *vixit*; salva vita. Ex opinione vulgari illorum temporum, Deum ab homine salva vita spectari non posse, cf. Gen. 16, 3. 42, 31. Ex. 20, 19. Jud. 6, 31. — 34. בְּמַסֹּת *Tentationibus.* Intelliguntur plagae, quibus Deus tentasse sistitur Pharaonem ut Israelitas dimitteret. וּבְיָד חֲזָקָה וּבִזְרֹעַ נְטוּיָה *Manu forti et brachio extenso*, per maxima divinae potentiae documenta, cf. 3, 19. — וּבְמוֹרָאִים גְּדֹלִים, *Et terroribus magnis*, i. e. factis terrorem incutientibus. Sed textus Samar. habet במראים *in visionibus* magnis, quod exprimunt LXX. *ἐν ὁράμασι*, Vulgatus, *per visiones*, nec non Chaldaei et Syrus.

37. 38. וְתַחַת כִּי *Et pro eo quod*, ut 21, 14. Apodosis sequitur Vs. 39. וַיִּבְחַר בְּזַרְעוֹ אַחֲרָיו *Et elegit semen ejus post eum.* Sed quum Pluralis אֲבֹתֶיךָ praecedat, scribendum fuerat בְּזַרְעָם אַחֲרֵיהֶם, quod legitur in textu Samar., et plurimi interpp. vett. exprimunt. Verum non dubium est, quod codices Masorethici exhibent esse genuinum. In mente habuit Moses proavorum Hebraeorum unum praecipuum, Abrahamum vel Jacobum; unde constructione excidit. בְּפָנָיו *In facie sua*, i. e. ipsemet. LXX. non exprimunt. Vulgatus posuit *praecedens;* ita et Arabs Erpenii. Onkelos: *in verbo suo.* Syrus et Saadias exprimunt Hebraicum. — 38. כַּיּוֹם הַזֶּה *Sicut hodie*, sc. facit; cf. 2, 30.

41 — 43. Quae tribus his Vss. afferuntur de urbibus refugii, loco alieno huc illata sunt. Difficile enim est credere, Mosen, quum sermonem ad populum a se habitum vel scriberet, vel scribi curaret, ea adjecisse, quae eum exhortationibus superioribus nihil plane

commune habent. Num. 35, 14. constituerat Moses, esse tres urbes asyli ad orientem Jordanis deligendas, sed quaenam eae esse deberent, tunc nondum decreverat. Illae quum postea designatae essent, earum nomina hic recensentur. Cur autem hoc potissimo loco, nec inter leges alias in hoc libro comprehensas esse causam probabilem afferre non habeo. — 42. בִּבְלִי־דַעַת *In defectu scientiae*, imprudens, ex ignorantia, ut 19, 4. Jos. 20, 3., i. q. בִּשְׁגָגָה Num. 35, 11. — מִתְּמֹל שִׁלְשֹׁם *Ab hesterna die et nudius tertius*, antea, ut Genes. 31, 2. — 43. בֶּצֶר Urbs in tribu Ruben ad ortum Jerichuntis, cf. Jos. 20, 8. 1 Chr. 6, 63. — רָאמוֹת Urbs tribus Gad, cf. Jos. 20, 8. Eusebii temporibus Ramoth vicus fuit quindecim milliaribus a Philadelphia occidentem versus. Ex eo, quod Syris Damascenis hanc urbem eripere tentarunt reges Samariae 1 Reg. 4, 22. colligi potest, eam inter Damascum et Samariam esse sitam. Vid. *Alterthumsk.* II. 1. p. 275. גּוֹלָן Urbs in Basan, ut statim additur, data dimidiae tribui Manasse, cf. Jos. 21, 27. Euschius suo tempore villam praegrandem in Batanea *Gaulon* dictam memorat. Ab urbe גּוֹלָן regio vicina, a Peraea juxta ripam Jordanis orientalem usque ad Libanum, dicebatur Gaulanitis. Cf. *Alterthumsk.* II. 1. p. 127.

44—49. Hanc pericopam Vater ei quod inde a Cap. 5. usque ad finem Cap. 28. decurrit legum syntagmati indicis instar praemissam arbitratur. Nos contra pro adnotatione habemus adjecta sermoni primo a Mose in solenni legatorum populi conventu habito, 1, 6. — 4, 40. Novam libri sectionem 5, 1. incipere notatur in codd. Hebraicis ad normam majoribus traditam exaratis spatio majori inter Vs. 49. et Vs. 1. Cap. 5., cui nota פ inscripta, qua indicatur פָּרָשָׁה פְּתוּחָה *Sectio aperta*, ita vocata quod ab aperta linea incipit. Terminatur ea Cap. 6, 3. — 45. עֵדוֹת *Testificationes*, obtestationes, edicta, ut 6, 17. 20. — בְּצֵאתָם *Cum egressi essent*, Vs. 46. 23, 5. — 46. בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן Cf. Vs. 41. מוּל בֵּית פְּעוֹר Cf. 3, 29. — 48. מֵעֲרֹעֵר Vid. 2, 36. — שִׂיאוֹן notat *elatum*, *altum*, pro נְשִׂיאוֹן a נָשָׂא *extulit*, unde et per aphaeresin שִׂיא *elato*, sublimitas, Job. 20, 6. Hoc loco est nomen jugi montis Hermon; alius ejusdem montis jugis nomen duplex vid. 3, 9. — 49. De יָם הָעֲרָבָה vid. 3, 17. — תַּחַת אַשְׁדֹּת הַפִּסְגָּה Vid. ibid. et Num. 21, 15.

Cap. 5.

Decalogi praecepta repetuntur. Hinc commemorantur, quae ab exanimato metu populo ad montem Sinai dicta gestaque sunt, postquam audierant Jovam Decalogum e monte detonantem.

1—5. וּשְׁמַרְתֶּם לַעֲשֹׂתָם *Recordamini, ut ea observetis.* שָׁמַר h. l. id quod זָכַר, vid. Vs. 12. coll. Ex. 20, 8. — 3. לֹא אֶת־אֲבֹתֵינוּ *Non* enim tantum *cum patribus nostris* Jova hoc foedus iniit, quasi mortuis illis nihil illud ad nos nunc pertinerent; כִּי אִתָּנוּ אֲנַחְנוּ וגו׳ *sed* etiam *nobiscum*, *nobiscum* inquam *omni-*

bus, *qui hic* praesentes *sumus et vivimus.* אֲנַחְנוּ in Casu recto זֶה אֹתָנוּ subjunctum emphasin infert; exempla plura vid. in Gesenii *Lehrg.* p. 727. — 4. פָּנִים בְּפָנִים i. q. פָּנִים אֶל־פָּנִים Ex. 33, 11. *facie ad faciem* versa, ut homines cum hominibus colloquentes solent; coram. — 5. Hunc Vs. (praeter לֵאמֹר in fine ejus) parenthesi includendum esse, res ipsa ostendit. Monet et Jarchi, לֵאמֹר jungendum esse verbis דִּבֶּר יְהוָה עִמָּכֶם Vs. 4. Post decalogi promulgationem Moses interpres fuit inter Deum et populum, Ex. 20, 16. Neque solum propter timorem, sed etiam ex severa Dei lege populus montem non ascendit. Sed scriptores Hebraei in narrando non semper *ἀκριβείαν* adhibere solent. Atque ipse Moses deinde Vs. 19. sqq. accuratius res eo ordine, quo gestae sunt, enarrat. אָנֹכִי עֹמֵד — אֶת־דְּבַר יְהוָה *Ego stabam inter Jovam et inter vos*, *ut vobis dicta Jovae renuntiarem*, h. e. eram vester *μεσίτης*, interpres, internuntius, Dei ad vos legatus.

6 — 10. In repetitione decalogi (Ex. 20, 2 — 14.) Vs. 6 — 18. quaedam immutata sunt subinde, uti nos quoque solemus, si aliorum dicta repetimus. — 7. לֹא־יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים *Non sit tibi Deus alius.* Pluralis quem dicunt *excellentiae*, אֱלֹהִים, cum suo Adjectivo jungitur Verbo singulari, vid. Gesenii *Lehrg.* p. 710. Vel potest verti: *non sint tibi dii alii*, nomine plurali distributive accepto, cui Verbum singulare praemitti solet; vid. Gesenium p. 713. Ita LXX. *Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι.* עַל־פָּנַי *In conspectu meo*, ubicunque ego sum, i. e. ubique locorum. — 8. לֹא־תַעֲשֶׂה־לְךָ פֶסֶל כָּל־תְּמוּנָה *Ne facias tibi sculptile ullius figurae.* LXX. *Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ γλυπτὸν, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα.* Cf. ad Ex. 20, 4. — מִתַּחַת לָאָרֶץ Cf. 4, 18. — 10. וּלְשֹׁמְרֵי מִצְוֹתָו *Et iis*, *qui observant praecepta ejus.* Sed quum Deus in prima persona loquens inferatur, scribi debebat מִצְוֹתַי *praecepta mea*, quod ipsum Masorethae ad marginem legi jubent. Non tamen dubito, מִצְוֹתָו, quamvis minus correctum, esse genuinum; nam et alias subinde scriptores Hebraei, sui obliti ejus persona, quem loquentem indueunt, excidunt, et ipsi loquuntur.

12 — 16. כַּאֲשֶׁר צִוְּךָ יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Quemadmodum praecepit tibi Jova*, *Deus tuus.* Ad illam rationem, ob quam Sabbathum observari jussit Deus Ex. 20, 10. 11., h. l. (Vs. 14. 15.) alia additur. — 15. וְזָכַרְתָּ כִּי־עֶבֶד הָיִיתָ בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם *Memineris te servum fuisse in Aegypto*, ut benignius servos habeas et libenter patiaris, eos septimo quoque die quiescere; memor est Aegyptiacae servitutis, qua tibi nulla quies concedebatur, sed quotidianum a te pensum exigebatur. Vid. Ex. 5, 6. sqq. — לַעֲשׂוֹת אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת *Facere*, i. e. celebrare (ut 16, 10. Jos. 5, 10.) *diem Sabbathi.* — 16. לְמַעַן יַאֲרִיכֻן יָמֶיךָ *Ut producant se dies tui*, ut diu vivatis. Cf. Ex. 20, 12.

17 — 19. Pro עֵד שָׁוְא *testimonium falsitatis*, Ex. 20, 13. est עֵד שֶׁקֶר *testimonium mendacii*, mendax. — 18. Etiam ex hoc

Vs., si eum conferamus cum Ex. 20, 14. apparet, Mosen memoriter, non ex tabula recitasse haec praecepta. Nam in Exodo nomini אֵשֶׁת praemittitur בֵּית רֵעֶךָ *domus proximi tui*, quod hic in altero Versus hemistichio sequitur, ubi praeterea additur שָׂדֵהוּ, *agri ejus*. Tum pro תִּתְאַוֶּה, quod hic, in Exodo repetitur הַתְחַמֵּד. Post hunc Versum cod. Samar. plura inserta habet e Cap. 27, 2—7. hujus libri, ita tamen, ut alia addita, alia mutata sint. Sed tota illa pericopa hic loco plane alieno intrusa est. — 19. קוֹל גָּדוֹל וְלֹא יָסָף *Voce magna et non addidit*, sc. ultra loqui tam magna et terribili voce sicut illa erat, quod eam sustinere non poteratis, Ex. 20, 18. 19. Sive ut Jarchi exponit, *non addidit* amplius conspiciendum se praebere in illa pompa, qua in monte Sinai apparuit. Alii: non addidit alloqui totum populum, reliqua enim, quae Ex. 20, 21. sequuntur, ad Mosen solum dixit. Male Onkelos et Syrus acceperunt hic יָסַף significatu verbi סוּף (*cessare*): *cui non terminus esset.*

22—26. אִם־יֹסְפִים אֲנַחְנוּ לִשְׁמֹעַ *Si enim addentes* fuerimus *audire*, si porro audiverimus. — 25. הֵיטִיבוּ כָּל־אֲשֶׁר דִּבֵּרוּ *Bene fecerunt omnia, quae locuti sunt*, recte haec omnia dixerunt, ut 18, 17. Cf. Jerem. 1, 12. הֵיטַבְתָּ לִרְאוֹת *bene fecisti videre*, i. e. recte vidisti. — 26. מִי־יִתֵּן — מִי־אֹתִי *Quis dabit, ut sit cor eorum hoc iis ad timendum me*, utinam semper ita essent affecti, ut me timerent! Per מִי־יִתֵּן Hebraei solent exprimere Optativum, ut Ex. 16, 8.: מִי־יִתֵּן מוֹתֵנוּ *quis dabit mortem nostram*, h. e. utinam mortui essemus. Job. 11, 5.: *quis dabit Deum loqui, ut aperiat labia sua contra te*, i. e. utinam Deus loquatur et aperiat labia sua! Cf. quoque Num. 11, 29. 2 Sam. 19, 1. Vid. GESENII *Lehrg.* p. 795.

Cap. 6.

Dei ex toto animo dilectio praecipitur, divinorum praeceptorum observatio inculcatur, et posteris inculcari jubetur.

1—4. *Haec sunt praecepta, instituta et jura, quae mihi in mandatis dedit Jova, ut vos ea docerem observanda in terra, in quam possidendam transibitis.* Vid. Prolegg. — 2. לְמַעַן יַאֲרִכֻן יָמֶיךָ *Ut producant se dies tui.* Deum in praemium observationi legum suarum vitam producturum Israelitis, saepius inculcat Moses, cf. 8, 1. 30, 16. et Prov. 3, 1. 2. — 3. אֲשֶׁר *Ut*, ut 4, 40. כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָה *Quemadmodum Deus loquutus est*, i. e. promisit (Num. 10, 29.). אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ Vid. Ex. 3, 8. — 4. יְהוָה אֶחָד *Unus Jova*, h. e. nullum habemus Deum praeter unum Jovam. Occurrit ita Moses ei gentilium superstitioni, quae saepe unum eundemque Deum factitium, veluti Baalem, Jovem, sub diversis nominibus colebat, adeoque non solum plures Deos, sed etiam unum eundemque Deum diversis nominibus in plures alios longe diversos Deos quasi multiplicatum stulta religione venerabatur.

5—9. בְּכָל־מְאֹדֶךָ *Omni robore tuo*, omnibus viribus, quam maxime potes. מְאֹד h. l. nomen subst. cujus significatio petenda ex Arab. אד *robur*, *vis*, *potentia*. — 6. עַל־לְבָבֶךָ *Ad cor tuum*, tibi cordi erunt, ut 11, 18. Jer. 31, 33. — 7. וְשִׁנַּנְתָּם לְבָנֶיךָ *Acues ea*, i. e. inculcabis, infiges ea *liberis tuis*, quasi tela acuta. — 8. וּקְשַׁרְתָּם — עֵינֶיךָ *Haec alligate tanquam insignia manibus vestris, haec sint frontalia inter oculos vestros.* Non legem sed admonitionem continent verba Mosis, nec Israelitae phylacteriis ad superstitionem ex more populorum orientalium abutantur in terra, ubi phylacteria ejusmodi gestari solcant. Phylacteria gestari Moses non jubet, sed cavet, ne superstitiose gestentur, ut potius usibus piis et salutaribus Dei legumque divinarum admonitionibus inserviant. Recte Hieronymus (ad Matth. 23, 5.): *Praecepta mea sint in manu tua*, ut opere compleantur, *sint ante oculos tuos*, ut dic et nocte mediteris in eis. Ceterum vide ad Ex. 13, 9. — 9. Postibus, parietibus, oppidorum portis etiamnunc in Oriente inscribi solent sententiae, carmina vel Corani dicta.

10. 11. *Cum intromiserit te Jova Deus tuus in terram, quam juravit majoribus tuis, se tibi daturum, cum urbibus magnis et opulentis* (טוֹבוֹת), *quas non condideris*, (Vs. 11.) *aedibus plenis omnibus copiis, quas non impleveris, cisternis excisis, quas non cavaveris, vinetisque et olivetis, quae non plantaveris*, etc. טוּב *Omnis generis copiae.* בֹּרוֹת חֲצוּבִים *Cisternae excisae* in rupibus, ut aqua exciperetur, quales etiamnunc multae in Oriente inveniuntur.

13—19. Post תַּעֲבֹד decem codd. Hebraei et quinque Chaldaici additum exhibent וּבוֹ תִדָּבֵק ut 10, 20., ubi totus hic Vs. repetitur, consentientibus LXX, qui praeterea verba וְאֹתוֹ תַעֲבֹד reddunt καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, quasi לְבַדּוֹ additum legissent. Versionem Graecam sequutus est Jesus Matth. 4, 10. Luc. 4, 8. — וּבִשְׁמוֹ תִּשָּׁבַע *Et in nomine ejus jurabis*, quando jurabis, per Dei Israelis nomen jurato. — 14. אֱחֵרִים *Alios*, i. e. peregrinos. — 16. לֹא תְנַסּוּ אֶת־יְהוָה *Non tentabitis Jovam*, non de Dei omnipotentia dubitare eamque temere experiri debetis. כַּאֲשֶׁר נִסִּיתֶם בַּמַּסָּה Vid Ex. 17, 2. 7. Num. 14, 21. — 18. 19. *Facies quod rectum est et Jovae placet, ut tibi bene sit, adeasque possessionem bonae terrae, quam se tibi daturum majoribus tuis Deus juravit, et expellas e conspectu tuo omnes tuos hostes.* Vid. Prolegg.

20. 24. 25. מָחָר *Cras*, omne futurum tempus significat, vid. Gen. 30, 33. — מָה הָעֵדֹת *Quid praecepta illa?* Quid sibi volunt praecepta ista? quo jure data nobis et inculcata sunt? — 24. לְחַיֹּתֵינוּ *Ut nos vivere faceret*, incolumes servaret. כְּהַיּוֹם הַזֶּה *Sicut hodie* facit, uti videtis eventum comprobare. — 25. וּצְדָקָה תִּהְיֶה־לָּנוּ *Justitia nobis erit*, justi habebimur, ut meritum nobis reputabitur.

Cap. 7.

Prohibetur omnis cum Cananaeis societas et conjugium. Arae, luci, deorum simulacra destruenda. Hortatur rursum ad Jovae praecepta observanda, commemoratis ipsius beneficiis, additaque promissione perpetuae prosperitatis et divini auxilii, si id fecerint.

1—4. De gentibus, quae hic memorantur, Cananaeis, vid. Gen. 15, 19—21. „Eo Geneseos loco, ubi Deus Abrahamo agros harum gentium pollicetur, *decem* nomina proferuntur; verum illic nulla mentio Chivvaeorum; et praeter sex alia hic memorata leguntur Kenaei, Kenizaei, Kadmonaei et Rephaei. Sed videntur hae esse minores familiae, quae septem memoratis hoc in loco continentur, et quae ex tractibus, in quibus degebant, nomina duxerant diversa.“ Cleric. שִׁבְעָה גוֹיִם רַבִּים וַעֲצוּמִים מִמֶּךָּ *Septem gentes vobis majores et potentiores*, non singulae, sed conjunctis inter se viribus. — 2. וּנְתָנָם לְפָנֶיךָ *Cum dederit tibi eos* populos. Vid. ad 1, 8. — הַחֲרֵם תַּחֲרִים אוֹתָם *Devovendo eos devovebis*, delebis eos internecioni devotos (cf. num. 33, 52. Jos. 11, 11.). לֹא תִכְרֹת *Non pangas foedus eis*, cum iis. כָּרַת בְּרִית cum Dativo personae constructum h. l. significat, *aequis conditionibus pacem petenti concedere (einem eine Capitulation bewilligen)*. Severissima lex belli adversus Cananaeos, sed ob idololatriae periculum ab iis metuendum et perfidiam eorum necessaria. Cf. ad Ex. 23, 33. Cf. Mich. *J. M.* P. I. §. 62. Septem illi populi Vs. 1. memorati excipiuntur et 20, 16. 17., ne inter eos habeantur, quibus vita offerretur, si sese dederint. Neque tamen ab Hebraeis isti populi prorsus deleti sunt, coll. 1 Reg. 9, 20. 21. — 3. וְלֹא תִתְחַתֵּן בָּם *Ne affinitatem cum iis contrahatis*, ut in unum cum iis populum coalescatis. — 4. כִּי יָסִיר *Avertet enim.* Cf. 1 Sam. 12, 20.

5—10. De אֲשֵׁרִים *statuis Astartae*, deae Cananaeae, vid. Jes. 17, 8. — 6. קָדוֹשׁ *Sacer*, separatus. לְעַם סְגֻלָּה *In populum peculii*, peculiaris ipsi populus, Ex. 19, 5. — 7. לֹא מֵרֻבְּכֶם מִכָּל־הָעַמִּים *Non quia numerosiores eratis aliis populis.* חשׁק proprie *adhaesit*, hinc denotat peculiarem amorem quo aliquem prosequimur, conf. 10, 15. Genes. 34, 8. — כִּי אַתֶּם הַמְעַט מִכָּל־הָעַמִּים *Estis enim omnium populorum minimus.* — 8. כִּי מֵאַהֲבַת יְהוָה אֶתְכֶם וּמִשָּׁמְרוֹ אֶת הַשְּׁבֻעָה *Sed propter amorem Jovae erga vos. Et propter custodiam jurisjurandi.* Custodire jusjurandum dicitur is, qui id non violat. — 9. כִּי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ הוּא הָאֱלֹהִים *Nam Jova Deus tuus est Deus*, h. e. Jova solus Deus meretur dici. Alii aliarum gentium dii hoc nomine sunt indigni. הוּא hic vim verbi subst. obtinet, ut saepe alias. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 738. ה ante הָאֵל הַנֶּאֱמָן vid. videtur hic emphasin habere, Deus *ille* verax. לְאֶלֶף דּוֹר *Ad millesimam aetatem*, cf. Ex. 20, 6. — 10. וּמְשַׁלֵּם לְשֹׂנְאָיו *Suis osoribus autem rependet.* Osores Dei hic potissimum videntur dici idololatrae. Verba אֶל־פָּנָיו alii reddunt

palam; aliis videtur פָּנִים dictum esse pro Pron. reciproco, *ille, ipse*, ut Ex. 33, 15. 2 Sam. 17, 11., vertuntque verba אֶל־פָּנָיו לְהַאֲבִידוֹ *praesentissima pernicie.* Sed quum אֶל־פָּנָיו alias, ut Jos. 5, 14. 2 Sam. 14, 22. Ez. 43, 3. significet *ad faciem* s. *in faciem*, praestat, et hic interpretari *in faciem cujusque eorum*, ut ipsi videant et sentiant, se a Deo pleeti. לְהַאֲבִידוֹ *Perdendo eum.* לֹא יְאַחֵר *Non differt* poenam promeritam.

12—15. עֵקֶב proprie *calx*, hinc, *id quod sequitur*, *finis*, *praemium*, deinde, *propterea quod*, ut hic, et 8, 20. Num. 14, 24. — 13. וּבֵרַךְ פְּרִי־בִטְנְךָ *Et benedicet fructui uteri tui.* Sensus: neque uxor tua neque servorum tuorum uxores erunt infecundae. יִצְהָר *Oleum recens*, mox ut calcatum est, collato Arabico צהר *liquavit rem*, *unxit* caput *liquamine*, *Conj. 7. liquefactus est;* id quod תִּירוֹשׁ *mustum*, ratione vini, unde haec duo saepe conjunguntur, veluti 2 Reg. 18, 32. Hos. 2, 8. — שְׁגַר־אֲלָפֶיךָ וְעַשְׁתְּרֹת צֹאנֶךָ *Foetus* (שְׁגַר collato Syr. שגר *emisit*) *boum tuorum et foemellos ovium tuarum*, boum et ovium greges erunt foecundissimi, conf. 28, 4. 18. 51. — 14. בָּרוּךְ *Benedictus*, cui omnia ex voto cedunt, qui omnibus copiis abundat. — 15. כָּל־חֹלִי *Omnem infirmitatem*, omnes morbos. כָּל־מַדְוֵי מִצְרַיִם *Omnesque morbos Aegypti.* Intelliguntur morbi quidam Aegypto peculiares, cujusmodi erant variae cutis adfectiones *(Ausschläge);* veluti lichenes, nec non elephantiasis, pestis etc. Plin. *H. N.* 26, 1. *Aegyptum* dicit *talium vitiorum genetricem.* Ad hos morbos etiam referri posse videntur varia ulcerum genera, quae ab irata Iside immitti dicebantur. Etiamnum in Aegypto varii sunt peculiares morbi, praecipue oculorum vitia, variolae *(Kinderpocken)*, et pestis. לֹא יְשִׂימָם בָּךְ *Non imponet eos tibi*, non immittet tibi hos morbos.

16—20. וְאָכַלְתָּ אֶת־כָּל־הָעַמִּים *Devorabis omnes populos*, i. e. gladio eos consumes et internecione delebis. LXX. καὶ φαγῇ πάντα τα σκῦλα τῶν ἐθνῶν. Intelligunt de spoliis. כִּי־מוֹקֵשׁ הוּא לָךְ *Nam laqueus*, i. e. perniciosum *hoc tibi esset.* — 17. כִּי תֹאמַר בִּלְבָבֶךָ *At fortasse animum tuum subit.* Fortasse existimatis, vos illis gentibus debellandis impares esse. — 19. הַמַּסֹּת *Tentationes*, cf. 4, 34. Intelliguntur miracula in Aegypto patrata, quibus Deus periculum fecisse sistitur, utrum Aegyptii populum Israeliticum dimissuri essent nec ne. — 20. De הַצִּרְעָה vid. Ex. 23, 28. וְהַנִּסְתָּרִים מִפָּנֶיךָ *Qui se abdiderunt a facie tua*, propter vos, qui metu vestri ex urbibus in sylvas aut montes aufugerunt.

22—26. וְנָשַׁל *Sic expellet.* מְעַט מְעָט *Paullatim*, Ex. 13, 30. cf. Jud. 3, 1. — 23. וּנְתָנָם יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לְפָנֶיךָ Vide ad 1, 8. — וְהָמָם מְהוּמָה גְּדֹלָה *Magnum terrorem eis incussit*, sive fugavit, dispersit eos magno terrore ipsis inmisso. הוּם i. q. הָמַם, quod coll. Arab. הَמַם proprie est *liquefecit*, deinde *fugavit*, *dispersit.* מְהוּמָה *terror*, uti apparet ex 1 Sam. 5, 11. Jes. 22, 5. Prov. 15,

16. — 24. הַשָּׁמַיִם — וְהַאֲבַדְתָּ *Et perdes nomen eorum sub coelo*, universa corum regna ita destrues, ut numquam amplius restitui queant; neque eorum, neque regni sui ulla memoria supersit. לֹא יִתְיַצֵּב — אֹתָם *Nemo tibi sese opponet, usque eos perdidisti*, quamdiu exterminandis his populis eris occupatus, semper felix eris. — 25. לֹא־תַחְמֹד *Ne concupiscas*, concupiscens capias. כֶּסֶף וְזָהָב עֲלֵיהֶם *Aurum et argentum supra iis*, i. e. quo Deorum imagines ornatae sunt. פֶּן תִּוָּקֵשׁ בּוֹ *Ne illaqueris eo*, i. e. ne servatas statuas tandem incipiatis colere. — 26. (לֹא sc.) וְהָיִיתָ חֵרֶם כָּמֹהוּ *Ne sis devotum ut illud* aurum et argentum statuarum.

Cap. 8.

Iterum ad divina mandata servanda hortatur, deterretque Israelitas a deastrorum cultu, et divinorum beneficiorum oblivione, postquam terrae promissae deliciis et ubertate perfruiti fuerint.

2 — 5. לְמַעַן עַנֹּתְךָ לְנַסֹּתְךָ *Ut* Jova *affligeret te tentando te*, ut per mala inmissa te tentaret. לָדַעַת אֶת־אֲשֶׁר בִּלְבָבְךָ *Ad faciendum quod in corde tuo*, ut, quo essetis animo, exploraret. — 3. וַיְעַנְּךָ וַיַּרְעִבֶךָ *Et afflixit te et esurire te sivit*, fame te afflixit. לְמַעַן הוֹדִיעֲךָ *ut te doceret.* כִּי לֹא — הָאָדָם *Non pane tantum hominem vivere, sed omni eo quod egreditur ore Jovae.* לֶחֶם *panis*, hic denotat cibum solitum. מוֹצָא פִי־יְהוָה est *id quod Deus jubet.* Sensus est: non unam esse Deo viam alendorum hominum, cum possit cos alere sine cibis solitis, si velit quidpiam aliud in eorum locum succederc. In hunc sensum haec verba citavit Christus Matth. 4, 4. — 4. שִׂמְלָתְךָ — שָׁנָה *Vestes vestrae non fuerunt detritae, nec pedes vobis intumuerunt per hos quadraginta annos.* Sensus est, tantam fuisse Israclitis in Arabicis solitudinibus vestium copiam, ut non opus esset eas laceratas et longo usu tritas geri, non defuisse iis ad amictum nccessaria. Habuerunt enim Israelitae greges ovium, caprarum et boum copiosos (Num. 32, 1. Deut. 3, 1.), unde satis magna lanae et corii copia. Adfuerunt in populo textores peritissimi, qui pro Aarone et tabernaculo sacro nitidissima texerent vela et vestimenta. Mulicres adeo Israeliticae peritae erant artis textoriae, Ex. 35, 25. Hinc non est opus, ut cum Judacorum magistris existimemus miraculo esse factum, ut Israelitarum vestes non solum non usu adtritae essent, sed praeterea etiam cum corpore eorum crescerent. וְרַגְלְךָ לֹא בָצֵקָה *Pedes vestri non intumuerunt*, quoniam vobis non deerant calcei, neque eos nimis diu gestabatis, ut pauperes facere coguntur, unde fit, ut detritis soleis asperiore via laedantur pedes et intumescant. — 5. וְיָדַעְתָּ עִם־לְבָבֶךָ *Et scis cum corde tuo*, conscius tibi es, persuasus esse potes. עִם־לְבָבֶךָ pro בִּלְבָבְךָ (Vs. 2.). כִּי כַּאֲשֶׁר — יְיַסֵּרְךָ *Nam sicut erudit filium suum homo, ita Jova te erudivit*, paterno more te castigavit ad morum correctionem, non ad exitium, ut hostes punire solent.

7 — 9. אֶרֶץ נַחֲלֵי מָיִם *Terra quae habet torrentes et fluvios.* תְּהֹמֹת *lacus.* יֹצְאִים *Egredientes*, i. e. erumpentes, scaturientes. Moses Israelitis Palaestinam caram facturus, hanc terram comparat cum Aegypto, maximam partem plana et fontibus rivisque terram rigantibus fere carente; aqua enim, quae haud procul a Nilo effossa terra eruitur, huic fluvio originem debet. Palaestina quidem nostris terris comparata, non multis fluviis perennibus irrigua est; pluribus tamen quam Aegyptus gaudet, et ut maxima ex parte montuosa, ita torrentibus crebris per angustas valles post statas pluviarum tempestates praecipitantibus obnoxia. Multos quoque lacus habet Palaestina, veluti mare mortuum, lacum Genesareth, aquas Merom, multos Libani lacus, etc. Vid. *Alterthumsk.* II. I. p. 175. sqq. — 8. אֶרֶץ חִטָּה *Terra tritico abundans.* Palaestinam tritici fertilissimam fuisse, apparet jam ex 1 Reg. 5, 11. Hinc in nummis res Judaeorum exprimentibus vides messem eorum tribus spicis figurari. גֶּפֶן *Vino* sc. abundans. Hac quoque in re Palaestina Aegypto praestat. Aegypto enim vel nulla vel valde mediocris est vini cultura, quum terrae conditio ei minime faveat. Collibus enim caret, quas vites amant; in planitie vero ad maturitatem uvae pervenire non possunt, quod eo ipso tempore terra Nilo inundatur. Palaestina vero, quamquam maximas passa devastationes a Turcis, vini osoribus, multas tamen adhuc vineas habet. Vina ejus cum Italicis maxime comparari posse sapore dicuntur, et praecipue quae circa Hebronem nascuntur, summis praedicat laudibus Hasselquistus, comparans ea cum generosis Germaniae vinis, quae circa Rhenum crescunt. Ceterum cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. I. p. 235. אֶרֶץ זֵית שֶׁמֶן *Terra olivae olei*, i. e. quae fert oleum, ex cujus olivis faciunt oleum. Cf. Ex. 29, 2. — וּדְבָשׁ *Et melle*, vid. Ex. 3, 8. — 9. לֹא תֶחְסַר כֹּל בָּהּ *Non carebis omni in ea*, i. e. nulla re in hac terra egebitis. אֲבָנֶיהָ בַרְזֶל *Lapides ejus sunt ferrum*, terra metallis refertissima. Ferrum et aes (cujus statim mentio fit), duo metalla maxime necessaria sunt; nec potuissent Hebraei seorsim ab aliis populis vivere, si iis caruissent.

12 — 20. פֶּן־תֹּאכַל *Non* dum *comedis etc.* Apodosis sequitur Vs. 14. *ne efferat se cor tuum*, et Vs. 17. *ac dicas.* — 15. נָחָשׁ שָׂרָף Cf. Num. 21, 6. — 15. צְמָאוֹן *Loca siticulosa*, Jes. 35, 7. Ps. 107, 33. Nomine חַלָּמִישׁ indicari *porphyritem* sive *granitem*, verisimile fecit Michaelis in *Suppll.* p. 780. sqq., hoc maxime usus argumento, quod omnia circa Horebum et Sinaim saxa ex *granite rubescente* constent. Mavult vero hunc lapidem *porphyritem* appellare. Est autem saxum ex jaspide, quarzo, spate scintillante rubente, aliisque heterogeneis a natura compositum. — 16. לְהֵיטִבְךָ בְּאַחֲרִיתֶךָ *Ut tandem tibi benefaceret in sequenti vita tua.* — 17. עָשָׂה *Paravit*, ut Gen. 12, 5. אֶת־הַחַיִל *Opes istas*, Ps 72, 12. — 19. הַעִדֹתִי בָכֶם וגו׳ *Vobis jam certo assevero, vos certo perituros esse.* הַעִדֹתִי *Contestor vos*, testes vos voco

eorum, quae praedixi vobis, nempe vos perituros. — 20. עֵקֶב *Propterea quod*, vid. ad 7, 12.

Cap. 9.

Jubentur non sibi suisque meritis, sed Jovae victorias suas adscribere, et, ne quando ita se efferant, commemorat, quam turpiter in deserto a Jova rebellione defecerint, quam ob rem parum abfuerit, quin omnes a numine deleti fuerint, nisi numinis iram placasset Moses.

1—7. אַתָּה עֹבֵר *Tu trajiciens*, sc. eris, brevi trajecturus. הַיּוֹם *Hodie*, non diu post, brevi, ut Jos. 23, 14. — לָבֹא לָרֶשֶׁת גּוֹיִם *Ut eas ut possideas gentes*, earum agros. וּבְצֻרֹת בַּשָּׁמָיִם *Ad coelum usque munitas*, in altis montibus sitas. — 3. אֵשׁ אֹכְלָה *Ignis consumens*, i. e. instar ignis devorantis, ut 4, 24. — דִּבֶּר *promisit*, ut Vs. 28. Num. 10, 17. — 4. בַּהֲדָפָ *Cum eas expellet*, cf. 6, 19. Jos. 23, 5. — בְּצִדְקָתִי *In mea justitia*, ob merita nostra. — 5. בְּיֹשֶׁר לְבָבְךָ *Ob rectitudinem cordis tui*, ob animum tuum rectum, ob animi tui probitatem. — 6. קְשֵׁה עֹרֶף *Durae cervicis*, inflexibilis, qui sese voluntati alius non accommodat. Cf. not. Ex. 32, 9. — 7. זְכֹר אַל־תִּשְׁכַּח *Memento neque obliviscaris.* Vehementior fit adfirmatio, quando simul contrarium negatur; cf. 33, 6. הִקְצַפְתָּ *Ad iram concitasti*, ut Vs. 22. Ps. 106, 32. מַמְרִים הֱיִיתֶם *Rebelles fuistis.* עִם *contra*, ut Ex. 17, 8. Num. 20, 3. Jes. 3, 14.

9—12. בַּעֲלֹתִי הָהָרָה *Cum montem ascendissem.* וְאֵשֵׁב *Et commoratus sum.* — 10. כְּכָל־הַדְּבָרִים *Sicut* s. secundum *omnia verba*, i. e. omnia verba. Ita saepe similitudinis particulis indicatur res ipsa, veluti Num. 11, 1. Neh. 7, 2. Potest tamen hic similitudinis significatio retineri, cum *secundum ipsa verba*, prout prolata a Deo erant, scriptura in tabula expressa, atque illa hujus πρωτότυπον, haec illius ἀπεικόνισμα fuerit. — 12. מַסֵּכָה *Idolum fusum*, Ex. 32, 4.

14. 18. הֶרֶף מִמֶּנִּי *Desiste* itaque *a me*, sine me, Jud. 11, 37. 1 Sam. 11, 3. Onkelos: *intermittè precari coram me.* Contrario sensu hacc verba cepit Saadias, qui una cum proximo וַאַשְׁמִידֵם *et perdam eos*, illa sic reddit: *si abstineres a precando pro iis, consumerem eos.* — 18. Secundus hic in montem adscensus et quadraginta dierum noctiumque in eo commoratio, itemque Mosis pro populo oratio legitur Ex. 34.

21—28. וְאֶת־חַטַּאתְכֶם אֲשֶׁר־עֲשִׂיתֶם אֶת־הָעֵגֶל *Peccatum vestrum quod fecistis*, id est *vitulum.* Vitulum vocat per metonymiam *peccatum*, quia ille materia et objectum peccati erat. Ceterum notandum hic est ὕστερον πρότερον, nam ista vituli combustio (Ex. 32.) antecessit secundum Mosis ascensum in montem. — 22. Cf. Num. 11. — 24. מְיוֹם דַּעְתִּי אֶתְכֶם *Ex quo ego vos novi.* — 25. Redit Moses ad id, de quo Vs. 18. loqui inceperat, ad pecca-

tum aurei vituli cultu commissum. — 28. פֶּן־יֹאמְרוּ הָאָרֶץ *Terra* hic ponitur pro *terrae incolis*, ut Gen. 6, 11. 9, 1. 11, 1. 41, 30. al. Cod. Sam. habet עם הארץ, et omnes versiones antiquae *incolae terrae.* וּמִשִּׂנְאָתוֹ אוֹתָם *Aut quia eos oderat.*

Cap. 10.

Commemoratur, instauratas fuisse vice altera legum tabulas. De Aaronis morte, Levitis eorumque ministeriis paucula. Additur ad numinis reverentiam divinorumque praeceptorum observationem adhortatio.

1. 5. וְעָשִׂיתָ לְךָ אֲרוֹן עֵץ *Fac tibi arcam ligneam.* Hoc praeceptum Moses acceperat prius quam illud de secundis duabus tabulis lapideis, coll. Ex. 25, 10. cum Ex. 34, 1. Sed quia area ex parte hunc in usum fabricata erat, ut in ea tabulae legis reponerentur, factum est, ut Moses duo haec praecepta jungeret. — 5. וַיְהִי שָׁם *Ibique erant.* Lutherus vero, quem sequitur Michaelis, legit וַיִּהְיוּ שָׁם *ut sint ibi*, *wo sie bleiben sollen.*

6—9. Totus hic locus difficultatum plenus est, et primo quidem circa ea, quae hoc Versu et deinceps referuntur, haec occurrit difficultas, quid sibi velit haec interjecta narratio de nonnullis in deserto factis mansionibus, de Aaronis morte, de Eleazari in Pontificatum subrogatione, de Levitarum ad ministerium separatione, et quomodo haec cohaereant cum iis, quae proxime antea relata erant de secundis in monte conscriptis tabulis, de Areae fabricatione, et tabulis in ea repositis, vel cum iis, quae sequuntur Vs. 10. et deinceps, ubi rursum ad suam quam fecerat in monte quadraginta dierum et noctium moram, ut pro populo Deum exoraret, Moses revertitur. Ad haec tamen responderi potest, haec occasione ejus, quod Vs. praeced. dictum erat, inseri; dictum vero erat, has tabulas, quas tanti Israelitae faciebant, quasque tamquam divinum depositum studiosissime observari conveniebat, in Area fuisse repositas, et in illum usque diem ibi asservari, jam his paucis Versibus, ut certo constare possit, eas etiam tum ibi fuisse, docet, quibus rei tantae commissa esset custodia, Aaroni videlicet inprimis, Sacrorum velut supremo Antistiti, quo mortuo in eam curam et custodiam, quemadmodum et in Pontificatum suffectus fuerat Eleazarus, ejus filius, qui tum etiam superstes erat; quocirca obiter Aaronis mors et Eleazari subrogatio refertur, et quibus in locis, seu deserti mansionibus ea facta sint. Deinde vero, quia non solus per se Pontifex huic custodiae praefuit, sed per Levitas inferiores ministros magnam partem eam exsecutus est, qui noctes diesque excubabant, et observabant, ne quae rebus sacris injuria fieret, et Arcam, quando proficiscendum, humeris suis deferebant, ideireo post Aaronem et Eleazarum de Levitis ad sacrum hoc ministerium adscitis subjici videtur. Sed multo major est, quae in ipso hoc loco reperitur, duplex difficultas, quarum altera nascitur ex ordine mansionum, quae hic memorantur, si conferantur cum Num.

33, 31. sqq., altera ex loco, in quo Aaron obiise dicitur. Hic enim Hebraei eunt e puteis Bene-Jaacanis Moseram (ubi dicitur mortuus Aaron), e Mosera in Gudgodam, e Gudgoda in Jotbatham. Numerorum vero Cap. 33, 31. sqq., eunt e Moserothis in Bene-Jaacanem, e Bene-Jaacane in Chor-gidgadum, e Chor-gidgado in Jotbatham, e Jotbatha in Habronam, ex Habrona in Hetsjongeberum, Hetsjongebero Kadesum, e Kadeso in Horem montem, ubi moritur Aaron. Quod aliqui, ut hanc difficultatem tollant, *Mosera* diversum a Moseroth, et *Puteos Bene-Jaacan* locum diversum ab eo, qui in Numerorum loco nominatur *Bene-Jaacan*, faciant; non placet, siquidem *Mosera* non aliter a *Moseroth* distinguitur, quam singularis a plurali, et iisdem plane literis utrumque in Hebraeo scribitur. *Puteos* vero *Jaacanitos* quis credat locum esse diversum a *Jaacanis*, quum res eadem plane videatur utroque indicari, licet unum altero brevius pronuntietur. Quid enim? an forsan alias fuerunt *Putei Jaacanorum*, alias *Jaacani?* annon ubi incolae, ibi eorum putei? Accedit, quod hic post praedictas mansiones duae aliae referantur, *Gadgad* et *Jothbatha*, quae prorsus eaedem sunt cum duabus illis, quae Num. 33, 31. sqq. post *Moseroth* et *Benejaacan* referuntur. Quare alii nostrum locum cum altero illo ita conciliant, ut sumant, Israelitas bis ad eundem locum venisse, semel quidem ex *Moseroth* in *Benejaacan*, tum vero regrediendo ex *Benejaacan* in *Moseroth*. Altera autem difficultas est, quomodo nostro loco in Mosera mortuus ac sepultus dicatur Aaron, quum Num. 20. diserte referatur, eum in monte *Hor* mortuum esse, quod idem repetitur Num. 33, 28. et Deut. 32, 50. Augetur difficultas, si enim idem locus Mosera et Moseroth, hinc confici videretur, mortuum esse Aaronem jampridem priusquam ad montem Hor pervenissent; praecedit enim mansio ea, quae in Moseroth fuit, sexque aliae mansiones inter illam, et eam, quae in monte Hor fuit, intercedunt. Accedit, quod si Aaron in mansione Moseroth mortuus sit, sequitur, eum mortuum esse priusquam peccatum illud committeret, ob quod morte multatus dicitur (Num. 20, 12. 13.). Id enim peccatum admissum est in Cades, ea nempe mansione, quae proxime antecedit illam, quae facta fuit in monte Hor. Cui dubitationi ita fere solent occurrere, ut montem Hor et Mosera eundem dicant locum fuisse, ad quem secundo redierint Israelitae, ita tamen, ut mons solus Hor dictus fuerit, in quo Aaron obiit, adjacens locus, in quo castra metata, dictus sit Mosera seu Moseroth, et posterior quidem mansio a monte nomen acceperit, Aarone ibi mortuo; prior vero Moseroth dicta sit, ab eventu forsan, quod ibi Jova quosdam Israelitas insigni aliqua castigatione affecerit. Jam vero nova difficultas oritur Vs. 7., ubi Israelitae Moserothis Gadgadam, atque inde Jothbatham profecti narrantur, quae duae mansiones Num. 33. proxime sequutae dicuntur Moseroth et Benejaacan in itu *ante* Aaronis mortem et peccatum in Cades commissum: qui igitur fieri potest, ut hae man-

siones sequutae sint eam, quae habita est ad montem Hor, quo tempore Aaron obiit, maxime quum Num. 33. sequentes mansiones alia nomina habeant, Salmona, Phunon? Regressos vero ad eadem loca, in quibus prius castra fixerant post Aaronis mortem, parum est verisimile, id enim fuisset a Cananaeae aditu longius recedere, quum tamen anno illo quadragesimo, quo Aaron mortuus est, recto itinere in Cananaeam proficiscerentur, prout illis a Jova fuit imperatum, ut habetur supra 2, 3. Ex quibus tricis ita se expedire student, ut Praeterita Vs. 7. pro *Plusquamperfectis* accipiant, et hoc modo vertant: *unde* (Moserothis) *Gadgadam venerant, indeque profecti Jothbathae castra metati fuerant*, jam ante scilicet, quum ex praecedentibus mansionibus istis prima vice recesserunt, ut itaque hic totius sententiae sit sensus: Israelitas ex Bene-Jaacan Moserotham castra movisse, cum scilicet altera vice ad eum locum reditum fuit; quo in loco Aaron mortuus est atque sepultus, ex quo loco jam ante venerant Gadgadam, et inde Jothbatham, ut vel hinc colligi possit, *Beroth-Bene-Jaacan* et *Mosera* hic esse eadem loca cum *Bene-Jaacan et Moseroth* Num. 33, 31., quum hic et ibi ad eadem loca venisse dicantur. Cf. Lilienthal *von der guten Sache der göttl. Offenb.*, P. VII. p. 650. atque Buxtorfii *Anticrit.* p. 933. sqq., ubi et alia utrumque locum conciliandi tentamina recensentur. Videntur tamen haec omnia nimis artificiosa, partim etiam sine idoneis argumentis sumta. Quare jam Ludov. Capellus in *Crit. S.* L. 6. Cap. 7. §. 11. pag. 987. ed. Halens. totum hunc locum a seriore quadam manu, vel potius Librarii alicujus hallucinatione infultum credidit, cui sententiae et Dathius adstipulatur. Kennicotto vero in *Diss.* 2. *super ratione textus Hebr. Vet. Test.* p. 304. vers. lat. hic locus antequam conficeretur Versio Graeca Alexandrina, adeoque ante Christum natum, sic corruptus esse videtur, ut multa omitterentur, quorum lacuna explenda sit e Cod. Samar., qui hic cum Numerorum loco convenit, sed ex Critici, ut mihi videtur, alicujus Samaritani manu emendatricc. Nam interpretes veteres omnes non dissentiunt a lectione vulgata Codicis Hebraei. בָּעֵת הַהִוא (Vs. 8.) *Illo tempore*, quo vitulus aureus in deserto colebatur, et Aaron culpam morte puniendam sibi contrahebat.

10—15. Cf. 9, 18. Redit ad id, quod coeperat dicere, se aegre veniam impetrasse pro populo Hebraeo. — 11. לְמַסַּע לִפְנֵי הָעָם *Ad iter ante populum*, i. e. ut praecas populo. — 12. 13. Sensus horum Vss.: Deum ab Israelitis postulare nonnisi officia ea, quae et humanae naturae et saluti eorum sint convenientissima. — 15. רַק *Attamen*, ut 2, 37.

16—21. וּמַלְתֶּם אֶת־עָרְלַת לְבַבְכֶם *Circumcidite praeputium cordis vestri.* Hanc phrasin Symmachus Jer. 4, 4. recte interpretatus est, *ἀφελεῖσθαι τὰς πονηρίας τῆς καρδίας.* Hoc autem loco ea potissimum *πονηρία τῆς καρδίας* intelligitur, quae externo qui-

dem ritu et signo Deum Israelitarum ut verum Deum colit et observat, animo autem ad aliorum quoque Deorum cultum propensa est. Cf. et 30, 6. — 17. כִּי — הָאֱלֹהִים Solus Jova, Deus *vester*, inter eos, qui ab aliis dii habentur, hoc Dei nomine est dignus! אֲשֶׁר לֹא יִשָּׂא פָנִים *Qui non habet personarum respectum.* שֹׁחַד *Donarium*, quo quis corrumpitur. — 18. עֹשֶׂה מִשְׁפַּט יָתוֹם וְאַלְמָנָה *Caussam agit viduae et pupilli.* *Pupilli* et *viduae* nominibus Hebraei omnes eos solent comprehendere, qui auxilio humano destituti sunt. — 21. הוּא תְהִלָּתְךָ *Ille est laus tua*, i. e. quem laudibus illustrare debes. Verbum הָלַל coll. Arab. هَلَلَ proprie videtur significare *splenduit*, hinc in Piel, *fulgentem, splendentem reddere*, h. e. laudibus eclebrare. Hinc תְּהִלָּה *celebratio*, *laus*, et per metonymiam objectum laudis.

Cap. 11.

Diligens et studiosa legum divinarum observatio iterum commendatur, promissa omnium bonorum prosperitate iis, qui ea servaverint, contra interminata inopia et variis afflictionibus iis, qui ea neglexerint. Additur de bene et male precandi ritu in montibus Ebal et Garizim peragendo.

1—4. מִשְׁמַרְתּוֹ *Custodiam* s. observationem *ejus*, i. e. quae vult observari. כָּל־הַיָּמִים *Omnes dies*, se. *vitae tuae*, cf. 12, 1., ubi haec phrasis plene extat, כָּל־הַיָּמִים אֲשֶׁר אַתֶּם חַיִּים עַל־הָאֲדָמָה. — 2. Verba יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם — כִּי לֹא in parenthesin sunt ineludenda, et post בְּנֵיכֶם subaudiendum, *alloquor*. Alloquitur enim majores natu, qui ex Aegypto exierant et miraculorum in hac terra et in deserto patratorum recordabantur. Hos igitur testes oculatos esse vult. — 4. וַיְאַבְּדֵם יְהוָה עַד־הַיּוֹם הַזֶּה *Perdidit eos Jova usque hodie*, h. e. prorsus, nam qui in aquas delapsi sunt, neque post plures annos conspiciuntur, funditus periisse existimantur.

6—9. De Dathane et Abiramo vid. Num. 16, 31. sqq. אֶת־בָּתֵּיהֶם *Domos*, i. e. familiares, domesticos eorum. כָּל־הַיְקוּם *Omnem substantiam*, omnes res, facultates eorum. בְּרַגְלֵיהֶם *Cum pedibus eorum*, quas i. e. (facultates) secum habebant, τὴν (ὑπόστασιν) μετ' αὐτῶν uti LXX. bene vertunt. Cf. Ex. 11, 8. Jud. 4, 10. — 7. כִּי עֵינֵיכֶם הָרֹאוֹת *Sed oculi vestri viderunt.* Particula כִּי hic habet vim adversativam, „*sed* vos ipsi vidistis“; oppositum enim hoc est iis, quae Vs. 2. dicuntur, „non filios vestros alloquor.“ — 9. לְמַעַן תַּאֲרִיכוּ יָמִים Cf. 5, 16. אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ Cf. 8, 7. Ex. 3, 8.

10—12. הָאָרֶץ — מִצְרַיִם *Terra*, *quam possidendam a te ingrederis*, *non est ut terra Aegyptus*, quae fluviis et fontibus fere destituitur, cf. ad 8, 7. 8. — אֲשֶׁר תִּזְרַע — בְּרַגְלְךָ *Quam serere sementem tuam, et* i. e. quam a te consitam *pedibus irrigare debebas.* Intelligendum hoc est de machinis, quibus Aegyptii

aquam Niloticam hauriunt atque ad loca altiora deducunt, quae a Nilo non irrigantur. Describit illas machinas Philo, qui in Aegypto vixit, in libro *de confusione linguarum*, T. I. p. 410. edit. Mangey. his verbis: *Sicut se habet helix, instrumentum aquaticum. Nam ejus in medio, gradus quidam, quibus agricola, ubi terras vult irrigare, insistit: circumvolvitur autem necessario: at ne decidat, semper firmum aliquid, quod prope est, manibus amplectitur, quo sustentetur, totum corpus habens pendulum: nam pedibus manuum vice, manibus pedum vice utitur; stat enim manibus, per quàs agere solemus, agit autem pedibus, quibus nos solemus stare.* Similem machinam describit NIEBUHR *Reisebeschr.* P. I. p. 149., qui et iconem adjecit. Vocatur talis machina סאקיה תדיר באלרגל *Saki tdir beridschel*, i. e. machina rigatrix, quae in gyrum circumagitur pedibus, id quod plane respondet Mosaico הִשְׁקִיתָ בְרַגְלְךָ *irrigasti pede tuo.* כְּגַן הַיָּרָק *Sicut hortum olerum* irrigare debes. Niebuhr machinam modo descriptam Kahirae ad horti irrigationem adhibitam vidit. — 11. לִמְטַר הַשָּׁמַיִם תִּשְׁתֶּה־מָּיִם *Pluviae coelestis aquam bibit*, scil. terra Cananaea. Ita Palaestinam etiam describit ABULFEDA, Hamathae rex, in sua *Syriae descriptione*, p. 9. *Palaestina*, inquit, *utitur pluvia, arboresque ejus et sata rigantur tantum a coelo, solam Neapolin excipias, quae scatet rivis manantibus. Palaestina fertilissima Syriae provincia est.* Illud ipsum vero, quod Palaestinae agri pluvia irrigantur, facit ut haec terra frumentum produceat multo pinguius, quam Aegyptus, cujus segetes Nili tantummodo aquis irrigantur. NIEBUHR *Descr. Arab.* p. 152. largissimas exoptatissimasque Palaestinae narrat messes: messis enim, inquit, agri, qui fluviatili inundatur aqua, multo minoris aestimatur, quam qui pluviali fecundatur aqua, unde secundum exactam supputationem viginti modios prioris hujus tritici aequare quindecim tantummodo posterioris, et farinam quoque multo meliorem esse invenies. Hinc Arabum Geographi regiones dividere solent in *salubres*, i. e. eas, quae pluviali irrigentur aqua, et in *insalubres*, quae fluviatili inundentur aqua. — 12. אֶרֶץ — אֹתָהּ *Terra in quam inquirit Jova*, cujus gerit curam, ut Ps. 9, 13. Job. 3, 4. Hos. 9, 13. — עֵינֵי יְהוָה *Oculi Jovae*, cura singularis Dei.

14—20. יוֹרֶה *Pluvia autumnalis*, quae etiam dicitur πρώϊμος seu *prima*, quod annus Hebraeorum e septimo mense, Octobri circiter nostro, incipit, in quo illa prima est. Cadit illa pluvia post jactam sementem, sub finem Octobris perque Novembrem et Decembrem; per totam enim aestatem non pluit ad Septembrem usque, quo per paucos aliquando dies aridum solum pluvia recreatur. Post Decembrem desinunt imbres usque ad mensis Martii finem; quo vero tempore descendit rursus pluvia, messem antecedens, eam promovens, et segetem in stipulis suis implens. Haec pluvia dicitur מַלְקוֹשׁ (coll. Syr. לָקַשׁ *tardavit, serotinus fuit*),

a Graecis ὄψιμος, a Latinis *serotina*. Tempore messis nullus aut rarissimus tamen cadit imber, quod summo etiam jure maximas inter Palaestinae praerogativas est ponendum, quum in aliis regionibus messis tempore multae saepius et largae praecipitentur aquae. Cf. *d. a. u. n. M.* P. VI. p. 192. — 15. וְאָכַלְתָּ וְשָׂבָעְתָּ *Comedes et saturaberis;* maxima erit omnium fructuum terrae copia. — 16. פֶּן־יִפְתֶּה *Ne pelliciatur* ad errorem, Job. 31, 27. Hos. 7, 11. — Ad Vs. 18—20. cf. 6, 8. 9.

21—24. כִּימֵי הַשָּׁמַיִם עַל־הָאָרֶץ *Sicut dies coeli super terram*, seu *secundum tempus coeli super terram.* Quae phrasis valet i. q. aliis in locis vox עוֹלָם, h. e. *quam diutissime, perpetuo.* — 23. וְיֵרַשְׁתֶּם *Ut*, deletis potentioribus illis gentibus, agros et facultates earum *possideatis*, cf. 1, 12. 12, 29. — 24. כָּל־הַמָּקוֹם אֲשֶׁר תִּדְרֹךְ כַּף־רַגְלְכֶם בּוֹ *Omnis locus, quem calcaverit planta pedis vestri*, h. e. quocunque arma circumtuleritis inter hos fines, ejicietis atque expelletis veteres colonos. מִן־הַמִּדְבָּר *A deserto*, scil. Zin sive Paran, i. e. a parte australi. הַלְּבָנוֹן positum pro עַד־הַלְּבָנוֹן *usque ad Libanon.* Opponuntur enim hic ditionis Israelitieae fines septentrionales et meridionales extremi, ut in verbis sequentibus occidentales et orientales. יָם הָאַחֲרוֹן *Mare occidentale*, i. e. mediterraneum, quod est Palaestinae ab occidente. Quemadmodum קֶדֶם, *pars antica*, mundi oriens est, Num. 2, 2., ita אָחוֹר *postica*, est occidens.

25—27. לֹא־יִתְיַצֵּב אִישׁ בְּפָנֵיכֶם *Non sistet se vir contra faciem vestram*, nemo vobis resistet. פַּחְדְּכֶם וּמוֹרַאֲכֶם יִתֵּן יְהוָה *Terrorem et tremorem vestri dabit*, injiciet *Jova*, cf. Gen. 35, 5. Ex. 23, 3. — 26. רְאֵה *Vide*, Singul. pro Plur. *videte*, videat unusquisque vestrum. אָנֹכִי נֹתֵן לִפְנֵיכֶם *Propono vobis.* בְּרָכָה וּקְלָלָה *Benedictionem et exsecrationem*, felicitatem et infelicitatem, ut eligatis, 30, 15. 19. — 27. אֲשֶׁר תִּשְׁמְעוּ *Si audieritis*, i. e. obedieritis. אֲשֶׁר hic valet i. q. אִם *si*, cf. 1 Reg. 8, 31.

29—32. וְהָיָה כִּי־יְבִאֲךָ יְהוָה *Tum dabis* sive *pones*, i. e. pronunciabis, pronunciandum curabis *benedictionem.* Montes *Garizim* et *Ebal* in ea terrae Canaan regione siti erant, quae postea obtigit tribui Ephraim. Urbs Sichem, quae hodie dicitur *Nablos*, inter eos montes media erat, et ita quidem ut Garizim ad austrum, Ebal ad septemtrionem illius urbis esset. Mons גְּרִזִים nomen videtur accepisse ab Arab. גָּרַז *abscindere*, quod verbum usurpatur de qualibet resectione vel amputatione, uti arborum, tritici etc. quo significatu hoc verbum ponit Saadias Gen. 37, 7. Hinc גֹּרְזִים notabit *scissores*, qui amputandi munere funguntur, *messores*, qui frumentum resecant. Mons ille itaque dictus erit *mons messorum* ob fertilitatem, a qua hic mons erat commendatus, opposite ad Ebal, qui sterilis erat. Alii a populo גַּרְזִי, cujus mentio fit 1 Sam. 27, 8., montem illum nomen nactum esse existimant. עֵיבָל

conferendum videtur cum Arab. עבל *foliis nudare arborem*, sive cum derivato אעבל *saxa albicantia*, et *mons* ipse, *in quo tales lapides inveniuntur*, quae suadere videntur, vel a sterilitate vel a saxis montem illum fuisse appellatum. Sic ipsa utriusque montis facies bene et male precandi ritum in eo peragendum luculenter exprimebat. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* II. I. p. 112. sqq. — 30. הֲלֹא h. l. i. q. הֲנֹה vid. ad 2, 11. — אַחֲרֵי דֶּרֶךְ מְבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *Post viam*, i. e. in latere viae regiae, quae pergit *ad occasum solis*. בְּאֶרֶץ הַכְּנַעֲנִי הַיּוֹשֵׁב בָּעֲרָבָה *In terra Cananaeorum, qui habitant in campestribus.* Regio enim a mari mediterraneo usque ad Sichem, quae regio igitur ad occasum montis Garizim est, plana existit atque campestris, ad orientem versus montana et saxosa; sic ut ipsi illi montes quasi in confinio regionis montosae et campestris siti sint. מוּל הַגִּלְגָּל *E regione Gilgal.* Non est intelligendum *Gilgal* prope Jerichuntem, quod post mortem demum Mosis a Josua id nomen accepit, Jos. 5, 8.. sed regio vel urbs quaedam Galilaeae, cujus mentio fit Jos. 12, 23. — אֵצֶל אֲלוֹנֵי מֹרֶה Cf. ad Gen. 12, 7. — 32. אֲנֹכִי נֹתֵן לִפְנֵיכֶם Vid. 4, 8.

Cap. 12.

Deastrorum cultus exterminatio denuo inculcatur. Offerri jubentur Sacrificia in eo loco, quem ad eum finem Jova electurus est, eodemque in loco occisis pacificis victimis stato tempore sacras solemnesque epulas jubentur Hebraei instituere. Extra statos festosque dies istos posse ubique occidi pecora et carnes edi, abstinendum tamen sanguinis esu.

2—6. וְתַחַת כָּל־עֵץ רַעֲנָן *Sub omni arbore virente*, quascunque aediculas aut aras sub lucorum umbra invenietis. Quovis modo cavet Moses, ne qua idololatriae occasio supersit. Cf. Cap. 7. — 3. וַאֲשֵׁרֵיהֶם Vid. 7, 5. — וְאִבַּדְתֶּם וגו׳ *Et perdetis nomen eorum ex hoc loco.* Ut nulla amplius mentio Deorum fiat, fanis solo aequatis. — 4. לֹא־תַעֲשׂוּן כֵּן לַיהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Non ita Jovam Deum vestrum coletis.* — 5. לָשׂוּם אֶת־שְׁמוֹ שָׁם *Ad ponendum nomen suum ibi*, i. q. Vs. 11.: לְשַׁכֵּן שְׁמוֹ שָׁם, *ad residere faciendum nomen ejus ibi*, ut ei sacra ibi fiant. *Nomen* hic significat invocationem et cultum Dei. לְשִׁכְנוֹ תִדְרְשׁוּ *Habitaculum ejus quaeretis.* לְשִׁכְנוֹ cum Syro est vertendum ut nomen, ut Dathius quoque fecit. Pro בָּאתָ *venies* cod. Sam. exhibet באתם, quod Verbum plurale et Suffixa pluralia praecesserunt. Sensus: ad hoc ejus domicilium convenietis, ut eum consulatis, sc. per Urim et Thummim. Quod hic Jova unico tantum loco ritu solenniori colendus praecipitur, in quo ipso loco et decimas ac primitias offerri (14, 23. sqq. 15, 20. 26, 2.), ibique festum paschatos (16, 5. sqq.), festum pentecostes (ib. Vs. 11.) et festum tabernaculorum (ib. Vs. 16. sqq.) celebrari, ibi denique de causis controversis sacerdotes consuli oportebat (17, 8. sqq.), DE WETTE (vid Prolegg.) ad templi Hierosolymitani et Levitarum auctoritatem san-

ciendam spectare arbitratur, et inter argumenta serioris, qua hic liber scriptus sit, aetatis habet. Exstare enim Ex. 20, 21. legem, qua de *uno*, quo saera faciunda sint, loco nihil omnino cautum, imo pluribus locis sacrificia offerri permissum, certe non prohibitum est. Sed quis non videt, pertinere hanc legem ad illud tempus, quo tabernaculum nondum exstructum esset? Quod ipsum sibi responsum iri, ipse praevidit Vir Doctissimus, sed nihil apud se valere ait, quippe cui persuasum sit, Pentateuchum posteriore aetate ortum esse et e pluribus libellis compositum. Nos vero et alii, quibus ista de Pentateuchi actate et origine sententia ineoncussis argumentis nequaquam evicta videtur, haud dubitamus in ea quam supra dedimus legis Ex. 20, 21. explicationc acquiescere. — 6. זִבְחֵיכֶם *Salutares vestrae*, i. e. eucharisticae victimae, de quibus Lev. 3. — וְאֵת מַעְשְׂרֹתֵיכֶם וְאֵת תְּרוּמַת יֶדְכֶם *Decimas et oblationes manuum vestrarum*, i. e. laborum vestrorum; de quibus itemque de votis, spontaneis donariis ac primogenitis, vid. Num. 17., de votis etiam et primogenitis Lev. Cap. ult.

7—12. וַאֲכַלְתֶּם־שָׁם לִפְנֵי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Et comedetis ibi in conspectu Jovae, dei vestri.* Solebant Israelitae iis solemnitatibus, quibus ad locum tabernaculi conveniebant (ter autem in anno hoc fiebat), agitare convivia et epulas illo loco, et hoc erat, *comedere, epulari, laetari in conspectu Dei.* Ad has epulas praeter domesticos et amicos invitabat is, qui epulas instituebat, Levitas, viduas, pupillos, advenas. De Levitis infra habes Vs. 12. 18. 19. et 14, 27. 29. De ceteris satis expressum est 16, 11. 14. Constabant autem hae epulae praecipue secundariis quibusdam decimis annuis, quae post decimas Leviticas separabantur; praecipit Moses de iis quoque 14, 22. Eae vel ipsae vel in pecuniam redactae ad tabernaculi locum conferebantur, et ex iis deinde pacificae victimae ceteraque, quae ad epulas necessaria erant, comparabantur. De his et aliis generibus decimarum, vid. Lev. 19. Accedebant ad harum epularum impensas etiam alia, quorum infra Vs. 17. mentio fit. Hinc intelligitur, cur Moses dicat אֲכַלְתֶּם וּשְׂמַחְתֶּם בְּכֹל מִשְׁלַח יֶדְכֶם *comedetis et laetabimini in cunctis ad quae miseritis manum;* haec enim decimae colligebantur et separabantur ex proventu annuo, qui manuum labore provenerat. אֲשֶׁר *Nam, quia*, ut Gen. 34, 27. 1 Reg. 8, 33. — 8. *Non facietis omnia, quae hic hodie facimus, quisque quod sibi rectum videtur.* Sensus: tum non ea omnia vobis licebunt, quae hic vobis licent, ubi pro arbitrio nostro vivimus. Moses non exigebat accuratam omnium legem suarum observationem dum Israelitae erant in deserto, multis rebus ad sacra necessariis destituti, et nondum satis adsueti novarum legum jugo. — 9. *Hactenus enim nondum ingressi estis locum quietis, seu possessionem, qua Jova, Deus vester, vos donabit.* אֶל־הַמְּנוּחָה *Ad requiem*, ad locum, ubi requies ab hostibus erit. — 10. Hic Versus est prothesis; *quum trajecto Jordane habitaveritis etc.* (וְהָנִיחַ *et requiem dederit*); sequitur Vs. 11. Apo-

dosis: tum ad locum, quem ille ad domicilium suum elegerit, afferre debetis etc. תְּרוּמָה est nomen satis late patens; hic significat *oblationes voluntarias*, non votivas, nam de his sequitur: מִבְחַר נִדְרֵיכֶם *Electionem votorum vestrorum*, quod vota de melioribus rebus erant solvenda, vid. Levit. 22, 20. seqq. — 12. וּשְׂמַחְתֶּם *Laetamini*; significantur hilaria convivia, quae agitare licebat solventibus vota, aut decimas illis absumentibus. Sapientissimum autem hoc fuit institutum, ne a religione abalienarentur plebis animi; praesertim cum is mos esset omnium, quas Israelitae viderant, gentium, ut festos conventus cum hilaritate celebrarent.

13 — 16. עֹלֹתֶיךָ *Holocausta tua*, videntur sub his intelligi cetera quoque genera hostiarum. — 14. Abrogatur h. l. lex de carne non comedenda nisi in epulis sacrificalibus, cf. ad Lev. 17, 3. — 15. רַק בְּכָל־אַוַּת נַפְשְׁךָ *Verumtamen in omni desiderio animae tuae*, i. e. pro lubitu vestro. תִּזְבַּח *Mactare* potestis; mactare licet. כִּבְרָכַת יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֲשֶׁר נָתַן־לְךָ *Juxta benedictionem, quam dedit tibi Deus*, pro ratione facultatum, quas dederit tibi Jova. בְּכָל־שְׁעָרֶיךָ *In omnibus portis*, i. e. urbibus *tuis*; cf. ad Ex. 20, 10. — כַּצְּבִי וְכָאַיָּל *Sicut gazellam et cervum*, i. e. ut cibum vulgarem. Illa enim animalia munda quidem erant ad privatos usus, sed in sacrificiis ea offerre non licebat. — 16. רַק הַדָּם לֹא תֹאכֵלוּ Cf. Lev. 3, 17. et infra 15, 23. כַּמָּיִם *Sicut aquam*, i. e. quasi rem profanam et nullo ritu sacro.

17. 19. לֹא תוּכַל *Non potes*, sc. licite, non licebit tibi, ut לֹא תוּכַל Gen. 34, 14. — מַעְשַׂר דְּגָנְךָ וְתִירֹשְׁךָ וְיִצְהָרֶךָ Cf. 14, 22. sqq. Lev. 27, 30. — וּבְכֹרֹת בְּקָרְךָ וְצֹאנֶךָ *Et primogenita bovilli tui et ovilli pecoris.* Primogenita comedenda non erant in cujusque domo sed in loco seu urbe, ubi tabernaculum sacrum erat, Vs. sq. At primogenita integra cedebant sacerdotibus, ex Num. 18, 17. Sed videtur sicut decimarum, ita quoque primogenitorum duplex fuisse genus. De decimis ad Vs. 7. Sic in animalibus quoque id, quod post primogenitum Deo sacrum primo natum esset ad epulas sacras adhiberi debebat. Hoc propric quidem fuit secundo genitum, sed potuit tamen primogenitum vocari respectu domini animal possidentis, cui primum illud partu obveniebat. Clericus quidem ad h. l. existimat בְּכוֹר hic denotare *optimum* seu *pinguissimum* ex usu hujus vocis satis noto, quo nonnumquam pro praestantissimo in suo genere dicitur. Sed huic sententiae obstat locus 15, 19., ubi eadem lex repetita extat, ibique dicitur *omnis*, כָּל הַבְּכוֹר. Sed durissima lex fuisset, si omnia armenta pinguia epulis sacrificalibus debuissent insumi. Melius placet sententia Bonfrerii, putantis, primogenita generis masculini offerenda fuisse Deo, sexus vero feminei in loco tabernaculi sacri comedenda. De his igitur hic esset sermo. וּתְרוּמַת יָדֶךָ *Oblationem elatam manus tuae*, i. e. labore vestro acquisitam. Intelliguntur enim primitiae fructuum quarto anno in loco tentorii sacri in epulis sacrificalibus

absumendae, ex praecepto Lev. 19, 23. 24. — 19. הִשָּׁמֶר־לְךָ וגו׳ *Cavete, ne negligatis Levitas omnes dies tuos super terram tuam*, i. e. numquam.

23—30. רַק חֲזַק *Tantum fortis esto*, persta in eo, ut 1 Chr. 28, 7., constanter abstine ab esu sanguinis. כִּי הַדָּם הוּא הַנָּפֶשׁ Cf. ad Gen. 9, 4. Lev. 11, 1. 17, 11. coll. 14. — 26. רַק קָדָשֶׁיךָ *Tantum sanctitates tuas*, i. e. quae a te consecrata erunt, Lev. 22, 16. Hoc pertinet ad superiora, docetque Moses, nequaquam opus esse, ut ad altare ducerent pecudes omnes, quibus vesci vellent, sed eas tantummodo, quae victimarum loco haberentur aut ex voto essent solvendae. — 27. וְעָשִׂיתָ עֹלֹתֶיךָ *Facies*, i. e. offeres *holocaumata tua*. Vid. Lev. 1, 3. sqq. — 29. כִּי־יַכְרִית *Si exciderit*. לָרֶשֶׁת אֹתָם *Ad haereditandum*, i. e. possidendum *eos*. Cf. 11, 23. — 30. פֶּן־תִּנָּקֵשׁ אַחֲרֵיהֶם *Ne in laqueum incidas post eos*, sc. eundo, eos imitando. אֵיכָה יַעַבְדוּ *Quomodo colunt?* Non eo consilio de cultu idolorum inquirere debetis, ut eum imitemini.

Cap. 13.

Jubentur falsi Prophetae occidi, qui populum a Jovae cultu conati fuerint ad deastrorum cultum avertere. Idem praecipitur de quolibet alio, quantumvis amicus vel sanguine propinquus extiterit. Urbes autem, quae a nonnullis civibus et contribulibus suis passae sibi fuerint aliorum deorum cultum persuaderi, exterminari et anathemate perdi jubentur.

1. 2. Vs. 1. pertinet ad Cap. 12, et prohibet, ne quid Israelitae in ritibus cultus divini praeceptis immutarent, accommodando se ad Cananaeorum mores abominabiles; id enim indicat loquutio וְלֹא תֹסֵף עָלָיו וְלֹא תִגְרַע מִמֶּנּוּ *nec addas ei nec detrahas quidquam.* — 2. חֹלֵם חֲלוֹם *Somnians somnium*, qui arrogat sibi somnium propheticum; qui dicit se somnia θεοπεμπτὰ habere eaque promulgat quasi monita divina. וְנָתַן *Et dederit*, i. c. verbis pronuntiaverit, ut 1 Reg. 13, 3. 5. Voces אוֹת et מוֹפֵת indicant *res miras*, *insuetas*, *prodigiosas*, *quas aliquis praedicit et quae implentur.* Ejusmodi res plebi ignotas peritus rerum naturalium impostor nosse iisque ad decipiendam plebem abuti potest. Cf. Mich. *J. M.* P. V. §. 245.

6—10. יוּמַת כִּי דִבֶּר־סָרָה עַל־יְהוָה Talis vates aut somniator *morte afficiatur*, *quia suasit defectionem a Jova.* Moriatur lapidatione (Vs. 11.), quia primariam civitatis Israeliticae legem de uno Deo creatore colendo evertere et plurium Deorum cultum inducere studuit. Cf. Michaelis l. l. §. 252. sq. לַהֲדִיחֲךָ *Ad depellendum* vel avertendum *te*, Vs. 11. 14. — מִן־הַדֶּרֶךְ אֲשֶׁר צִוְּךָ יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *A via quam tibi praecepit Jova, deus tuus*, a cultu divino legibus divinis sancito. וּבַעַרְתָּ הָרָע *Tolles* itaque talem hominem *malitiosum.* — 7. כִּי יְסִיתְךָ אָחִיךָ *Cum incitave-*

rit te vel *frater tuus.* אֵשֶׁת חֵיקֶךָ *Uxor sinus tui*, quae in sinu tuo cubat, i. e. tibi carissima. Cf. 28, 54. 56. Mich. 7, 5. — אוֹ רֵעֲךָ אֲשֶׁר כְּנַפְשְׁךָ *Sive proximus tuus qui instar animae tuae*, quem sicut te ipsum amas. — 9. לֹא־תֹאבֶה לוֹ *Non adsentieris illi*, cf. 33, 9. — לֹא תָחוֹס עֵינְךָ עָלָיו *Ne parcat oculus tuus ei*, non debes ei parcere. Eadem phrasis 8, 16., cf. ad Gen. 45, 20. Ez. 5, 11. — 10. כִּי הָרֹג תַּהַרְגֶנּוּ *Sed occides eum*, non privata auctoritate; sed ex iis, quae hic adduntur, satis liquet, exspectandam fuisse sententiam judicis et auctoritatem publicam, eum sententiae executio coram toto populo fieri deberet. Hinc LXX. ἀναγγέλλων ἀναγγελεῖς, περὶ αὐτοῦ, *annuntiabis de eo.* יָדְךָ תִּהְיֶה־בּוֹ בָרִאשׁוֹנָה לַהֲמִיתוֹ *Manus tua sit in eo primum ad occidendum eum*, i. e. ad supplicium, quo talis erit adficiendus, tu primum admovebis manus; tu delator vel testis primus lapidationem incipies. Id in omni lapidatione fieri solebat, conf. 17, 7. Joh. 8, 5. 7.

14—17. Vocem בְּלִיַּעַל Michaelis in *Supplemm.* p. 1119. ab *ascendendi* significatu, quem Verbo יָעַל tribuit, proprie denotare putat *minime altum*, et morali significatione sumtum, *abjectum ad omnia scelera et dedecora (niederträchtig, weggeworfen).* Sed Verbi יָעַל forma Cal, quae non occurrit in V. T., haud diversae significationis ab Hiphil, הוֹעִיל *profuit*, fuerit, ut בְּלִי יָעַל proprie sit *qui nil prodest*, unde אַנְשִׁים בְּנֵי בְלִיַּעַל *nullius frugi homines* erunt. Plura de hac voce disseruimus ad Ps. 18, 5. — 15. וְדָרַשְׁתָּ *Tum inquires* in eam rem. הֵיטֵב *Bene faciendo*, quam optime potes, diligentissime, ut 9, 21. וְהִנֵּה *Si*, ut Lev. 13, 5. נָכוֹן הַדָּבָר *Certum*, ut Gen. 41, 32. — 16. הַחֲרֵם אֹתָהּ *Internecioni devovendo eam*, Lev. 27, 29. Num. 21, 2. Similis lex Ex. 22, 19. — 17. וְאֶת־כָּל־שְׁלָלָהּ כָּלִיל *Et totam ejus* (urbis) *praedam in totum.* Sapienter hoc fuit institutum, ne ob divitias vicinis invidiosas et avide diripiendas talis urbs deleretur.

Cap. 14.

Ritus quidam Gentium funebres prohibentur. Servandum discrimen animalium mundorum et immundorum. Nonnullae aliae leges de decimis, ubi et quibus in rebus eae consumendae sint, feruntur.

1—4. לֹא תִתְגֹּדְדוּ *Non incidetis* sc. carnem vestram cultro aut unguibus, cf. Lev. 19, 28. וְלֹא־תָשִׂימוּ קָרְחָה בֵּין עֵינֵיכֶם *Neque ponatis calvitiem inter oculos vestros*, in fronte resectis crinibus, qui imminent oculorum interstitio. Non tondebitis capitis partem, quae respondet parti illi, quae est inter oculos. לָמֵת *Propter mortuum.* — 2. Videtur ille lugendi mos apud gentes Cananaeas idololatricas usitatus fuisse, et fortasse eum aliqua superstitione conjunctus. Vult igitur Moses h. l. talem ritum non esse imitandum a populo, quem sibi elegerat Jova. — 4. Cum iis, quae nunc sequuntur, cf. Lev. 11, 2. sqq.

5 — 12. צְבִי *Gazellae* species, Antilope Dorcas. De hoc animali ejusque usu ad esum fusius egimus in adpendice ad librum Arviosianum, p. 225. sqq. יַחְמוּר haud dubie idem est animal quod Arabes etiamnum eodem nomine vocant. Est animal circa Euphratem frequens ex gazellarum genere, rufum, cervo simile et serratis cornibus. Nomine אַקּוֹ plerique vett. interpp., tres Chaldaei, duo Arabes, Syrus ac plerique Judaei intelligunt *ibicem.* LXX. et Vulgatus voc. אַקּוֹ in versione omiserunt. Nil liquet de hujus nominis significatu. De דִּישׁוֹן copiose disputavit Boehartus. Sequitur is LXX., qui vertunt *πύγαργον*, quo nomine hodie historiae naturalis scriptores insigniunt gazellam quandam maculas in clunibus albas cinereasve habentem. Cf. annotatt. nostras ad Boehartum T. II. p 269. תְּאוֹ Boehartus probare studuit indicare *orygem*, speciem quandam gazellarum in Aegypto et Africa frequentem. Sed SHAW in *Itinerario* p. 359. vers. germ. non *orygem*, sed *bubalum* esse contendit. Cf. nott. nostr. ad Boehartum T. II. p. 369. זֶמֶר LXX., Vulgatus et Arabs uterque intellexerunt *camelopardalum*, nobis quoque nomine Arab. זِرَافَة *Girafe* dictum. Sed de hoc animali nostro loco non est cogitandum, quod intimae tantum Aethiopiae est indigenum; neque verisimile, Mosem Israelitis in Palaestina degentibus vetuisse esum animalis Aethiopici. Boeharto זֶמֶר est *rupicapra*, sed ex etymologicis solum argumentis. Plura vide in MICHAELIS *Supplemm.* p. 627. sqq. et annott. nostras ad Bochart. T. II. p. 279. — 6 — 12. Conf. Lev. 11.

13. Vox הַדַּיָּה non extat in Levitico, ex omissione, ut suspicatur BOCHARTUS librariorum, qui propter *ὁμοιόπτωτον* duarum vocum הָאַיָּה et הַדַּיָּה posteriorem omiserint. Attamen h. l. illud voc. omittitur quoque ab Alexandrinis et Samaritanis. Ceterum הַדַּיָּה Boeharto est *vultur*, aliis *milvus.* Sed neutra interpretatio certis argumentis nititur.

21 — 28. לֹא־תְבַשֵּׁל גְּדִי בַּחֲלֵב אִמּוֹ Cf. Ex. 23, 19. — 22. עַשֵּׂר תְּעַשֵּׂר *Decimando decimabis.* Sermo est de decimis secundinis, de quibus cf. ad 12, 6. הַיֹּצֵא הַשָּׂדֶה *Exeuntis agri* sive *in agro*, i. e. quod nascitur in agro. Cum ב quidem hoc modo construitur יָצָא 1 Reg. 5, 13. — 23. לְמַעַן תִּלְמַד לְיִרְאָה *Ut discas timere*, h. e. ut solius Dei colendi consuetudinem contrahas. Nam לָמַד hoc interdum significat, ut Jer. 12, 23. Nec sane quidquam plebem magis adficit et sacris addictiorem reddit quam *πανηγύρεις* et convivia sacris mista. Cf. ad Ex. 33, 14. — 24. וְכִי־יִרְבֶּה מִמְּךָ הַדֶּרֶךְ *Et si multa fuerit prae te via*, quodsi via fuerit longior, quam ut decimam eo ferre possis. כִּי יְבָרֶכְךָ יְהוָה *Nam benedicet tibi Jova*, locupletabit te proventibus annuis, adeo ut difficile sit eos exportare tanto itinere. — 25. וְנָתַתָּה בַּכֶּסֶף *Tum dabis illam* decimam *in pecunia*, tum eas pecunia permutare licet. וְצָרַרְתָּ *Et ligabis*, in crumenam recondes, cf. 2 Reg. 5, 23. —

26. כֹּל אֲשֶׁר תִּשְׁאָלְךָ נַפְשֶׁךָ *Omne quod petierit a te anima tua*, quod concupiscas. Similis phrasis Coh. 2, 10. — 28. מִקְצֵה שָׁלֹשׁ שָׁנִים *A fine trium annorum*, tertio quoque anno, cf. 15, 1. Jer. 34, 14. — וְהִנַּחְתָּ *Et depones* eam, 26, 10.

Cap. 15.

De debitis septimo quoque anno non exigendis, de servorum manumissione et primogenitis secundariis praecipitur.

1. 2. מִקֵּץ שֶׁבַע־שָׁנִים *A fine septem annorum*, septimo quoque anno, cf. 14, 28. 31, 10. שְׁמִטָּה *Remissionem* debitorum et servorum dimissionem. — 2. זֶה דְּבַר הַשְּׁמִטָּה *Haec vero est res*, i. e. ratio *remissionis*. Ita דָּבָר vertendum 19, 4. 1 Reg. 9, 15. שָׁמוֹט *Remittendo* sc. remittat. Ad quod statim est referendum יָדוֹ, creditor jubetur שָׁמוֹט יָדוֹ *manum suam remittere*, scil. a debitore, h. e. debitum ab eo non exigere. בַּעַל מַשֶּׁה *Dominus crediti*, i. e. creditor, sicuti Gen. 37, 19. בַּעַל הַחֲלֹמוֹת *dominus somniorum* est *somniator*; et Prov. 18, 9. בַּעַל מַשְׁחִית *destructor*. Ceterum observat Dathius, vocem מַשֶּׁה non esse punctandam per Tsere, ut sit in statu constructo cum sequenti יָדוֹ, sed per Segol. אֲשֶׁר יַשֶּׁה בְּרֵעֵהוּ *Quod mutuo dedit* et exacturus esset a proximo suo, 14, 10. — לֹא־יִגֹּשׂ אֶת־רֵעֵהוּ *Non urgeat proximum suum*, non exigat ab eo, Ex. 5, 6. 2 Reg. 23, 35. LXX. οὐκ ἀπαιτήσεις. כִּי־קָרָא *Cum proclamaverit*, sc. proclamans, i. e. cum indicta, proclamata fuerit, Lev. 23, 4. 25, 10. קָרָא hic subaudito Participio ejusdem Verbi sumendum est passive sive impersonaliter, ut Gen. 11, 9. — שְׁמִטָּה לַיהוָה *Remissio Jovae*, annus morae in honorem Jovae. Ceterum facile quisque intelligit, Mosem hic non jubere, ut septimo quoque anno creditores debitoribus suis nomina contracta prorsus remittant, neque umquam ea ab his exigant. Sed legislator tantum praecipit, ne septimo quoque anno, qui erat sabbathicus, debita exigantur a pauperibus, qui eo anno nullos ex agris proventus percipiebant; moram igitur his esse hoc anno concedendam. Sequenti autem, quo ad agrorum suorum culturam iterum redire poterant, utique licitum fuit, debita exigere. Vide Mich. *J. M.* P. III. §. 157.

3. 4. אֶת־הַנָּכְרִי תִּגֹּשׁ *Alienigenam urgebis*, ab alienigena exigere licet debitum septimo etiam quoque anno. וַאֲשֶׁר — יָדֶךָ *Sed quod fuerit tibi apud fratrem, id remittet manus tua*, i. e. popularibus vestris in eo quod vobis debent, moram date. אָח h. l. est popularis, civis Hebraeus. — 4. אֶפֶס כִּי לֹא יִהְיֶה־בְּךָ אֶבְיוֹן *Attamen non erit inter te pauper.* Sensus est: quamvis damnum videamini pati, dum remittitis debita in anno remissionis, tamen non eritis pauperes, quia Deus vos ditabit, uti sequitur. Neque enim dubium esse potest, remissionem debiti non spectasse nisi ad pauperes, et divites hoc privilegio non esse comprehensos. Ita *promissio* hic quidem est, utut non *absoluta*, quasi nulli futuri

pauperes (Vs. 7. 11.), sed *restricta*, quod ideo non futuri tales, quia anno remissionis benignos se gererent erga egenos.

6 — 9. וְהַעֲבַטְתָּ גּוֹיִם רַבִּים *Ita ut mutuo dare possitis multis gentibus.* וּמָשַׁלְתָּ בְּגוֹיִם וגו *Imperabitis multis gentibus, vobis vero illae non imperabunt.* Debitor, qui non par erat solvendo, ereditoris servus fieri debebat. Israelitis igitur h. l. immunitas ab hujusmodi servitute et dominium in peregrinos debitores solvendo impares promittitur. — 7. לֹא תְאַמֵּץ אֶת־לְבָבְךָ *Non obfirmabis eor tuum*, ne sis inmiserieors. 8. דֵּי מַחְסֹרוֹ אֲשֶׁר יֶחְסַר לוֹ *Sufficientiam defectus ejus, qui deficit ei*, i. e. quantum satis est ad ejus inopiae subveniendum, cf. Lev. 25, 26. 28. — 9. הִשָּׁמֶר בְּלִיַּעַל — *Caveas ne* sit *verbum cum corde tuo nequam* (de בְּלִיַּעַל vid. 13, 14.), i. e. caveas, ne oboriatur tibi eogitatio seelesta, nequam. וְרָעָה עֵינְךָ בְּאָחִיךָ *Et* ne sit *malignus oculus tuus in fratrem tuum.* Sicut *oculus bonus* indieat animum benefieum, benevolum (Prov. 22, 6.), ita *oculus malus* dieitur de animo *malevolo, inhumano*, ut Prov. 23, 6. — וְקָרָא עָלֶיךָ אֶל־יְהוָה *Conqueretur de te apud Jovam.*

12 — 14. כִּי יִמָּכֵר לְךָ אָחִיךָ *Quum venditus fuerit*, s. *se vendiderit, tibi frater*, popularis, *tuus*, vid. Ex. 21, 2. Levit. 25, 39. — 13. לֹא תְשַׁלְּחֶנּוּ רֵיקָם *Non dimittes eum vacuum*, ne nimia paupertate iterum operam suam in sexennium addiecre eogatur. — 14. הַעֲנִיק תַּעֲנִיק לוֹ *Donabis eum.* עָנַק proprie *collari ornare*, hine, *ornare donis.* מִצֹּאנְךָ *Ex pecore minore*, veluti ovem unam duasve, quae anno sabbathieo ubique inveniebant liberum paseuum. וּמִגָּרְנְךָ *Ex area tua*, ex frumento. מִיִּקְבֶךָ *Ex torcularí tuo*, i. e. ex vino oleoque. Haec lex non extat Ex. 21. Fortasse tamen id, quod hie praecipitur, jam ante Mosem heri mites erga servos fideles faeere solebant.

16 — 18. Cf. ad Ex. 21, 5. 6. — 17. וְאַף לַאֲמָתְךָ תַּעֲשֶׂה־כֵּן *Ancillae tuae quoque facies ita*, i. e. aneillam quoque non dimittere debes vaeuam; nam auris perforatio in aneillis non habuit loeum. — 18. כִּי מִשְׁנֶה — שְׂנִים *Nam duplicem mercedem mercenarii servivit tibi sex annis;* h. e. eandem operam tibi navavit per sexennium, quam duo mereenarii navassent, et quod feeit, ad id praestandum duobus mereenariis opus fuisset. Ae revera durior est eonditio servi quam mereenarii, et major ab eo labor exigitur.

19 — 23. Vs. 19. sermo est de iis primogenitis, de quibus 12, 17. Apparet hoe ex Vs. sq. לֹא תַעֲבֹד בִּבְכֹר שׁוֹרֶךָ *Non uteris bove primogenito ad laborem.* — 20. שָׁנָה בְּשָׁנָה *Quotannis*, pro מִדֵּי שָׁנָה בְּשָׁנָה ut I Sam. 7, 16. Zaeh. 14, 16. Cf. Jes. 66, 23.: מִדֵּי־חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ *a mense ad mensem.* — 21. כָּל מוּם רָע *Omne grave vitium.* לֹא תִזְבָּחֶנּוּ *Non mactabis illud.* זָבַח hie non significat maetationem ad sacrifieium, sed ad esum, ut 12, 21. — 22. הַטָּמֵא — וְכַאַיָּל Cf. 12, 15. 21. — 23. כַּמַּיִם — רַק Cf. 12, 16.

Cap. 16.

De tribus Festis per annum praecipuis, Paschate, Pentecoste, Scenopegia, rite celebrandis. Judices in omnibus urbibus constituendi; ab his aequitas in judiciis servanda, vitanda munera et partium studium. Deastrorum cultus irritamenta declinanda.

1—4. שָׁמוֹר *Observando*, sc. observes; observate; חֹדֶשׁ הָאָבִיב *Mensis spicarum* respondet maximam partem nostro Aprili, quo maturescere in Palaestina spicae incipiunt; cf. ad Ex. 12, 2. — לַיְלָה *Noctu* Israclitae ad exitum ex Aegypto sese praepararunt. Potest tamen quoque referri ad עָשִׂיתָ פֶּסַח, ut significetur, noctu mactandum esse agnum paschatis. — 2. וּבָקָר *Et boves.* Hinc apparet non solum esse sermonem de agno paschali, sed etiam de reliquis victimis quae sequentibus feriis paschalibus offerendae essent ex lege Num. 28, 16. 19. sqq. לְשַׁכֵּן שְׁמוֹ שָׁם Cf. 12, 5. — 3. עָלָיו *Super* i. e. cum *eo*, sacrificio paschali. לֶחֶם עֹנִי *Panis miseriae*, i. e. panis insipidus et insuavis, quo memoria vexationis et miseriae Aegyptiacae renovatur. — 4. וְלֹא־יֵרָאֶה לְךָ שְׂאֹר *Non ergo cernetur apud te fermentum*, cf. Ex. 12, 15. 19. וְלֹא־יָלִין *Et nihil pernoctabit*, Ex. 34, 25.

5—8. לֹא תוּכַל לִזְבֹּחַ *Non potes mactare*, sc. jure et legitime, non licet tibi mactare. Ita *posse* sacpius vertendum est, ut 17, 15. 21, 16. 2 Sam. 17, 17. — בְּאַחַד שְׁעָרֶיךָ *In quavis urbium tuarum.* Ita אֶחָד et sumitur Num. 19, 4. 9. 10. — 6. כִּי אִם *Sed*, ut 2 Reg. 5, 17. Ps. 1, 2. Jes. 55, 10. — כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *Circa occasum solis.* מוֹעֵד צֵאתְךָ מִמִּצְרָיִם *Tempus exitus vestri ex Aegypto.* מוֹעֵד a יָעַד coll. Arab. وَعَدَ in Conj. 3. *dixit, constituit locum vel tempus*, est proprie *tempus statutum*, deinde in universum *tempus*. — 7. וּבִשַּׁלְתָּ se. בָּאֵשׁ *coques* illud *igne* (cf. 2 Chr. 35, 13.), i. e. assabis, non elixabis aqua (בַּשֵּׁל בַּמַּיִם Ex. 12, 9.). וּפָנִיתָ בַבֹּקֶר וְהָלַכְתָּ לְאָהָלֶיךָ *Et vertes te mane et ibis ad tentorium* (metaphora a scenitarum vita) *tuum*, i. e. postridie licebit tibi domum abire. — 8. שֵׁשֶׁת יָמִים — אֱלֹהֶיךָ *Sex diebus comedes azyma, et die septimo est πανήγυρις in honorem Jovae, Dei tui.* De עֲצֶרֶת vid. Lev. 23, 36. Quod hoc Vs. azyma *sex diebus* comedenda jubentur non pugnat cum Vs. 3. 4. et Ex. 13, 6. 7. 12, 18. Num. 28, 17., quibus locis praecipitur *septem diebus* panes non fermentatos esse comedendos. Nam hoc Vs. de septimo die solennius celebrando agitur, et hoc innuitur, sex priores dies esum tantum azymorum requirere, septimum vero, licet illo idem obtineat, hoc insuper privum habere, quod sit עֲצֶרֶת לַיהוָה, *nullumque adeo opus illo peragere liceat.*

9—12. שָׁבְעָה שָׁבֻעֹת *Pentecostes* festum, vid. Lev. 23, 15. — מֵהָחֵל חֶרְמֵשׁ בַּקָּמָה *Ex quo coeperit falx messoria in segete*, ex quo falcem messi immisistis. Cf. Lev. 23, 10—14. — 10. וְעָשִׂיתָ חַג *Et facies*, celebrabis *festum.* מִסַּת נִדְבַת יָדְךָ *Portionem spon-*

taneam manus tuae, i. c. donum voluntarium. כַּאֲשֶׁר וגו׳ *Sicut benedixit tibi Jova, Deus tuus*, i. c. quod donum respondeat facultatibus Dei beneficio vobis concessis; dabis quod spontaneo et liberali animo potueris pro ratione opum. — 11. וְשָׂמַחְתָּ לִפְנֵי יְהוָה Conf. 12, 7. — 12. וְזָכַרְתָּ כִּי־עֶבֶד הָיִיתָ בְּמִצְרָיִם *Memor sis, te in Aegypto servum fuisse*, ideoque eo tempore benigne habebis servos tuos.

13 — 17. בְּאָסְפְּךָ *In τῷ colligere tuo*, cum absolvistis colligere. מִגָּרְנְךָ וּמִיִּקְבֶךָ Cf. 15, 14. — 14. הַגֵּר *Peregrinus*, circumcisus, nec non Israelita pauper. Cf. ad Lev. 25, 35. — 15. שִׁבְעַת יָמִים תָּחֹג לַיהוָה *Septem dies festum celebrabis Jovae*, in ejus honorem. Festo paschali satis erat per diem unum ad tabernaculum mansisse (Vs. 7.); verum huic festo septidnum adtributum, quia collectis frugibus magis eo anni tempore otiabantur. וְהָיִיתָ אַךְ שָׂמֵחַ *Ita ut admodum laetus esse possis.* אַךְ hic notat *prorsus, admodum*, ut 28, 29. Jer. 32, 30. Job. 19, 3. — 16. יֵרָאֶה אֶת־פְּנֵי יְהוָה *Sistet se Jovae.* — 17. אִישׁ כְּמַתְּנַת יָדוֹ *Quisque secundum donum manus suae*, cf. Vs. 10.

18 — 22. שֹׁפְטִים *Iudices* dirimebant caussas; *scribis* vero (שֹׁטְרִים Ex. 5, 6.) commissa erat cura tabularum genealogiearum. Judices et scribae postea sumebantur ex Levitis, quod hi nullis aliis negotiis distracti, legibus omne studium impendere potuerunt. Cf. 1 Chr. 23, 4. 26, 29 — 32. 2 Chr. 19, 8 — 11. 34, 13. — 19. לֹא תַטֶּה מִשְׁפָּט *Non declinare facies*, non violabis *jus* (Ex. 23, 6.). לֹא תַכִּיר פָּנִים *Non agnescas facies*, non habeto personarum respectum. שֹׁחַד est proprium nomen, quo indicatur *donum, quo corrumpitur judex.* וְיסַלֵּף דִּבְרֵי צַדִּיקִים *Pervertit res justorum.* — 20. צֶדֶק צֶדֶק תִּרְדֹּף *Justitiam, justitiam*, inquam, *persequere*, unice et constanter justitiae studete. Cf. Lev. 24, 8. Dent. 2, 27. — 21. לֹא־תִטַּע לְךָ אֲשֵׁרָה כָּל־עֵץ *Ne plantes*, erigas *statuam* idoli, *omne lignum*, i. e. ligneum, appositio, quam Grammatici vocant, qua materia ex qua quid factum, indicatur, 1 Reg. 7, 42.; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 667. De אֲשֵׁרָה *statua* idoli, praesertim Astartes, vid. Jes. 17, 8. — 22. מַצֵּבָה *Statuam*, sc. religionis aut superstitionis caussa arte exsculptam, cf. Lev. 26, 1.

Cap. 17.

Victimae assumendae, quae macula careant. Deastrorum cultores lapidatione plectendi. In caussis perplexis et difficilibus recurrendum ad Pontificem et Sacerdotes. Si Regis cupido populum teneat, cujusmodi Rex habendus, et quae Regi inaugurato servanda.

1 — 5. כָּל דָּבָר רַע *Omnis res mala*, quidquam turpe vel malum, quidpiam vitii, i. q. 15, 21. כָּל מוּם רָע. — 2. Cap. 13. docuit legislator, quid seductori, hic quid seducto faciendum. לַעֲבֹר בְּרִיתוֹ *Ut transgrediatur foedus ejus*, foedus, quod Deus inierat

cum populo Israelitico, quo foedere saucitum erat, Deum velle Israelitarum regem esse, eos autem praeter hunc Deum nullum alium colere debere. — 3. אֲשֶׁר לֹא־צִוִּיתִי *Quae non praecepi*, immo diserte vetui, *μείωσις*, ut Jer. 7, 31. — 4. וְדָרַשְׁתָּ הֵיטֵב *Sedulo inquires*, cf. 13, 15. — הִנֵּה *Si*, ut הֵן Lev. 25, 20. — 5. וְהוֹצֵאתָ conjungendum cum אֶל־שְׁעָרֶיךָ *educere debes* talem hominem *ad portas tuas*, i. e. extra urbis portas. אֶת־הָאִישׁ אוֹ אֶת־הָאִשָּׁה *Sive vir sit, sive femina*, nullo sexus respectu habito. סְקַלְתֶּם בָּאֲבָנִים וּמֵתוּ *Lapidationis supplicio tales afficietis.* Idololatria enim primariam reipublicae Israeliticae legem de uno Deo colendo evertebat.

7—11. יַד—בָּאַחֲרֹנָה Cf. 13, 9. 10. — 8. כִּי יִפָּלֵא מִמְּךָ דָּבָר לַמִּשְׁפָּט *Si mirabilis prae te res* aliqua *fuerit ad judicium*, si qua caussa difficilior incidat, quam ut de ea judicare audeatis. בֵּין־דָּם לְדָם *Inter sanguinem et sanguinem*, i. e. an caedes ab imprudente et invito an vero a sciente et volente sit commissa. Quidam interpretantur: *inter sanguinem fundendum et non fundendum*, i. e. sitne crimen aliquod capitale, nec ne, ut haec lex non respiciat ad particularem aliquam causam, seu speciale aliquod crimen morte plectendum, uti est homicidium. בֵּין־דִּין לְדִין *Inter judicium et judicium*, i. e. ubi dubium est, quae causa sit melior. בֵּין נֶגַע לָנֶגַע *Inter plagam et plagam*, i. e. de plagis inflictis. Vid. Ex. 21, 18. sqq. Alii sub נֶגַע intelligunt *plagam leprae*, ut sensus sit, an sit lepra vera et contagiosa, nec ne. — 9. אֶל־הַשֹּׁפֵט *Ad judicem* supremum, ad summum reipublicae magistratum, qui probe est discernendus a judicibus inferioribus in singulis urbibus, de quibus judicibus 16, 18. Supremo illi reipublicae magistratui eadem potestas fuit concessa, qua Moses et Josua erant praediti. דְּבַר הַמִּשְׁפָּט *Verbum juris*, quid sit jus. — 10. כֹּל *Omnia* ad causam forensem pertinentia, uti docet orationis nexus. — 11. עַל־פִּי הַתּוֹרָה *Secundum os legis*, ex praescripto legis. לֹא תָסוּר וגו׳ *Non deflectas ab eo quod tibi dicturi sunt ad dextram aut sinistram.* Metaphora a via ducta, a qua sine errandi periculo, defleeterc non licet. Potestatem pronuntiandi de sensu legum, *ad caussas civiles* quod attinet, sacerdotibus et judicibus hic tantam concedit Moses, ut major esse non possit; quia sine ejusmodi potestate stare nulla respublica potest.

14. 15. Legem, quae sequitur, de *electione regis*, non a Mose datam videri, sed a sacerdotibus, legum ac traditionum Mosaicarum statoribus, post Salomonis aetatem additam, persuasum sibi habet Car. Dav. Ilgen in Commentat. *de Notione tituli Filii Dei*, Jenae, 1795. (repetita in *den Memorabilien* ab H. E. G. Paulo editt. P. VII.). Argumenta sententiae suis ipsius verbis subjungam: „Primum lex de electione regis repugnat formae constitutionis Mosaicae, qua Jova rex erat colendus; nec, ut videtur, unquam in mentem Mosi venerat, aut regem eligere, aut de ele-

etione ejus quidquam praecipere. Deinde, si Moses jam praescripsisset modum eligendi, et, quod inde sequeretur, tacite regis electionem comprobasset; non apparerct, cur Samuel, quum populus eum rogaret, ut sibi regem praefigeret, tam graviter has preces ferret. Quomodo dicere vir sanctissimus potuisset, populum Deum suum, Jovam rejicere, si Moses in omnem eventum non modo probasset talem reipublicae mutationem, sed etiam modum mutandi praescripsisset? Denique, si ante Salomonem lex nota fuisset, sive a Mose lata, sive a Sacerdotum aliquo codici addita, non video, quomodo Salomoni concessum esse potuisset, contra legem Jovae, equorum tantam multitudinem alere, et mulieres principes habere septingentas et trecentas pellices (1 Reg. 10, 28. et 11, 5.). Ex his causis sequi arbitror, hanc legem post Salomonem, ubi sacerdotum ordo animadverterat, quae regis esset potestas, et quae libido, ad eam coercendam esse insertam." Ilgenio adstipulatus est DE WETTE (Diss. in Deut. p. 15.). Digna tamen sunt, quae in legem hanc regiam monuit HERBST in *Observatt. de Pentat. quatuor libror. posterior. auctore et editore* p. 20. sq. „Ex formula," inquit, „*cum ingressus fueris — dabit tibi, — habitaveris*, illis legibus communi, quae res Hebraeorum post occupatam Palaestinam respiciunt, patet, legem hanc datam esse, cum adhuc dum in castris detineretur legislator. Ex verbis autem: *si dixeris* (cogitaveris), *constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes*, patet, illum qui hanc dedit legem, rem supposuisse, *quam numquam fieri exoptabat*, et ut cum Clerico loquar, praemonuisse, quid fieri oporteret, si id contingeret, quod, *ne contingeret*, metuebat. Non comprobatur a legislatore regia potestas, sed cavetur, ne id, quod prohiberi non amplius poterat, damno esset. Quem autem magis haec lex salubriter praemonens decuit, quam Mosen, qui in omnibus, quae praeceperat, clarissima summae mentis suae providae edidit specimina? qui ipse in aula regia in virum adultus noverat despotismum, et quae in res subditorum inde redundare solent mala. Moses, qui gentis suae mentem mobilem, et indomitum sane pruritum, exterarum gentium mores consuetudinesque aemulandi noverat, suspicari et praevidere poterat, Israelitas rege invisibili, per sacerdotes tantum et Levitas adeundo, contentos, sed regem petituros fore, quem oculis suis cernere, quem precibus suis adire, quem exercitibus praeficere, quem regio splendore induere possent. Sane, qui minus providens est animus, hace praevidere potuit. Jam quum hanc rem prohibere non posset, conecssit eam, legislatoris prudentis instar, qui cum legem quandam non observatum iri, scit, satius ducit, eam tollere, quam ceterarum auctoritatem infringere, certisque eam coercuit limitibus, ne, si contigerit, exitio foret genti Hebraicae. Samuel ergo precibus Hebraeorum regem petentium non ideo restitit, quod haec lex non nota, vel theocratiae Mosaicae contraria erat potestas regia, sed quia sciebat, Mosen

tantummodo concessisse, ut majora inhibeantur mala. Tandem precibus annuit, quod lege jam Moses abusum praecidisset.“ — 15. אֲשֶׁר יִבְחַר יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בּוֹ *Quem eliget Deus*, h. e. approbabit per prophetam, vel per sortem, quod utrumque factum est in Saulis electione, 1 Sam. 9, 15. 16. 10, 1. 20.

16. רַק לֹא־יַרְבֶּה־לּוֹ סוּסִים *Tantummodo* rex aliquando eligendus *non multiplicabit*, multos alat *sibi equos*, סוּס — וְלֹא *neque reducat populum in Aegyptum ad multiplicandum sibi equos.* Nam ex Aegypto solebant eo tempore equi educi, ut Salomonis exemplum mandato huic contrarium probat, 1 Reg. 10, 28. 29. Itaque timendum erat, ne rex, equis comparandis plus nimio addictus, populum in Aegyptum reduceret, „ut ibi haberet e servis suis et populo suo, qui, ut emtioni praeessent, habitarent in urbibus equestribus,“ ut dicit R. Moses Nachmanis fil. ad h. l. Quin et alii potuissent, hoc exemplo provocati, redire in Aegyptum, et in Aegyptios mores relabi. Aliam praeterea hujus legis rationem affert J. D. Michaelis *(de Legibus quibusdam a Mose eo fine datis ut Israelitis Aegypti cupidis Palaestinam caram faceret*, in Commentariis Societ. Reg. Goetting. T. IV.). Sententiae suae summa huc redit: „Veritus videtur Moses, ne equorum alendorum studio, terraeque Gosenitieae pulchritudine ac vicinitate illectus rex, hanc tanquam avitam Israelitarum possessionem armis repeteret, suoque regno, coloniam in eam deducturus, adaugeret. Nolebat autem Moses, veteris hospitii memor, hanc Aegyptiis inferri injuriam: praevidebat fortasse etiam, damnosam hanc Palaestinae regibus regionem fore, quippe ex qua perpetua cum praepotentibus Aegypti regibus bella subnasci necesse esset. Quae quum ita essent, non solum Moses populum in Aegyptum reduci vetuit, sed et illecebras reditus abesse voluit, nimiaque equorum copia regibus interdixit. Fuisse enim equorum in Aegypto mirabilem abundantiam, jam apparet ex 2 Chr. 12, 3. 1 Reg. 10, 29. Neque tamen omnem equorum usum Moses prohibuit, sed et noluit, magnos equorum greges a regibus pasci, et ingentem bello ali equitatum, cujus exigua in Palaestinae defendenda utilitas fuisset. Ad vecturas autem quod attinet, rarior in Palaestina montibus vallibusque praecipitibus abrupta, equorum usus, frequentior asinorum, quorum et magnos greges Israelitarum majores paseere consueverant. Antiquam hanc atque a patribus acceptam vecturae rationem a posteris etiam servari legislator voluit, Palaestinae aptam, Aegypto ineptam, ut ipso oeconomiae et vitae genere in Palaestina populum retineret.“

17—20. וְלֹא יַרְבֶּה־לּוֹ נָשִׁים *Neque sibi multas uxores ducat.* Polygamia apud Israelitas licita, plures tamen quam quatuor uxores concessisse non videtur. Vid. Mich. *J. Mos.* P. II. §. 97. Legislator igitur regi polygamia non interdixisse, sed modum tantummodo in ducendis uxoribus praescribere videtur. Solent enim Orientis principes in hac re omnem modum excedere, et excesse-

runt etiam postea Israelitarum reges. וְכֶסֶף וְזָהָב לֹא יַרְבֶּה־לּוֹ מְאֹד *Neque magnos argenti et auri thesauros sibi colligat*, nc divitiarum cupiditate subditos suos expilet, et divitiis ad opprimendam libertatem possit abuti. — 18. וְכָתַב לוֹ *Describat sibi.* Alii: describendum sibi curet. אֶת־מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה הַזֹּאת *Exemplar hujus legis.* LXX. τὸ Δευτερονόμιον τοῦτο. עַל־סֵפֶר מִלִּפְנֵי הַכֹּהֲנִים *Ad librum qui coram sacerdotibus*, ab autographo, quod sacerdotes asservabant. Cf. 31, 26. — 20. וּבָנָיו *Ejusque filii.* Legislator igitur non singulos reges, uti in Polonia olim fiebat, sed unam aliquam familiam regiam creari volebat. Vid. Mich. *J. M.* P. I. §. 54.

Cap. 18.

Sacerdotes et Levitae quos ad victum census et reditus habebant. Omnis superstitio et impia divinatio fugienda. De prophetis veris suscitandis et audiendis, falsis vero occidendis. Additur, qua ratione verus Propheta a falso sit discernendus.

1—3. לֹא־יִהְיֶה—וְיִשְׂרָאֵל *Non erit sacerdotibus Levitis*, adcoque *toti Leviticae tribui pars aut praedium cum* reliquo *populo Israelitico.* Cf. ad Num. 18, 8. sqq. אִשֵּׁי יְהוָה וְנַחֲלָתוֹ יֹאכֵלוּן *Ignita Jovae et possessionem suam comedent*, ex donis Jovae oblatis igne absumendis, quasi ex praedio suo victum illi habebunt. Quod tamen solos spectat sacerdotes, cf. Lev. 6. 7. Num. 18. — 2. כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר־לוֹ *Sicut ei promisit*, vid. Num. 18, 20. — 3. וְזֶה—הָעָם *Hoc autem erit jus sacerdotum* iis tribuendum *a populo.* מֵאֵת זֹבְחֵי הַזֶּבַח *Ab iis qui mactant pecudem.* זֶבַח hic significat pecudem convivandi caussa mactatam, ut Gen. 31, 54. — קֵבָה *Ventriculum.* Quum autem animalia ruminantia quadruplicem habeant ventriculum, sive quatuor meatus, per quos alimenta transeunt, antequam ad intestina perveniant; dubium est, utrum haec lex omnes hos ventriculos sacerdoti vindicet nec ne. Equidem enim Clerico intelligere mallem infimam ventriculi partem, quippe pinguissimam, quae a Latinis vocatur *omasum*, a Graecis ἔντερον s. ἧντερον, qua ipsa voce LXX. h. l. usi sunt. Confirmatur haec interpretatio Josephi et Philonis auctoritate. Ille enim *Ant.* 4, 4. haec habet: *Ii vero, qui domi mactant, convivii privati caussa, non religionis, debent adferre ad sacerdotes omasum, pectus et dextrum armum mactati pecudis.* Philo autem *de praemiis sacerdotum*, T. II. p. 235. edit. Mangey.: *Ex iis, quae extra altare, convivii caussa, tria jubentur dari sacerdoti, armus, maxilla et quod vocatur omasum.*

4—6. De hisce primitiis vide 26, 2. — 5. לַעֲמֹד לְשָׁרֵת *Ut stet ad ministrandum*, ut ministret. בְּשֵׁם־יְהוָה *In nomine Jovae*, h. e. ut sacerdotes Jovae. *Nomine Dei* aliquid fit, quod et eo jubente, et propter eum fit, ut hic et saepe alias. — 6. מִכָּל־יִשְׂרָאֵל *Ex omni Israele*, ex quocunque terrae Israeliticae tractu. אֲשֶׁר־הוּא גָּר שָׁם *Ubi perigrinatus fuerat*, i. e. fundum non habuerat, conf.

Mich. *J. M.* P. II. §. 138. בְּכָל־אַוַּת נַפְשׁוֹ *Tota animi sui cupiditate*, h. e. ut satisfaciat cupiditati videndi loci, in quo Dei tentorium erit. בְּשֵׁם יְהוָה *Nomine Jovae*, ut ejus administer, ab ipso Deo constitutus.

8. חֵלֶק כְּחֵלֶק יֹאכֵלוּ *Portionem sicut portionem*, se. eeterorum *comedent*, i. e. aequaliter de portionibus comedent. Hieronymus: *partem ciborum eandem accipiet quam et ceteri.* Saadias: *et dividant inter se portiones aequales.* Idem videntur LXX. voluisse, qui *μερίδα μεμερισμένην φάγεται* reddiderunt. לְבַד מִמִּכְרָיו עַל־הָאָבוֹת *praeter venditiones suas super patres*, sive *per patres.* In quibus interpretandis et vett. et recentt. dissentiunt. LXX. *πλὴν τῆς πράσεως τῆς κατὰ τὴν πατρίαν*, *praeter venditionem quae est secundum familiam.* Quod est obscurum. Hieronymus: *excepto eo quòd in urbe sua ex paterna ei successione debetur.* Per מִמִּכְרִים *venditiones* intellexit possesiones venales, quae parentum fuerunt, ob idque et ab iis vendi poterant. Etsi enim fundos ad agricultarum, vineas, oliveta Levitae non possiderent, habebant tamen urbes suas, in quibus domus possidere poterant, greges et armenta aliaque mobilia, itemque juxta urbem agros compascuos ad jumentorum pabula; quae omnia successione ad posteros transibant. Hinc Abiathar Pontifex 1 Reg. 2, 26. agrum habuit proprium in urbe sacerdotali Anathoth, et in eadem urbe Jeremias itidem sacerdos patruelis sui agrum emit, Jer. 32, 7. sqq. Videtur Hieronymus illam suam interpretationem a magistro suo Hebraeo accepisse. Nam et R. Bechai, qui sub finem Seculi 13. Commentarium in Pentat. scripsit, sensum hujus Vs. ait esse hunc: quidquid sacerdotibus datum fuerit, dividant inter se aequalibus portionibus, seu pelles victimarum sint, seu carnes, seu hirci piaculares, aut alia dona quaevis, excepto tamen eo, quod quis pro vendita avitae haereditatis domo acceperit, secundum illam, quae Lev. 35, 33. exstat, legem. Sane hic videtur esse simplicissimus sensus, quem et Fagius expressit his verbis: „hoc dicit, omnes Levitas, qui Hierosolymam veniant, et ibi ministrent Domino, ex aequo participare posse omnibus portionibus, quae ex oblationibus illis obveniebant; non autem teneri, ut alius cum alio dividat, et partiat ea bona, quae a majoribus suis tanquam propria habebat.“

10. לֹא־יִמָּצֵא — בָּאֵשׁ *Non inveniatur inter vos, qui filium suum aut filiam per ignem traducat.* Intelligitur consecratio et immolatio liberorum, qui in idoli Moloch honorem comburebantur, cf. ad Lev. 18, 21. קֹסֵם קְסָמִים *Divinans divinationes.* Certum aliquod divinandi genus indicari videtur, sed quodnam? dissentiunt interpretes. Michaelis intelligit eum, *qui ex animalium extis omnia captat*, *haruspicem.* Sed is dicitur רֹאֶה בַּכָּבֵד vid. c. c. Ez. 21, 26. Dathius vertit, *qui sortilegia exercet.* Sed R. Bechai id divinatorum genus ait significari, qui prehenso manibus baculo conjectant, agendumne sit aliquid, nec ne? Id divinationis

genus nomine Gracco vocatur *βελομαντία* (divinatio ex telis) s. *ῥαβδομαντία* (divinatio ex virgis), ejusque mentio fit Ez. 21, 26., ubi vid. not. Illud ipsum autem sortilegium apud Arabes quoque usitatum fuisse docet Pocockius in *Specim. Histor. Arab.* p. 316. et 328. edit. sec. Ut, cum aliquid obcundum sit magni momenti, *tres sagittas* includant vasculo, quarum uni inscriptum *jussit me Dominus*, alteri *prohibuit me Dominus*, tertia nulla nota fuerit insignita. Extrahentibus sagittas si occurreret quae juberet, rem agressos superstitiosos; si qui quae vetaret, quievisse; si *ἀγράμματος*, repetiisse, donec prodiret quae vel interdiceret, vel praeciperet. Hujus sortilegii vestigium deprehendimus in ipsa radice קָסַם, quae Arab. in Conj. 10. notat: *voluit, ut partitio fieret, suamque petiit portionem sagittarum jactu*, quo uti Arabes solebant, ut Golius addit in *Lex. Arab.* p. 1905. מְעוֹנֵן *Augur*, vid. Lev. 19, 26. מְנַחֵשׁ *Auspex*, vid. ad loc. laudat. De מְכַשֵּׁף vid. ad Ex. 7, 11.

11—14. חֹבֵר חָבֶר *Incantator*, quem ita dictum Hebraei putant, quod carminibus *consociaret* seu *congregaret serpentes*, quia חָבַר significat quoque *sociare*, quasi ejusmodi incantatores artem calluissent cogendorum in unum locum serpentum. Sic etiam Dathius: *serpentum conjurator*. Melius procul dubio confertur Arab. כבר *scivit*, et כביר *sciens*, *peritus*, ut sit idem re et significatione, quod יִדְּעֹנִי, quod est a יָדַע *scivit*. Nempe incantatores, harioli, quive alios superstitiosis artibus ludunt, plus aliis scire putantur, inde plerisque in linguis *sapientes* audiunt. Cf. ad Ps. 54, 6. — וְשֹׁאֵל אוֹב וְיִדְּעֹנִי *Consulens pythones et fatidicos*. Cf. ad Lev. 19, 31. וְדֹרֵשׁ אֶל־הַמֵּתִים *Qui interrogat mortuos*, necromantes. Est hoc omnibus populis parum expolitis proprium, ut summopere dediti sint cum incantationibus, tum etiam praedictionibus; futuriquc cognoscendi summa cupiditate flagrent, atque id praecognosci posse existiment. Nullam alicujus momenti rem adgredi audent, nisi prius consultis hariolis. Sapienter igitur Moses his artibus uti vetuit. — 13. Voc. תָּמִים *integer*, videtur hic significari non tam vitae, quae dicitur, integritas, quam ea animi adfectio, qua totos in se solum ferri Israelitas volebat Deus, sine ulla adfectuum inter vicinorum et sua instituta, divisionc. Opponitur ergo תָּמִים non simpliciter malo viro, sed ei, qui cum divinis idololatrarum miscet instituta. Sic Prov. 28, 18. opponitur תָּמִים ei, qui duplici via ingreditur. Vult itaque Deus, se solum et suos Prophetas consuli et superstitiosos hariolorum artes ab Hebraeis caveri. Michaelis: *Ganz und ungetheilt sollst du Jehova deinem Gott anhängen.* Particula עִם hic est vertenda *coram* ut 1 Sam. 2, 21. 1 Reg. 15, 14., ubi eadem fere loquutio, quae hic, occurrit. Ps. 78, 37. Job. 9, 2. — 14. וְאַתָּה לֹא כֵן נָתַן לְךָ יְהוָה *Te vero talem esse, Deus non concedit.* Notanda est constructio, ex qua pronomen separatum affixo proponitur, ut Genes. 24, 27.: אֲנֹכִי בַּדֶּרֶךְ נָחַנִי יְהוָה *Jova me duxit.* Gen. 49, 8.: יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ

אַחֶיךָ *Juda te celebrabunt fratres tui.* Cf. quoque Zach. 9, 11. 2 Chr. 28, 10. Potest quoque אַתָּה reddi *ad te autem quod adtinet.* נָתַן *permittere*, ut Gen. 20, 6. 31, 7. Ex 3, 19. al.

15. נָבִיא מִקִּרְבְּךָ וגו׳ *Prophetam mei instar e medio tui ex fratribus tuis excitabit tibi Jova Deus tuus; huic auscultate.* Hoc dicit: si quid populus Hebraeus, aut etiam privati adgredi cupiant, ne eant ad vicinarum gentium hariolos, ut eventum prius cognoscant; nam habebunt vates mei similes divinitus adflatos, quos consulant. Huc redit tota orationis series, remque non male expressit Jonathan: *Quoniam populi isti, quos possessuri estis, praestigiis et divinationibus auscultant; vos autem similes eis non eritis, sed sacerdotes interrogabunt per Urim et Thummim et prophetam rectum dabit vobis Jova Deus vester.* Sub נָבִיא igitur non est intelligendus unus aliquis propheta, ut Josua, uti Hebraeorum plures, aut Messias, uti fere superioris aetatis Christiani interpretes voluerunt (coll. Act. 3, 22. 7, 37. Joa. 6, 14.), sed prophetae in genere omnes indicantur, quos Deus sequentibus temporibus, voluntatis suae interpretes in terra Israelitarum sit constituturus. Est igitur in Hebraeo Singularis positus pro Plurali, eujusmodi enallages exempla obvia sunt; aut נָבִיא collective est sumendum. Hoc enim manifeste postulat nexus orationis. Monuerat ante Moses Israelitas, ut caverent, ne hariolos adirent, alia enim ratione Deum illis res occultas esse patefacturum. Quae haec alia ratio futura sit, mox Vs. 15 — 18. explicatur. Si enim ipsam Dei vocem non amplius audituri essent, per ejusmodi internuntios, qualis ipse Moses hucusque fuerit, Deum in posterum eum illis esse colloquuturum, iisque per omnia tempora Prophetas excitaturum. Qui hanc pericopam de Messia agere statuunt praecipue urgent vocem כָּמֹנִי *mei similem*, simulque provocant ad Deut. 34, 10. coll. Num. 12, 6. 7., ubi Prophetam Mosi similem extitisse negatur. Hinc sub נָבִיא neminem alium posse intelligi quam Christum. Sed ad istam voculam illustrandam non omnia, quae in Mose reperiebantur, arcessi debent, nec comparatio ad omnia ejus officia omnesque virtutes extendenda, sed restringenda omnino ad praecedens נָבִיא. *Prophetam*, inquit Moses, *mihi similem*, cui scilicet Deus eadem ratione ut mihi voluntatem suam patefaciat, quique eam ad vos referat, ut ego retuli, talem, inquam, prophetam, semper per futura tempora vobis excitabit Deus. Orationis seriei istam de Messia interpretationem prorsus repugnare, primo intuitu quisque intelligit. Quomodo enim haec cohaererent: nolite hariolos adire — nam Deus vobis prophetam Messiam excitabit?

17—22. הֵיטִיבוּ אֲשֶׁר דִּבֵּרוּ vid. 5, 25. — 19. אָנֹכִי אֶדְרֹשׁ מֵעִמּוֹ *Ego requiram ab eo*, sc. poenas, puniam. Recte LXX. ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ, Vulgatus, *ultor existam.* — 20. וְמֵת הַנָּבִיא הַהוּא *Et moriatur propheta hic.* Uterque propheta supplicio adficietur;

nam series orationis ostendit, ad utrumque has poenas referri. — 22. בְּזָדוֹן *Per jactantiam*, temere et arroganter. Fanaticus a poena eximitur. לֹא תָגוּר מִמֶּנּוּ *Non timebis ab eo*, si Dei iram et poenas minetur.

Cap. 19.

De urbibus refugii ad homicidarum involuntariorum asylum separandis deque homicidis voluntariis ab his urbibus arcendis, vel inde extrahendis ac interficiendis. De agrorum terminis non mutandis et transferendis. Plures testes ad condemnationem in judicio requiri. Falsum testem mendaciique convictum talionis poena plectendum.

1. כִּי *Quum.* Repetitur usque ad Vs. 15. praeceptum de separandis tribus asyli urbibus ad occasum Jordanis, ex Num. 35, 14. sqq. „Praeceptorum de oppidis asyli Num. 35, 9. Deut. 19, 1 — 14. uni vel alteri Mosaicum nomen plures detrahunt. Nam juxta textum Deuter. jussit Moses, ut tria in terra Canaan oppida asyli seligantur, his tamen adjectis verbis, ut tribus illis oppidis, si Jova terminos ampliaverit, alia tria addantur; in libro autem Numerorum, qui tamen libro Deuteronomii prior tempore exaratus habetur, de tribus tantummodo oppidis nulla fit mentio, sed sine clausula sex oppida seligi jubentur. Negotium facesssit, non nego, haec legum discrepantia criticis: non tamen concesserim, hanc ob rem e textu Mosaico unam vel alteram spuriam esse ejiciendam. Moses quum nosset, se abolere non posse antiquissimum morem, Arabibus quoque aliisque gentibus solennem, quo ex cognatione proximus (Goel) teneretur, caedem quocunque modo ulcisci, satius duxit, praecepto conservare innocentem, qui nimirum per imprudentiam, casu, alium occiderit, et in hunc finem tria oppida seligenda curavit, ad quae homicidae innocentes perfugiant. Lex scripta, sicut ceterae, penes aream deponebatur. Quum autem Moses inter tribus Ruben, Gad et dimidium Manasses terram eis Jordanem distribuere coactus essset, ceterasque turbas ingentes Hebraeorum, qui inhabitaturi essent provincias trans Jordanem vidisset, tria alia asyli oppida homicidis patefecit, ut et in ditionibus eis Jordanem moris rigor praecepto salubri mitigaretur. Novam legem ea de re ferebat dux, qua prior rerum circumstantiis immutata et relicta, sive accuratius definita est. Cum postmodum scripta Mosis colligerentur, hallucinatione editorum lex posterior libro Numerorum inserebatur, et priori, cum pius quidam Israelita alteri repugnantem videret, clausulam, *si autem ampliaverit*, adjecit, quae proin textui inserebatur.“ Herbst *Observatt. de Pentat. IV. libror posterior. auctore et editore* p. 21.

3 — 6. הָכִין לְךָ אֶת הַדָּרֶךְ *Firmabis tibi viam*, parabis, munies vias omnes, quibus ad urbem asyli aditus erit. Nam si nimis difficiles viae fuissent, ut, si urbs in montis jugo sita fuisset, aut in paludibus, nec potuisset adiri, nisi una via eaque difficili, vix

quisquam eo celeriter pervenire potuisset. וְשִׁלַּשְׁתָּ אֶת־גְּבוּל אַרְצֶךָ *Divides terram tuam in tres partes* Divisis agris, quos occupabis ad occasum Jordanis, in tres partes aequales, in singulis mediis partibus aperies asylum, ut ab omnibus finitimis aeque sit remotum. — 4. זֶה דְּבַר הָרֹצֵחַ *Hoc verbum homicidae*, i. e. id propter quod (quod statim additur) homicida illuc fugere potest. בִּבְלִי־דַעַת *In non scire*, imprudens. Sensus: hoc privilegio fruatur tantum is, qui alium per imprudentiam occiderit, neque antea oderit. — 5. וַאֲשֶׁר יָבֹא Verbi caussa: *cum quispiam iverit*, etc. וְנָשַׁל הַבַּרְזֶל מִן־הָעֵץ *Et exuerit se ferrum ex ligno*, e manubrio sponte exsiliat. — 6. כִּי יְחַם *Cum calebit*, flagrabit ira, ut cupidius ad vindictam esset decursurus. כִּי־יִרְבֶּה הַדֶּרֶךְ Cf. 14, 24. — וְהִכָּהוּ נֶפֶשׁ *Et* si *percutiat eum* quoad *animam*, s. *vitam*, i. e. si eum interficiat, cf. ad Gen. 37, 21. Jer. 40, 14. — וְלוֹ אֵין מִשְׁפַּט־מָוֶת *Et ei nullum judicium mortis*, quum tamen morte non sit dignus.

10—13. וְהָיָה עָלֶיךָ דָּמִים *Erunt sanguines super te*, caedis eris reus. — 11. וְהִכָּהוּ נֶפֶשׁ Vid. Vs. 6. — 12. זִקְנֵי עִירוֹ *Senes*, judices *urbis ejus*, i. e. urbis in qua degebat. — 13. לֹא־תָחוֹס עֵינְךָ עָלָיו *Ne parcat oculus tuus eo*, cf. ad 13, 9. — וּבִעַרְתָּ דַם־הַנָּקִי מִיִּשְׂרָאֵל *Et auferes sanguinem innocentem ab Israele*, i. e. Israelitas ab innocentis hominis caede expiabis; caede enim commissa terra profanata putabatur; cf. ad Num. 35, 33.

14. לֹא־תַסִּיג גְּבוּל רֵעֲךָ *Non removebis terminum socii*, conceivis *tui*. Cf. 27, 17. Prov. 22, 28. Hos. 5, 10. — אֲשֶׁר גָּבְלוּ רִאשֹׁנִים *Quem terminum posuerunt priores*, majores. LXX. οἱ πατέρες σου. Severe hoc ab omnibus fere antiquis legislatoribus vetitum; cum enim termini agrorum indicia sint possessionum omnium, nihil certo possideretur, si removeri impune possent. Videtur autem Moses hic limitum meminisse, ex occasione urbium asyli, quod nimirum urbis hujusmodi fines, seu agrum suburbanum ingressum homicidam vindici caedis occidere non liceret. Itaque limites ejus agri vindicem caedis ab homicida veluti arcebant, nec poterant convelli, nisi jus asyli violaretur. Ceterum hanc quoque legem Mosi, sunt, qui abjudicent, ob *majorum*, רִאשֹׁנִים mentionem in ea factam. Inde enim, inquiunt, patet, eo tempore hoc praeceptum datum esse, quo terra Canaan per plures jam annos occupata et divisa esset. Moses, ante occupationem Palaestinae morte abreptus, eos *majores* vocare non potuit, qui demum *post ejus tempora* partiti sunt occupatas terras certis limitibus. Iis vero Herbst l. l. p. 19., haec reponit. „Primo bene notandum est, Mosen multa dedisse praecepta, quae non tantum res, prouti in castris, in itineris vexationibus se offerebant, moderarentur, sed quae bono futurae reipublicae inservirent, nullis inde vicissitudinibus obnoxia, semperque valitura; in quibus, sicuti in ceteris quoque fieri solet, multa erant *supponenda*, quae nonnisi *post* occu-

patam Palaestinam evenire legumque moderamini subesse poterant. In hunc censum si referas legem Deut. 19, 14., solvitur ejus difficultas. Mosi sors quidem non contigit, Palaestinam occupandi, et inter suum populum distribuendi, versabatur autem ejus occupatio et inter tribus distributio ita ante oculos ejus dies noctesque, et ita in votis erat felix possessio vitaque suorum placata, ut justis quibusdam praeceptis consulendum huic rei et prospiciendum censeret, perinde ac si jam esset peracta. Erat haec possessio terrae patribus promissae, faustusque in ea rerum status assidua magni viri cogitatio meditatioque, finis erat, quem intendisse scimus, cum populum suum per Arabiae deserta duceret. Procul ergo absit, ut legem Mosi surripiamus, quae tam clarum nobis exhibet documentum summae mentis ejus providentiae, maximaeque ejus auctoritatis, cum ille tantum cavere potuit, ne divisione per Josuam ejusque successores facta, Hebraei, patrum voluntate neglecta, praestantissimarum terrarum prava habendi cupidine se indignos redderent. Omne denique dubium tollit textus, qui verbis praecepti subsequitur: *in possessione tua* etc., *quam possidebis in terra, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam;* quae verba nonnisi ab eo profecta sunt, qui Israelitis praecrat, *antequam* terra, cujus hic fit mentio, potiti sunt."

15 — 21. לֹא־יָקוּם עֵד אֶחָד בְּאִישׁ *Non surgat testis unus in aliquem*, non admittetur ejus testimonium, ut sententia ex eo feratur, cf. Num. 35, 30. יָקוּם דָּבָר *Surgat verbum*, sententia judicum feratur. — 16. כִּי־יָקוּם עֵד־חָמָס בְּאִישׁ *Si surgat testis violentiae*, s. injuriae *in virum*, si quis testimonium falsum in alium perhibuerit, quo innocens damnetur. Cf. 23, 1. לַעֲנוֹת בּוֹ סָרָה *Ad respondendum in eum recessionem*, sc. a lege, si criminis aliquem postularit. — 17. לִפְנֵי יְהוָה לִפְנֵי הַכֹּהֲנִים וְהַשֹּׁפְטִים *Coram Jova, coram sacerdotibus et judicibus*, h. e. in loco sacro, coram sacerdotibus et judicibus Dei loco jus dicentibus. Cf. Ex. 21, 6. 22, 7. — 18. הֵיטֵב *Diligenter*, ἀκριβῶς. וְהִנֵּה Et quando. עֵד־שֶׁקֶר *Testis falsus*, Ex. 20, 13. — עָנָה *Respondit*, interrogatus judicibus. בְּאָחִיו *In*, contra, *proximum*. — 21 נֶפֶשׁ בְּנֶפֶשׁ וגו׳ *Anima*, vita *pro vita* rel. Vid. ad Ex. 21, 24. Pro gravitate poenae, quam tulisset innocuus, plecti debebat falsus testis. Hic veluti παροιμιωδῶς adhibetur, ut recte Clericus monet, non ad significandas ipsas poenas quas falsus testis patiebatur, sed ad signandam tantum poenae paritatem.

Cap. 20.

Belli leges cum gentibus exteris servandae; qui bellatores domum remittendi; in urbium expugnatione quid servandum; qui interficiendi, qui servandi; quae arbores caedendae, quae non caedendae.

1 — 4. כִּי־תֵצֵא — וְרֶכֶב *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus;* curribus enim etiam olim

pugnabatur, in quibus certus pugnantium numerus constituebatur, sed vel maxime falcatis, qui quaqua transibant, ingentem hostium stragem edebant. His Siserae exercitum abundasse legimus Jud. 4, 3. Cf. ad Ps. 20, 8. — 2. וְהָיָה כְּקָרַבְכֶם אֶל־הַמִּלְחָמָה *Cum appropinquabitis* seu progrediemini *ad proelium*, acie jam instructa antequam classicum canat. — 3. אַל־יִרַךְ לְבַבְכֶם *Ne mollescat*, ne deficiat *animus vester*, cf. Jes. 7, 4. — מִפְּנֵיהֶם *A facie eorum*, i. e. propter eos, ut 7, 21. — 4. לְהוֹשִׁיעַ אֶתְכֶם *Victoriam vobis daturus.* יָשַׁע coll. Arab. وَسَعَ proprie significat *amplus fuit*, angustiae et rebus arctis oppositum. Hinc הוֹשִׁיעַ erit *opem tulit*, quasi dicas, *dilatavit*, *ex angustia eduxit*, et, ubi de bello sermo, *victoriam dedit.*

5. 6. שֹׁטְרִים *apparitores* magistratuum, qui praeconum vice fungebantur, vid. ad Ex. 5, 6. מִי־הָאִישׁ *Quis vir*, si quis fuerit, ut Vs. 6 — 8. וְלֹא חִנְּכוֹ *Neque initiaverit*, eam domum habitatione. Cf. Ps. 30, 1. Neh. 12, 27. 1 Reg. 8, 63. — 6. כֶּרֶם proprie est *nobilior*, *generosior agri pars*, hinc praesertim *vineam* et *olivetum* denotat, fortasse quoque *pomarium* complectitur. וְלֹא חִלְּלוֹ *Et nondum profanaverit eum*, i. e. fructus ejus in suum usum anno quinto nondum colligere coeperit. Ita enim חִלֵּל, quod alias est *profanare*, hoc loco, ut 28, 30. et Jer. 31, 5., est vertendum; oppositum ei quod fructus vineae aut oliveti recens plantati primis quatuor annis tanquam saeri habebantur. Tribus enim primis annis eos non decerpere licebat, et quarto anno epulis sacrificalibus ad locum saerum illi consumi debebant, quinto igitur demum anno ad usus *profanos*, i. e. communes, vulgares, adhiberi poterant. Cf. Lev. 19, 23. Promovebat autem simul haec lex cum reliquis legibus annexis agriculturam et matrimonia. Cf. Mich. *J. M.* P. III §. 177.

8 — 17. לֹא יִמַּס אֶת־לְבַב אֶחָיו *Ne liquescat cor fratrum ejus*, h. c. ne aliorum quoque animos timidos efficiat suo exemplo. יִמַּס est Niphal verbi מָסַס, cf. 1, 28. Jos. 2, 11. אֶת hic Nominativo praefigitur, ut Num. 26, 55., cf. ad Ex. 10, 8. Ceterum quae hic datur lex, est sapientissima. Nam ex ea ii omnes, qui ignavia aut timiditate sua animos aliorum minuere poterant, a militia excludebantur, ita ut ii tantum ad signa remanerent, qui alacrem et strenuum ad pugnandum animum haberent. — 9. כְּכַלֹּת הַשֹּׁטְרִים לְדַבֵּר *Desinentibus tribunis loqui.* Particula כְּ hic notat *postquam*, *cum*, ut Genes. 27, 31. Jud. 2, 4. — וּפָקְדוּ שָׂרֵי צְבָאוֹת *Praeficiant*, constituant *duces exercitus.* — 10. כִּי־תִקְרַב וְקָרָאתָ אֶל־עִיר *Cum appropinquas ad urbem*, scil. hostium. אֵלֶיהָ לְשָׁלוֹם *Invitabis eam ad pacem* et deditionem. — 11. יִהְיוּ לְךָ לָמַס וַעֲבָדוּךָ *Erunt tibi in vectigal et servient tibi*, erunt vectigales et servi tui. — 12. וְאִם־לֹא תַשְׁלִים עִמָּךְ *Si vero non ineat pacem tecum*, si deditionem repudiat. — 13. וְנָתְנָהּ *Omnes ejus mares gladio interficia-* אֶת־כָּל־זְכוּרָהּ לְפִי־חָרֶב

tis, rebellionis metu. — 16. כָּל־נְשָׁמָה *Omne quod spirat*, i. e. vivit, ut Jos. 10, 40. 11, 14. — 17. כִּי־הַחֲרֵם תַּחֲרִימֵם *Nam internecione eos devovebis*, cf. 7, 1. 2. 2, 32. Jos. 6, 18. De posteris tamen, qui relicti sunt, id intelligi non potest. Nec dubium, quin multi evaserint in vicinos agros, qui eadem pace, quam Hebraei cum vicinis coluerunt, fruiti sunt, vid. 1 Reg. 9, 20. 21.

19. 20. כִּי־תָצוּר — גֵּרֶן *Cum oppidum multis diebus obsidebis, ut id oppugnes et capias, non corrumpes* agri *ejus arbores, immissa in eas securi;* arbores intelligendae sunt *frugiferae*, additur enim כִּי מִמֶּנּוּ תֹאכֵל, *nam ex iis vesceris*, i. e. earum fructibus. Haec ratio est, ob quam arboribus frugiferis parcendum fuit; quod, nimirum, plus sibi obsidentes nocuissent Israelitae, quam obsessis hostibus, dum se fructibus arborum privarent. Solebant vero interdum arbores frugiferae etiam ab obsessoribus succidi, ut machinae muris admoveri possint. כִּי הָאָדָם עֵץ הַשָּׂדֶה לָבֹא מִפָּנֶיךָ בַּמָּצוֹר In his verbis explicandis et vett. et recentt. haud parum laborarunt. Plures ante הָאָדָם subaudiunt interrogationem, ut hoc modo interpretanda sint verba: *num enim homo* est *arbor agri, ut veniat a conspectu tuo in obsidione?* quasi Moscs dicere voluerit, arbores non esse homines, neque militum vim habere, ut intra urbem se recipientes pugnare contra Israelitas valerent, nec adeo esse, quod in eas, tanquam in hostes, irruant, eosque succidendo disperdere conentur. In hunc sensum LXX. *μὴ ἄνθρωπος τὸ ξύλον τὸ ἐν τῷ ἀγρῷ, εἰσελθεῖν ἀπὸ προσώπου σου εἰς τὸν χάρακα;* Nec aliter Hieronymus, nisi quod interrogationem negatione declaravit: *Lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te numerum augere.* Eodem modo Onkelos: *quoniam non est sicut homo arbor agri, ut veniat ante te in obsidionem.* Sensus, quem Chaldaeus spectavit, est hic: arbores se non coram obsessoribus, seu spectantibus iis, in urbem obsessam conjicere posse, contra eos pugnaturas. Ita Syrus: *ut fugiat a conspectu tuo in urbem obsessam.* Clarius id expressit Saadias: *existimans apud te, quod arbores campi sint velut homo, qui se jam absconderit a conspectu tuo in obsidione*, i. e. in urbe obsessa. Quae interpretatio, quamvis sit antiquissima, et quamplurimos approbatores invenerit, tamen merito repudiatur, quod frigida nimis et jejuna; cur arbores fructiferae non excidendae sint, haec sit ratio, quia arbores illae non sint homines, adeoque Israelitis urbem obsessuris resistere non valeant. Nonne idem etiam de arboribus infructuosis dicendum? Alii הָ nomini אָדָם praemissum Vocativum indicare existimant (ut Ps. 9, 7.), sensumque loci hunc in modum declarant: *Nam, o homo, arbores agri*, i. e. sylvestres, *adsunt, quibus ad obsidionem uti possis*, machinas ex iis construendo, hinc non est, quod fructuosas ad usum huncce adhibeas. Ad verba: עֵץ הַשָּׂדֶה לָבֹא מִפָּנֶיךָ בַּמָּצוֹר quae proprie sic vertenda volunt: *arbor agri* adjumento est tibi, *ut veniat* urbs *coram te in obsidio-*

nem, comparant phrasin 2 Reg. 24, 10. 25, 2. Jer. 52, 5. obviam, וַתָּבֹא הָעִיר בַּמָּצוֹר *venit urbs in obsidionem*. In istam tamen interpretationem Erh. Andr. Frommann in *Opuscc. Philologg.* p. 169. vere monuit haec: „Atque ה quidem interdum exclamandi vim habere certum est, sed, ut quisque per se intelligit, non nisi in oratione concitata et affectu plena, cujus hic nullum plane indicium est. Deinde frustra sumitur, עֵץ הַשָּׂדֶה *arbores sylvestres* denotare, et a fructuosis paullo ante commemoratis distinguendas esse; vide in contrariam partem ista loca: Lev. 26, 4. וְעֵץ הַשָּׂדֶה וְתֵן פִּרְיוֹ, et Ez. 33, 27. וְנָתַן עֵץ הַשָּׂדֶה פִּרְיוֹ. Denique cuivis contextum inspicienti patet, quod his verbis Mosen dicere voluisse illi interpretes arbitrantur, id demum Vs. 20. plane et perspicue ab eo praecipi; ut hinc otiosa unius ejusdemque repetitio assumenda esset.“ Alias hujus loci interpretationes minus probandas attulit solidisque argumentis refutavit Frommann l. l. Ipse vero verba hujus Vs. tria postrema בַּמָּצוֹר מִפָּנֶיךָ לָבֹא eonjungit cum superioribus אַתָּה לֹא תַכְרֹת אֹתוֹ, ut sensus sit: *eas ne succidite, ut illis ad obsidionem utamini:* arbores enim hebraice *ante nos in obsidionem venire* dicuntur, eum ad eam instruendam a nobis adhibentur. Verba media vero: כִּי הָאָדָם עֵץ הַשָּׂדֶה uncinis ineludenda, atque a reliquo contextu separanda censet, ita vertenda: *num hominis*, i. e. hominis usui destinata est *arbor agri*, subaudito ante הָאָדָם signo Dativi, ל, quod haud raro omittitur. Eadem loquendi forma Coh. 12, 13.: זֶה כָּל־הָאָדָם *hoc omni homini convenit;* et Ez. 12, 10.: הַנָּשִׂיא הַמַּשָּׂא הַזֶּה *Principis* s. *principi* est *hoc oraculum.* Quam interpretationem et Dathius sequutus est, et in qua nos quoque acquiescimus. — 20. מָצוֹר *Obsidio*, i. e. machinae ad obsidionem. עַד רִדְתָּהּ *Donec descendet ea*, sc. urbs, intelligendum hoc de muris cadentibus, donec eam urbem expugnaveritis.

Cap. 21.

Quid faciendum invento hominis cadavere, homicida latente. Mulieri in bello captae et ad conjugium expetitae quae permittenda. De filii primogeniti jure sarto tecto servando, licet uxoris odiosae sit filius. Filios contumaces, praemissa accusatione et Judicum sententia, interficiendos. Appensos in patibulis eadem die sepulturae tradendos.

1—9. נֹפֵל *Qui cecidit*, projectus, ut 1 Chr. 22, 14. — 2. וּמָדְדוּ *Metientur*, scil. distantiam oppidorum quae circa occisum erunt. — 3. וְהָיָה הָעִיר הַקְּרֹבָה אֶל־הֶחָלָל *Et erit quod adtinet ad urbem quae propinqua ad occisum*, i. e. urbs vero quae caeso proxima erit. לֹא־עֻבַד בָּהּ Quae ad opus rusticum nondum adhibita est, ut Jcs. 14, 3. — אֲשֶׁר לֹא־מָשְׁכָה בְעֹל *Quae nondum in jugo traxit*, conf. Num. 19, 2. — 4. Vocibus נַחַל אֵיתָן indicatur *rivus* seu *torrens perennis*, per totum annum fluens, (collato Arab. وتن *perpetuus fuit, perennis fuit et indesinens aqua*, et واتن *perenniter fluens rivus*), oppositus illis, qui per

aestatem, maxime vero post eam, Octobri mense deficiunt. אֲשֶׁר לֹא־יֵעָבֵד בּוֹ וְלֹא יִזָּרֵעַ *Qui nec colitur nec seritur*, qui numquam ita exsiccatur, ut aliquo anni tempore coli possit. Impurum sanguinem hostiae pro caede ignoti oblatae asportare debebat rivus, ne quidquam ejus in terra haereret aut frugibus, quos ea effert. וְעֹרְפוּ־שָׁם אֶת־הָעֶגְלָה בַּנָּחָל *Decollabunt ibi vitulam in torrente*, ministerio, ut videtur, sacerdotum, qui aderant; erat enim haec vitula instar victimae piacularis. Ceterum cf. Mich. *J. M.* P. VI. §. 278. — 5. לְבָרֵךְ בְּשֵׁם יְהוָה *Ut nomine Jovae bene precentur*, vid. 10, 8. Num. 6, 23. — עַל־פִּיהֶם וגו׳ *Secundum os eorum sit omnis lis et omnis plaga*, i. e. in controversiis et quaestionibus capitalibus de jure respondebunt; pronuntiabunt de difficilioribus litibus. Cf. 17, 9. 11. — 6. יִרְחֲצוּ וגו׳ *Lavent manus suas super vitula ad rivum decollata.* Haec videtur fuisse actio symbolica, qua significarent magistratus, se esse plane innocentes circa hanc caedem. Cf. Ps. 26, 6. — 7. יָדֵינוּ לֹא שָׁפְכָה *Manus nostrae*, i. e. unaquaeque manuum nostrarum, *non effudit.* Pro שָׁפְכָה Keri legi jubet שָׁפְכוּ. Sed non est opus mutatione. Nam saepe verbum singularis numeri jungi constat nomini pluralis aut dualis numeri, distributive capiendo, ut 1 Sam. 4, 15.: עֵינָיו קָמָה *oculi ejus immoti manebant;* Mich. 4, 11.: וְתֶחֱזֶינָה בְּצִיּוֹן עֵינֵינוּ *oculi nostri intueantur Zionem.* In lingua Arabica haec consructio frequens est. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 713. — 8. כַּפֵּר לְעַמְּךָ יִשְׂרָאֵל *Obtege populo tuo Israeli*, i. e. propitius esto populo, non imputa ei caedem. De כַּפֵּר cum ל construeto cf. ad Lev. 1, 4. — וְנִכַּפֶּר לָהֶם הַדָּם *Expiabitur*, non imputabitur *eis caedes.* De forma נִכַּפֶּר vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 249. — 9. וְאַתָּה תְּבַעֵר הַדָּם הַנָּקִי מִקִּרְבֶּךָ *Tu vero tolles sanguinem innocuum e medio tui.* Sicut Vs. 8. תֵּת הַדָּם *sanguinem dare, imponere*, erat, caedis poenas reposcere, ita hic בָּעַר הַדָּם *tollere sanguinem*, est, poenas caedis averruncare.

10—14. כִּי־תֵצֵא — בְּיָדֶךָ *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, dederitque eum Jova in manum tuam.* Nomini substantivo in plurali posito, אֹיְבֶיךָ, respondet pron. affix. sing. נְתָנוֹ. Praecipue haec construetio locum habet, si multitudinis, quam pluralis indicare solet, *pars* modo intelligitur, ut hic: „Si exieris ad bellum contra *hostes tuos*, i. e. contra *hostium aliquem*, et tradiderit *eum* Deus in potestatem tuam.“ Similem loquendi formam vid. 28, 48. 2 Sam. 24, 13. Sermo hic est de iis gentibus, de quibus 20, 10., non de septem gentibus devotis Vs. 16. 17. — וְשָׁבִיתָ שִׁבְיוֹ *Ut eos captivos abducas*, Num. 21, 1. — 11. בַּשִּׁבְיָה *In captivitate*, inter captivos. אֵשֶׁת יְפַת־תֹּאַר *Mulierem formosam*, cf. Gen. 29, 17. — וְלָקַחְתָּ *Et eam ducere velis;* verba activa saepe indicant voluntatem agendi, ut Gen. 24, 58.: הֲתֵלְכִי *num ibis?* i. e. visne ire? Ez. 12, 48.: וְעָשָׂה *et fecerit*, i. e. facere voluerit. — 12. וְגִלְּחָה אֶת־רֹאשָׁהּ *Radet* (mulier) *caput*

suum, caesariem, quod luctus indicium, Lev. 21, 5. — וְעָשְׂתָה אֶת־צִפָּרְנֶיהָ *Et faciet ungues suos*, quam phrasin interpretum antiquiorum alii de unguibus nutriendis, alii de illis resecandis intellexere. Onkelos et Saadias priori modo, LXX., Vulgatus et Syrus posteriori. Prior tamen illa interpretatio videtur praeferenda, quoniam mulier signa luctus edere debebat. — 13. וְהֵסִירָה מֵעָלֶיהָ — *Et removeat vestem captivitatis suae a se*, exuat vestem quam captiva gesserat, ut lugubrem induat. וּבָכְתָה אֶת־אָבִיהָ וְאֶת־אִמָּהּ *Lugeat parentes*, quia patriae aeternum valedicebat adeoque parentes veluti amittebat. — 14. לְנַפְשָׁהּ *Ad animam ejus*, prout animus ei feret, quocunque volucrit irc. LXX. ἐλευθέραν, Vulgat. *liberam.* וּמָכֹר לֹא־תִמְכְּרֶנָּה בַּכָּסֶף *Vendere eam non licet*, cf. Ex. 21, 8. — לֹא־תִתְעַמֶּר בָּהּ *Non habeas eam mancipii loco.* Significatio verbi עמר, quod praeter hunc locum semel tantum, 24, 7., occurrit, repetenda est ex Chald. et Arab. dialecto, ubi denotat *servire.*

15—17. שְׂנוּאָה *Invisa*, i. e. minus amata, cf. Gen. 29, 31. 33. — 16. בְּיוֹם הַנְחִילוֹ אֶת־בָּנָיו *Quando constituet haereditatem inter filios suos.* לְהַבְכִּר *Primogeniti jure donare*, 2 Chr. 12, 21. — עַל־פְּנֵי *Superstite adhuc*, ut 7, 10. — הַבְּכֹר *Qui* vere est *primogenitus.* — 17. כִּי *Sed.* פִּי שְׁנַיִם *Partem duorum*, duplicem portionem. LXX. διπλᾶ. De כִּי־הוּא רֵאשִׁית אֹנוֹ cf. ad Gen. 49, 3. — לוֹ מִשְׁפַּט הַבְּכֹרָה *Huic competit jus primogeniturae.*

18—23. סוֹרֵר non est derivandum a סוּר *deflexit*, tunc enim vel סָר, vel מְסוֹרֵר esse deberet, sed a סָרַר, quae conferenda est cum Arab. שַׁר *malus*, *improbus fuit*, hinc סוֹרֵר *malus*, contumax, refractarius. מוֹרֶה *Rebellis*, immorigerus. — 19. אֶל־שַׁעַר מְקוֹמוֹ *Ad portam loci sui*, i. e. urbis, locum judicii, vid. 22, 15. 25, 7. Gen. 34, 20. Ruth. 4, 1. — 20. זוֹלֵל est homo *facinorosus*, vitiis deditus. סֹבֵא *Ebriosus.* Saadias: *prodigus in illicitis.* Talis igitur homo, de cujus emendatione desperatur, lapidibus est obruendus, Vs. 21. Duram hanc legem necessariam faciebat defectus carcerum illis temporibus apud Israelitas, et contentiosae ebrietatis gravior noxa in calidis illis regionibus. — 22. וְכִי־יִהְיֶה בְּאִישׁ חֵטְא מִשְׁפַּט־מָוֶת *Et si fuerit in viro peccatum judicii mortis*, si quis crimen capitale commiserit, ut 22, 26. — וְתָלִיתָ אֹתוֹ עַל־עֵץ *Et suspendes eum ad arborem*, sc. lapidibus obrutum, infamiae ergo, cf. ad Gen. 40, 19. add. 2 Sam. 4, 12. Plura de hoc supplicii genere vid. in C. B. Michaelis Diss. *de judiciis poenisque capitalibus in S. Script. commemoratis*, Hal. 1730., quae J. D. Michaelis observationibus aucta, repetita legitur in *Sylloge Commentatt. theologicc.* a. D. I. Pott. editt. P. IV. p. 177. sqq. — 23. כִּי־קִלְלַת אֱלֹהִים תָּלוּי *Nam maledictio Dei suspensus*, omnis suspensus talis est, cui Deus maledixit, Deo invisus et exsecrabilis. Removendus itaque est e conspectu

hominum, nc cadaver ejus, in superficie terrae superstes, terram tuam polluat.

Cap. 22.

Leges de rebus amissis restituendis, de sexuum vestibus non permutandis, de matre et pullo una non capiendis, de tecti lorica, de misturis illicitis, de fimbriis, de signis virginitatis, adulterio, stupro.

1 — 5. נִדָּחִים *Oberrantes.* נָדַח Arabibus speciatim usurpatur de *ovibus*, *quae a grege aberrant et caulis suis longius digrediuntur.* Pro hoc נִדָּח in loco parall. Ex. 23, 4. ponitur תֹּעֶה *errans.* וְהִתְעַלַּמְתָּ מֵהֶם *Noli te iis subtrahere*, eos, quasi te laterent, praeterire. — 3. כָּל־אֲבֵדַת *Omnis res amissa.* — 5. כְּלִי *Instrumentum*, i. e. ornatus, vestis, ut Jes. 61, 10. Sapienter hoc vetitum ad honestatem publice tutandam et cavendas seortationes. Talis enim vestium commutatio multis nequitiis viam aperit, quum imberbis adoleseens muliebri vestitu inter mulieres facile latere possit. Cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 310. Clerieus putat, hanc legem oppositam esse moribus nonnullorum populorum Orientalium, qui in sacris vestes utriusque sexus miscuerunt et nefandis ita libidinibus sese dederunt. כִּי תוֹעֲבַת וגו׳ *Quia abominatio Jovae Dei tui* est *omnis qui fecerit illa*, quod ejusmodi vestium commutatio non modo lasciviae, sed etiam libidinis caussa fiebat.

6. 7. *Cum obvenerit tibi nidus avis in via, aut ulla in arbore, aut in terra*, invenerisque *pullos aut ova, matremque pullis aut ovis incubantem, ne cape matrem cum gnatis. Liberam dimittito matrem capitoque tibi gnata, ut bene tibi sit diuque vivas.* Hae lege magnopere consulebatur avibus indigenis ae cavebatur, ne quod earum genus aut exstirpari penitus aut minui ultra debitum in Palaestina posset. Nec tamen illicitum fundorum possessoribus fuit, nidulantes in horto, in vinea, in agro, in aedibus aves, noxias sibi aut molestas occidere, quae dura fuisset servitus: sed nolnit legislator alieno id aut nullius in fundo, aut in itineri (בַּדֶּרֶךְ) fieri lueri caussa, aut communi avium quarundam odio, belloque tanquam iis indicto. Nec exemtae erant hac lege aves, quae noxiae putantur. Nam illae ipsae quoque salutares usus praestare solent, dum noxiorum insectorum et vermium multiplicationem impediunt. Ita pluribus in regionibus ubi passeres extirpabantur, multiplicabantur erucae; quibus passeres vescuntur. Quo autem calidior tractus desertisque vicinior, eo magis opera ferociorum avium et foedarum, carnivorarum certe, requiritur, ut pejori peste regionem liberent. Attamen ex eo, quod huic legi additum est, *ut bene tibi sit, diuque vivas in terra*, videtur colligi posse, legislatoris consilium simul quoque hoc fuisse, ut Israelitis suis misericordiam non solum erga aves, sed erga alia etiam animalia commendaret. Cf. Mich. *J. M.* P. III. §. 171.

8 — 12. מַעֲקֶה *Ambitus*, lorica, septum peribolum circumcirca, a radice עָקָה *detinuit*, *retinuit*. Plana enim erant tecta Orientalium, ut adhuc sunt, et nisi peribola essent cincta, in iis sine periculo non licuisset ambulare. Cf. Jos. 2, 6. 2 Sam. 11, 2. Matth. 10, 27. וְלֹא תָשִׂים דָּמִים בְּבֵיתֶךָ *Ne ponas sanguinem in domum tuam*, h. e. negligentia tua aliquis delabatur et ita domus tua sanguine polluatur. — 9. כֶּרֶם hie est *ager cultus*. Locus parall. Lev. 19, 19. habet שָׂדֶה, vertit ita quoque Syrus. Vocem כֶּרֶם hanc significationem hie habere, apparet etiam ex eo, quod *vinea*, uti vulgo כֶּרֶם solent vertere, Hebraeis non *seri* (נָזַרַע quod h. l. legitur), sed *plantari* (נָטַע, cf. Gen. 9, 20.) dicitur. פֶּן־תִּקְדַּשׁ הַמְלֵאָה הַזֶּרַע *Ne devota sit plenitudo sementis*, i. e. quidquid in agro aut vinea creverit; ne talis mixtura fructuum sancta fiat, i. e. *ne sacro fisco addicatur* proventus talis agri aut vineae. — 10. לֹא־תַחֲרֹשׁ בְּשׁוֹר־וּבַחֲמֹר יַחְדָּו *Bove simul et asino ne arato.* Bos, mundum animal, ob varios insignes usus, quos agricolis praestat, in honore habeatur, neque ad asinum, aut ad aliud impurum animal deprimatur. Similem erga boves religionem deprehendimus apud plures populos antiquos. Alii putant, hanc legem ideo esse datam, ne asinus, bovi impar, ultra vires agatur. — 11. De שַׁעַטְנֵז cf. Lev. 19, 19. — 12. גְּדִלִים *Funiculi* i. e. fimbria funiculis *(Franzen)* constans, 1 Reg. 7, 17. Num. 15. 38. תַּעֲשֶׂה־לָּךְ *Facere tibi licet.* עַל־אַרְבַּע כַּנְפוֹת *In quatuor alis*, sive extremitatibus *vestimenti tui.* Conf. Jes. 11, 12. Tunica Hebraeorum videtur fuisse fissa a fronte et a tergo, unde nata quatuor extrema sive quatuor alae.

13 — 21. De re, de qua his Vss. est sermo, cf. MICHAELIS *Jus. Mos.* P. II. §. 92. ARVIEUX de *moribus Arab.* p. 123. vers. germ. NIEBUHR *Descr. Arab.* p. 36 — 39. — 14. וְשָׂם לָהּ עֲלִילוֹת דְּבָרִים *Et imposuerit ei facinora verborum*, ut verbis ei injuriam fecerit. וְהוֹצִא עָלֶיהָ שֵׁם רָע *Et produxerit contra eam nomen malum*, si infamaverit eam. בְּתוּלִים *Virginitates*, i. e. virginitatis indicia. — 15. הַשֹּׁעֲרָה Cf. ad 21, 19. — 17. הַשִּׂמְלָה h. l. non, ut alias, significat *vestem*, sed linteum seu pannum, sanguine virginali ex prima copula adspersum. — וְיִסְּרוּ אֹתוֹ *Castigent eum*, virum, secundum quosdam *verbis* tantummodo, secundum alios *verberibus.* Ita Joseph. *Ant.* 4, 8. — 19. כֶּסֶף *Argenti*, i. e. sielis argenteis, cf. Gen. 20, 16. Num. 7, 13. — 21. הַנַּעֲרָ *Puella*, quae dum nupsit, virginem se finxit; de iis enim, quae, postquam desponsatae essent, ab aliis vitiabantur, agitur Vss. 23. 24. De non desponsata, quae stuprum passa est, nec tamen pro virgine se gerit, vide Vs. 28. sqq. Exod. 22, 15. 16. נְבָלָה *Flagitium*, Gen. 34, 7.

22 — 29. בְּעֻלַת־בַּעַל *Cui est maritus*, Gen. 20, 3. — 23. כִּי יִהְיֶה נַעֲרָה *Si fuerit* vel *acciderit*, *ut puella etc.* הָיָה non construendum est cum nomine, ut nonnulli faciunt, qui hic enal-

lagen generis accipiunt. אִישׁ *Vir*, sc. alius, aliquis, ut Num. 5, 13. — 24. עַל־דְּבַר אֲשֶׁר *Propterea quod.* לֹא־צָעֲקָה *Non clamavit*, unde liquet, eam non se invita vitiatam esse. — 26. אֵין לַנַּעֲרָ חֵטְא מָוֶת *Non est puellae peccatum mortis*, puella nullum capitale crimen commisisse censenda est. — 27. מוֹשִׁיעַ *Liberator*, LXX. *βοηθήσων*. — 28. 29. Cf. Ex. 22, 15. 16. — וְלוֹ־תִהְיֶה לְאִשָּׁה *Eritque ei uxor*, si modo pater vitiatae velit.

Cap. 23.

De iis, qui jus civitatis Israeliticae consequi poterant. Pollutione nocturna contaminatus qua ratione purificandus sit. Locus extra castra naturae necessitati deputandus. Servus fugitivus hero non tradendus. Meretriciae res et scortationes non admittendae, nedum ut harum rerum pretia Dei offerantur permittendum. Usurae a civibus non exigendae. Votum conceptum explendum. In alius vinea et segete quae ibi reperta sunt, edi possunt, foras autem non esse efferenda.

1—5 לֹא־יִקַּח אִישׁ אֶת־אֵשֶׁת אָבִיו Cf. Lev. 18, 8. לֹא יְגַלֶּה כְּנַף אָבִיו *Non retegat extremitatem vestis patris sui*, i. q. Lev. 18, 6. גְּלוֹת עֶרְוָה. — 2. פְּצוּעַ דַּכָּה וּכְרוּת שָׁפְכָה *Mutilus contritione aut abscissione testiculi.* Videtur duplex fuisse ratio reddendi hominem generationi ineptum, vel testiculorum contritione, vel eorum exsectione. Saltem hoc fiebat vervecibus, vid. Lev. 22, 24. — לֹא־יָבֹא בִּקְהַל יְהוָה *Non ingrediatur in coetum Jovae*, i. e. non habebitur Israelita, nec nomen ejus in censualibus libris scribetur. Ejusmodi homini non licebat ducere Israëlitidem. „Tum demum peregrinus habebatur civis Hebraeus, ut more Romano loquamur, cum Israëlitidem duxerat, aut ei ducere licebat, non prius. Quare et Jonathan vertit: *Non est idoneus, qui est castratus, et cui abscissus est nervus, ad ducendam uxorem ex coetu Jovae.*“ Cleric. — 3. מַמְזֵר vulgo interpretantur *spurium*, ex scorto publico seu prostibulo natum, vel intelligitur, uti vult Clericus, natus ex illegitima uxore, qualis erat peregrina mulier, quam Hebraeus forte compressisset, nec tamen duxisset. Ex C. B. Michaelis sententia, relata ex ejus Annotatis Mss. a filio in *Jure Mos.* P. II. p. 435. not., voce מַמְזֵר, h. l. generatim designatur *ἀλλογενής*, ut Zach. 9, 6., adeo ut Ammonitae et Moabitae Vs. 4. species vel insignior sint *τοῦ* מַמְזֵר, vel plane *τοῖς* מַמְזֵרִים contra distinguantur, utpote cognati Israelitis, posteris Abrahami, cujus nepotem ex fratre, Lotum, conditorem gentis habuerant. Sic igitur מַמְזֵר idem foret qui נָכְרִי. גַּם דּוֹר עֲשִׂירִי *Ne decima quidem* ab eo *aetas*, i. e. numquam, Vs. 4. 7. Neh. 13, 1. — 5. עַל־דְּבַר — מִמִּצְרַיִם *Quod vobis non occurrerunt cibo et potu in itinere ex Aegypto*, ut debebant facere erga populum consanguineum. שָׂכַר *Conduxit*, sc. *Moab*, ut ex historia Num. 22. intelligitur.

7—12. לֹא־תִדְרֹשׁ שְׁלֹמָם וְטֹבָתָם *Commodum eorum non procurabis*, saluti et utilitati eorum numquam studeatis. Intelli-

gendum hoc est tantummodo de publico Israelitarum auxilio populo Moabitico non ferendo. Ac sane periculosum erat, auxiliari genti, idololatriae summopere deditae, coll. Num. 21, 29. — 9. בָּנִים שִׁלְּשִׁים — *Filii qui eis nascentur in generatione tertia.* Intelliguntur *nepotes* eorum, qui temporibus Mosis vixerunt. Hi poterant Israelitidas ducere, et civitatem Israeliticam adipisci. — 10. מַחֲנֶה *Exercitu*, ut Num. 2, 3. 9. 10. כֹּל דָּבָר רָע *Omnis res turpis.* — 11. מִקְרֵה־לָיְלָה *Ob accidens noctis*, ob pollutionem nocturnam. LXX. ἐκ ῥύσεως αὐτοῦ νυκτός. וְיָצָא אֶל־מִחוּץ לַמַּחֲנֶה *Et exeat extra castra.* — 12. לִפְנוֹת־עֶרֶב *Adventante vespera*, Gen. 24, 63. Ex. 14, 27.

13 — 15. יָד h. l. est *spatium*, ut 2, 37. Bene monet Clericus, cavendum esse, ne hoc intelligatur de castris Israeliticis in deserto; nam haec omnia pendere a Vs. 10., ubi de militaribus castris sermo est. In castris totius populi Hebraei, quibus amplissima terrarum spatia occupabantur, fieri non potuisset, ut quotiescunque egerenda erant excrementa, omnes castris egrederentur. Sed in castris militaribus, multo minoribus, et in quibus nemo procul a vallo aberat, potuit hoc observari. Ratio hujus legis videtur fuisse, ne foetore aër corrumperetur et epidemici morbi crearentur. Cum ubique foetor sit noxius, sub calido coelo potissimum valetudini obesse potest. — 14. יָתֵד *Paxillus*, ut Jud. 4, 21. Hic intelligenda est *ala*, *ligo*, cogente filo orationis et consentiente lingua Thalmudica, in qua יָתֵד שֶׁל מַחֲרִישָׁה *paxillus arationis* est *vomer*. עַל־אֲזֵנֶךָ *Praeter arma tua.* וְשַׁבְתָּ *Et sedeas*, honeste pro, excrementa egerere. — 15. לְהַצִּילְךָ *Ut tibi auxilio sit.* עֶרְוַת דָּבָר *Nuditatem rei*, i. e. foeditatem rei tegendae; foedum quid; metaphora ab hominum nuditate ducta. וְשָׁב מֵאַחֲרֶיךָ *Et retrocedat a te.* Rationem hujus legis, desumtam ex eo, quod Deus castris praesens sit, adjecit Moses ideo, ut legi, sanitatis et munditiei caussa datae, majorem adderet vim et gravitatem. Nam vera illa et propria praecepti caussa apud populum, nondum politioribus moribus excultum et munditiei adsuctum, non tam efficax fuisset.

17. 18. בְּטוֹב לוֹ *In bono ei*, i. e. in loco, qui ei placet. — 18. קְדֵשָׁה *Consecrata* Veneri, prostibulum. Vid. Gen. 38, 21. קָדֵשׁ *Cinaedus*, scortator meritorius, ut 1 Reg. 14, 24. 2 Reg. 23, 7. LXX. hunc Vs. recte sic reddiderunt: *Οὐκ ἔσται πόρνη ἀπὸ τῶν θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται πορνεύων ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ.* Tum sequuntur haec: *Οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ.* Quibus verbis quum nihil respondeat in textu Hebraico, ea obelo notavit Origenes. Verisimile est, eorum, quae nos hodie in Codd. hebrr. legimus, verborum Graecam versionem primam et genuinam esse eam, quae posteriore Versus parte habentur: *οὐκ ἔσται τελεσφόρος κ. τ. λ.*, quae vero antecedunt, *οὐκ ἔσται πόρνη κ. τ. λ.*, esse glos-

sema, quod e margine in textum irrepserit. Nam primo verba per se clara, qualia sunt πόρνη et πορνεύων, minus claris explicare velle, glossematis ratio non patitur. Accedit, quod vocabula τελεσφόρος et τελισκόμενος ab eodem verbo τελεῖν ducuntur, cujus derivata, τελεταὶ et τετελεσμένοι, iidem interpretes aliis locis, 1 Reg. 15, 12. et Hos. 4, 14., pro hebraicis קְדֵשִׁים et קְדֵשׁוֹת usurpaverant, et quia, ubi קְדֵשִׁים de impuris gentilium sacris ponitur, numquam πορνεύων verterunt, certe etiam hoc loco facturi non erant. Denique haec ultima vocabula graeca magis accommodata videntur ad vim hebraici textus exprimendam. Est enim τελεσφόρος aptum omnino voc., quo significatio vocis קְדֵשָׁה *initiatae* impudico cultu idolorum in Sacris gentilium exprimatur, quemadmodum Theodoretus etiam *Quaest.* 28. ad mysteria illud pertinere, docte observavit. Complectitur tamen simul turpissimi quaestus oblationem, unde Flamin. Nobilius recte vertit: *teletas ferens* (qua voce Augustinus *de civit. Dei*, 10, 9. etiam pro *consecratione* utitur), quasi dicat, initiationis suae mercedem, dona et sacrificium obscoenae libidinis consecrans. Non erit itaque inter filias Israel τελεσφόρος, *initiata* cultu impuro, et, quod inde ducitur, vectigal impudicitiae persolvens. Pergit nunc versio graeca: *non erit* τελισκόμενος *inter filios Israel.* Aptum itidem voc. ad exprimendam vocem קָדֵשׁ *initiatus* obscoenis sacris; derivatur enim a τελέω, quod *initiandi* vim habet.

19. אֶתְנַן זוֹנָה *Donum meretricis*, Hos. 9, 1., i. e. pecunia quam ex foedissimae artis quaestu tanquam primitias Diis offerebant sacerrimae mulierculae. מְחִיר כֶּלֶב *Pretium canis*, i. e. quod datum est scorto masculo, sive puero meritorio pro nefario concubitu. *Canis* autem vocatur talis homo impurus, quod canes impudentia ac libidine aemulatur. Tales et Apoc. 22, 15. κύνες vocantur. Constat autem, Phoenices mercedem usurae corporis sui Deo vovisse. Alii vocem כֶּלֶב propria significatione sumunt, ut sensus sit, *pretium ex vendito cane non inferendum esse in templum Jovae.* Sed priorem illam interpretationem postulat orationis filum. Nec intelligitur, quomodo cuipiam Hebraeorum in mentem venire possit, pretium ex cane vendito templo consecrare, quum canes apud illarum terrarum incolas inter abjectissima animalia habeantur, quae nemo facile emerit.

20—26. לֹא תַשִּׁיךְ לְאָחִיךָ *Nullas ex popularibus vestris accipite usuras.* In legibus prioribus de usuris, Ex. 22, 24. Lev. 25, 36 Moses de solis pauperibus usuram exigere vetat. Hac lege vero legislator, omnibus omnino usuris, quae a fratre sive paupere sive divite exigerentur, populo interdicit. Sine dubio per quadraginta istorum annorum spatium legis in pauperum gratiam datae abusus a ditioribus invectus, hanc legis extensionem necessariam fecerat. — 21. לַנָּכְרִי תַשִּׁיךְ *A peregrinis usuras accipere potestis.* Non ergo omnes annui ex pecunia reditus Israelitis eri-

piebantur, licebat illam Sidone collocare, urbe finitima per totum mare commercia exercente, aut apud Arabes, idem in terra, quod Sidonii mari, facientes. — 24. מוֹצָא שְׂפָתֶיךָ *Quod labia tua dixerint*, ut 8, 3. Num. 30, 13. — 25. כִּי תָבֹא *Si forte veneris.* Intelligendum hoc de eo, qui forte transit juxta vineam, non de iis, qui quotidie data opera eo se conferrent. אָכְלְךָ *Edere tibi licet.* כְּנַפְשֶׁךָ *Pro appetitu*, ut 14, 26. — 26. וְקָטַפְתָּ מְלִילֹת בְּיָדֶךָ *Decerpere quidem licet spicas manu tua.* Cf. Matth. 12, 1. Luc. 6, 1. — וְחֶרְמֵשׁ לֹא תָנִיף עַל־קָמַת רֵעֶךָ *Sed falcem non immittas in segetem socii, concivis tui.*

Cap. 24.

De divortiis, belli immunitate, plagio, lepra curanda, pignore, mercede, humanitate in pauperes et peregrinos, et liberalitate in frugum collectione.

1. 4. Tres Vss. priores protasin continent, quartus apodosin. וְהָיָה אִם־לֹא תִמְצָא חֵן בְּעֵינָיו וּבָעַלָהּ *Et maritus ejus fuerit.* וְהָיָה *Et fuerit*, si non invenerit gratiam in oculis ejus, si ei non amplius placuerit. עֶרְוַת דָּבָר *Foedum quid;* vid. ad 23, 15. Moses non definivit, quaenam res istae foedae aut inhonestae essent. Videtur autem per עֶרְוַת דָּבָר intelligi quidquid tale est, ut ob id merito displiceat uxor marito, sive sint mali mores, ut pertinacia, inobedientia, dicacitas, furta; sive corporis defectus, qui antea laterent. Christus vero multa secula post maritorum jus in uxorum dimissione restringebat ad *πορνείαν*, quae sola legitima divortii caussa in posterum esse deberet; Matth. 5, 31. 32. 19, 3—9. וְכָתַב לָהּ סֵפֶר כְּרִיתֻת *Ita ut ei scribat libellum repudii, γραμματεῖον ἀπολύσεως* apud Josephum. Moses igitur divortii jus ex antiquo more apud Orientales populos ante ejus tempora receptum non tam sancit, quam potius justis limitibus circumscribit. Divortium vero intelligitur non publica magistratuum, sed privata mariti auctoritate factum. — 4. Si haec omnia ita sunt; *non potest etc.* לָשׁוּב לְקַחְתָּהּ *Revertere ad ducere eam*, rursus ducere eam. אַשֶׁר הֻטַּמְּאָה *Siquidem polluta est.* הֻטַּמְּאָה compositum videtur ex Hiphil et Hithpael; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 249. Hac lege cavebat legislator, partim ne temere et per subitam iram viri repudiarent uxores, partim ne, si eandem uxorem saepius repudiare et postquam aliis nupta fuisset, eandem rursus ducere licuisset, tales mutationes speciem praeberent lenocinii publici aut communionis uxorum. Cf. Mich. *J. M.* P. II. §. 120.

5—9. לֹא יֵצֵא בַּצָּבָא *Non exibit cum exercitu*, non cogetur cum exercitu ad bellum exire. וְלֹא־יַעֲבֹר עָלָיו לְכָל־דָּבָר *Nec transibit super eum quidquam*, nullis oneribus sit obnoxius (cf. ad 20, 5.). לְ hic Nominativo כָל־דָּבָר praemissum, ut 1 Chr. 3, 2. 6, 1. 24, 20. — 6. רֵחַיִם *molam*, sc. manuariam, cf. ad Ex. 11, 5. Jes 47, 2. Numerus dualis ponitur, quia *mola* ex duobus

lapidibus constabat. וְרֶכֶב Imo *ne metam quidem* (ut Jud. 9, 53.), quia neuter lapis sine altero ad moliendum sufficit. Sensus est: neque integram molam, neque dimidiam ejus partem, sine qua altera inutilis est, pignoris loco esse accipiendam. כִּי־נֶפֶשׁ הוּא חֹבֵל *Quia animam*, i. e. vitae conservandae maxime necessarium instrumentum, *pigneratus*. Bene Onkelos: *quia ipsis* (meta et catillo) *conficitur esca pro omni anima.* — 7. De supplicio in plagiarium constituto cf. Ex. 21, 16. — 8. הִשָּׁמֶר בְּנֶגַע־הַצָּרַעַת וגו׳ *Custodi te in plaga leprae*, rel. Sensus: in morbo leprae diligenter observate omnia, quae sacerdotes vos docent. Vel: cave ne tale quid committas, unde lepra pereutiaris, ut Mirjama (Vs. 9.); si vero id tibi acciderit, observa, quae te docuerint sacerdotes ex praeceptis Lev. 24. — 9. Cf. Num. 12, 12.

10 — 15. כִּי־תַשֶּׁה *Si mutuum dederis.* מַשַּׁאת *Mutuum*, Prov. 22, 26. Neh. 5, 7. 10. — מְאוּמָה *Ullius rei*, ut Gen. 39, 6. 9. — לַעֲבֹט עֲבֹטוֹ *Ad pignorandum pignus ejus*, cf. 15, 6. — 11 12. Cf. Ex. 22, 25. 26. — 13. וּלְךָ תִּהְיֶה צְדָקָה Cf. ad 6, 25. LXX. צְדָקָה reddunt *ἐλεημοσύνη*. Id enim significat vox illa apud Arabes, Chaldaeos et Judaeos recentiores. — 14. 15. Cf. Lev. 19, 13. — וְאֵלָיו הוּא נֹשֵׂא אֶת־נַפְשׁוֹ *Et ad eam* mercedem *attollit animam*, eam avide cupit; ut Jer. 22, 27. Ps. 25, 1. LXX. *ἐν αὐτῷ ἔχει τὴν ἐλπίδα*, se. sustentandae vitae.

16 — 22. לֹא־יוּמְתוּ אָבוֹת עַל־בָּנִים וגו׳ *Ne occidantur patres pro filiis*, rel. Erat hoc inhumanum quidem, sed antiquissimum jus apud multos antiquos populos, ut liberi quoque ob parentum delicta necarentur. Cf. ad Ex. 20, 5. Amazias, rex Judae, nonnisi eos, qui patrem suum interfecerant, non vero eorum liberos occidi jussit, ne eam, quae hic exstat, legem violaret, uti diserte dicitur 2 Reg. 14, 6. 2 Chr. 25, 4., quo utroque loco totidem, quot hic, verbis exhibetur. Cf. Jer. 31, 30. Ez. 18, 20. — 17. לֹא תַטֶּה מִשְׁפַּט *Non pervertes jus*, ut 16, 19. — בֶּגֶד אַלְמָנָה *Vestem viduae*, aut aliud quidpiam, quo sine gravi incommodo non potest carere; cf. Vs. 12. — 19. Cf. Lev. 19, 9. — 20. כִּי תַחְבֹּט זֵיתֶךָ *Si excusseris oleas tuas.* לֹא תְפָאֵר *Non ramos scrutaberis*, denominativum a פְּאֵרָה *ramus.* אַחֲרֶיךָ *Post te*, postquam oleas excusseris. — 21. Cf. Lev. 19, 10. — 22. Sensus est, pauperes et peregrinos liberaliter esse habendos ab Hebraeis, quemadmodum ipsi, cum Aegyptiis servirent, eos erga se liberales et humanos esse optaverint. „Quod vobis fieri ab aliis olim cupivistis, id nunc facite aliis.“

Cap. 25.

Justitia in judiciis commendatur. In flagellando plagarum modus servandus. Bovi trituranti os non obligandum. Mortuo sine liberis fratre fratri vidua ducenda. Injustitia in ponderibus fugienda. Amalecitae exterminandi.

1—3. וְהִצְדִּיקוּ אֶת־הַצַּדִּיק *Et justum reddant*, i. e. talem pronuncient et absolvant, *justum*, cujus justa est causa; cf. 1 Reg. 8, 32. Prov. 17, 19. — הִרְשִׁיעוּ אֶת־הָרָשָׁע *Eum, cujus caussa deterior est deteriorem pronuntiabunt*, sontem declarabunt. Eandem significationem רָשָׁע habet Ex. 2, 13. 23, 7. Num. 25, 31. — 2. בֶּן הַכּוֹת reete LXX. ἄξιος πληγῶν, *plagis dignus*. Ita 1 Sam. 20, 31. בֶּן־מָוֶת *filius mortis* est *morte dignus*. Cf. Ephes. 2, 3. et in aliis N. T. locis τέκνα ὀργῆς, τέκνα κατάρας, *poenis digni*; ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *exitio dignus*, Joa. 17, 12. וְהִפִּילוֹ *Prosterni eum jubebit.* כְּדֵי רִשְׁעָתוֹ בְּמִסְפָּר *Pro sufficientia*, pro ratione *delicti ejus certo numero* ictuum. — 3. אַרְבָּעִים יַכֶּנּוּ לֹא יֹסִיף *Quadraginta* ictus ei infligere jubeat, *non addat* plures. Ne autem hunc numerum excederent, ictibus fortasse falso numeratis, numquam plures impingebant quam *triginta novem.* Vide Joseph. *Antiqq.* 4, 8. 2 Cor. 11, 24. וְנִקְלָה אָחִיךָ לְעֵינֶיךָ *Ne vilis fiat frater tuus coram oculis tuis*, i. e. ne minor illius cura et ratio habeatur, quam ut humanitas postulat, nec ut animal vile tractetur. Niphal verbi קָלָה omnibus, quibus occurrit, locis, *vilescendi* notionem obtinet.

4. לֹא־תַחְסֹם שׁוֹר בְּדִישׁוֹ *Noli obligare os bovis triturantis.* חָסַם in dialecto Arab. denotat *fregit cartilaginem nasi*, *odoratu caruit nasus.* Ut hoc praeceptum intelligatur, monendum est, in Oriente etiamnum trituram fieri bobus et plaustris super strata frumenti actis. Instar omnium hic adscribo locum ex Leunclavii *Turcicis* p. 234. a Drusio ad Mich. IV. allatum: *Solent illarum regionum incolae, postquam demessae fruges sunt, domum eas ex agris more nostro, granis nondum excussis, in horrea convehere; sed in aream quandam sub dio comportare. Deinde sparsis per aream manipulis frugum, boves et bubalos inmittunt, qui dum pedibus subjectas proterunt, aristis grana nullo negotio excutiuntur. Et solent haec sub dio fieri extra pagos et oppida.* Ne vero bos triturans quidquam de frumento edat, plures antiqui populi ori illius capistrum injicere, aut ora boum fimo oblinere solebant. Vid. Aelianus *Hist. Animal.* 4, 25. Cf. Bochart *Hieroz.* T. I. p. 431. edit. Lips. Etiamnum Aegyptii capistrare solent boves triturantes. Moses vero hoc vetat Israelitis, quia inhumanum videtur, bovem in mediis frugibus laborantem ab esu earum prohibere. Hoc praeceptum adhuc hodie servant Arabes; vid. Hoestii *Nachrichten von Fes u. Marocco* p. 129.

5. 6. 9. כִּי־יֵשְׁבוּ אַחִים יַחְדָּו *Si fratres una habitant*, i. e. in eadem urbe. Extra patrium igitur solum degentes non cogeban-

tur ad praestandum jus Leviratus, de quo hoc Vs. est sermo. וּבֵן אֵין־לוֹ *Et filius non est ei*, i. e. ut recte Vulgatus, *absque liberis.* הַחוּצָה *Foras*, i. e. extra familiam defuncti; peregrinus (Num. 36, 3.). וְיִבְּמָהּ *Leviratum ei praestabit.* Cf. not. ad Gen. 38, 8. — 6. יָקוּם עַל־שֵׁם אָחִיו הַמֵּת *Stabit super nomine fratris sui defuncti*, i. c. succedet in nomen et bona defuncti, ejusque filius dicetur. וְלֹא־יִמָּחֶה שְׁמוֹ מִיִּשְׂרָאֵל *Ne deleatur nomen ejus ex Israele*, ex tabulis genealogicis Israelitarum; cf. ad Num. 27, 4. Paradoxum hoc Leviratus jus non institutum est a Mose, sed diu ante cum viguit. Deprehendimus enim id jam in familia Jacobi, Gen. 38, 8. sqq. Hoc jus sine dubio originem traxit ex Israelitarum opinione, qua immortalitatem nominis honoremque aeternum tabulis genealogicis contineri putabant. Nec tamen in illo jure nihil fuisse incommodi, facile quisque intelligit. Durum enim ad conjugia cogi, nulla alicui optione facta, idque cum viduis. Deinde filios gignere, non suos sed fratris mortui futuros, illo in populo saepe damnosum, in quo liberorum multitudine omnis nominis immortalitas continebatur. Nec tamen consultum ducebat Moses, hanc consuetudinem plane abrogare, partim ob contumaciam populi sui, partim ne gloriam ex posteris contemnere illum doceret. Illa enim opinione, liberorum multitudine nominis immortalitatem contineri, nihil erat potentius ad multiplicanda conjugia et incendendam legitimae sobolis cupiditatem. Interea mitigabat tamen hoc jus Moses. Si enim mortuus sobolem reliquisset, omnino interdixit Moses fratri superstiti nuptiis cum glore Lev. 18, 6. 20, 21. Cf. Mich. *J. M.* P. II. § 98. — 9. חָלְצָה נַעֲלוֹ מֵעַל רַגְלוֹ *Detrahat ei calceum.* Hac re significabatur, levirum haereditate fraterna cedere, vid. Ruth. 4, 7. — וְיָרְקָה בְּפָנָיו *Exspuet in facie ejus*, coram eo. Michaelis vero verbum יָרַק vertendum putat ex significatione Arab. ورك, *bilem in ipsum et maledicta evomere potest;* quod ex moribus Orientalium maximum dedecus fuisset, coram judicibus exspuere. Ceterum ex hac levitate poenarum satis certe potest colligi, hoc jus Mosi displicuisse.

13. 18. 19. אֶבֶן וְאֶבֶן *Lapis et lapis*, i. e. duplex et diversum pondus. Cf. Lev. 19, 35. 36. — 18. וַיְזַנֵּב — אֲשֶׁר *Quomodo occurrerunt vobis in itinere et ceciderunt in extremo agmine omnes debiles, dum fessi essetis et laboribus defatigati.* Historia, de qua hic sermo est, extat Ex. 27, 8., ubi tamen haec circumstantia non narratur, sed tantummodo praelium cum Amalekitis commissum, ex quo Israelitae superiores discessere. Verbum זָנַב denominativum a זָנָב *cauda*, *extremum* rei alicujus, hic est *extremum agmen caedere.* LXX. ἔκοψε σου τὴν οὐραγίαν. אַחֲרֶיךָ Qui *post te*, sc. ibant, i. c. agmen extremum. — 19. *Cum Jova Deus tuus quietem tibi concesserit ab omnibus hostibus tuis, qui erunt circa te in terra qua te haereditaria possidenda donat, delebis memoriam Amaleki, neque hujus rei oblivisceris.*

Cap. 26.

Primitiae et decimae suo tempore exsolvendae Deoque offerendae addita certa verborum formula, qua commemorentur divina beneficia, et offerentes coram Deo protestentur, se divinam legem de primitiis et decimis fideliter et religiose executos esse.

2—6. מֵרֵאשִׁית *De primitiis*, cf. Ex. 23, 19. 35, 26. Lev. 23, 10. בַּטֶּנֶא *In canistro* seu *corbe*, ut 28, 5. 17. לְשַׁכֵּן שְׁמוֹ שָׁם Vid. ad 12, 11. — 3. הַגַּדְתִּי *Indico*, palam harum primitiarum oblatione testificor, Deum promissis suis, patribus meis factis, stetisse, meque vere in terram, quam iis pollicitus est, duxisse. — 4. וְהִנִּיחוֹ *Et deponet illud;* vid. Vs. 11. — 5. וְעָנִיתָ *Respondebis* prius interroganti sacerdoti. אֲרַמִּי אֹבֵד אָבִי וַיֵּרֶד מִצְרַיְמָה *Aramaeus errans*, cum gregibus deserta pererrans, Nomas, erat *pater meus et descendit in Aegyptum.* Syrus gente, patria extorris, inter Cananitas pascua nullis certis sedibus pererrans. אֹבֵד non est vertendum *perditus*, vel *periturus;* nam Abrahamus, Isaacus et Jacobus, qui hic sub אֹבֵד intelliguntur, divites erant ac potentes; sed *errans*, ut Ps. 119, 176. — 6. וַיָּרֵעוּ אֹתָנוּ הַמִּצְרִים *Cumque male tractarent nos Aegyptii*, vid. Ex. 1, 14.

7—10. וַנִּצְעַק אֶל־יְהוָה *Et clamavimus ad Jovam*, cf. Ex. 2, 23. — אֶת־עָנְיֵנוּ *Vexationem nostram*, Ex. 4, 31. LXX. *τὴν ταπείνωσιν ἡμῶν*, ut Luc. 1, 48. וְאֶת־עֲמָלֵנוּ *Et laborem nostrum*, i. e. aerumnam. LXX. *καὶ τὸν μόχθον ἡμῶν*, cf. 1 Thess. 2, 9. — וְאֶת־לַחֲצֵנוּ *Et oppressionem nostram*, Ps. 44, 25. — 8. בְּיָד חֲזָקָה וּבִזְרֹעַ נְטוּיָה Cf. ad Ex. 3, 19. et vid. supra 4, 34. 6, 21. 7, 8. — 9. אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ Cf. Ex. 3, 8. — 10. וְהִנַּחְתּוֹ לִפְנֵי יְהוָה *Et* sic *depones* ac relinques *illud* canistrum (Vs. 4.) *coram Jova.* Hinc intelligimus, eum, qui superiorem testificationem pronunciabat, canistrum manu tenuisse, dum ita loqueretur, quasi manu sua id Deo offerentem.

12. כִּי־תְכַלֶּה—הַשְּׁלִישִׁת *Quando compleveris offerre omnem decimam proventus tui*, i. e. cunctarum frugum tuarum, *anno tertio*, cf. 14, 22. 28. Lev. 27, 30. — שְׁנַת הַמַּעֲשֵׂר *Qui annus est harum decimarum*, in urbe patria solvendarum; nam alioquin erant ferendae Hierosolymam, aut pecunia hinc confecta. Quod ut rectius intelligatur, haec monuisse juvabit: Ex soli fructibus, aut ex pecore, offerebantur 1) Sacerdotibus *primitiae*, Ex. 23, 19. Lev. 23, 10. Num. 15, 20., et eâ quidem copiâ, quâ volebat colonus. 2) תְּרוּמָה *oblatio*, de tritico, vino, oleo, lana et similibus, Num. 15, 19. quae etiam sacerdotibus solvebantur. Tum vero de eo quod supererat, solvebantur 3) *decimae primae* Levitis, ad Tabernaculum vel Templum ministrantibus Num. 18, 21., qui et ipsi *de his decimis* decimam sacerdotibus exsolvebant, ibid. Vs. 26. De reliquis novem partibus 4) *decimae secundae* tolle-

bantur, quae (vel pretium earum) ad Sacrarium ferendae et in convivia absumendae erant; 12, 18. 14, 23. Has secundas decimas autem *tertio quovis anno* intra cujusque oppidi moenia pauperibus et Levitis dividebant. Non igitur *tres* eo anno decimae solvebantur, ut nonnulli colligunt e Tob. 1, 7. *Καὶ τὴν τρίτην ἐδίδουν οἷς κατήκει*, *tertiam* decimam *dabam iis* ad *quos pertinet*. Verum intelligit dumtaxat: *decimam tertii anni*, i. e. eam quam tertio quoque anno, post solutam *primam*, oportebat colonum intra sua moenia dare Levitis, peregrinis, orphanis et viduis. Hanc quoque Josephus *Ant.* 4, 8, 22. vocat *τρίτην κατὰ τὸ ἔτος τρίτον*, et Rabbini מעשר עני *decimam pauperis*. Sensum vocc. שְׁנַת הַמַּעֲשֵׂר bene expresserunt LXX. *τὸ δεύτερον ἐπιδέκατον*, *secundam decimam*.

13. 14. בִּעַרְתִּי הַקֹּדֶשׁ מִן־הַבָּיִת *Abstuli quod sanctificatum est ex domo mea.* LXX. *ἐξεκάθαρα τὰ ἅγια ἐκ τῆς οἰκίας μου*, penitus ea extuli, et quasi domum iis perpurgavi, sollicitus, ne quid remaneret. Per הַקֹּדֶשׁ autem intelligitur eadem illa decima, de qua paullo antea sermo erat. — 14. לֹא־אָכַלְתִּי בְאֹנִי מִמֶּנּוּ *Non comedi de illis fructibus tempore luctus*, adeoque immundus. וְלֹא־בִעַרְתִּי מִמֶּנּוּ בְּטָמֵא *Nec sustuli aliquid eorum in usum immundum.* וְלֹא־נָתַתִּי מִמֶּנּוּ לָמֵת *Neque dedi de illis pro mortuo*, i. e. nec quidquam de illis ad epulas, quae mortuorum caussa instituuntur, contuli. Nam apud Hebraeos a cognatis mortui convivia funebria instrui solebant. Hinc 2 Sam. 3, 35. ad Davidem, Abnero composito, venit populus, ut cum eo convivaretur. Conf. Jer. 16, 7. Ez. 24, 17. 22. Unde Tobias praeter alia filio et hoc praecipit: *Ἔχεον τοὺς ἄρτους σου ἐπὶ τάφον τῶν δικαίων.* Tale epulum funebre et apud Homer. *Il.* 23, 29. et *Odyss.* 3, 309. *τάφος* vocatur. Josephus *Bello Jud.* 2, 1, 1. memoriae prodidit de Archelao, quod hic, diebus septem in lugendo consumtis, epulisque feralibus prolixe exhibitis, qui mos apud Judaeos cibandi multos ad inopiam redegerit, candida veste indutus ad templum processerit. Omne autem negotium funebre immundum censebatur, unde ad talia convivia nil Deo sacrum adhiberi licebat.

16 — 18. בְּכָל־לְבָבְךָ וּבְכָל־נַפְשֶׁךָ Vid. 4, 29. 6, 3. — 17. 18. In his Vss. aliquam difficultatem parit verbum הֶאֱמִיר, quum enim haec forma (Hiphil) verbi אָמַר hic tantummodo occurrat, de ea vertenda dissentiunt interpretes. Quidam vertunt: Vs. 17. הֶאֱמַרְתָּ *fecisti dicere seu spondere dominum etc.* Vs. 18. *Dominus* הֶאֱמִירְךָ *fecit dicere te*, *effecit*, *ut promiseris et sponderis.* Alii conferri volunt significationem Aethiopicam verbi אמר, *scire*, *nosse*, quae intransitiva conjugatione sit, *fecit scire*, *docuit*, *professus est.* Verbum אָמַר apud Arabes est *imperare*, *praecipere*, et in Conj. 4. *imperium sive principatum alicui concedere.* Hanc notionem Dathius tribuit verbo הֶאֱמִיר et hinc vertit Vs. 17. *Jovae hodie principatum concessisti, ut sit Deus tuus,*

ut ex voluntate ejus vitam instituas, leges et praecepta ejus serves eique in omnibus morem geras. Vs. 18. *Ideo etiam Jova tibi hunc honorem sive principatum concedit, ut te populum suum esse declaret, quemadmodum tibi promisit ut ejus praecepta serves* (coll. Deut. 4, 8.). Vs. 19. *Ut te omnibus aliis gentibus a se conditis reddat superiorem, ut laude, honore et gloria floreas, ut sacer sis populus Jovae Dei tui, quemadmodum promisit.* Eundem in modum Saadias hunc locum interpretatus est. Verum opus non videtur, significationem verbi הֶאֱמִיר ex alia lingua petere, quum illud commodissime verti possit *asseverare, serio affirmare;* quod in linguis Orientalibus conjugationes derivatae primitivorum suorum significationes non semper transitivas faciunt, sed nonnumquam eas intendunt.

Cap. 27.

Praecipitur, ut Jordane transito leges in lapidibus grandibus exarentur et altare aedificetur ad hostias immolandas foedusque cum Deo innovandum, congestis benedictionibus in eos, qui legem observarent, e monte Garizim, et maledictionibus e monte Ebal intentatis iis, qui legem neglecturi sint.

1 — 3. וַיְצַו *Postea* praecepit. הַיּוֹם hic non significat *hodie*, sed totum illud tempus, quo populus in campestribus Moabiticis morabatur. — 2. בְּיוֹם אֲשֶׁר תַּעַבְרוּ *Quando trajeceritis.* וְשַׂדְתָּ אֹתָם בַּשִּׂיד *Obduces eos tectorio.* — 3. וְכָתַבְתָּ — הַזֹּאת *Inscribes eis omnia verba hujus legis.* Intelliguntur procul dubio maledictiones et benedictiones, quae in fine Capitis leguntur, et in solemni isto conventu ex montibus Ebal et Garizim proclamabantur. Sic quoque Joseph. *Antiqq.* 4, 8, 44. Alii putant, decalogum illis lapidibus esse inscriptum, sed de eo nec Moses quidquam habet, nec de eo aliquid legitur in executione hujus mandati Jos. 8. Multo minus cum aliis sub *verbis hujus legis* intelligi potest Deuter. seu totus Pentat.; nam hic tantam tabularum lapidearum multitudinem requisivisset, quam locus, in quo erant erigendae, vix ceperisset. Ceterum benedictiones et maledictiones istae non videntur inscriptae fuisse tectorio, sed lapidibus ipsis, qui deinde calce obducebantur. Ita scriptura a tempestatis injuria posteritati conservabatur integra, et si qua legis oblivio postea accidisset, ea casu quodam inventa quasi de novo nota fiebat hominibus. Ita is, qui Pharum struxit, regis Sostrati nomen calci inscripsisse, suum autem lapidi calce obducto insculpsisse traditur, ut multis post annis, ubi calx obducta decidisset, ipse apud posteritatem nobilitaretur. Cf. Mich. *J. M.* P. II. §. 69.

4. 5. Pro עֵיבָל in Cod. Sam. legitur גרזים, ut itaque mons ille statuis legis et altari ornandus in Hebraico textu sit *Ebal*, in Samaritano *Garizim.* Jam vero oritur quaestio, harum lectionum utra sit genuina. Atque alii quidem, iidemque plerique, *Samari-*

tanos accusant templi et sacrorum suorum, quae in monte Garizim fuisse constat, studio textum interpolasse, alii contra *Judaeos* ex Samaritanorum odio vocem עֵיבָל loco גְּרִזִים collocasse insimulant, inter quos praecipue BENIAM. KENNICOT est nominandus, qui in *Diss. II. super ratione textus Hebraici*, Cap. I. p. 17—75. vers. lat. Samaritanam lectionem multis argumentis vindicare studuit. Sed illum solide refutavit Jo. HENR. VERSCHUIR (*Dissertt. Philologico-Exeget.* Leovard. 1773. 4. Diss. III.), qui perquam probabiliter evicit, Samaritas textus interpolatores esse censendos. Conf. et *d. bibl. Alterthumsk.* l. l. supra ad 11, 29. — 5. וּבָנִיתָ שָּׁם מִזְבֵּחַ לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ *Et aedificabis ibi altare Jovae Deo tuo.* Non est novum hoc mandatum, a superiore diversum, sed Moses docet, lapides, quos antea dixit statuendos et tectorio oblinendos, debere in formam altaris inter se componi. לֹא־תָנִיף עֲלֵיהֶם בַּרְזֶל *Nullum autem ferrum ad eos adhibeas.* Cf. ad Exod. 20, 25.

8. 9. בַּאֵר הֵיטֵב *Declarando* s. *exprimendo bene*, recte LXX. σαφῶς σφόδρα, Vulgat. *plane et lucide*, iis literis, quae commode legi possint. — 9. הַסְכֵּת *Attende*, auscultа. LXX. σιώπα, quod convenit cum significatu rad. Arab. סָכַת *siluit*, *tacuit*, *quievit*, et in Conj. 4., quae respondet Conjugationi Hiphil, *desiit loqui.*

14. 15. הַלְוִיִּם *Levitae*, h. e. secundum Jos. 8, 33. *sacerdotes e tribu Levi.* Ita etiam ibidem *omnis Israel* explicatur de *senioribus*, *tribunis* et *judicibus*, totius populi partes sustinentibus; neque enim verisimile est, terminos horum montium cum valle interjecta cepisse omnes et singulos Israelitas. Ex iis tot interfuerunt sacrae cerimoniae, quot locus capiebat. — 15. אָרוּר *Maledictus*, i. e. dignus, cui omnia adversa eveniant. Jussit Moses non modo eos, qui peccata, quae in sequentibus nominantur, committerent, ex legibus plecti, sed etiam peccantibus maledici; quod poenae iis demum possint infligi, de quorum peccato judicibus constat, sed qui clam peccarunt, poenis non sint obnoxii; qui tamen, ne se evasisse propterea putarent, palam hic diris devoventur. De *occultis delictis* autem in sequentibus esse sermonem, ex verbis וְשָׂם בַּסֵּתֶר adparet. אָמֵן LXX. recte vertunt γένοιτο. Cf. ad Num. 5, 22. Postquam Levitae male precati fuerant iis, qui peccata, de quibus hic sermo est, admiserint; Israelitae singuli respondentes אָמֵן, sibi privatim ipsi imprecabantur, si ea delicta umquam commissuri essent.

16—19. מְקַלֵּה אָבִיו וְאִמּוֹ *Qui vilipenderit parentes.* Cf. 5, 16. 21, 18. Ex. 21, 17. — 17. מַסִּיג גְּבוּל רֵעֵהוּ *Qui terminos alterius submoverit* (19, 14.), quod clam fit, neque enim vidente domino neque coram aliis quisquam hoc facere tentarit. — 18. מַשֶּׁגֶה עִוֵּר בַּדָּרֶךְ *Qui coecum a via seduxerit.* Cf. ad Lev. 19, 14. Hoc quoque clam fieri potest, adeo ut is, cui fit injuria, reum ac-

cusare non possit. — 19. מַטֶּה מִשְׁפַּט גֵּר־יָתוֹם וְאַלְמָנָה *Qui deflectit*, pervertit *jus peregrini*, *pupilli et viduae.* Qui peregrinum, pupillum et viduam jure suo defraudat, non ipse se prodit aut accusat, nec facile sceleris palam convinci potest, sed plerumque *in occulto* latet crimen ejus.

20—26. Delicta Vs. 20—23. nominata clam fieri per se patet. — 24. מַכֵּה רֵעֵהוּ בַּסָּתֶר *Qui alterum clam interfecerit.* Nam si fieret palam, capite poenas luebat. — 26. Subjungitur tandem generalis imprecandi formula, ut lex universa sanctionem poenalem habeat. אֲשֶׁר לֹא־יָקִים *Qui non habuerit rata.* Haec perpetua est significatio formae Hiphil verbi קוּם, quando sermo est de foedere contracto servando et promissis; veluti Num. 30, 15. 1 Sam. 15, 11.

Cap. 28.

Variae et luculentae benedictiones, quibus divinae legis observatores sint cumulandi; contra variae et horrendae exsecrationes, quibus perfundendi et obterendi divinae legis violatores.

Generatim ad hoc Cap. monendum est, singulas locutiones, quibus vel promissiones, vel minae significantur, non usque adeo esse urgendas, ut eventum illarum in historia Israelitica quaeramus. Sensus totius Cap. unice hue redit, *Israelitas felices fore, si leges ipsis praescriptas observaturi essent, sin minus, infelices. Felicitatem* autem et *mala* Moses ex more Orientali variis depingit coloribus, et omnem hanc descriptionem adornat pulchris et sublimibus imaginibus.

1—6. נְתָנְךָ עֶלְיוֹן *Dabit*, faciet *te excelsum* imperio et gloria. — 3. בָּרוּךְ — בַּשָּׂדֶה Felix eris, tibi omnia ex voto cedent, sive urbem incolas sive agrum; sive res urbanas tractes sive rusticas. — 4. Cf. 7, 13. — 5. Pro טֶנֶא Onkelos posuit סַנְיָא, quod *canistrum* seu *cophinum* significare, apparet ex Gen. 40, 17. Intelligitur vas, in quo reponi solent fructus arborum. LXX. ἀποθῆκαι et post eos Vulgat. *horrea.* Sensus: canistra habebis fructibus plena. מִשְׁאַרְתֶּךָ *Mactra tua*, cf. ad Ex. 12, 34. Significatur panis copia. — 6. בָּרוּךְ — בְּצֵאתֶךָ *Felix eris in ingressu et exitu tuo*, in omni administratione domi et foris, in omnibus tuis coeptis. Cf. ad Ps. 121, 8.

7—13. בְּדֶרֶךְ אֶחָד — לְפָנֶיךָ *Una via vos invadent et septem viis fugient.* Proverbialis loquutio, qua maxima fuga describitur, quae non potest esse major, quam cum hostes palati sine ordine et duce fugiunt. *Septem viae* dicuntur pro multis. Cf. Lev. 26, 7. 8. — 8. אֲסָמִים sunt *reconditoria;* apud LXX. ταμεῖα, Vulg. *cellaria. Vorrathskammern* Germanice diceres. — 9. לְעַם קָדוֹשׁ *In populum sanctum*, a reliquis populis separatum; quem Jova singulari sua benevolentia dignatus est, 7, 6. 26, 19. —

וְהָלַכְתָּ בִּדְרָכָיו *Si ambulaveritis in viis ejus*, i. e. ab eo praescriptis, si vitam secundum praecepta ejus instituceritis. — 10. כִּי שֵׁם יְהוָה נִקְרָא עָלֶיךָ *Quod nomen Jova vocetur super te*, i. e. te vocari populum Dei et talem esse. Cf. ad Ex. 3, 18. Sive, te rite et sancte profiteri et exercere cultum Jovae, omniaque facere in nomine ejus, i. e. ejus jussu et voluntate. — 11. וְהוֹתִרְךָ יְהוָה לְטוֹבָה *Efficiet Jova vos bonis abundantes.* — 12. יִפְתַּח — הַטּוֹב *Aperiet tibi Jova thesaurum suum bonum*, videlicet אֶת־הַשָּׁמַיִם *coelum*, ut sequitur. אוֹצָר non tantum opes reconditas, ut 1 Reg. 14, 26., verum et locum, quo reconduntur, apothecam significat. Ita Jer. 50, 25. dicitur de Dei armamentario, unde instrumenta bellica promit. לָתֵת מְטַר־אַרְצְךָ *Ad dandum pluviam terrae tuae*, tunc enim coelum *aperiri* dicitur, ut praecedit, cf. Gen. 7, 11. — בְּעִתּוֹ *Tempore suo stato*, cf. Lev. 26, 4. — וְהָלִוִיתָ וגו׳ *Mutuum dabis gentibus multis, tu autem non capies mutuum.* Cf. 15, 6. — 13. וּנְתָנְךָ יְהוָה לְרֹאשׁ וְלֹא לְזָנָב *Faciet te Jova in caput, non in caudam*, i. e. primus populorum eris, nulli subjicieris. רֹאשׁ dictione proverbiali *principem*, et contra זָנָב *aliis omnibus longe inferiorem* denotat. Cf. Vs. 44. Jes. 9, 14. 15.

15 — 20. לִשְׁמֹר לַעֲשׂוֹת *Ut memineris facere.* שָׁמַר conjunctum cum עָשָׂה positum pro זָכַר. — 17. אָרוּר טַנְאֲךָ וּמִשְׁאַרְתֶּךָ *Maledictus* erit *canistrum tuum et mactra tua.* Canistra tua, in quibus fructus et panis reponi solent, vacua erunt, premeris fame. — 18. צֶאֱצָאֶיךָ — אָרוּר Peribunt tui et servorum tuorum liberi, fruges et pecora. — 20. הַמְּאֵרָה *Maledictionem*, omnis generis mala. מְהוּמָה *Liquefactionem*, i. e. terrorem, cf 7, 23. — מִגְעֶרֶת *Increpationem* et inde veniens exitium. אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה *Quas* facultates *tibi comparaveris.* עָשָׂה hic est *acquirere, comparare*, ut Gen. 12, 5. מִפְּנֵי רֹעַ מַעַלְלֶיךָ *Propter malitiam operum tuorum*, ob morum vestrorum improbitatem.

22. בַּשַּׁחֶפֶת וּבַקַּדַּחַת Dc his morbis cf. ad Lev. 26, 16. Sed qualis morbus vocc דַּלֶּקֶת indicetur, haud constat. LXX. *φίγος, frigor;* sic quoque Vulgatus. Onkelos retinet vocem Hebraicam. Syrus: *incendio.* Saadias: *febri quartana.* Quum דָּלַק in omnibus dialectis cum Hebraea cognatis *ardendi, inflammandi* notionem habeat, intellexerim *febrim calidam* sive *aestuantem, hitziges Fieber.* וּבַחַרְחֻר Vulg. *ardore*, et sic quoque Syrus. Aliis חַרְחֻר est *catarrhus suffocans (Steckfluss)*, nomen habens a *ronchissando;* consonum verbum Arab. sonat *ronchos duxit pardus, aut dormiens, aut qui strangularetur.* Tale quid fortasse intellexerunt quoque LXX., vertentes ἐμπυρισμόν, quod voc. propric quidem *incitationem* denotat, sed inde dici poterat *catarrhus.* Consentit quodammodo Saadias: *paralysis*, scil. pulmonum. בַּחֶרֶב *Gladio*, i. e. bello, cf. Gen. 31, 26. Ex. 5, 3. Lev. 26, 6. Vulgatus vero et Saadias vertunt *aestu, siccitate*, Onkelos, *devastatione.* Hi igitur pro חֶרֶב videntur legisse חָרָב *siccitas*, de-

vastatio. בַּשְּׁדָפוֹן LXX. ἀνεμοφθορία, *corruptio quae fit a vento;* Vulgatus: *aere corrupto*, sic quoque Chaldaeus; Syrus: *vento uredinis.* Qui omnes videntur intelligere segetum corruptionem ex vento orientali *Samum* dicto, quem ipsum sub voce שְׁדָפוֹן intellexit quoque Interpres Arabicus Amos 4, 9. Ventum illum vero segetibus noxium esse apparet ex Gen. 41, 6., ubi *spicarum euro adustarum* mentio fit. MICHAELIS in *Quaest. Arab.* Qu. 77. p. 211. שְׁדָפוֹן vertit: *nigredinem segetum*, *die Schwarzsucht des Getreides*, coll. Arab. אַסְדָּף *niger.* Judaeo alicui Yemensi שדפון erat ille segetis morbus ubi culmi tritici vel hordacei frigido aere corrumpuntur, ut spicas nullas protrudant. Vid. NIEBUHR *Descr. Arab.* Praef. p. 46. Alii intelligunt morbum hominum. Ita Saadias: *marcor corporis* sive *febris hectica (Auszehrung)*, uti ex Avicenna vocem illam interpretatur CASTELLUS in *Heptagl.* p. 764. Dathius vertit *uredinem*, et in nota subjecta dicit se intelligere morbum aliquem hominum, quum in antecedentibus de morbis humanis sermo fuisset. Sed ex Amos 4, 9. manifestum est, vocem Hebr. designare vitium frumenti, non minus ac sequens יֵרָקוֹן, quod cf. cum Arab. يَرَقَان, quod tam de *ictero*, arquatu, morbo regio, quam de simili segetis morbo dicitur, unde מִירָק *rubigine percussa seges.* Ita quoque LXX. ὠχρόν, *pallorem*, se. segetum ex frigore nocturno. Vulg. *rubiginem.* Forskalius a Judaeo quodam Mochensi accepit, effici illud vitium vento quodam leni, mense Marchesvan flante, segetibus pernicioso, quo aristae flavae et inanes reddantur. Vid. Niebuhr. l. l.

23—26. Cf. Lev. 26, 19. — 24. יִתֵּן — הַשָּׁמַיִם *Dabit Jova terrae tuae loco pluviae arenam, pulvis e coelo in te descendet donec deletus fueris.* Pro humore quo fecundatur solum, molestissimo pulvere omnia erunt obsita. Nam in calidis illis regionibus aestivo tempore nisi subinde pluat, vento adtollitur ingens copia tenuissimi pulveris, qui omnia pervadit, et non modo molestissimus est, sed segetes quoque perdit. — 25. וְהָיִיתָ — הָאָרֶץ *Eris agitationi omnibus regnis terrae*, undique expelleris, neque usquam certas sedes habere poteris. — 26. בְּהֵמַת הָאָרֶץ positum pro חַיַּת, quum *bestia*, non *jumentum* vescatur carnibus. וְאֵין מַחֲרִיד *Nec* erit *terrens*, qui terrendo abigat, se. feras a cadaveribus.

27—30. בִּשְׁחִין מִצְרַיִם *Ulcere Aegypti.* Significatur nomine שְׁחִין, uti ex Job. 2, 7. apparet, ubi hic morbus fusius describitur, *elephantiasis*, Aegypto propria, teste Lucretio 6, 112. sq. *Est elephas morbus, qui circum flumina Nili Nascitur Aegypto in media, nec praeterea usquam.* Plin. quoque *H. N.* 26, 5. elephantiasin vocat *Aegypti peculiare malum.* Plura de hoc morbo vide ad Vs. 35. — עֳפָלִים *Tumores* in obscenioribus corporis partibus, *mariscae (Feigwärzen)*; cui interpretationi patrocinatur Arab. عفل, *tumor, qui apud viros oritur in posticis partibus,*

apud mulieres in anteriore parte vulvae, similis herniae virorum. De גָּרָב cf. ad Lev. 21, 21. — חֶרֶס *Prurigo*, ut omnes veteres vertunt, coll. Arab. حرش *aspera fuit cute.* — 28. בְּתִמָּהוֹן לֵבָב *Mentis amentia*, coll. Syr. תְּמִיהָהָא *dementia.* — 29. וְהָיִיתָ בְּאַפֵּלָה — *Palpabis in meridie quemadmodum palpare solet caecus in calligine.* Proverbialis locutio, qua significatur tanta animi perturbatio, ut qui ea adfectus est, etiam in rebus manifestis nesciat, quid a se fieri debeat, et dubius haereat, quasi difficile esset scire, quid optimum factu sit. Cf. Job. 5, 14. 12, 25. — לֹא תַצְלִיחַ אֶת־דְּרָכֶיךָ *Non prosperas facies vias tuas* nihil prospere ages, ut Ps. 1, 3. Jos. 1, 8. — 30. אִשָּׁה תֵּאָרֵשׂ *Mulierem desponsabis* tibi, ut 20, 7. — וְאִישׁ אַחֵר יִשְׁגָּלֶנָּה *Et vir alius vitiabit eam*, cum ea concumbet. וְלֹא תְחַלְּלֶנּוּ *At ejus fructus colligere non incipies*, vid. ad 20, 6.

32—35. וְכָלוֹת אֲלֵיהֶם *Et deficientes ad eos*, i. e. deficient ac consumentur exspectando reditum eorum. Similem phrasin vid. Ps. 69, 4. 119, 82. וְאֵין לְאֵל יָדֶךָ *Et non in fortitudinem manus tuae*, i. e. non crit in potestate tua, ut eos possis liberare. Cf. ad Gen. 31, 29. — 34. וְהָיִיתָ מְשֻׁגָּע *Fiesque amens*, vaesanus, 2Reg. 9, 11. — מִמַּרְאֵה עֵינֶיךָ אֲשֶׁר תִּרְאֶה *Propter ista spectacula quae quotidie videbis.* Tam atrocia facinora in tuos admitti videbis, ut in furorem paene incidas. — 35. יַכְּכָה — הַשְּׁחִין *Percutiet te Jova ulcere maligno in genibus et cruribus.* Clare hic describitur elephantiasis. Commentarii instar apponere lubet verba Schillingii ex ejus libro *de Lepra*, p. 184. *Malum hoc pedes nonnunquam prae ceteris partibus afficit, quod ubi fit, non lepra, sed elephantiasis sive elephantia appellatur. Hujus igitur nominis ratio ex symptomatibus nunc describendis explicanda est. Scilicet in pede affecto phalanges ossiculorum paulatim intumescunt, cutemque et carnes mirum in modum expandunt, crassescunt digiti, tandemque inter se ac si cera essent, colliquescunt. Deformatus ejusmodi pes levissima de caussa sanguinem fundit, qui tamen sponte et cito etiam sistitur. Serpit haec corruptio a digitis per universum pedem usque ad femur, redditque articulationes, quas attingit, immobiles; siquidem smegma eas inungens et lubricans coagulat, facitque ut musculi ac tendines inter se concrescant, adeo ut dexterrimus anatomicus has partes separare ac vel distinguere nequeat. Quae dum fiunt, panniculus adiposus et cutis in plicas et rugas ita se sensim componunt, ut pedis elephantini formam omnino exprimant. Inspexi studiose elephantos, et sane non modo formae, sed etiam gressus similitudinem miratus sum magnopere.* Huc pertinet, quod e Thevenoti Itinerario affert ad h. l. Clericus, Cahirae in Aegypto morbos crurum esse gravissimos, et multorum crura portentosae crassitiei cerni. מִכַּף רַגְלְךָ וְעַד קָדְקֳדֶךָ *A planta pedis ad verticem usque.* Pergit Schillingius paucis verbis inter-

jectis: *Hunc terminum* (genua) *postquam attigit labes, tum vero alias quoque partes, quae adhuc immunes erant, adficere solet: inprimisque digiti manuum circa articulos tumescunt, sensimque soluta cadunt; inde ulcera primo faciem postea carnosas corporis partes depascuntur, cum intolerabili foetore hircino, sed sine ullo dolore.* Et Celsius dicit: *totum corpus ita affici, ut ossa quoque vitiari dicantur.*

36—40. וְעָבַדְתָּ — וָאָבֵן *Et servies diis alienis ligneis aut lapideis;* sive exemplo provocatus sive imperio et terrore compulsus. — 37. וְהָיִיתָ לְשַׁמָּה לְמָשָׁל וְלִשְׁנִינָה *Eris* videntibus te *in stuporem*, audientibus *in adagium* et loquentibus *in fabulam.* לְמָשָׁל *Similitudini* s. *exemplo*, cum aliae gentes maximas calamitates describere volent. שְׁנִינָה proprie est *aculeatum dictum.* Sensus: ex vestra infelici sorte gentes finitimae desument dicteria in alios. — 38. כִּי יְחַסְּלֶנּוּ הָאַרְבֶּה *Quod absumserit illud locusta.* חָסַל hoc tantum loco in cod. Hebr. obvium, sed frequentius in dialectis Aramaeis, significat proprie *finire*, *ad finem perducere*, hinc, *absumere*, *ita vastare*, *ut nihil sit reliquum.* אַרְבֶּה *locustae* species, de qua vid. Ex. 10, 13. — 39. כִּי תֹאכְלֶנּוּ הַתֹּלָעַת *Nam vermis id comedet.* Intelligitur *convolvulus*, parvus scarabaeus, pulcherrimo colore, qui racemis admodum nocet. In Germania australi vocatur *Rebensticher.* — 40. וְשֶׁמֶן לֹא תָסוּךְ *Sed oleo te non unges;* cf. Mich. 6, 15. — כִּי יִשַּׁל זֵיתֶךָ *quia defluent et peribunt* (scil. olivae tuae), uti recte Vulgatus cum omnibus vett. vertit. Nam יִשַּׁל referri debet ad נָשַׁל, quod Arab. denotat *defluxit*, *decidit*, ut pili, plumae etc. excidere solent.

42—44. יְיָרֵשׁ *Occupabit* et depascet. Nomine צְלָצַל verisimile est, *locustae* speciem intelligi. Onkelos vertit סַקָּאָה, quae vox *locustam cruribus longis* (μεγαλόκωλον) significat. Syrus צרצורא, ad quam vocem Castellus in Heptaglotto ex Novaria, Syrorum Lexicographo, haec habet: *Genus locustae repens, non volans, percutit radices arborum ut exarescant.* Saadias retinet voc. Hebr. Videtur esse onomatopoieticon a stridore illorum animalium desumtum. Nam. Arab. צַלַּ et צַלְצַל denotat: *sonuit cum tinnitu ferrum.* Hinc Tychsenio (in libello ad Lev. 11, 21. laudato, p. 78.) צְלָצַל est *Gryllus stridulus Linn.*, quem Batavi *Radelaer* sive *Klappermann*, Germani *Schnarrheuschrecke*, vocant. LXX. ἐρισίβην, qua voce non solum rubigo in plantis et fructibus, sed, Suida teste, etiam *animalculum* indicatur, *quod in frumento nascitur et fructus perdit.* Vulgatus, Alexandrinorum vestigia premens, *rubigo.* Cf. not. nostr. ad Bocharti *Hieroz.* T. III. p. 259. — 43. יַעֲלֶה עָלֶיךָ מַעְלָה מַעְלָה *Adscendet supra te superius superius*, h. e. multo ditior erit quam indigena. Adverbium idem repetitum auget ejus significationem, ut statim מַטָּה מַטָּה *multo inferius;* Ex. 23, 30. מְעַט מְעַט *admodum sen-*

sim et paulatim; 2 Reg. 10, 4. מְעַט מְעַט *admodum sensim et paulatim;* 2 Reg. 10, 4. מְאֹד מְאֹד *vehementissime.* — 44. הוּא יַלְוְךָ וְאַתָּה לֹא תַלְוֶנּוּ *Ille* (peregrinus) *mutuum tibi dabit, tu non illi.* Licebat Hebraeis foenore dare peregrinis, sed non ex eodem sanguine oriundis. Hic vero inverso ordine ipsi Hebraei foenus soluturi dicuntur peregrinis, quod hi ditiores futuri essent. Cf. Vs. 12. — הוּא לָזָנָב — Vid. ad Vs. 13.

46—48. וְהָיוּ — עַד־עוֹלָם *Eruntque* (mala illa) *in vobis et posteris vestris signum et exemplum in perpetuum.* Sensus est, calamitates populi Hebraei tot et tantas fore, ut singulari Dei providentia, non aliter ac si prodigia essent, evenisse eas facile omnes essent intellecturi. — 47. בְּטוּב לֵבָב *Animo lubente*, ut Jes. 65, 14. מֵרֹב כֹּל *Propter copiam omnium*, propter multitudinem bonorum, quae tibi conferebat, ut 32, 15. Neh. 9, 25. 26. — 48. בְּעֵירֹם וּבְחֹסֶר כֹּל *In nuditate et omnium rerum egestate*, Vs. 57. עֹל בַּרְזֶל *Jugum ferreum*, durissimam servitutem, ut Jer. 28, 14.

49—52. יִשָּׂא — הָאָרֶץ *Adducet Jova in vos gentem remotam ab extremis terrae finibus.* Alii Chaldaeos, alii Romanos, alii alios populos hic spectari putant. Sed frustra in hoc et seqq. Capp. quaerimus vaticinia et eorum implementa. Cf. quae ad hujus Cap. initium monuimus. כַּאֲשֶׁר יְדָאֶה הַנָּשֶׁר *Quemadmodum advolat aquila*, i. e. subito et citissime. — 50. גּוֹי עַז פָּנִים *populum durum facie*, i. e. atrocem, crudelem. Videtur significari ferocia, quae nullo pudore coerceatur. Dan. 8, 23. מֶלֶךְ עַז־פָּנִים *rex validus facie* vocatur rex immitis et saevus. אֲשֶׁר לֹא־יִשָּׂא פָנִים לְזָקֵן *Qui non adtollit facies seni*, i. e. qui nullam rationem habet senis, ejus non miserebitur. Verba יִשָּׂא פָנִים posita sunt pro יָחֹן, *miseretur*, quod statim sequitur; ut Gen. 19, 21. — 52. עַד רֶדֶת *Donec descenderint*, i. e. ceciderint, ut 20, 20. Ceterum Vers. 52—57. graphice describuntur miseriae urbis ab hostibus obsessae et obsidione clausae.

54—57. הָאִישׁ הָרַךְ בְּךָ וְהֶעָנֹג מְאֹד *Vir mollis et maxime delicatus apud te*, qui cibos plebejos sprevit. תָּרַע עֵינוֹ *Malus erit oculus suus*, parcus erit, invidebit. Eadem loquutio 15, 9. Ita ut de nefando illo cibo ne charissimis quidem quidquam concedere velit. אֲשֶׁר יוֹתִיר *Quos sibi relinquere fecerit*, superstitibus. — 55. מִתֶּת לְאֶחָד מֵהֶם מִבְּשַׂר בָּנָיו *Ne det uni eorum aliquantum ex carne filiorum.* מִבְּלִי הִשְׁאִיר לוֹ כֹּל *Quod non reliquit sibi quidquam*, vel, quod hostis *ipsi nihil reliquit*, Ex. 10, 12. Jos. 8, 22. — 56. הָרַכָּה *Mulier tenera* et delicata. אֲשֶׁר — וּמְרַךְּ *Quae pro deliciis et mollitie non tentabat plantam pedis in terram ponere*, quia jumentis, asinis, sive camelis vehebatur, ut etiamnum feminae opulentiores in Oriente solent. — 57. וּבְשִׁלְיָתָהּ *Idque ob secundinam suam*, sc. invidebit femina, sive

mater liberis suis. שִׁלְיָה cf. cum Arab. سلا s. سلي, *secundae*, *membrana tenuis involvens foetum bruti*, *hominis*, qua significatione haec vox occurrit apud Avicennam, medicum Arabicum. Hic vero denotat foetum secundinis adhuc adhaerentem et recentissime editum, ab ipsa matre in alimentum adhibendum. הַיּוֹצֵאת מִבֵּין רַגְלֶיהָ *E medio pedum ipsius*, cf. ad Gen. 49, 10. וּבְבָנֶיהָ *Et ob filios* sive *liberos suos;* de his enim non dabit aliis, sed ipsos, quod horrendum dictu, clam devorabit.

58—62. בַּסֵּפֶר הַזֶּה *In hoc libro;* intelligitur hic Deuteronomii liber, nam tantummodo is a populo legebatur, cf. Prolegg. — 59. וְהִפְלָא — זַרְעֶךָ *Miras faciet plagas tuas et plagas seminis tui*, i. e. miras, plane insolitas plagas vobis et posteris vestris infliget. נֶאֱמָנִים *Fidas*, i. e. constantes. Illae plagae non minuentur aut levabuntur, sed semper tibi incumbent, donec te confecerint. — 61. יַעֲלֵם *Adducet* s. *imponet ea.* Futurum Hiphil verbi עָלָה cum Suffixo, ut Jud. 16, 3. — 62. וְנִשְׁאַרְתֶּם בִּמְתֵי מְעָט *Remanebitis in hominibus paucitatis*, pauci vestrum superstites remanebunt; vid. 26, 5. לָרֹב — תַּחַת *Loco ejus quod* antea *fuissetis sicut stellae coeli quoad multitudinem*, לְ ante רֹב hic propr. est *respectu habito ad*, quoad, ut saepius.

65. 66. Sensus: imo vero nec apud illas quidem gentes ullas certas ac perpetuas sedes habere poteritis. Jova vos ibi quoque mentis agitatione, anxio desiderio et animi moerore affliget. כְּלְיוֹן עֵינַיִם *Consumtio oculorum* ex fletu. דַּאֲבוֹן נָפֶשׁ *Tabes animi*, i. e. moeror animum discrucians et conficiens. Cf. Ps. 88, 10. — 66. וְהָיוּ חַיֶּיךָ תְּלֻאִים לְךָ מִנֶּגֶד *Erit vita tua pendens tibi e regione*, sive *coram te*, erit vita tua quasi filo pendens ante oculos tuos, aeque tibi dubia, ut facile, quae tenuissimo filo suspensa cernis, pondere suo illud rumpunt et decidunt. Simili metaphora usus Ovid. *Epp. ex Ponto* 4, 3. 35. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo*, *Et subito casu quae valuere ruunt.* וְלֹא תַאֲמִין בְּחַיֶּיךָ *Nec credes vitae tuae*, parum sperabis de vita tua, nam in continuis periculis jactaberis. Eadem phrasis Job. 24, 22.

68. 69. וְהֶשִׁיבְךָ — לִרְאֹתָהּ *Reducet vos Jova navibus in Aegyptum, per viam, de qua vobis dixi: non amplius eam videbitis*, vid. 27, 16. Navibus intellige Sidoniorum et Tyriorum, qui emta mancipia ab Asyriis aut Babyloniis, aut aliis vicinis gentibus, vehebant in Aegyptum vendenda. Praeclare Moses hac imagine absolvit pulcherrimam descriptionem variarum miseriarum, quas Israelitis legem divinam transgressuris minatus est. Qui in hoc Cap. vaticinia de rebus futuris inveniunt, ea, quae hic describuntur, impleta vident sub Tito et Hadriano, quorum ille 17000 Judaeos adultos ad graves labores exercendos in Aegyptum misit, et qui infra 17. annum aetatis erant, eos sub corona vendere jussit; vid. Joseph. *de bello Jud.* 6, 9, 2. Sub Hadriano vero innumeri Judaei prope sepulchrum Rahelis venditi sunt. וְאֵין קֹנֶה *Nemo erit qui*

vos emat; usque adeo contemnemini, ut vix emtores invenire possitis, adeoque a magonibus male habeamini. — 69. אֵלֶּה — מוֹאָב *Haec sunt verba foederis, quod Jova Mosen jussit ferire cum Israelitis in terra Moab.* Iterati sunt ritus foederales paullo ante, quam Hebraei terram Cananaeam ingredcrentur, ut in memoriam iis revocaretur, quod olim ipsi, aut eorum patres promiserant.

Cap. 29.

Divina beneficia Moses commemorat, ut Israelitas excitet ad pactum et foedus cum Jova fideliter et ex animo innovandum: in eandemque rem addit, quae mala eos consecutura sint, si neglecto hoc foedere divinam legem contemserint vel ad deastrorum cultum deflexerint.

1—6. Convocavit Moses Israelitarum legatos perque eos ad universos Israelitas hunc in modum locutus est. Cf. ad 1, 1. add. infra Vs. 9. — 2. הַמַּסֹּת *Tentationes*, vid. ad 4, 54. — 3. וְלֹא־נָתַן — הַזֶּה *Neque tamen ad hunc usque diem Jova vobis dedit mentes intelligentes, oculos ut videre, aures ut audire possitis.* Iterum hic ex more scriptorum Orientalium Deo id adscribitur, quod fit Jova non impediente. Conf. ad 4, 19. — 4. לֹא־בָלוּ — רַגְלֶךָ Cf. ad 8, 4. — 5. לְמַעַן — אֱלֹהֵיכֶם *Ut cognosceretis me esse Jovam Deum vestrum;* ut exinde me talem experiemini, qui homines sine vulgari et quotidiano corum victu, aliis usus cibis in vita conservari possit. — 6. Cf. 2, 30. 3, 1. Num. 21, 23. 33.

8—11. לְמַעַן תַּשְׂכִּילוּ *Ut prudenter agatis*, s. *ut feliciter vobis cedat*, Jos. 1, 7. 1 Reg. 2, 3. Ps. 19, 8. Ambae significationes facile conciliantur, quia qui *prosperum* in negotiis suis *successum* cupit, eum *considerate et prudenter agere* oportet. — 10. וְגֵרְךָ *Peregrinus tuus*, i. e. peregrini qui vos comitantur, quales erant Aegyptii qui eos sequebantur, Ex. 12, 38. — מֵחֹטֵב עֵצֶיךָ עַד שֹׁאֵב מֵימֶיךָ *Ab iis, qui vobis ligna caedunt, ad eos, qui aquam vobis hauriunt*, h. e. ne iis quidem exceptis, qui vilissima ministeria obeunt, quales sunt ligna cacdentes et aquam haurientes. Ejusmodi fuerunt postea Gabahonitae, 11, 21. 27. — 11. לַעֲבָרְךָ בִּבְרִית *Ut transeas in foedus*, ut foedus faciatis. Verbo *transeundi* alluditur ad priscum morem sanciendi foedera per transitum inter partes divisas victimarum. Vid. Gen. 15, 17. 18. Jer. 34, 18. וּבְאָלָתוֹ *Et in jusjurandum ejus.* Sacramentum enim Deo dicebant, promittentes se ei parituros, eumque testem suorum promissorum vocantes, ultorum etiam futurum nisi iis starent.

14—17. כִּי — הַיּוֹם *Sed* foedus facio *cum iis, qui stant hodie nobiscum coram Jova Deo nostro, et cum iis, qui non sunt hic nobiscum hodie*, i. c. cum praesentibus, cum natis, et posteris nascituris. — 15. כִּי־אַתֶּם — מִצְרַיִם *Vos enim nostis, quomodo habitavimus in terra Aegypti.* אֵת אֲשֶׁר LXX. recte ὡς reddide-

runt, quod ipsum illa dictio valet Gen. 30, 29. Num. 32, 31. Vult Moses dehortari ab idololatria, cujus fugiendae ratio est recordatio, *quomodo* in Aegypto morati sint. Nempe quod ibi duriter habiti, tot et tam certa miranda sustentationis et protectionis divinae documenta experti fuerint. — 16. וַתִּרְאוּ — גִּלֻּלֵיהֶם *Vidistis abominationes eorum et stercora eorum*, i. e. detestandos et stercoreos Deos eorum, 1 Reg. 11, 5. Jer. 7, 30. — 17. פֶּן — יֵשׁ — הָהֵם *Ne quis forte sit in vobis aut vir aut femina, aut familia aut tribus, cujus mens hodie a Jova, Deo nostro, aversa ad Deorum gentium illarum cultum impellatur.* Sensus est: Deus voluit, vos videre quam absurdae sint religiones vicinorum, ne ab iis falleremini. Intelliguntur autem hic ii populi, quorum sedes ad ortum Jordanis Hebraei occuparant. פֶּן — יֵשׁ — וְלַעֲנָה *Ne sit inter vos radix, quae emittat venenatam herbam et absinthium.* Ne sint, ex quorum idololatriae studio, cui jam dediti essent, toti populo posthac occasio suppeditaretur hujus sceleris sectandi. רֹאשׁ denotat *venenum* 32, 32. Jer. 8, 4. Amos 6, 12. Hic non dubium est significare herbam venenatam. Celso *Hierobot.* P. II. p. 64. est *cicuta*, aliis *lolium temulentum (Loich)*. לַעֲנָה Chaldaeus, Syrus, Arabs in Polyglott. et Vulgat. vertunt *absynthium*, et ita etiam LXX. Prov. 5, 4.

18. דִּבְרֵי הָאָלָה הַזֹּאת *Verba hujus sacramenti.* Intelliguntur exsecrationes legi adjectae, quas Deus minatus est iis, qui legem suam transgressuri essent. וְהִתְבָּרֵךְ בִּלְבָבוֹ *Et benedicat sibi*, i. e. felicitatem sibi promittat. שָׁלוֹם *Pax*, incolumitas. כִּי בִּשְׁרִרוּת לִבִּי אֵלֵךְ *Etiamsi in malitia cordis mei ivero*, i. e. semper felix ero; etiamsi studium meum deos alienos colendi sceter. In verbis לְמַעַן סְפוֹת הָרְוָה אֶת־הַצְּמֵאָה explicandis interpp. in duas potissimum partes discedunt verbum סְפָה aliis *addendi* aliis *consumendi* significatu capientibus. Sunt vero eae interpretationes, quae *addendi* significatione nituntur, quarum plures in Scholiis uberioribus attulimus, repudiandae ideo, quod verbum סְפָה, ubicunque illum significatum obtinet, cum עַל construitur, non cum אֶת, ut h. l.; vid. Num. 32, 14. Deut. 32, 23. Jes. 29, 1. 30, 1. Jer. 7, 21. Restat igitur sola *absumendi* significatio, qua Alexandrinus סְפוֹת accepit, ita tamen, ut inserta negandi particula, sic redderet: *ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον, ut non simul perdat peccator innocentem;* videtur sub רְוָה *peccatis ebrium*, sub צְמֵאָה, *siccum*, *sobrium*, *hominem frugi*, intellexisse. Sed minime apta est negandi particula, sive ab ipso interprete, sive a liberario aliquo sit inserta. Ea sublata sensus saltem tolerabilis prodit hic, ut si haec omnia fiant, et quisquam reperiatur, qui promittat sibi impunitatem sectando deastrorum cultum, tandem eo perveniat, ut peccatis satur et ebrius alios seu suasione seu exemplo, qui alioqui innocentes erant, nec de re tam nefanda cogitabant, ad similem impietatem pertrahat eisque secum perdi-

tionis ac extremae ruinae occasionem praebeat. R. Jonas סִפּוֹת *consumendi* notionem in passivo adoptavit, hanc in mentem: *propterea quod consumatur irriguus cum sitiente*, h. c. probus simul et improbus pereat et ad nihilum redigatur. Sententiam ejus Kimchi in *Libro Radicum* ita exposuit: *Id vult, improbo videri, pium simul ac impium consumi, nullamque esse excellentiam probi prae improbo in morte; nulla praemia, nullas poenas.* Sensus satis aptus, modo certum esset, *sitientis* atque *ebrii* figura *probum* et *improbum* designari. Bonfrerius, subaudito nomine אֶרֶץ, postquam observasset, *terram* vocari *sitientem* cum aquas quasi sitibunda postulat, *ebriam* vero, cum nimiis pluviis perfunditur et prae aquarum copia fertilitatem suam amittit; *ebriam absumere sitientem* dici hoc sensu putat, terram pluviis inebriatam esse causam ruinae sibi ipsi, quae prius aquas sitiebat. Habere autem locum adagium hoc, quotiescunque quis quidpiam desideret, quod deinde cum conceditur illi causa sit ruinae; atque ita h. l. dicere Mosen fieri, ut is qui omnibus solutus legibus et impunitate sibi proposita, velit arbitrium suum sequi, et sibi bonum existimet, alios deos colere, cum tandem voti compos factus se in varia crimina merserit, eisque quasi inebritatus fuerit, sibi perniciem extremam accersat, et, quod sibi bonum fore existimaret, ipsi vertatur in ruinam. Interpretatio nimis artificiosa. Nobis hebraica ῥῆσις, quam ita vertimus: *ut absumat*, s. neutraliter, *ut consumatur*, perdatur *irrigua* scil. terra una *cum sitiente*, videtur adagialis loquendi formula esse, qua excidium universale significatur, et h. quidem l. interitus et eorum qui ipsi peccatis jamdudum immersi alios suos exemplo corrumpunt, et eorum qui se ab illis ad peccandum induci sinunt.

19—25. כִּי אָז יֶעְשַׁן אַף־יְהוָה *Sed tunc fumabit ira Jovae*, i. e. in talem hominem seductorem Jova gravissimas poenas exercebit. הַשָּׁמָיִם — וּמָחָה *Nomen ejus delebit, ut ne sit amplius subter coelum*, nullos patietur superstites ei esse posteros. Cf. Num. 27, 4. — 20. Sub initio hujus Vs. repetendum est ex Vs. 17.: *Quodsi autem tota tribus se criminis hujus ream faciet,* וְהִבְדִּילוֹ יְהוָה לְרָעָה *Separabit talem Jova ad malum*, i. e. ad mala ei inferenda, calamitate eam discriminabit. Vide similem locutionem in re contraria Ex. 8, 18., 9, 4. — 22. גָּפְרִית — וּבְחֻמָּתוֹ *Sulphur et sal adustum erit universum ejus solum; nihil in eo seretur, nullos emittet fructus, nulla herba crescet et simile erit subversioni Sodomae, Gomorrhae, Adamae et Zeboimorum, quas urbes in ira et excandescentia sua subvertit Jova.* Comparatio desumta a regione circa mare mortuum. Qua de re vid. Gen. 19, 25. — 23. וְאָמְרוּ *Interrogabunt* illi aliaeque gentes. Qui hic quaerentes inducuntur alii sunt quam qui Vs. 22. loquuntur. Continet hic Vs. apodosin periodi, quae incipit Vs. 21. — 25. Ad verba וְלֹא חָלַק לָהֶם intelligendum est אֱלֹהִים *neque quos Deus iis assignavit.* Cetcrum cf. ad 4, 19.

28. הַנִּסְתָּרֹת — הַהֻא *Quae latent, Jovae Dei nostri sunt. Revelata autem ad nos et posteros nostros pertinent in perpetuum, ut nos impellant ad omnia hujus legis praecepta servanda.* Sensus videtur esse hic: haec omnia mala, quae recensui, ut nunc quidem quasi clausa et tenebris sepulta apud Deum sint, in lucem protrahentur; omnes hae calamitates, quae in fatis sunt absconditae, nobis praecepta divina transgressuris, accident, venientque in propatulum; quae cogitatio nos ad illa observanda movere debet. Aliis הַנִּסְתָּרוֹת *occulta* sunt *peccata*, ut Ps. 19, 13., הַנִּגְלוֹת *aperta;* qui sensum faciunt hunc: Dei est punire peccata occulta, ad nos vero pertinet animadvertere in aperta, ut hoc modo curemus, ne divina praecepta negligatur. Dathius sensum hoc modo declarat: Israelitas non debere nimis curiosa quaerere, quando aut quomodo Deus poenas illas in eorum posteros sit immissurus, haec Dei esse, cui futura tantum cognita sint et perspecta. Quae vero universe de his revelata sint, ea debere ipsos ad obedientiam legibus praestandam impellere. Grotius: „Quae antea penes sē retinuerat Deus, illa nobis patefecit, ut habeamus normam, ad quam componeremus vitam.“ Puncta vocibus לָנוּ וּלְבָנֵינוּ superposita indicant, illas in aliis codicibus affuisse; cf. ad Gen. 19, 33.

Cap. 30.

Populo resipiscenti venia promittitur, Legem ipsam vero tam clare explicatam monet, ut nemo se ejus ignorantia possit excusare.

1—9. וְהֵשִׁבֹתָ אֶל־לְבָבֶךָ *Revocabis ad animum*, 1 Reg. 8, 47. — בְּכָל־הַגּוֹיִם וגו׳ *Inter omnes populos, quo te Jova, Deus tuus, expulerit;* cf. 28, 64. Jer. 16, 17. — 2. וְשַׁבְתָּ עַד־יְהוָה *Redibis ad Jovam*, quem antea reliqueras, ut fictos Deos coleres. *Redire* ergo *ad Deum*, est, eum iterum, prout jussit, colere. Hunc locum respexit Nehemias 1, 9. — 4. נִדָּחֲךָ *Expulsus tuus*, i. e. exules tui, ut Jes. 27, 13. Ez. 34, 16. Mich. 4, 6. — בְּקְצֵה הַשָּׁמַיִם *In extremitate coelorum*, sin etiam ad extremas terrae regiones dispersi fueritis. — 6. וּמָל — זַרְעֶךָ *Circumcidet Jova cor tuum et cor sobolis tuae.* Vid. ad 10, 16. Qui pravis affectibus renunciat, is *circumcisus corde* dicitur. — 8. Sub hujus Vs. initio intelligenda est particula conditionalis *si. Si reverteris et auscultabis etc.* Sequitur Vs. 9. *tum abundare te faciet etc.* Similem constructionem vide Genes. 42, 38. Exod. 4, 23. — 9. וְהוֹתִירְךָ יְהוָה Vid. 28, 11. יָשׂוּב יְהוָה לָשׂוּשׂ עָלֶיךָ *Laetabitur iterum de felicitate vestra.*

11—14. כִּי *Nam* ne objicias ignorantiam. לֹא־נִפְלֵאת הִוא מִמְּךָ *Non mirabilis prae te ea* (lex) *est*, i. e. hac leges non excedunt captum tuum. וְלֹא רְחֹקָה הִוא *Neque longe remotum est*, non sunt procul petendae, non arduae indigent indagatione. — 12. Insinuat Moses Israelitis (Vs. 11—14.), legem istam, quam ipsis jam

exposuerit de amando colendoque Deo, non esse ejus generis, ut multa opera ad istam cognoscendam esset impendenda; clarissime illis eam esse declaratam, nec opus eos habere ejusdem cognitionem aliunde repetere. *Coelum* hic nominatum est, quoniam locum longissime dissitum dicere volebat. Eadem ratione in Vs. 13. verba אֶל־עֵבֶר הַיָּם explicari debent. „Veteres enim orbem terrarum habitabilem tanquam ingentem quandam insulam, aquis distinctam, vastoque Oceano undique circumfusam (conf. Ps. 24, 2. 136, 6. 2 Petr. 3, 5.) animo informantes, quidquid *incognitum* est et *inaccessum*, in loca haec ultra Oceanum sita transtulerunt. Ex quo factum est, ut, qui abdita loca adire, aut reconditas res rimari tentarent, trans Oceanum usque abire, vel ultra terrae habitabilis terminos proficisci velle dicerentur. Cf. Ps. 139, 9. Baruch. 3, 29. 30.“ Haec G. C. Knappius in *Scriptt. var. argum.* p. 553. edit. scc. — 13. אֶל־עֵבֶר *Trans.* Praepositio אֶל redundat, ut saepe, veluti Ex. 26, 19. 34, 3. Lev. 4, 12. 14, 42. — Sensus: valde propinqua vobis sunt ista praecepta, ut exactissimam eis obedientiam possitis praestare. בְּפִיךָ *In ore tuo*, de iis quotidie colloqui potes. בִּלְבָבְךָ *In corde*, i. e. in animo *tuo*, memoriae tuae frequentibus sermonibus infixa.

15. 19. 20. רְאֵה—וְאֶת־חָרֵץ *Vide*, *dedi*, proposui, *tibi hodie vitam et bonum*, *mortem et malum*. Optionem vobis offero, hinc longaevae vitae et felicitatis, si praecepta mea observaturi, illinc immaturae mortis et miseriae, si ea transgressuri estis. — 19. הַעִדֹתִי—הָאָרֶץ *Contestor hodie in vos coelum et terram*, omnes quos possum contestari, Deum et homines, cf. 32, 1. — 20. כִּי הוּא חַיֶּיךָ *Nam ille est vita tua.* Ille solus faciet, ut longam beatamque vitam agas. Cf. Ps. 27, 1.

Cap. 31.

Moses deposito suo munere Josuam populi ducem constituit. Legem literis consignatam tradit sacerdotibus, septimo quoque anno in solenni conventu populo praelegendam. Convocat populum ad carmen fatidicum audiendum, quod memoriae mandent.

2. 7. לֹא־אוּכַל עוֹד לָצֵאת וְלָבוֹא *Nec possum amplius egredi aut ingredi*, i. e. rempublicam administrare. Cf. Num. 27, 17. — 7. וְאַתָּה תַּנְחִילֶנָּה אוֹתָם *Et tu haereditare*, s. *possidere eam facies eos*, i. e. in possessionem ejus terrae illos intromittes.

9—11. וַיִּכְתֹּב מֹשֶׁה אֶת־הַתּוֹרָה הַזֹּאת *Scripsitque Moses hanc legem.* Solum intellige hunc quintum librum; nam Vs. 11. dicit, legem de qua hactenus sermo fuerit, praelegendam esse septimo quoque anno coram toto populo. Sed quomodo spatio septem dierum (festi tabernaculorum Vs. 10.) quinque Mosis libri praelegi potuissent? — 10. מִקֵּץ שֶׁבַע שָׁנִים *A fine septem annorum*, LXX. μετὰ ἑπτὰ ἔτη, *post septem annos*, h. e. septimo

anno; qui annus intermissionis est, ut declarant sequentia. בְּמוֹעֵד שְׁנַת הַשְּׁמִטָּה *In festo anni remissionis* vid. 15, 1. 2. Intelligit *festum tabernaculorum*, חַג הַסֻּכּוֹת, ut subjicitur. — 11. לֵרָאוֹת אֶת־פְּנֵי יְהוָה *Ad comparendum coram Jova* (Exod. 23, 17.). לֵרָאוֹת contracte pro לְהֵרָאוֹת, Infin. Niph.

16—18. וְזָנָה אַחֲרֵי וגו׳ vid. ad Ex. 34, 15. נֵכַר־הָאָרֶץ *Peregrinitatis terrae*, i. e. terrae peregrinae, cf. Gen. 35, 2. — 17. וְהִסְתַּרְתִּי פָנַי מֵהֶם *Abscondam ab iis faciem meam*, h. e. iis infensus ero. Metaphora a Regibus desumta, qui eos, quibus indignantur, in conspectum suum admitti vetant; contra amicos, quoties placet, admittunt. וְהָיָה לֶאֱכֹל *Eritque in cibum* scil. hostibus, vid. ad Num. 14, 9. cf. supra 7, 16. וּמְצָאֻהוּ *Et invenient eum*, accident ei Vs. 21. Gen. 44, 34. — 18. עָשָׂה *Fecit*, se. populus, pro עָשׂוּ, *fecerunt;* nam Vers. 17. Verba et Pronomina pluralia, ad *Israelitas* referenda, praecesserunt. Ne vero quis temere עָשָׂה mutet in עָשׂוּ, notavit Masora *duo esse* סְבִירִין *conjecturas*, עָשׂוּ, i. e. duobus locis, videlicet hoc ipso, in quo versamur, et 1 Reg. 18, 26., videri cuipiam posse, legendum esse עָשׂוּ, sed quod eodd. exhibent, עָשָׂה, recte se habere.

19—21. כִּתְבוּ *Scribite*, tu, Moses, Josua, sacerdotes et seniores. וְלַמְּדָהּ *Et doce illud*, tu Moses, quem potissimum alloquebatur. שִׂימָהּ בְּפִיהֶם *Pone illud* carmen *in eorum ore*, cura, ut Israelitae id memoriae mandent. לְמַעַן — יִשְׂרָאֵל *Ut hoc carmen mihi testis sit in Israelitas*, cf. ad Vs. 21. — 20. וְדָשֵׁן *Et fiet pinguis*, i. e. dives, bene se habebit, metaphora a pecudibus sumta. Cf. 32, 15. Ps. 22, 30. — 21. וְעָנְתָה הַשִּׁירָה הַזֹּאת לְפָנָיו לָעֵד *Et respondeat carmen hoc in faciem ejus, ut testis sit.* Ut sit veluti monumentum, quo constet, me eos satis superque monuisse, nec, si iis faveam, id propter eorum virtutem me facere, utque intelligant, poenas, quas dabunt, a me, qui eas praedixi, esse profectas. יִצְרוֹ אֲשֶׁר הוּא עֹשֶׂה *Figmentum ejus quod facit*, quid sibi hodie animo fingat. Novi jam, quomodo nunc sentit.

24. 27. 29. עַד תֻּמּוֹ *Usque dum consummavit ea*, ad finem eorum; a capite ad calcem, cf. Vs. 30. — 27. מְרִיְךָ *Indolem tuam rebellem*, Num. 17, 25. — וְאַף כִּי־אַחֲרֵי מוֹתִי *Quanto magis ergo*, q. d. *etiam ergo* putandum, *quod* ita *post mortem meam.* — 29. הַשְׁחֵת תַּשְׁחִתוּן *Corrumpendo corrumpetis* se. דַּרְכֵיכֶם *vias vestras*, quae est integra phrasis, vid. Gen. 6, 12. דֶּרֶךְ est *vitae ratio*, ut saepe. Sensus igitur: scio, post mortem meam a vobis negleetum iri leges meas. לְהַכְעִיסוֹ *Ita ut eum*, Jovam, *lacessatis.* בְּמַעֲשֵׂה יְדֵיכֶם *Operibus manuum vestrarum*, i. e. sceleribus vestris. Clericus intelligit *commentitiorum Deorum statuas*, quoniam eae haud raro מַעֲשֵׂה יְדֵי אָדָם dicuntur.

Cap. 32.

Sequitur praeclarum illud Mosis Carmen, 31, 19. 21. 22. 30. commemoratum, cui adhortationum vi et gravitate, sententiarum praestantia imaginumque sublimitate haud facile simile invenieris. Consilium suum in contexendo hoc carmine ipse Moses indicat 31, 29., velle se, quod sciret, suos Israelitas post mortem suam corruptum iri, et a via, quam eis praecepit, recessuros, mala longo post tempore eventura iis denunciare. Eo fine, postquam coelos et terram testes invocasset, et commendationem dicendorum ab insigni utilitate praemisisset (Vers. 1. 2), primum populo ingrato (Vs. 5. 6.) beneficia, quibus a Deo affectus esset, in memoriam revocat (Vs. 3. 4. 6 — 14.). Tum vates mente conspicit populum omnibus bonis affluentem terramque sceure possidentem, sed a Jovae cultu deficientem et Deos factitios colentem. Qua de ingratitudine Deum sistit iratum, et poenas non solum minantem, sed eas quoque exercentem. Ubi singulari plane artificio utitur poëta, quod Deum iratum ipsum loquentem inducit (Vs. 15 — 22) Laudes denique justi divini judicii ab aliis gentibus Israelitarum loco a Jova adoptatis decantatae, divino hoc carmini finem imponunt (Vs. 43.). Hoc carmen non esse Mosis, sed serioris alicujus prophetae, qui fortasse eo tempore vixerit, quo decem tribus jam in exilium fuissent abductae, DE WETTE *(Krit. d. Israelit. Gesch.* p. 393.), jamdudum inter omnes constare *(die Unächtheit dieses Liedes ist längst anerkannt)*, et ex carminis elocutione et argumento perspicuum esse perhibet. Vellem, nominasset Vir D. unum alterumve hominum eruditorum, qui ante ipsum Mosi hoc carmen abjudicassent, aut abjudicandum esse idoneis argumentis demonstrassent. — Extat CAMPEGII VITRINGAE ad hoc Carmen *Commentarius, cum Prolegg., opus posthumum* edente Hermanno Venema, qui *selectas Observv.* adjecit. Harlingae, 1734. 4. Multum lucis etiam huic carmini adtulit J. A. DATHIUS, in peculiari Diss. super hoc cantico scripta; Lips. 1768., quam nos recudi fecimus in Dathii *Opuscc. ad Crisin et Interpretat. V. T. spectantibus*, Lips. 1796. Alios, qui peculiaribus Commentt. hocce carmen illustrarunt, laudavit C. GUIL. JUSTI, qui et ipse de interpretatione illius praeclare est meritus in *den Nationalgesängen der Hebräer*, P. II. p. 100. sqq. Virtutes hujus carminis enucleavit LOWTHIUS *de S. Hebraeor. Poësi*, p. 156. sqq. edit. Lips.

1. 2. Coelum et terram invocat Moses tanquam testes perpetuo durantes gravissimarum suarum admonitionum, cf. 31, 28. Mosen imitati sunt Jes. 1, 2. et Micha 6, 1. Alii *sub terra* et *coelo* omnes res creatas testes invocari existimant. Quale illud *Aeneid.* 12, 176. *Esto nunc Sol testis et haec mihi terra vocanti.* Cf. Iliad. 3, 276. sqq. — 2. יַעֲרֹף כַּמָּטָר לִקְחִי *Pluviae instar stillet doctrina mea.* Quemadmodum pluvia, ros, imber, herbis sitientibus con-

ducunt iisque suaves sunt, ita et hujus cantici eloquium animos Israelitarum afficiat et penetret. Sic apud Arabes quoque *nubes imbribus gravida* saepe indicat hominem eruditione et sapientia copiosum, qui alios tanquam irrigare et foecundare valeat. Vid. A. SCHULTENS ad *Haririi Consess.* II. p. 46. Cf. ad Job. 29, 22. 23. Ez. 21, 2. Simili imagine Homer. *Iliad.* 3, 222. Ulyssi tribuit *verba pluviis procellosis similia.* עָרַף proprie videtur indicare *stillavit nebula vel tenuis pluvia*, coll. Syr. ערפלא *nubes*, *nebula*, et Chaldaic. עוּרְפִּילָא *pluvia tenuis.* Infra 33, 28. עָרַף adhibetur de *rore*, unde apparet, illud non indicare *pluviam vehementem.* LXX. προσδοκάσθω, quasi esset verbale ab עֹרֶף *cervix*, avide, proprie *protensa cervice* exspectet. Onkelos: *suavis sit;* vel sensum tantummodo expressit; vel adscivit significationem verbi Arab. عرف *multa fuit bonitas et suavitas.* לִקְחִי *Doctrina mea.* לָקַח inter alia significat *doceri* seu *doctrinam accipere*, ut Prov. 1, 3. 4, 10. Hinc nomen substantivum לֶקַח erit *doctrina quam ab alio accipimus*, ut Prov. 4, 2. — שְׂעִירִם *Imbres tenues* quales maxime nascentibus herbis (דֶּשֶׁא) conducunt, ita dicti, uti videtur, quod cadentes capillorum speciem oculis objiciunt; est enim שָׂעִיר a שַׂעַר *pilus*, דֶּשֶׁא est *herba virga*, *tenera*, *semen nondum habens*, vid. Gencs. 1, 11., cum עֵשֶׂב *herba adultior* sit. רְבִיבִים *Multae guttulae*, tenuiores pluviae, ut Ps. 65, 11. 72, 6. Jer. 3, 3.

3. 4. כִּי שֵׁם יְהוָה אֶקְרָא *Nomen enim Jovae*, i. e. Jovam *invocabo*, celebrabo, pro בְּשֵׁם יְהוָה אֶקְרָא, ut Jes. 12, 4. Jer. 10, 25. Ps. 105, 1. Nam in toto hoc carmine Deus non tam invocatur quam celebratur et laudatur. קָרָא cum Accus., ut hic, construitur et Ps. 94, 6. Thren. 3, 55. — הָבוּ גֹדֶל לֵאלֹהֵינוּ *Date Deo magnitudinem*, magnificate eum, laudate ejus potentiam et benevolentiam. Est hic principium quasi Cantici, praecedentia prooemii locum tenent. — 4. הַצּוּר *Petra*, ob potentiam et perseverantiam, quia stat promissis suis. Alii voc. צוּר ex significatione verbi צוּר *formandi* (1 Reg. 7, 15. Jer. 1, 5.), vertere malunt *creatorem*, quod *petra* Deus tum demum vocetur, si sermo est de salute praestanda, ut Vs. 15. et saepissime in Psalmis, sed quae in hoc Vs. leguntur, manifeste nos ducere ad illam *creatoris* notionem. Saadias: *creator.* Ceterum Syrus et Saadias הַצּוּר conjungunt cum לֵאלֹהֵינוּ (Vs. 3.), ut sensus sit: *Deo nostro fortissimo.* תָּמִים פָּעֳלוֹ *Perfectum ejus opus*, facta ejus non possunt reprehendi. כִּי כָל־דְּרָכָיו מִשְׁפָּט *Nam omnes viae ejus sunt justitia;* omnia quae agit justa et aequa sunt. אֵל אֱמוּנָה *Deus veritatis*, est verax in promissis. וְאֵין עָוֶל *Sine iniquitate.*

5. Docet Moses hoc et sq. Vs., Israelitas adeo corruptos et perversos esse, ut prorsus indigni sint, qui a Deo ut filii habeantur et ut tales ab eo tractentur. Verba שִׁחֵת לוֹ לֹא בָּנָיו מוּמָם difficilioris sunt interpretationis. LXX. ἡμάρτοσαν, οὐκ αὐτῷ τέκνα μωμητά· *peccaverunt, non ei filii vituperabiles.* Videntur vel per

hypallagen לוֹ לֹא pro לֹא לוֹ aeccpisse, vel ita, שִׁחֲתוּ לוֹ לֹא *peccarunt ei non, filii vituperabiles*, et hoc voluisse dicere: *peccarunt*, sc. sibi, *non ipsi*, Deo, quia sibi, non Deo, nocuerunt suo peccato, *filii vituperabiles*. Eodem sensu illa interpretati sunt paraphrastae Chaldaei. Aliter explicat et construit haec verba R. Moses Ben-Nachman, sic videlicet: *corrupit*, *ei*, sc. *rupi* (Vs. 4.), i. e. Deo *vitium ipsorum, non filios suos*, ita ut non sint amplius ejus filii. Haud absimili modo Lud. Cappellus (*Crit. S.* p. 682.): *corruperunt sese, non sunt filii ejus*, i. e. indigni sunt, qui dicantur filii sui; nempe מוּם dici existimat pro מוּם הֵם *sunt ipsi macula*, quod linguae usus vix admittat. Fagius verborum hujus Vs. ordinem inversum arbitratur, illaque sic ordinanda, ut initium sit faciendum a verbis דּוֹר עִקֵּשׁ וּפְתַלְתֹּל, hoc modo: *generatio prava atque perversa* (appositive), *quae non est filii ejus*, quae non habet Deum pro patre, non agnoscit Deum creatorem suum, *corrupit* se, depravavit ingenium suum, in ignominiam scilicet *illi*, sc. Deo, hoc est, in dedecus Dei. Vel: *in ignominiam suam*, h. e. quod est illi probro. Similiter et alii hunc locum explicare studuerunt; veluti Lowth Praelect. XV., p. 157. ed. Lips. Quibus tamen interpretationibus omnibus haud favent Accentus. Nam sicut accentus Dominus s. distinctivus *Tiphcha* sub לֹא impedit, quo minus illam negandi Particulam connectas cum sq. voce בָּנָיו, ita accentus itidem Dominus, quamvis paulo minoris dignitatis, *Tebhir* sub לוֹ, connectit quidem illud לוֹ cum anteced. verbo שִׁחֲתוּ per accentum Servum *Merca*, sed vetat transpositionem verborum textus tentare. Interstinctioni Masorethicae congrue vero si locum interpretari velis sanus sensus vix prodibit, nisi ad שִׁחֲתוּ interrogationem intelligas. Unde ita interpretandum erit: *Corrupitne*, sc. Deus ex Vs. 4., *illi*, Israeli, sc. vias suas (Vs. 4. coll. Gen. 6, 12.), i. e. num Deus est illis causa peccati et exitii? *Non*, nequaquam, minime! sed *filii ejus macula ipsorum* sunt, idque est ipsorum vitium. Seb. Ravius in *Exercit. II. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 61. sqq. orationis ordinem inversum putat, ut fieri solet in oratione forti et animosa, hoc modo restituendum: שִׁחֲתוּ לוֹ דּוֹר עִקֵּשׁ וּפְתַלְתֹּל לֹא בָּנָיו מוּמָם, *corrupit se generatio perversa et contorta: non filii ejus, sunt sua ipsorum macula.* שִׁחֲתוּ cum לוֹ ita construi, ut hoc Latine in Dativo sit vertendum, probat ex Num. 32, 15. וְשִׁחֲתֶם לְכָל־הָעָם הַזֶּה, *perdetis totum hunc populum*, et 1 Sam. 23, 10. לְשַׁחֵת לָעִיר *perdere urbem.* Neque abhorrere ullo modo a natura linguae Hebraeae, ut pronomen in לוֹ referatur ad ipsum subjectum agens, ut Deut. 23, 3. Cant. 2, 10. 11. Verba לֹא בָּנָיו מוּמָם autem haud procul ab initio commatis posita esse, ut attentionem ferirent, quia pronomen occurrens in לֹא בָּנָיו relationem habet ad *rupem* vel *Deum*, cujus paulo ante facta erat mentio. — פְּתַלְתֹּל *Contumax, pravus*; coll. Arab. فَتَلَ *torsit funem, convertit, dimovit ab instituto*, فَتِيلَة *recalcitrans camela.*

6. 7. הֲלַיהוָה תִּגְמְלוּ־זֹאת עַם נָבָל וְלֹא חָכָם *Haeccine reddis Jovae, populo stulte et insipiens?* Stultum et insipientem vocat populum pro *impio* et *ingrato*, cf. ad Ps. 14, 1. — קָנֶךָ *Qui acquisivit te*, idcoque jure dominii possidet, redemtum ex servitute Aegyptiaca. עָשֶׂךָ *Fecit te*, i. q. עוֹשֶׂךָ *factor tuus*, i. e. qui te populum fecit; non enim agit Moses de singulis Israelitis, sed de toto populo. Sic apud Graecos κτίζειν et *condere* apud Latinos, ubi de gente usurpatur, ejus rempublicam constituere significat. וַיְכוֹנְנֶךָ *Firmavit te*, Futur. pro Praet. Ut Israelitae eo magis sentirent, quam ingrati fuerint erga Deum, recenset nunc Moses usque ad Vs. 15. insignem Dei erga Israelitas benevolentiam. Curam ejus singularem et amorem plus quam paternum ita depingit, ut adparcat animum ejus memoria admirandae illius benignitatis suavissime esse affectum. Hinc et copia illa verborum et elegantia in similitudinibus aptissimis ad id, quod laudare volebat, illustrandum. — 7. יְמוֹת עוֹלָם *Dies antiquos.* עוֹלָם longum tempus, tam praeteritum, quam futurum significat. Cf. ad Ps. 139, 24. — שְׁנוֹת דֹּר־וָדֹר *Aetatum singularum annos.*

8. 9. Repetit beneficia Dei jam inde ab eo tempore, quo, ex veteri fama, inducta Numinis nutu linguarum varietate mortales a se invicem diducti varias terras petierunt (Gen. 11.). *Quum possessionem*, inquit poeta, *distribueret Altissimus gentibus, quum homines dispartiret, constituit terminos populorum pro numero Israelitarum.* Sensus: jam tum, quando Deus varias mortalibus terras assignando populos discerneret, jam tum, inquam, certorum populorum terras ac terminos destinavit, qui futurae Israelitarum multitudini capiendae satis essent. LXX. κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ, quae versio tamen non arguit variam lectionem, quam potius respicere videtur antiquissimam Judaeorum traditionem, Deum in divisione populorum singulis populis et regionibus singulos angelos attribuisse, qui illorum curam haberent, praeter populum Israeliticum, cujus Deus ipse immediate curam in se suscepit. — 9. כִּי חֵלֶק יְהוָה עַמּוֹ *Nam portio Jovae*, e reliquis populis electa, est *populus suus.* Redditur caussa, cur Deus huic populo certam sedem ad habitandum assignarit: quia eum e tot nationibus et populis unicum suum populum elegit. יַעֲקֹב חֶבֶל נַחֲלָתוֹ *Jacobus* est *funis haereditatis suae.* Nihil hoc est diversum a praecedenti quoad sensum. חֶבֶל נַחֲלָתוֹ *Funis haereditatis*, i. e. certa quaedam haereditatis portio, quae Deo obveniebat, ut ceteri populi prae Israelitico quasi a Deo relicti et idololatriae atque inanibus diis permissi videri possint. חֶבֶל commode reddi potest *tractus, terra;* nam terrarum et agrorum divisiones illis temporibus fiebant funibus, cujus rei exempla plura habemus in libro Josuae. Cf. ad 3, 4. Ps. 16, 6.

10. יִמְצָאֵהוּ בְּאֶרֶץ מִדְבָּר *Invenit eum in terra deserta*, veluti rem ad nullius potestatem attinentem primus occupavit, sibi

vindicabit. Poëtice hoc expressum, quia poëta omissis pluribus seculis statim ad ea tempora transit, quibus Israelitae Nomadum more Arabiam desertam pererrarunt. Igitur non est quaerendum: quomodo dici potest Deus *invenisse* populum in deserto, in quod eum ipse deduxerat? Poëtam hic legimus, non scriptorem historicum. Cod. Sam. pro יִמְצָאֵהוּ legit יאמצהו *confortavit eum.* Ita videntur quoque legisse LXX. qui habent *αὐτάρκησεν αὐτόν*, Vulgatus: *sufficientem eum sibi fecit*, Onkelos: *tribuit eis necessaria*, et Saadias: *providit ei*, (nisi hi fortasse legerint in Hiphil יַמְצִאֵהוּ). — בְּתֹהוּ יְלֵל *In deserto ululatus* ferarum, puta; noctu ad fontes convenientium. Cf. descriptionem solitudinis Jes. 13, 22. Etiamnum Arabes vastum illud desertum vocant תיה בני ישראל *desertum Israelitarum;* vid. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 102. Cod. Sam. pro וּבְתֹהוּ יְלֵל יְשִׁמֹן habet בהתלות ישמנהו quod (vere monente GESENIO in Commentat. *de Pentat. Samar.* p. 43.) pronunciandum est: בְּתַהֲלֻלוֹת יְשִׁמְנֵהוּ *in laudationibus posuit eum*, i. e. gloriosum reddidit eum, collata lectione Samaritana Vs. 18. אֵל מהכבך *Deus gloriosum te reddens.* Quomodo legerint ceteri veteres, haud facile quisquam definiverit. Utuntur enim vocabulis, quibus sensum magis, quam propriam verborum significationem expressisse videntur. LXX. *ἐν διψει καύματος ἐν ἀτύδῳ.* Similem in modum Onkelos: *in loco sicco ubi non erat aqua.* Syrus interpres יְלֵל vel omnino non, aut ut unam cum תֹּהוּ legit: vertit enim, *et in deserto Aschimon.* יְסֹבְבֶנְהוּ *Circumdedit eum*, ut instar muri eum ab hostium incursu protegeret, conf. Ps. 34, 8. 125, 2. Zach. 2, 9. — יְבוֹנְנֵהוּ plures vertunt *erudivit eum*, et de lege Israelitis a Deo data interpretantur. Sed mallem reddere *curam ejus gessit*, collato Arabico באן (pro בָּרַן) *considerare aliquid per partes*, h. e. adcuratius. Hoc curam omnimodam indicat, qua Deus omnibus rebus populi Israëlitici prospexit. Ita ex antiquioribus interpp. etiam Syrus: *et amore eum amplexus est.* יְצַרְנֵהוּ כְּאִישׁוֹן עֵינוֹ *Custodivit eum ut pupillam oculi sui.* Proverbialis locutio, quae summam curam summumque amorem denotat; nihil enim, si vitam excipias, carius est oculis, nihil quod majore cura conservetur.

11. 12. Verba כְּנֶשֶׁר יָעִיר קִנּוֹ plures vertunt: *sicut aquila excitat nidum suum*, i. e. pullitiem suam, sc. ad volandum. Sed illum sensum non ferunt, quae sequuntur: עַל־גּוֹזָלָיו יְרַחֵף *super pullis suis molli fotu incumbit.* Nam dum pullos fovet aquila, ad volandum utique non provocat. Dein subjicitur: *expansis alis tollit eos, gestat eos super pennis suis* (vid. ad Ex. 19, 4.). Hic demum habes, quod pullos volare doceat. Propria autem vis verbi עור est in *fervendo* (vid. N. G. SCHROEDERI *Origg. hebrr.* Cap. 2. p. 23.), ut locus noster ita vertendus sit: *quemadmodum aquila fervet nidum suum*, i. e. pullitiem suam fervente complectitur amore. Similiter Latini dicunt *ardere aliquem*, pro *ardenter amare.* Significatur itaque hic flagrans Dei in populum

suum affectus, ex quo providi patris familiae instar victum suis aliaque necessaria procurat. Ad illustrandam figuram facit hic Aeliani locus in *Hist. Animal.* 2, 40. *Ζηλοτυπώτατον δὲ ἦν ζῶον ἀετὸς πρὸς τὰ νεόττια. Aquila erga pullos ferventissimi est amoris.* Ubi animadvertendum, in *ζηλότυπος* eandem esse metaphoram, quae in עור, nam *ζῆλος* a *ζέω ferveo* descendere constat. Quod ad rem cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 53. עַל־גּוֹזָלָיו יְרַחֵף *Et super pullis incubat.* רָחַף, coll. sonsono Verbo Arab., proprie est *massam fovendo emollire*, hinc de avibus usurpatum, *molli fotu incubare.* Conf. ad Gen. 1, 2. Pulchre hac imagine pingitur illa tenerrima Dei cura, qua populum a se amatum molliter tractavit et formavit. יִפְרֹשׂ expansionem alarum aquilae in pullos suos, ad eos tum fovendos tum defendendos notat. — 12. יְהוָה בָּדָד יַנְחֶנּוּ *Jova solus ducebat eum.* Vid. Ex. 13, 21. 15, 13. — וְאֵין עִמּוֹ אֵל נֵכָר *Nec erat cum eo Deus alienus.* Nam Angelus, cui ductus ille tribuitur, erat ipse Jova, Ex. 3, 2 — 14. coll. Act. 7, 30. sqq., Ex. 19, 18. 20, 2. coll. Act. 7, 38.

13. יַרְכִּבֵהוּ עַל־בָּמֳתֵי אָרֶץ *Vexit eum super excelsa terrae*, quibus verbis interpp. plures significari putant, duxisse Deum Israelitas ad regionem montanam, i. e. Palaestinam, quae ita appelletur a montibus, quibus fere ab omnibus partibus circumdatur. Sed alia loca, quibus eadem phrasis legitur, Jes. 58, 14. Am. 4, 13. Hab. 3, 19. Ps. 18, 34., suadent illam potius hoc dicere: in loca tutissima, hostibus inaccessa, eum duxi, phrasi desumta a victore praedominante, qui equo aut curru vectus bellum gerens occupat montes, arces, munimenta eaque sibi subjicit. וַיֹּאכַל תְּנוּבוֹת שָׂדָי *Ut comederet proventus agrorum.* תְּנוּבָה est fructus naturalis, ut cuique terrae sua est indoles, germen; proventus continuo progerminans; a נוּב *germinavit.* שָׂדָי i. q. שָׂדֶה, forma stylo poetico priva, vid. ad Ps. 8, 8. — וַיֹּנִקֵהוּ דְבַשׁ מִסָּלַע *Sugere eum fecit*, i. e. lactavit eum *melle de petra.* Nonnulli in his verbis proverbialem existimant locutionem, qua indicetur, montes terrae quam Israelitae adituri erant, tam fertiles esse ut in iis copiose mellificent apes. Alii intelligunt sub דְּבַשׁ *mel palmarum*, ab Arabibus *Dibs* (دبس) vocatum. Michaelis *massas uvarum passarum*, de quibus ad Gen. 43, 11., ut indicetur magna vitium cultura. At de ea Vs. sq. est sermo. Equidem intellexerim *mel agreste*, sive *sylvestre*, succum dulcem, ex quibusdam arboribus, palmis, ficubus, aliis, certo tempore stillantem, humique decidentem, Graecis *μέλι ἄγριον* dictum. Id vero דְּבַשׁ dicitur 1 Sam. 26, 27. Depingitur hic terra Cananaea uti optimum et fertilissimum solum, omnium fructuum, qui ad hominum usum et voluptatem, ferax. Cf. Num. 13, 27. Deut. 8, 7. Melle quoque agresti abundabat, hinc mel e petra fluxisse dicitur. Neque enim montes Palaestinae saxosi omnes erant steriles, sed vel arboribus insignes vel pascuis aut frumento. Quo in Psalmis alluditur, veluti 72, 16.

Hinc montes Palaestinae tantis evehuntur laudibus, et Josephus *B. J.* 3, 2. montes Samariae eorumque fructus maxime celebrat. וְשֶׁמֶן מֵחַלְמִישׁ צוּר *Et oleum e saxo* s. *silice petrae*, dum in ipsis rupibus et petrosis locis oleae feliciter crescunt, pauca terra contentae, modo radices suas hic illic rupium fissuris inserere queant. De חַלָּמִישׁ vid. 8, 15.

14. חֶמְאַת בָּקָר *Lac spissum armenti*, oppositum *lacti fluidiori pecoris ovilli*, חֲלֵב צֹאן, coll. Arab. حليب *lac mulctum recens et dulce.* Alii חֵלֶב hic vertunt *adipem*, ut sit i. q. חֵלֶב, sed de eo in sq. hemistichio videtur sermo esse. אֵילִים בְּנֵי־בָשָׁן *Arietum filiorum Basan*, i. e. arietum Basaniticorum. In terra Basan enim erant uberrima et pinguissima pascua, ut proinde qui ibi pascebantur greges pinguiores essent iis, qui alibi pascebantur. Cf. ad Gen. 49, 26. — עִם־חֵלֶב כִּלְיוֹת חִטָּה *Cum adipe renum tritici*, quo designatur pingue triticum optimi generis, sive farina optima granorum triticorum, ut Ps. 81, 17. 147, 14. *Adeps renum* enim sumitur pro praestantissimo adipe, quo renes operti sunt. Similiter Arabes *medullam tritici* vocant partem ejus sapidissimam et pinguissimam. וְדַם־עֵנָב תִּשְׁתֶּה־חָמֶר *Sanguinemque uvarum, vinum merum bibisti.* חָמֶר *vinum merum*, propr. quod ferbuit et quod jam fervore suo defaecatum est. *Sanguis uvae* elegans metaphora ad vinum significandum, ob similitudinem, quae interest inter sanguinem et vinum rubrum, quod Orientales plurimi aestimant; vid. *d. a. u. n. M.* P. I. p. 255. Et consonum Hebraico עֵנָב voc. Arab. maxime de *uva rubra*, *purpurea* adhibetur. Ceterum cf. ad 8, 8.

15. „Moses coelesti mentis instinctu prospiciens nefariam illam divini cultus derelictionem, in quam mox conjuratura erat perfida Israelitarum natio, ita eorum crimina insectatur, quasi se praesente et inspectante jam antea commissa. Ita loquitur, quasi ipse testis esset eorum impietatis, et nefandis illis sacris, quibus religionem a se divinitus institutam aliquando violaturi erant, interfuisset. Qua anticipatione nihil potest esse efficacius ad res clare et evidenter demonstrandas, et paene sub adspectum subjiciendas, adeoque in poesi prophetica saepissime locum habet.“ Lowth. l. l. p. 160. coll. 527. edit. Lips. Praevidisse Mosen Hebraeos a Jovae religione ad idolorum cultum desciscituros, dixit ipse 31, 29. — וַיִּשְׁמַן יְשֻׁרוּן וַיִּבְעָט *Sed quum pinguis factus esset Jeschurun recalcitravit.* Nomine יְשֻׁרוּן, praeter hunc locum nonnisi 33, 5. 26. et Jes. 44, 2. obvio, vix dubium est populum Israeliticum designari. De ejus significatione variae sunt sententiae. Nos quidem olim. coll. Arab. يسر quod in Conj. 2. *prosperavit*, *secundavit* significat, יְשֻׁרוּן *fortunatum*, *facultatibus omnibus adfluentem* denotare existimavimus. Jam tamen dubius haereo, annon accedam sententiae Mercerii, qui ad Pagnini *Thesaurum L. S.* a se editum p. 1105. יְשֻׁרוּן putat diminutive et blanditiae causa appellatum

Israelem, quasi *Rectulum*, allusione ad nomen יִשְׂרָאֵל, ut ea appellatione populus simul admoneatur, qualem se gerere deberet. Est formae יְדֻתוּן et זְבוּלוּן. Syllaba וּן vero est charitativa, ex diminutivis Syrorum in וּן desinentibus orta. *Rectulum (Frommchen)* interpretatus est יְשֻׁרוּן et GESENIUS in *Commentar.* ad Jes. 44, 2. Diminutivum expressit quoque intepres Pentateuchi Graecus Venetus ab Ammonio V. S. V. editus, qui nomen nostrum Ἰσραελίσκος reddidit. Alexandrinus Pentateuchi interpres vertit ἠγαπημένος, Saadias: מַוְצוּף, *laudatus*. Ceteri veteres pro יְשֻׁרוּן simpliciter ponunt *Israel*. — וַיִּבְעָט *Et recalcitravit*, instar equi, qui nimiam pabuli copiam comedit, et propterea difficilius domatur. עָבִיתָ *Crassus factus es* pinguetudine. LXX. ἐπαχύνθη. כָּשִׂיתָ *Obductus es adipe*, ut Job. 15, 27. כִּסָּה פָּנָיו בְּחֶלֶב *obtexit faciem suam pinguedine*. — וַיְנַבֵּל צוּר יְשׁוּעָתוֹ *Et vilipendit petram salutis suae*. נָבַל proprie *emarcescere*, *elanguescere*, *flaccescere*, in Piel *floccifecit* cogitatione et ore; aliquid tanquam rem nihili facere, quia, quicquid vilipenditur, ei pretium et dignitas cadit, et veluti marcescit. Eodem significatu נָבַל legitur Jer. 14, 21. Mich. 7, 6. LXX. *Καὶ ἀπέστη ἀπὸ Θεοῦ σωτῆρος αὐτοῦ*. Hieronymus: *et recessit a Deo salutari suo*.

16. 17. יַקְנִאֻהוּ בְּזָרִים *Ad zelotypiam provocat eum peregrinis*, sc. amasiis, i. e. diis, ex allegoria illa, qua Deus ad gentem, quam sibi elegit, eandem habet rationem, quam maritus ad uxorem, unde idolorum cultus ut adulterium, quod Hebraicus populus commisit, sistitur, vid. Hos. 2, 4. 7. sqq. — 17. יִזְבְּחוּ לַשֵּׁדִים *Sacrificia offerunt daemonibus*. שֵׁדִים, cujus Singularis in V. T. non occurrit, videtur proprie *dominos* significare, collato Arabico סאד *dominatus est*. Tum ita vocantur dii fictitii aliarum gentium, ut hic et Ps. 106, 27. LXX. *δαιμόνια*. Concinit linguae Syr. usus, cui שאדא *daemonia* sunt, et vero semper *mala*, numquam bono, aut medio Graeci *δαιμόνιον* significatu. אֱלֹהִים לֹא יְדָעוּם *Diis quos non noverant* majores, ut 13, 7. אֱלֹהִים אֲחֵרִים *Dii alieni, quos nec tu, nec tui majores noverant*. חֲדָשִׁים מִקָּרֹב בָּאוּ *Novis, qui e propinquo venerunt*, i. e. nuper ortis. Neque enim de *loco* est מִקָּרֹב hic capiendum, quasi designentur dii e vicinis populis illati, sed de *tempore*, ut Job. 20, 5. Ez. 7, 8. Quod magis declarat iis, quae addit. לֹא שְׂעָרוּם אֲבֹתֵיכֶם *Quos non timuerunt*, i. e. coluerunt, *patres vestri*. שָׂעַר *horruit*, hic ponitur de cultu religioso, ut alias יָרֵא. LXX. *οὓς οὐκ ᾔδεισαν οἱ πατέρες αὐτῶν*. Onkelos: *quibus non operam dederunt patres eorum*. Saadias: *quos non curarunt optimi patrum vestrorum*.

18. 19. צוּר יְלָדְךָ תֶּשִׁי At *petram* quae *te genuit reliquisti*. *Petrae* imagini convenientius Jes. 51, 1. dicitur populo Hebraeo: *respicite* אֶל־צוּר חֻצַּבְתֶּם *ad petram*, ex qua *excisi estis*. תֶּשִׁי ad rad. שָׁיָה est referendum, cujus significatio ex Arabico סוי, in Conj. 4. *missum fecit*, *praetermisit* petenda. GESENIUS in Lex.

minori sec. edit. confert Arab. סהא *oblitus est*, *neglexit*, literis ה et י permutatis. LXX. ἐγκατέλιπες. Ceteri veteres *oblitus es* reddidere. Vix dubium est eos תשי ad נָשָׁה retulisse, quasi תָּשִׁי aut תַּשִׁי legissent. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 428. et 432. not. — וַתְּשַׁכַּח אֵל מְחֹלְלֶךָ *Oblitus es Dei, qui te peperit.* מְחֹלְלֶךָ notat Jarchi significare eum, *qui te eduxit ex utero materno*, ut Ps. 29, 9. יְחוֹלֵל אַיָּלוֹת *parturire facit cervas*, a חִיל *dolor parturientis. Parturiendi* significatu חוֹלֵל legitur et Job. 39, 1. al. 4. In Cod Sam. est מחלכך *qui gloriosum te reddit*, quod et Syrus expressit. Sed Masorethicam lectionem membrorum parallelismus commendat, illamque exprimunt ceteri veteres. — 19. וַיַּרְא יְהוָה וַיִּנְאָץ *Vidit Jova* eorum malefacta *et excussit*, se. eos eum indignatione, quae est propria vis verbi נָאַץ. Ita Thren. 2, 6.: וַיִּנְאַץ בְּזַעַם־אַפּוֹ מֶלֶךְ וְכֹהֵן *excussit* Jova *in vehementi ira sua regem et sacerdotem.* — מִכַּעַס בָּנָיו וּבְנֹתָיו *Prae indignatione filiorum et filiarum ejus*, i. e. prae indignatione, qua in filios filiasque commotus est; est Genitiv. objecti, ut Jes. 26, 11. קִנְאַת עָם *zelus populi* est zelus quo pro populo suo affectus est Jova. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 676. *a*).

20—22. Jam inducitur Jova poenas denuncians in nefarios illos sui contemtores immittendas. אַסְתִּירָה פָנַי מֵהֶם *Abscondam faciem meam ab iis*, i. e. infensus ero iis, cf. ad 31, 17. 18. coll. Num. 6, 25. Jer. 33, 5. — אֶרְאֶה מָה אַחֲרִיתָם *Videbo quis exitus eorum* futurus sit, i. e. male peribunt. Sarcasmus, qualis ille fratrum Josephi Gen. 37, 20., qui quum in eo essent, ut eum necarent, dixerunt: *tunc videbimus, quid sint ejus somnia.* LXX. καὶ δείξω τί ἔσται αὐτοῖς ἐπ' ἐσχάτων. Pro אֶרְאֶה enuntiaverunt אַרְאֶה, in Hiphil. — כִּי דוֹר תַּהְפֻּכוֹת הֵמָּה *Nam generatio perversitatum* sunt *illi*, genus hominum maxime perversum, conf. Vs. 5. — בָּנִים לֹא־אֱמֻן בָּם *Filii in quibus non est veritas*, fides, gens perfida; cf. Ps. 12, 2. — 21. הֵם קִנְאוּנִי בְּלֹא־אֵל *Illi me aemulare fecerunt*, i. e. aegrimoniam erearunt *per non-Deum*, וַאֲנִי אַקְנִיאֵם בְּלֹא־עָם hinc *ego vicissim* illos *aegrimonia* et moerore *afficiam per non-populum*, i. e. populo barbaro et inhumano, quem hostem iis immittam. Eodem modo sibi invicem respondent secundum Versus colon, כְּעָסוּנִי בְּהַבְלֵיהֶם *ad indignationem me incitarunt per vana sua*, i. e. idola, et quartum, בְּגוֹי נָבָל אַכְעִיסֵם *per populum stultum*, i. e. impium, qui jura omnia divina humanaque contemnit; *moerore* et molestia *eos afficiam.* — 22. כִּי־אֵשׁ קָדְחָה בְאַפִּי *Nam ignis accensus est per iram meam*, ut Jer. 15, 14. 17, 4. Arabibus קדח est *ignem ex fomite extundere*, uti loeis ex Arabum Lexicographis adductis ostendit A. Schultens in *Origg. Hebrr.* Cap. 2. §. 15. sqq. Sed nimis presse etymo inhaerens §. 9. et 11. nostrum loeum ita vertendum vult: *ignis* scintilla *emicuit*, prosiluit eum impetu et vehementia, *in nasum meum*, i. e. concitata est ira mea.

23—25. אַסְפֶּה עֲלֵימוֹ רָעוֹת *Corradam super eos mala*, undique quasi corrasa in eos aggeram et cumulabo. חִצַּי אֲכַלֶּה־בָּם *Sagittas meas in eos absumam*, tot eis immittam calamitates, ut nullae supersint. Mala a Deo immissa vocantur ejus sagittae, ut Job. 6, 4. Ps. 38, 2. 3. 91, 5. — 24. מְזֵי רָעָב Alexandrini recte τηκόμενοι λιμῷ, *marcidi facti fame* reddiderunt. Nam מָזָה, unde Adjectivum מְזֵה, conferendum est cum Arab. مز et مץ *suxit*; et Hebraeis מָצַץ i. q. מָצָה est *exsugere*, Jes. 66, 11. Apte *exsucti fame* et *exsucci* dicuntur, quibus succum corporis et humorem exhausit fames. וְלֶחֱמֵי רֶשֶׁף *Et absumti telà* s. sagitta *ardente*, i. e. lue ardente, peste. רֶשֶׁף propric *telum*, *sagittam* significat; videtur tamen notionem *ardoris* sibi junctam habere (cf. ad Ps. 76, 4.), ut uno hoc nomine חִצִּים לְלֶקִים *sagittae ardentes* (Ps. 7, 14.) denotentur. Pestis et Hom. *Iliad.* 1, 51. est βέλος ἐχεπευκές, *sagitta picea*, i. e. pice illita, ut facilius ardeat. וְקֶטֶב מְרִירִי *Et* absumti *exitio acerbo*, lue. De קֶטֶב vid. ad Ps. 91, 6., ubi de *peste* usurpatur. וְשֶׁן־בְּהֵמוֹת אֲשַׁלַּח־בָּם *Dentemque ferarum immittam*, concitabo (Ex. 8, 17.) *in eos*, ferarum agmina terram depopulabuntur, ut ipsi homines ab iis non tuti futuri sint. Idem minatur Deus Lev. 26, 22. et, una cum fame et peste, ut hic, Ez. 14, 21. — עִם־חֲמַת זֹחֲלֵי עָפָר *Cum veneno repentium in pulvere*, serpentibus venenatis, cf. Jer. 8, 17. — 25. Describuntur belli horrores: extra urbes juvenes et viri occiduntur hostis gladio, intra eas senes, mulieres et impuberes pereunt continuo terrore. וּמֵחֲדָרִים אֵימָה *Et ex penetralibus*, sc. תְּשַׁכֵּל *orbos facit* eos, quod ex priore membro repetendum, *terror*, i. e. necabit eos terror, e penetralibus suis absumtos.

26. 27. אָמַרְתִּי conditionaliter *dicerem* esse vertendum, ostendit לוּלֵי *nisi* Vs. 27. Vocem אַפְאֵיהֶם sunt, qui ex tribus voce. compositam autument, videlicet אַי *ubi?* פֹּה *hic*, et הֵם suffixo. Ita Syrus et Hieronymus: *ubinam sunt?* vertit, quod ipsum posuit Hieronymus. E duobus vocabulis אַפִּי הֵם *ira mea sunt* conflatam opinatus est interpres Samar., qui רוגזי נוך vertit. Nec aliter Onkelos, nisi quod is sensum elegantius expresserit: *quiescet ira mea super iis.* Rectius alii pro uno verbo habent, et eorum quidem plerique ad nomen פֵּאָה *angulus* referunt, explicantque: *angulatim profligabo eos*, vel, *in angulos*, extremitates *terrae relegabo eos*, aut, *ex omnibus angulis ejiciam eos.* Jod esse putant loco tertiae radicalis, quasi pro אֲפַאֶה אוֹתָם. Ita jam LXX. διασπερῶ αὐτούς. Sed relegatio ad extremos angulos, seu dispersio, non opprimit et exstinguit eorum memoriam, ut in altero hemistichio sequitur, sed eos omnium hominum oculis exponit. Rectius igitur אַפְאֵיהֶם vertitur: *exscindam eos*, coll. Arab. فاء *amputavit*, *excidit*. In *Camus* p. 1928. edit. Calcutt. habetur: *Radix* فاو *et* فاي *significat percutere et findere.* אַשְׁבִּיתָה מֵאֱנוֹשׁ זִכְרָם *Abolerem ex hominibus memoriam eorum*, totius gentis ex-

cidio. Similes phrases vid. Ex. 17, 14. Job. 18, 17. — 27. לוּלֵי כַּעַס אוֹיֵב אָגוּר *Nisi iram*, furorem *hostis timerem*, scil. *contra eos*, uti supplet Saadias, i. e. nisi metuerem, hostes in eorum excidium sese conjuraturos idque suae adscriberent potentiae, ut sequitur. פֶּן־יְנַכְּרוּ צָרֵימוֹ *Ne alienum redderent hostes eorum*, i. e., recte exponente Jarchio, ne si hostes contra populum Hebraeum praevalerent, eumque perderent, id sibi ipsorumque diis adscriberent, *et hoc est*, *quod dicitur* פֶּן־יְנַכְּרוּ צָרֵימוֹ, *ne alienam facerent rem tribuendo victoriam ipsorum* בנכרי *alieno*, sc. deo, *cui nulla est magnitudo*. Similiter Jer. 19, 4. Jova dicit: *Propterea quod me reliquerunt*, וַיְנַכְּרוּ אֶת־הַמָּקוֹם הַזֶּה *et alienis* diis *tradiderunt hunc locum*, templum meum. Onkelos: *ne seso efferat hostis*. Alii יְנַכְּרוּ simplici negandi significatu capiunt, ut Saadias: *ne forte negent hoc hostes eorum*, me videlicet, fuisse, qui Hebraeos ob eorum crimina perdiderit. יָדֵנוּ רָמָה *Manus nostra* elata, summa vi hoc ipsi perfecimus.

28—31. כִּי־גוֹי אֹבַד עֵצוֹת הֵמָּה *Nam gens periens*, perdita *consiliis*, destituta consiliis bonis, sunt *illi*, Hebraei. Verbum אָבַד notat rei *amissionem defectumve*, ut Jer. 4, 9. וְאָבַד לֵב־ הַמֶּלֶךְ *peribit cor regis*, i. e. rex animo deficiet. Cf. Jes. 29, 14. Joel 1, 11. Job. 30, 2. Ceterum אֹבַד hic ponitur pro אֹבֵד, ex forma Participii Praesentis Kal, ubi Tzere nonnumquam mutatum in Patach, quod Aben-Esra regimini tribuit. Unde quia Masorethae hanc vocem non nisi h. l. ita punctatam invenerunt, ideo addiderunt, *non reperiri amplius*. — 29. Ante יָבִינוּ לְאַחֲרִיתָם repetendum est לוּ ex initio Versus, *utinam cogitarent tempus eorum futurum*, s. *exitum suum*, quo eos haec ipsorum perversa agendi ratio sit perductura. Cf. ad Ps. 73, 11. — 30. אֵיכָה יִרְדֹּף אֶחָד אֶלֶף *Quomodo* unus hostium *persequatur mille* Israelitarum? Dixerat Moses Israelitis (Lev. 26, 8.): *persequemini hostes et cadent gladio vestro; quinque vestrum persequentur centum, et centum* vestrum *persequentur decem millia* hostium. Idem hic minatur Israelitis, si Jovae cultum reliquerint. אִם־לֹא כִּי־צוּרָם מְכָרָם *Nonne* propterea *quod*, vel, *nisi quod rupes*, i. e. Deus et servator *eorum* (ut Vs. 4. 15.) *vendidit eos*, i. e. abdicavit et tyrannidi hostium permisit eos. — 31. כִּי־לֹא כְצוּרֵנוּ צוּרָם *Nam* alioqui *non est sicut rupes nostra rupes eorum*, hostium, וְאוֹיְבֵינוּ פְּלִלִים *Et hostes eorum arbitri*, i. e. ipsi hostes nostri fatentur, deos ipsorum non ea, qua Jova, potentia pollere; nisi enim is populum Hebraeum ipsorum potestati permisisset, eum non vicissent.

32. Cohaeret hic Vs. cum Vs. 30. hoc sensu: permisit eos Jova hostium libidini, quod pessimis sunt moribus. כִּי־מִגֶּפֶן סְדֹם גַּפְנָם *Nam de vite Sodomae* est *vitis eorum*, i. e. propagines habent ex pessimo vitium genere, quales Sodomiticus ager profert. Proverbialis loquendi formula, ad significandum, Hebraeos imitari Sodomitas, aliarumque subversarum urbium incolas. Sunt, qui

hanc imaginem ad illud respicere existimant, quod de fructibus plantarum in vicinia Asphaltitidis referunt varii auctores, veluti Joseph. *de B. J.* 4, 8, 4. *et in fructibus cineres renascentes, qui specie quidem et colore edulibus similes sunt, manibus autem decerptae in favillam et cinerem resolvuntur.* Ii fructus vulgo vocantur *poma Sodomitica*, quae HASSELQUIST in *Itiner. Palaest.* p. 560. vers. teut. fructus esse perhibet *Solani melongenae*, mala insana Auctorum, „quae copiose," addit, „inveni juxta Jericho, in vallibus prope Jordanem, haud longe a mari mortuo. Quod pulvere intus repleta sint; verum est nonnumquam, sed non semper accidit, nempe in nonnullis, quod Tenthredine pungantur, quae substantiam totam internam in pulverem redigit, et corticem solum egregie coloratum integrum reliquit." Ea auctor libri Sapientiae, de regione circa mare mortuum loquens 10, 7. vocat *ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά.* — עִנְבֵי־רוֹשׁ *Uvae venenatae*, רוֹשׁ i. q. רֹאשׁ Vs. 33. et cf. ad 29, 17. — אַשְׁכְּלֹת מְרֹרֹת לָמוֹ *Racemi amaritudinum*, amarissimi, sunt *iis*, i. e. pro suavi fructu pietatis pessimos producunt fructus omnis impietatis, digni, qui sicut Sodoma pereant.

33. 34. חֲמַת תַּנִּינִם יֵינָם *Venenum draconum* est *vinum eorum.* Draecones pro serpentibus quibusvis majoribus ponuntur. וְרֹאשׁ פְּתָנִים אַכְזָר *Et venenum aspidum crudele*, atrox, sc. vinum eorum est. LXX. *καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος*, unde Vulgatus: *et venenum aspidum insanabile.* Neque tamen illos pro אַכְזָר legisse אֵין זָר *non est curatio*, sed sensum expressisse putaverim. Nam venenum aspidis est omnium acutissimum, et vitalia celerrime penetrat. יֵינָם Chaldaei interpp. ceperunt de vino inebriante poenarum Hebraeis a Jova propinando (cf. Ps. 60, 5. 75, 19. Jer. 25, 15. 51, 7.). Sic enim Onkelos: *Ecce sicut fel draconum est calix vindictae eorum, et sicut capita aspidum crudelium.* Et Jonathan: *Ecce! uti est fel draconum cum sunt a vino suo*, i. e. postquam vinum biberunt, quo venenum eorum acrius et intensius fit, *ita erit fel calicis, e quo bibent in die ultionis ipsorum.* Sed de poenis, quae Hebraeis sint infligendae, agunt Versus, qui sequuntur. — 34. הֲלֹא־הוּא כָּמֻס עִמָּדִי *Nonne hoc reconditum est apud me?* Deus loquitur. Haec omnia, inquit, novi, et eorum memor ero suo tempore. חָתוּם בַּאוֹצְרֹתָי *Obsignatum in thesauris meis*, iis h. l. significantur tabularia, sive conclavia, in quibus chartae regiae adservantur. Ita Esr. 6, 1. בְּבֵית סִפְרַיָּא דִי גְנָזַיָּא מְהַחְתִּין תַּמָּה *in tabulario, in quo gazas reponebant.* Hoc igitur dicit Jova, se omnia Hebraeorum malefacta quasi in chartis consignata habere, quae in suis tabulariis sint repositae, ne quid earum pereat, nec quicquam criminum illorum impunitum maneat.

35. לִי נָקָם וְשִׁלֵּם *Mihi* est *ultio* de perfidis Hebraeis, *et retributio* (Rom. 12, 19.). שִׁלֵּם, hoc solo loco obvium, nomen

est formae דִּבֵּר *sermo*, קִטֵּר *suffitus*. LXX. liberius verterunt: *ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω.* לְעֵת תָּמוּט רַגְלָם *Tempore quo vacillabit pes eorum*, eum res eorum in ruinam erunt pronae. Eadem imago Ps. 38, 17. 94, 18. — כִּי קָרוֹב יוֹם אֵידָם *Nam propinquus est dies interitus eorum.* אֵיד plures putant esse i. q. אֵד *vapor*, *nebula*, Gen. 2, 6., ut hic significetur status nebulosus et tenebricosus. Sed quod hic legitur אֵיד, est potius *molestia*, *infortunium*, coll. Arab. ايد *grave*, *molestum.* Cf. Job. 21, 30. 48, 16. — וְחָשׁ עֲתֹדֹת לָמוֹ *Adproperantque*, quae *parata* sunt *iis.* Verb. singulare masc. jungitur Nomini plur. fem., ut saepius, praesertim cum Verb. intransitivum praeeedit, vid. Ps. 37, 31. 57, 2., et Gesenii *Lehrgeb.* p. 720. Ceterum recte notat Jarchi, hucusque testatum esse Mosen contra Israelitas objurgationes, sive redargutiones, ut carmen hoc sit testimonium, quo, veniente super illos poena, intelligant, se eam ipsis longe antea praedixisse; ast abhinc et deinceps Moseu suorum animos erigere consolationibus, promittendo eis felicia tempora, quae poenis persolutis, sint insequutura; coll. 30, 1. 3.

36. Primum hujus Vs. membrum, כִּי־יָדִין יְהוָה עַמּוֹ, bifariam intelligi potest, prouti verbum דּוּן, vel in bonam, vel in malam partem accipitur. Sensu bono דּוּן *judicare* aliquem est, ejus oppressi causam agere eumque ab adversariis vindicare, hos vero meritis poenis afficere; cf. ad Ps. 54, 3. Quomodo si h. l eapias, כִּי erit *adversative* vertendum, *sed*, *attamen*, ut Job. 4, 5. Jes. 8, 23. Ps. 37, 20., hac sententia: *attamen Jova vindicabit* aliquando a suis oppressoribus *populum suum*, postquam satis poenarum dederit. Sed in malam partem, de poenis, quibus judex afficit sontes, ut Gen. 15, 14., Job. 36, 31., דּוּן hic capit Jarchi, qui et monet, כִּי hic non rationem reddere eorum quae praeeedunt, sed tempus, i. e. *quando* significare, ut Lev. 23, 10. 25, 2. Ita horum verborum eorumque, quae proxime sequuntur, וְעַל־עֲבָדָיו יִתְנֶחָם, sensus erit hic: *quando* satis *castigaverit Jova populum suum*, *tunc propter servos suos poenitentia ducetur*, ut illorum iterum misereatur. יִתְנֶחָם, ait Jarchi, „denotat mutationem animi, sive ad benefaciendum, sive ad malefaciendum.“ כִּי יִרְאֶה כִּי־אָזְלַת יָד *Quia videbit quod abierit manus*, i. e. vires eorum evanuisse. Cf. 1 Sam. 9, 7.: כִּי הַלֶּחֶם אָזַל מִכֵּלֵינוּ *nam panis abiit* consumtus *e vasis* nostris. Manus pro viribus, quae potissimum in manu hominis sunt. Simili figura Dan. 12, 7. dicitur נַפֵּץ יַד־עַם־קֹדֶשׁ *dissipata est manus populi sancti.* אָזְלַת more Aramaeo positum pro אָזְלָה, vid. Gesenii *Lehrg.* p. 264 417. — וְאֶפֶס עָצוּר וְעָזוּב *Et* quod *nihil* supersit *clausum et relictum.* Hae loquendi formula, quae et 1 Reg. 14, 10. 21, 21. 2 Reg. 9, 8. 14, 26. occurrit, totalem eversionem significari, vix dubium esse potest; quinam vero *clausis* et *derelictis* denotentur, sententiae variant. LXX. *ἐκλελοιπότας ἐν ἐπαγωγῇ καὶ παρειμένους, deficientes in captivitate et remissos.* Hieronymus: *clausi quoque*

defecerunt, *residuique consumti sunt*. Onkelos: *erunt vagi, demigrantes, et derelicti.* Saadias: *et defecit carcere detentus et derelictus simul ex ira eorum.* Syrus: *nec adest qui auxilietur et suffulciat.* Jarchi exponit ad hunc modum: et non est inter eos עָצוּר *servatus*, aut *salvus factus* per manus dominantis, neque עָזוּב *roboratus* per manus roborantis. „עוֹצֵר", addit, „est is qui imperat populo eumque cohibet, ne, quum ad militiam proficiscuntur contra hostes, dispersi abeant, et עָצוּר est is qui servatur coërcitione imperantis. עָזוּב vero *qui firmatur*, ut Neh. 3, 8. וַיְעַזְבוּ יְרוּשָׁלַיִם *et firmarunt Hierosolymam;* et Jer. 49, 25. אֵיךְ לֹא־עֻזְּבָה עִיר תְּהִלָּה *quomodo non est firmata urbs laudabilis?*" Aben-Esra: „Quando revertentur, multi capientur ex iis, et multi ex eis relinquentur. At brevi omnes fere peribunt." Quod quomodo e verbis Hebraeis exsculpatur, vix intelligitur. Kimchi ita exponit: non sunt divitiae, quae clauduntur domi, neque pecudes, quae relinquuntur in agris. Sunt, qui in Neutro intelligant, *clausum* et *derelictum*, pretiosum et vile, custoditum et neglectum. Sed loci librorum Regum supra allati docent, hanc formulam non nisi de personis usurpari. Lud. de Dieu in *Crit. S.* ad h. l. intelligendos arbitratur *conjugatos* et *caelibes*, ex Arabico loquendi usu, quo עָצוּר dicitur qui vinculo matrimonii uxori ac liberis adstrictus concluditur ac coërcetur intra familiam, contra עָזוּב, qui nec uxori nec liberis adstrictus sibi relinquitur suaeque libertati. Nobis simplicissimum videtur, *conclusis*, i. e. mancipiis *et liberis*, omnes et universos designari.

37. 38. וְאָמַר אַי אֱלֹהֵימוֹ *Dicitque* Jova Israelitis ad incitas redactis (Vs. 36.): *ubi* est *Deus vester*, vel, *ubi sunt Dii vestri*, צוּר חָסִיוּ בוֹ *ubi* est *rupes ad quam confugerunt?* Similem in modum Hebraeos alloquens inducitur Jud. 10, 14. *Clamate*, *agite*, *ad Deos vestros*, *quos vobis elegistis*, *salutem vobis praestent tempore*, *quo in angustia estis.* — 38. אֲשֶׁר חֵלֶב זִבְחֵימוֹ יֹאכֵלוּ *Qui* dii *adipem sacrificiorum eorum comederunt.* Dii *adipes comedere* dicuntur, quia illis adolebantur in sacrificiis iis oblatis, ut sacrificia Jovae oblata vocantur *cibus ejus* Lev. 21, 6 — יִשְׁתּוּ יֵין נְסִיכֵם *Biberunt vinum libaminis eorum.* Innuit autem, non referre deos istos cultoribus suis gratiam. יְהִי עֲלֵיכֶם סִתְרָה *Sit vobis latibulum*, sc. צוּר *rupes* illa, ad quam confugistis, quā ante Vs. 37. idola, quae Hebraei sibi colenda elegerunt per ironiam designavit. עֲלֵיכֶם *Super*, i. e. pro vobis, quomodo עַל haud raro sumitur, veluti Jud. 9, 17. אֲשֶׁר־נִלְחַם אָבִי עֲלֵיכֶם *quod pugnavit pater meus pro vobis.* סִתְרָה *Absconsio*, i. e. latibulum, sub quo tutus quis latet, cf. Jes. 4, 6. 28, 17. Ps. 32, 7.

39—41. רְאוּ עַתָּה כִּי אֲנִי אֲנִי הוּא *Videte nunc*, *quod ego*, *ego*, inquam, *sim ille*, quem me esse dico, verus Deus, qui haec dixi et feci. Bene Jarchi: Animadvertite tam ex poenis, quas vobis immisi, ex quibus nemo vos eripuit, quam ex salute, quam

vobis praestabo, me esse eum, qui deprimere, et eundem, qui extollere possit. וְאֵין אֱלֹהִים עִמָּדִי *Et quod non sit Deus mecum*, alius praeter me, ut supra Vs. 12. וְאֵין עִמּוֹ אֵל נֵכָר. מָחַצְתִּי וַאֲנִי אֶרְפָּא *Percussi, at* idem *sanabo*, similia vid. Jes. 30, 26. Hos. 6, 1. Job. 5, 1. — וְאֵין מִיָּדִי מַצִּיל *Nec est qui e manu mea eruat*, se. rebelles in me, quos punire apud me decrevi. — 40. כִּי־אֶשָּׂא אֶל־שָׁמַיִם יָדִי *Etenim ad coelum sustuli manum meam*, i. e. juravi, vid. ad Gen. 14, 22. Ex. 6, 8. — חַי אָנֹכִי לְעוֹלָם Ut vere *vivam in aeternum*, tam vere fiet, quod juro. — 41. אִם־שַׁנּוֹתִי בָּרָק חַרְבִּי *Nisi acuero fulgur gladii mei*, i. e. gladium meum fulgurantem et coruscantem. Cf. Ez. 21, 15. 20. Nah. 3, 3. אִם hic ponitur pro כִּי אִם *nisi*, q. d. non vivam in aeternum (Vs. 40.), moriar, nisi acuero rel. Alias enim simplex אִם post jurisjurandi formulam negat, vid. Gen. 14, 23. 21, 23. 1 Sam. 3, 14. Alii, qui אִם h. l. pro *si* capiunt, duo priora Versus membra protasin, duo posteriora apodosin constituere putant, hoc modo: *cum acuero gladium meum*, etc., tum rependam hostibus meis. Sed prius praeferendum videtur. וְתֹאחֵז בְּמִשְׁפָּט יָדִי *Et* nisi *prehenderit judicium manus mea*, nisi prehenso judicis gladio tribunal adscendero, ad judicium exercendum. Verbum אָחַז construitur eum nomine ejus rei, quae prehenditur, intercedente Praepos. ב, vid. Job. 23, 11. Coh. 7, 18. — אָשִׁיב נָקָם לְצָרָי *Reddam vindictam hostibus meis*, gentibus illis, quae in meum populum saevierunt, cf. Vs. 43.

42. אַשְׁכִּיר חִצַּי מִדָּם *Inebriabo sagittas meas sanguine* hostium. Eadem imago, et Jer. 46, 10. obvia, Arabibus adamata. Bohaddinus in *Vita Saladini* ab A. Schultensio edita p. 127. proelium describens, in quo magna hostium erat caedes, dicit: *biberunt gladii de sanguine eorum donec inebriati fuerint.* Et in *Excerptis ex Hamasa*, veterum poctarum Arabicorum Anthologia, ab A. Schultens ad calcem Grammaticae Erpenianae editis p. 438. haec leguntur: *Aquatum ducit hastam, ut sitiens hauriat, quin et secundis eam haustibus rigat.* וְחַרְבִּי תֹּאכַל בָּשָׂר *Et gladius meus vorat carnem;* bellum immanis quasi bellua est, circumquaque vorans. מִדַּם חָלָל וְשִׁבְיָה *E sanguine confossi et captivitatis*, captivorum, abstracto posito pro concreto, se. inebriabo sagittas meas, sive gladium meum. Verba מֵרֹאשׁ פַּרְעוֹת אוֹיֵב bene LXX. *ἀπὸ κεφαλῆς ἀρχόντων ἐχθρῶν.* Etenim nomen פֶּרַע, plane ut consonum Arab., proprie quidem *capitis capillum, caesariem*, hinc *verticem* et *summum rei*, tum *caput et principem familiae, populi*, denotat, ut Jud. 5, 2. Nomen פַּרְעוֹת quamvis *viros principes* significet, tamen h. l. est plurale *femininum*, ut solent Hebraei de viris, qui munere funguntur, nomina feminina usurpare, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 468. not. et p. 878. A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. retentâ propriâ nominis פֶּרַע significatione verba מֵרֹאשׁ פַּרְעוֹת אוֹיֵב sic vertere mallet: *a capite capillato hostis*, quod eodem modo Ps. 68, 22. Deus

percussurus dicitur קָדְקֹד שֹׂעָר *verticem capillatum* hostium. A *nudandi* significatu, quo Chaldaicum פְּרַע pollet, unde פְּרִיעָה est *denudatio*, *retectio*, Onkelos vertit: *ad amovendum coronas a capite osoris et inimici.* Saadias: *e capitibus tyrannorum hostium.* Habuit פָּרְעוֹת pro Plurali nominis פַּרְעֹה, Arabibus فِرْعَوْن, quod illis non tantum Pharaonem, sed et in genere tyrannum durum et superbum notat. Sed vetustissimam Graecorum interpretationem ceteris omnibus praeferendam judicamus. Ceterum observat Lowthus l. c. p. 217. edit. Lips., cerni in hoc Vs. peculiare artificium in sententiarum distributione, quum posteriora membra ad priora referenda sint alternatim, hoc modo:

אַשְׁפִּיר חִצַּי מִדָּם
מִדַּם חָלָל וְשִׁבְיָה
וְהַרְבִּי תֹּאכַל בָּשָׂר
מֵרֹאשׁ פַּרְעוֹת אוֹיֵב

Simile exemplum vide Ps. 33, 13. 14.

43. הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ *Ovate*, *populi*, et *populus ejus*, s. una cum populo suo. Ita et LXX. *εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.* Quod sequutus est Paulus Rom. 15, 10. Sed Onkelos: *laudate*, *o populi*, *populum ejus.* Quod sequuti sunt Syrus, Saadias et Jarchi. Et hic quidem verba ita interpretatur: „Eo tempore laudabunt populi Israelitas hisce verbis: videte quanam laude dignus sit hic populus, qui in omnibus adversitatibus, quae ei acciderunt, Deo O. M. adhaeserunt, nec eum deseruerunt; nimirum agnoverunt illi benignitatem ejus ipsiusque laudem.“ Sed laudatur potius justitia judicii divini, quod Jova cultorum suorum sanguinem ulciscitur, et de hostibus suis vindictam sumit, ut verba, quae sequuntur, diserte dicunt. וְכִפֶּר אַדְמָתוֹ עַמּוֹ *Expiatque terram populi sui*, suffixum in אַדְמָתוֹ redundat, ut Jes. 17, 6. בְּסַעִפֶּיהָ פֹּרִיָּה *in ramis arboris fructiferae*, vid. et Prov. 14, 13. et cf. Gesenii *Lehrgeb* p. 735. Est igitur אַדְמָתוֹ עַמּוֹ i. q. אַדְמַת עַמּוֹ, quod ipsum eod. Sam. exhibet. Terra sanguine contaminata et inde immunda reputata, caede rei expianda erat, vid. Num. 35, 33.

44—51. Quae dehinc sequuntur non esse Mosis, vix monitu opus. וְהוֹשֵׁעַ בִּן־נוּן *Et Hosea*, *Nuni filius*, i. e. Josua, vid. Num. 13, 16. — 46. שִׂימוּ לְבַבְכֶם לְכָל הַדְּבָרִים *Ponite cor vestrum ad omnia verba*, i. e. diligenter ea perpendite, ut Hagg. 1, 5. 7. 2, 15. — אֲשֶׁר אָנֹכִי מֵעִיד בָּכֶם הַיּוֹם *Quibus ego vos contestatus sum hodie*, i. e. serio admonui testibus adhibitis coelis et terra, vid. 31, 28. — 47. כִּי לֹא־דָבָר רֵק הוּא מִכֶּם *Nam non est verbum vanum prae vobis*, i. e. non debet a vobis reputari verbum vanum, s. inanius, quam ut suscipiatis illud. Non est hic sermo minoris momenti, quam ut eum perpendatis. Similis loquendi formula Gen. 32, 11. Vid. et Jes. 7, 13. Sed Jarchi ver-

ba illa sic exponit: non frustra laborabitis in illa lege, quia multum meredis ab ea dependet, uti sequitur, כִּי־הוּא חַיֵּיכֶם *quippe quae est vita vestra*, cf. 30, 15. 20. Additque, alios sic interpretari: non est verbum inane in lege, nihil in ea perscriptum est, quod non sit usui, nihil supervacaneum. — 48. בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *In hoc ipso die*, quo carmen illud cecinit. — 49. עֲלֵה אֶל־הַר הָעֲבָרִים Cf. ad Num. 27, 12. De הַר־נְבוֹ vid. ad Num. 32, 3. — 50. הָהָר — כַּאֲשֶׁר *Quemadmodum mortuus est Aaron, frater tuus, in monte Hor.* Vid. Num. 20, 24. sqq. — 51. עַל אֲשֶׁר מְעַלְתֶּם בִּי *Propterea quod deliquistis in me*, Lev. 5, 15. 21. — בְּתוֹךְ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *In medio Israelitarum*, inter eos, pro quo Num. 20, 12. est לְעֵינֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *ante oculos Israelitarum.* — בְּמֵי מְרִיבַת קָדֵשׁ *In aquis Meribae ad Cadesch*, vid. Num. 20, 13. 24. — עַל אֲשֶׁר לֹא־קִדַּשְׁתֶּם אוֹתִי *Propterea quod non sanctificastis me*, vid. Num. 27, 14.

Cap. 33.

Quum 32, 48. sqq. Moses eo ipso, quo cycneam suam cantionem ediderit, die, montem Nebo, divino jussu, ut ibi diem supremum obiret, ascendisse narretur, mirum profecto videri debet, eundem illum jam denuo, solenni praemissa praefatione (Vs. 2 — 6.), pro singulis tribubus vota facientem illisque bene precatum in scenam produci. Comparet praeterea haec pericopa media inter ea, quae a Mose literis consignari non potuisse, res ipsa ostendit. Quae quidem suspicionem haud levem movent, esse et haec ipsa vota Mosi abjudicanda. Augent et confirmant illam plura, quae in illis habentur, quae a Mose prolata fuisse, vix credibile sit, et multo seriorem, illo, aetatem arguant, ut ostendit ANDR. THEOPH. HOFFMANN, Theologus Jenensis, in Prooemio ad *Comment.* suum *philol. crit.* in hoc Cap., cujus Pars prima legitur in *d. Analekten für d. Stud. d. exeget. u. systemat. Theol.* Vol. IV. Part. 2., auctus vero Parte secunda et tertia (qua interpretatio usque ad finem Vs. 17. deducitur) prodiit hac epigraphe: *Observationum in difficiliora V. T. loca Partic. I.*, Jenae 1823. 4. Ac primo quidem loco serioris, Mose, temporis argumentum Vir Doctissimus jure ponendum arbitratur illud, quod Versu 4. vates cecinisse legitur: *legem nobis Moses dedit.* „Etenim Moses ipse his verbis in oratione sua uti non potuit, praesertim quum commemoratio hujus rei prorsus sit inutilis, quin etiam auditoribus paene absurda necessario videri debebat. 2) Gaditae cum reliquis tribubus contra Cananaeos bella gessisse dicuntur Vs. 21., quod Mose mortuo factum esse scimus. 3) Faustae precationes de singulis Israelitarum tribubus prolatae tantum abest, ut Mosis aetatem atque eam, qua tunc populus erat, conditionem respiciant, ut Palaestinam sumant expugnatam et inter tribus divisam; vid. inter alia Vs. 28. Distributio vero terrae Canaan fere eodem modo descripta est, atque in

libro, qui Josuae nomine inscribitur. 4) Vs. 12. *Benjamin* laudatur propter *templum Hierosolymitanum*, id quod certe *Salomonis tempora* prodit; vid. et Vs. 19. — 5) Vs. 7. vates Deum supplex adit, ut Judae succurrere velit *eumque ad populum suum reducere*, quod *ante Jojachini tempora* vix diei poterat, manifestoque prodit auctorem seriorem. 6) Preces de *Levitis* multis verbis amplificantur (Vs. 8. 11. 12.), quin etiam illorum laudes, quas in reliquis tribubus auctor omittit, quam maxime celebrantur (Vs. 8. 11. 12.)." Praetermitto alia quaedam minus graviora serioris aetatis argumenta a Viro sagacissimo prolata, veluti quod hujus Cap. auctor Jacobi morituri vota pro filiis (Gen. 49.) manifeste imitatus est ita, ut plura illius dicta in rem suam converteret et haud raro ipsa verba retineret. Quidni enim et Moses id facere potuisset? Neque, ob ea, quae de Mose, autore reliqui hujus libri, disputavimus in Prooemio illi praemisso, assentiri possumus Viro Doctissimo in eo, quod (*Analect.* I. I. p. 8.) hocce Carmen eidem, cujus est reliqua Deuteronomii pars; auctori vindicare studet. Ceterum Carmini huic peculiaribus Commentatt. illustrando praeter Hoffmannum operam navarunt Guil. Abr. Tellerus tam in vers. vernacula notisque huic subjectis (*Uebersetz. d. Segens Jacobs u. Mosis etc. mit beygefügten pract. Anmerkk.*, Halle, 1766.), quam in *Notis Critt. et Exegg. in Gen.* 49., *Deut.* 33. *etc.* Hal. 1766. p. 82. sqq., Jo. Frid. Gaab in *Explicatione nova Cap.* 33. *Deuteronomii*, in *Commentatt. Theologg.* a Velthusenio, Kuinoelio et Ruperti editt. Vol. IV. p. 374. sqq., et Justi in *den Nationalgess. d. Hebräer*, P. III. p. 1. sqq.

1. Carminis epigraphe, quae illud Mosi tribuit, qui hic titulo אִישׁ אֱלֹהִים *Viri divini* ornatur, ut Jos. 14, 6. Ps. 90, 1. Videtur haec honorifica appellatio prophetarum fuisse, vid. Jud. 13, 6. 1 Sam. 2, 27. 9, 6. 7. Innuitur itaque h. l., Mosen non vulgari modo bene precatum esse, sed prophetico spiritu, quae a Deo speranda sint beneficia, in medium protulisse.

2. Vates exorditur a laude Dei (Vs. 2 — 5.), tum transit ad ea, quae ad necessitatem et utilitatem Israelitarum facerent, i. e. bona vota pro iis facit. In laude Dei vero mentionem facit beneficiorum, quae divina benignitas in Israelitas contulisset, ut ostenderet, eum populum, quem tanto honore dignatus sit Deus, ut ei summa cum solemnitate leges daret, et sese regem constitueret, utique dignum esse, cujus et in posterum curam gerat, et, quae jam pro eo sit facturus bona vota, rata habeat. יְהוָה מִסִּינַי בָּא *Jova e Sinai venit*, i. e. obviam venit Israelitis ad montis pedem accedentibus, respectu habito ad illud Ex. 19, 17.: *Moses populum e castris Deo obviam duxit.* זָרַח מִשֵּׂעִיר לָמוֹ *Ortusque est ex Seire eis* Israelitis, qui Vs. 3. 4. nomine designantur. Pronomina haud raro spectare constat ad nomina nondum quidem expressa, sed tamen ex iis, quae sequuntur, et orationis nexu facile

intelligenda; vid. Jes. 13, 2. coll. 17. Ps. 18, 15. coll. 18., et plura exempla in GESENII *Lehrgeb.* p. 740. Pro לָמוֹ LXX. Onkelos, Syrus et Vulgatus exprimunt 1. Pers. Plur. *nobis*, non quod לָנוּ legerunt, sed ut conveniret cum Vs. 4. *Seir* mons est Idumaeae, vicinus deserto montis Sinai, vid. 2, 1. — הוֹפִיעַ מֵהַר פָּארָן *Illuxit e monte Pharan*, qui est inter montem Seir et Sinai, prope Kadesch in limite Idumaeorum, Gen. 14, 6. Num. 10, 12. 13, 3. 26. Intelligendus est hic locus de statione Israelitarum ad montem Sinai, et de glorioso Jovae adventu in illum montem; ita, ut terribilis illa tempestas, quae respicitur etiam Jud. 5, 4. 5. Habac. 3, 3. sqq. Ps. 68, 9., Israelitis exorta sit primum versus *Seir*, et plenius *illuxerit de monte Pharan*, usque dum tandem in monte Sinai subsisteret, unde porro populo suo obviam ivit. וְאָתָה מֵרִבְבוֹת קֹדֶשׁ *Venitque e myriadibus sanctitatis*, sanctis, i. e. e sede sua coelesti, ubi myriades angelorum thronum ejus circumstant, ad mandata sua exequenda parati, vid. Dan 7, 10. Jes. 6, 6. 1 Reg. 22, 19. Apoc. 5, 11. Ante verba מִימִינוֹ אֶשְׁדָּת לָמוֹ, Mendelii Fil. in Commentario hebr. recte notat repetendum esse וְאָתָה, ut ita sint interpretanda: *et e dextra ejus venit iis*, Israelitis, *ignis legis*. אֶשְׁדָּת conflatum est e duobus voce. אֵשׁ *ignis*, et דָּת *lex*, (unde in codd. haud paucis divisim est scriptum אֵשׁ דָּת), quod praeter hunc locum nonnisi in duobus serioribus V. T. libris, Esth. 1, 13. 15. 19., et Dan. 6, 9. 13. 16., occurrit. Convenit cum Persico דאד *jus*, *justitia*, et Armenorum *Dat*, *judicium*. Est igitur אֶשְׁדָּת quasi *ignis edictalis*, diciturque ita Lex Israelitis a Deo per Mosen tradita, quod media inter fulgura promulgata esset; vid. Ex. 19, 16. sqq. Hoffmannus per אֶשְׁדָּת *ignis praeceptum* significari existimat *columnam ignis et nubis*, quae Israelitis per Arabiae deserta iter facientibus praeiret. „Aptissime," inquit, „ita nominari poterat signum illud miraculosum divinae majestatis splendorem oculis quasi ingerens, et quovis tempore profectionem vel quietem *demandans*." Negat enim, hunc Vs. ad promulgationem Legis in monte Sinaitico referendum esse; sed hoc potius illum dicere: Deus suis auxilium allaturus ex illa regione iis obviam venit, in qua perpetuo habitat; poetico autem modo vatem descendere in singulas illius regionis partes etiam in aliis carminibus distinctas, videlicet Jud. 5, 4. Habac. 3, 3. Ps. 68, 9. Nobis tamen, uti supra diximus, totum hoc Prooemium in beneficio illo insigni, quod Deus in populum Israeliticum legibus ei datis contulit, celebrando versari videtur.

3. אַף חֹבֵב עַמִּים *Et amat*, sc. Jova, *populos*, i. e. tribus populi Israelitici, quae et Vs. 19. et Jud. 5, 14 עַמִּים vocantur. חֹבֵב, hic tantum obvium, haud dubium est obtinere significatum cognatis dialectis usitatum, *dilexit*, *amore complexus est*, quem et veteres omnes expresserunt, nec excepto Alexandrino interprete, quamvis is liberius *καὶ ἐφείσατο τοῦ λαοῦ αὐτοῦ*. כָּל־קְדֹשָׁיו בְּיָדֶךָ

Omnes sancti ejus, populi Israelitici, sunt *in manu tua*, o Deus! i. e. custodis et tueris pios populi Hebraei. קְדֹשִׁים vocantur *pii*, ut Ps. 16, 3. קְדוֹשִׁים אֲשֶׁר־בָּאָרֶץ *sancti qui in hac terra* degunt. Vid. et Dan. 7, 18. 22. 25., ubi קַדִּישֵׁי עֶלְיוֹנִין *sancti Excelsi*, i. e. Dei vocantur. Suffixum 3. masc. Sing. ad Subjectum, uti loquuntur, illud, quod proxime praecedit, populum Hebraeum, nomine עַמִּים insignitum, est referendum. Constructio ad sensum, cujusmodi in V. T. innumerae. Recte Onkelos: *omnes sancti domus Israelis.* Saadias: *et omnes praestantes eorum.* וְהֵם תִּכּוּ לְרַגְלֶךָ *Et illi*, Israelitae, *procubuerunt ad pedes tuos*, o Deus! stabant ad montis Sinai radices, ex quo tu tonabas, leges accepturi. תִּכּוּ est Praet. Pyal verbi תָּכָה, ejusdem cum Arab. תכא significationis: *nixus fuit rei*, *recubuit* in *latus.* In verbis יִשָּׂא מִדַּבְּרָתֶיךָ verbum singulare est distributive capiendum: *unusquisque* illorum, Israelitarum *accepit*, i. e. omnes illi receperunt *de enunciatis tuis*, i. e. enuntiata, praecepta tua.

4. 5. תּוֹרָה צִוָּה־לָנוּ מֹשֶׁה *Legem* a Deo sibi traditam *praecepit nobis Moses*; מוֹרָשָׁה קְהִלַּת יַעֲקֹב *haereditatem*, sc. injunxit eam (legem) *coetui Jacobi.* Bene Mendelii fil. exponit: *Quaenam sunt illa verba* (quae receperunt Israelitae, Vs. 4.)? *est lex, quam injunxit nobis Moses, ut sit nobis haereditas.* Observatque, nomini תּוֹרָה respondere מוֹרָשָׁה, et צִוָּה לָנוּ parallelum esse קְהִלַּת יַעֲקֹב, ante quae verba repetendum esse צִוָּה. Quae et Hoffmanni est sententia, monentis, verba proprie sic esse capienda: *haereditatem* jussit *coetum Jacobi*, i. e. dedit eam legem pro haereditate coetui Jacobi. צִוָּה construitur cum Accus. rei et personae Gen. 6, 22. Ex. 25, 22., et in Passivo cum Accus. rei Gen. 45, 19. LXX. *Κληρονομίαν συναγωγαῖς Ἰακώβ.* Lex per Mosen Hebraeis tradita iis planc peculiaris et propria est, ita ut majores eam posteris tanquam possessionem perpetuam relinquant, ut Ps. 119, 111. dicitur: *Haereditas mea leges tuae in perpetuum.* — 5. וַיְהִי בִישֻׁרוּן מֶלֶךְ *Estque in Jeschurun rex. Rege* Aben-Esra *Mosen* intelligit, quem legem exponentem audiverint capita populi, quae mox memorantur; et ante מֶלֶךְ subaudiendum putat כ similitudinis. Sed Moses numquam se regem gessit, quin 17, 14. minime se talem esse innuit. Recte Jarchi, et post eum plerique interpp. hic intelligunt *Deum*, qui eo, quo Lex Israelitis data, tempore, solus agnoscebatur Israelitarum rex, „cui," ut Clericus ait, „soli tributum solvebant Hebraei, solisque Ejus legibus obsequi tenebantur; vid. Jud. 8, 23. 1 Sam. 8, 7. Regis autem est, leges condere, praemiisque et poenis eas sancire, quod fecit Deus; internuncii contra, seu ministri regii, eas acceptas ad populum ferre, quo ministerio functus est Moses." De יְשֻׁרוּן vid. 32, 15. — בְּהִתְאַסֵּף רָאשֵׁי עָם *Cum congregarent se capita populi*, scil. eo die, quo lex a Deo data est, unde ille יוֹם הַקָּהָל *dies congregationis* vocatur 10, 4. 18, 16. Cf. Ex. 19, 7. 17. Alii de tem-

pore *futuro* hoc intelligunt. Ita Jarchi: „omni tempore quo sese congregant capita populi.“ Ante verba יַחַד שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל est repetendum בְּהִתְאַסֵּף, *cum sese una congregarent tribus Israelis.*

6. Sequuntur nunc vota pro singulis tribubus, initio facto a primogenito. יְחִי רְאוּבֵן וְאַל־יָמֹת *Vivat Ruben, nec moriatur!* i. e. ea tribus numquam intercidat. Ad verba וְיִהְיוּ מְתֵי מִסְפָּר repetendum est אַל, ut alias haud raro, veluti Gen. 43, 9. Prov. 30, 3. Jes. 23, 4., hoc sensu: *nec sint viri ejus numerus*, i. e. pauci, qui facile numerari possunt; cf ad Gen. 34, 30. Jes. 10, 19. Sit semper numerorissima haec tribus! Postquam Rubeni benc precatus esset Moses, aut qui cum loquentem hic facit, vota facienda erant pro Simeone, qui filiorum Jacobi ordine secundus erat, Gen. 29, 32. 33. Sed nulla plane Simeonis fit mentio. Erant, qui Simeonis nomen librariorum negligentia exeidisse, illudque post וְאַל־יָמֹת inserendum conjieerent, eui conjeeturae favet, quod in versionis Graecae eod. Alex. et aliis nonnullis illius vers. codd. legitur: *καὶ Συμεὼν ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ.* Sed in longe plerisque eodd. Simeonis nomen omissum est. Vix dubium, illud ex mera conjectura a quopiam additum esse, quum nec in cod. ullo Hebraeo, nec in ceteris versionibus antiquis Simeonis nomen compareat, Jonathanem si exeipias, qui in sua Versus 7. paraphrasi haec habet: *et haec est benedictio tribus Judae, et conjunxit in parte et in benedictione ejus Simeonem, fratrem ejus.* Votis pro Juda et vota pro Simeone taeite eontineri existimarunt et interpp. quidam alii, quod Simeonitieae tribûs agri ambirentur agris tribus Judae, imo per hujus agros diffusi essent, Jos. 19, 1. 9. 1 Chr. 4, 27. 28. sqq., quare expeditiones hisce tribubus communes erant, Jud. 1, 3. Alii alia conjeeerunt. Sed veram causam haud nominatae tribus Simeon non dubitamus esse hanc, quod eo, quo haec pericopa literis consignata est, tempore, Simeonitae numero ita imminuti essent (jam in itinere per desertum nulla tribus tantam imminutionem passa erat, ac Simeonitae, vid. Num. 26, 14. coll. ibid. 1, 23.), et eum Judaeis, in quorum parte agri eorum siti erant, ita coaluissent, ut propriam et distinctam tribum non amplius eonstituerent, nec digni igitur poetae viderentur, quos peculiaribus votis impertiret. Eadem fere nonnullorum ex Hebraeis interpretum sententia fuit, a Jarchio ad Vs. 7. commemorata, voce שִׁמְעָ, qua ineipit votum pro Juda, innui, comprehendi illo et votum pro Simeone (שִׁמְעוֹן a שָׁמַע, cf. Gen. 29, 33.), atque etiam, quando diviserunt Israelitae terram, tulisse Simeonem partem suam inter sortem tribus Judae, Jos. 19, 9. Porro quod attinet *ordinem*, quo pro singulis tribubus vota fiunt, vates non sequitur eum, quo illarum conditores, Jacobi filii, sunt nati, sed, uti vere observat Aben-Esra, illorum *dignitatis* ratio habetur. Hinc post Rubenem, natu maximum, eui, ex aetatis praerogativa, primus locus debebatur, sequitur Juda (Vs. 7.),

quod is in expeditionibus bellicis ceteras tribus dux anteiret (cf. ad Gen. 49, 8. sub fin.); tum sequuntur Levi et Benjamin, propterea quod Levitae versari in urbe Hierosolymitana solebant, quae Judaicos inter et Benjaminiticos agros media sita erat; illos excipit Josephus, quem loco posteriore ponere haud commode potuit, quum jam fratrem suum natu minorem, Benjaminem, praemisisset. Tum ponit Sebulonem, quod fortis et animosus in bello esset (Jud. 5, 18.), et post eum Issascharem. Absolutis filiis Jacobi iis, qui ex legitimis ejus uxoribus nati essent, transit ad ceteros, ex ancillis natos, inter quos primum locum assignat Gado, quod Gaditae in terrae Canaanis expugnatione fratres suos expediti praccederent (3, 15.), tum ponit Danem, e qua tribu dux populi, Simson, oriundus erat; deinceps sequitur Naphtali, denique Ascher, qui eo natu minor erat.

7. שְׁמַע יְהוָה קוֹל יְהוּדָה *Audi, o Jova! vocem Judae*, i. e. auxilium ei praesta cum ad debellandos hostes egreditur, ut Aben-Esra exponit; anteibat enim Juda ceteras tribus in expeditionibus bellicis; vid. ad Gen. 49, 8. — וְאֶל־עַמּוֹ תְּבִיאֶנּוּ *Et ad populum suum ducas eum*, i. e. salvum et incolumem eum reducas e bello ad suos. Saadias recte addit: *e proelio suo.* Sed Hoffmannus hoc votum spectare existimat miseram tribus Judae conditionem aetate Jojachini, „qua rex Hierosolymis expugnatus cum magna populi parte, 10 millibus scilicet, omnibus principibus et militibus, a Nebucadnezaro, captus et Babylonem ductus est (2 Reg. 24, 10. sqq. Jer. 27, 20.); meliorem enim partem tunc a reliquo populo divulsam ut Deus אֶל־עַמּוֹ *ad populum suum*, i. e. in patriam reducat, vates supplex precatur.“ In verbis יָדָיו רָב לוֹ explicandis in duas potissimum partes discedunt interpp., aliis voc. רָב ad rad. רָבַב *multus, copiosus, magnus fuit*, aliis ad רִיב *contendit* referentibus. Illi verba haec sic capiunt: *manus ejus satis ei sint*, quomodo רַב supra 1, 6. aderat. Ita interpres Persicus: *manus ejus ei sufficiant.* Arabs Erpenii: *manus ejus magnae* sint *ei.* Et Graecus Venetus: *αἱ χεῖρες αὐτοῦ ἄρχων αὐτῷ.* His accensendus Aben-Esra, qui hunc in modum exponit: *sufficient ei manus suae, nec alio, qui ipsum adjuvet, opus habebit, nisi auxilio divino solo.* Sed quo minus רַב hic obvium ad רָבַב referamus, vetat *Camez* literae ר subscriptum, quod arguit, esse illud Praeter. vel Partiecip. verbi רִיב. Legitur quidem רָב *multum* cum Camez 2 Chr. 28, 8. (שָׁלָל רָב *praeda multa*); sed ibi Accentus distinctivus major Tipheha poscit Vocalem longam Camez. Attamen hoc nostro loco in codd. pluribus olim רַב, cum Pathach, extitisse, non tantum innuit nota Masorethica huic voci adscripta: ר׳ בקמץ, i. e. *literae Resch apponendum esse Camez*, unde colligi potest, fuisse codices, in quibus aliter, videlicet רַב, scriptum esset, verum et certum est inde, quod etiammum supersint codd., qui רַב exhibent, ut tres Erfurtenses, a J. H. Michaelis in Nott. Critt. ad

Biblia Halensia ad h. l. et complures alii a De Rossio in *Scholiis Critt.* ad h. l. laudati, et inter hos quidem Hispanici nonnulli, et cod. Hillelianus numero 413 ab eo signatus. Alterum autem, רַב, quo adscito verba ita sunt vertenda: *manus sua contendat*, i. e. pugnet *pro se*, graviores et antiquiores pro se habet testes, videlicet textum Samar., qui ידו ריב exhibet (unde interpres Samaritanus אידה היגר לה *manus ejus contendet pro eo)*, LXX. *διακρίνουσιν αὐτῷ*, Aquilam, *δικάσονται*, Symmachum, *ὑπερμαχήσουσιν*, Vulgatum, *pugnabunt pro eo*, Onkelosum, *manus ejus ultionem ei facient de inimicis suis*, quod sequutus Jarchi verba sic exposuit: *suscipiant causam ejus et ulciscantur ultionem ejus.* Saadias: *redde*, o Deus, *manus ejus defendentes jus* suum *pro se.* His accensendus et Syrus, qui secundum cod. Usserianum 1. habet נדונון לה *contendent pro eo.* Ceterum nihil difficultatis habet, quod nomini duali יָדָיו jungitur verbum sing. רָב, quum et alia hujus structurae exempla occurrant, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 714. — וְעֵזֶר מִצָּרָיו תִּהְיֶה *Et auxilium*, auxiliator, *ab hostibus suis*, s. contra hostes suos, tu *sis*, o Deus! Cf. Ps. 60, 13.

8—11. Ad וּלְלֵוִי Aben-Esra notat, Praefixum ל hic non esse Dativi notam, sed valere *propter*, *de*, ut Genes. 20, 13. אִמְרִי־לִי אָחִי הוּא *dic de me: frater meus est.* Quod videtur ideo monuisse, ne quis forte suffixa pronomina 2. pers. ad תֻּמֶּיךָ וְאוּרֶיךָ ad Levin referat, quae sane ad Jovam sunt referenda, ut verba תֻּמֶּיךָ וְאוּרֶיךָ לְאִישׁ חֲסִידֶךָ hoc dicant: *Urim et Thummim tua*, o Jova! sunt *viro erga te pio*, ei illa gestanda tradidisti, concredidisti. De אוּרִים et תֻּמִּים vid. Ex. 28, 30. Patet, verbis illis significari Aaronem et sacerdotium ipsi ejusque posteris collatum; vid. Ex. 28, 36. sqq. — אֲשֶׁר נִסִּיתוֹ בְּמַסָּה תְּרִיבֵהוּ עַל־מֵי מְרִיבָה *Quem tentasti in Massa*, *quocum contendisti ad aquas Meribae.* Respiciunt haec ea, quae Ex. 17, 4—7. et Num. 20, 1—13. narrantur. *Tentavit* Deus Aaronem, i. e. fiduciam, quam in ipso poneret, explorare voluit, dum jussit eum petram alloqui, *contendit* cum eo, diffidentiam, quam ea occasione prodidit, reprehendendo; vid. ad Num. 20, 12. 24. — 9. Hoc Vs. non de solo Aarone, sed de tota tribu Levitica sermo est. Laudantur Levitae, quod a Deo jussi eos qui vitulum adorassent plectere, nullam rationem necessitudinis et consanguinitatis habuere, vid. Ex. 32, 26. sqq. Id dicit prius Versus hemistichium: *Qui dicit de patre suo et matre sua: non vidi eum*, *nec fratrem suum agnovit*, *nec filios suos cognovit*, i. e. perinde ac ignotos eos occidit ob idololatriam commissam. Videntur autem haec non tam proprie intelligenda esse, ut existimemus, Levitas vere parentes et filios occidisse, sed poëtice procul dubio dicta sunt, et nonnisi hoc indicant, Levitas in observando mandato ipsi injuncto, vituli cultores plectendi, nullum personarum respectum habuisse. Cf. Matth. 10, 37. Jarchi: „Cum peccarunt Hebraei conflando vitulo, dixit Moses:

Quisquis est Domini, is se mihi jungat (Ex. 32, 26.). Quo dicto congregarunt se ad Mosen omnes Levitae, quibus praeccpit, ut interficerent quisque patrem matris suae (i. e. vitricum, qui duxerat uxorem de familia Levi), aut nepotem ex filia sua, quod Levitae feccrunt. Neque enim illos suum quisque patrem, aut suos filios interfecisse existimandum est, quum ne unus quidem Levitarum peccarit.“ De universa tribu hoc comma loqui, ostendit alterum hemistichium: כִּי שָׁמְרוּ אִמְרָתֶךָ וּבְרִיתְךָ יִנְצֹרוּ *nam custodiebant praeceptum tuum, et observabant foedus tuum*, foederis tui leges. — 10. יוֹרוּ מִשְׁפָּטֶיךָ לְיַעֲקֹב *Docebunt jura tua Jacobum*, id muneris enim datum erat Levitis, vid. 17, 9. sqq. 24, 8. Mal. 2, 7. — יָשִׂימוּ קְטוֹרָה בְאַפֶּךָ *Ponent suffitum in naribus tuis*, tibi offerent, quod juris erat sacerdotalis, Ex. 30, 8. כָּלִיל *Holocaustum*, qua una sacrificii specie comprehenduntur ceterae omnes. — 11. בָּרֵךְ יְהוָה חֵילוֹ *Prosperet Jova opes ejus.* חַיִל hic *opes*, *facultates* denotat, ut 8, 18. Gen. 24, 29. Ps. 62, 11. — וּפֹעַל יָדָיו תִּרְצֶה *Et opus manuum ejus adprobet*, gratum habeat. מְחַץ מָתְנַיִם קָמָיו *Conquassa* quoad *lumbos adversarios ejus.* מָתְנַיִם est Accusativus, sive Casus adverbialis, quem loquendi usum pluribus illustravit Gesenius *Lehrgeb.* p. 685. 687. *Adversariis Levitarum* (קָמָיו pro עָלָיו קָמִים) intelliguntur sacerdotium illis erepturi, ut Num. 16, 3. sqq. — וּמְשַׂנְאָיו מִן־יְקוּמוּן *Et osores ejus*, sc. conquassa, percute, *ne resurgant.* מִן h. l. negationem infert, ut alias ante Nomina et Infinitivos, veluti 1 Sam. 15, 23. Hos. 6, 6. Verum Syri et Arabes eandem Praepositionem *negandi* et *vetandi* vi et Futuro praeponunt.

12. יְדִיד יְהוָה יִשְׁכֹּן לָבֶטַח עָלָיו *Dilectus Jovae habitabit secure apud eum*, Jovam. Dicitur Benjaminis tribus secure apud Jovam habitatura, quod eum secum habebat in templo et habitaculo suo. Nimirum non tantum urbs Hierosolymitana in hac tribu sita erat, Jos 18, 28.; verum etiam potissima Sanctuarii pars. Pertinebat autem pars aliqua ad tribum Juda, Ps. 78, 68., atque ideo etiam illi accensetur urbs Jos. 15, 63. — חֹפֵף עָלָיו *Protegens eum*, Benjaminem, erit Deus. חָפַף hoc solo loco obvium, significatu non differt a cognato חָפָה *obtexit.* Verba *tegendi* vero nomini rei, quae tegenda dicitur, praemissa Particula עַל jungi solent, vid. e. c. גָּנַן 2 Reg. 20, 6. — וּבֵין כְּתֵפָיו שָׁכֵן *Et inter humeros*, i. e. latera, tractus *ejus habitabit* Jova, quod templum suum in hac tribu habet. כָּתֵף in libro Josuae, ubi de divisione terrae agitur, frequenter de *latere*, *tractu*, urbis vel regionis usurpatur, vid. 15, 8. 10. 11. 18, 12. 13. 16. 18. 19.

13. 14. מְבֹרֶכֶת יְהוָה אַרְצוֹ *Prosperata Jovae*, i. e. a Jova, sit *terra ejus.* Respicitur hoc Vs. et proximis fertilitas regionis quae tribubus Ephraimi et Manassis obtigit, ut in ultimis Jacobi votis Gen. 49, 25. 26. Prosperata, inquit, sit terra illa מִמֶּגֶד שָׁמַיִם מִטָּל *a dono pretiosa coeli*, videlicet *a rore*, eo videtur h. l.

et pluvia comprehendi. מֶגֶד proprie *quidvis eximium et praestans* denotat, coll. Arab. مجد *gloria superavit*, hinc *munus pretiosum*. וּמִתְּהוֹם רֹבֶצֶת תָּחַת *Et ab abysso jacente deorsum*, i. e, laticibus subterraneis et fontibus, quibus plantae alantur; cf. ad Gen. 49, 25. — 14. תְּבוּאֹת שָׁמֶשׁ *Proventus solis*, sunt vel omnis generis fructus, qui solis beneficio et calore producuntur et ad maturitatem perveniunt; vel, ut alii volunt, qui semel tantum intra solarem periodum, seu annuum, proveniunt, ut vinum, triticum, hordeum. Ita LXX. *καὶ καθ' ὥραν γενημάτων ἡλίου τροπῶν*. Illis respondent in altero hemistichio גֶּרֶשׁ יְרָחִים *protrusum* s. *protrusa lunarum*, i. e. fructus, qui singulis mensibus, aut aliquot lunae periodis praeterlapsis, colliguntur, ut foenum, olera, ficus in Palaestina, paucis mensibus exceptis. Alii per גֶּרֶשׁ יְרָחִים intelligunt eos *fructus*, *qui sub influxu lunae germinant*, nimirum quod, ex mente veterum, aliarum plantarum incrementa a sole, aliarum a luna pendeant; vid. Plin. *H. N.* 18, 30. 49., et Virgil. *Georg.* 1, 276. sqq. 396. Quam interpretationem tamen vix admittat linguae usus, ex quo Pluralis, יְרָחִים, nusquam de *luna*, verum semper de *mensibus* usurpatur. Recte igitur Onkelos: *faciat pretiosos fructus ab initio mensis, mense.* Saadias: *legumina menstrualia.* Cf. Ez. 47, 12. Apoc. 22, 2.

15. Verba וּמֵרֹאשׁ הָרְרֵי־קֶדֶם Aben-Esra dicit per ellipsin posita esse pro וּמִמַּגֵּה רֹאשׁ הָרְרֵי־קֶדֶם *et* prosperata sit terra Josephi *munere* s. proventu *pretioso cacuminis montium aeternorum.* Alii רֹאשׁ pro synonymo nominis מֶגֶד habent, quemadmodum רֹאשׁ בְּשָׂמִים Cant. 4, 14. sunt *praestantissima aromata.* הָרְרֵי־קֶדֶם plures volunt esse *montes orientales*, quibus designentur montes Gileadiei ad orientem solem siti alterique Manassitarum dimidio distributi. Sed parallelum גִּבְעוֹת עוֹלָם *colles aeterni* in altero hemistichio suadet, ut קֶדֶם de *tempore antiquo* capiamus. Sicut igitur שְׁמֵי קֶדֶם 1 Reg. 8, 27. Ps. 68, 34. est *coelum antiquum*, et infra Vs. 27. אֱלֹהֵי קֶדֶם *Deus antiquus*, ita hic הָרְרֵי־קֶדֶם erunt *montes antiqui*, qui inde ab eo tempore, quo formata est terra, existiterunt. הָרְרֵי est forma poetis privata ab הָרָר pro usitatiore הָרֵי. De גִּבְעוֹת עוֹלָם vid. Gen. 49, 26. Totius commatis sensum Hoffmannus recte ait hunc esse: cacumine montium aeternorum et collium, qui tabida non consumuntur vetustate, temporisque robori fortiter resistunt perpetuo idem manentes. Additque, praecipuae fertilitatis montes fuisse in tribuum a Josepho oriundarum regione, nempe juga montium Ephraim, Basan et Gilead (3, 13. Num. 32, 33.), unde variis fructibus, vitibus, segetibus et pascuis hae tribus abundabant, quin etiam aromatibus magni pretii et opobalsamo, Gen. 37, 25. 43, 11.

16. מִמֶּגֶד אֶרֶץ וּמְלֹאָהּ *Munere terrae et plenitudine ejus*, i. e. iis quibus est plena. Nomine אֶרֶץ Aben-Esra h. l. *campestria* indicari existimat, opposita montibus, de quibus Vs. 15.

Cui sententiae obstare recte Hoffmannus monuit, אֶרֶץ nusquam alias arctiori hoc significatu reperiri, praesertim si cum מְלֹאָהּ jungitur, ut Ps. 24, 1. 50, 12., neque scriptores Hebraeos tam anxie agere in enumerandis rebus, ita ut, quae jam antecedentibus inerant, aut in sequentibus continentur, proferre soleant, vid. c. c. Gen. 7, 14. 21. Plures Noster coacervat voces, quo luculentius liberalitas Dei erga Josephum ejusque sobolem appareat; quem in finem et vocem רָצוֹן iterum iterumque repetit. Recte Saadias: *tota terra* Josephicae tribus. וּרְצוֹן שֹׁכְנִי סְנֶה *Et favor incolentis rubum*, i. e. Jovae, qui Mosi in rubo ardente apparuit (Ex. 3, 2.), sc. יָבוֹא לוֹ *veniat*, obtingat *ei*, quod ex iis, quae sequuntur repetendum. שֹׁכְנִי pro שֹׁכֵן est forma poetica status constructi cum Jod paragogico, in Participiis satis usitatus, vid. Gen. 49, 11. Ps. 114, 8. 123, 1. Quemadmodum olim Jacobus Josephi filiis (Gen. 48, 16.) fausta omnia apprecatus est ab *Angelo qui ipsum ex omnibus malis liberavit*, ita Moses, quem auctor hujus Carminis loquentem inducit, Josephi soboli apprecatur favorem ejus, qui sibi in rubo flammante apparuit. תְּבוֹאתָה *Veniat*, sc. הַבְּרָכָה הַזֹּאת *benedictio haec*, ut Jarchi et Aben-Esra supplent; quorum posterior recte observat, junctam esse huic voci duplicem paragogen תָה, est enim pro תָּבוֹא. Cf. de hac hujus vocis forma GESENII *Lehrgeb.* p. 464. Verba וְלָקָדְקֹד נְזִיר אֶחָיו depromta sunt e Gen. 49, 26., ubi not. vid.

17. בְּכוֹר שׁוֹרוֹ הָדָר לוֹ *Primogenitum bovis ejus* quod attinet, *gloria* est *ei*. בְּכוֹר שׁוֹרוֹ est Nominat. absol., de quo vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 723. *b)*. Hoffmannus haec verba sic reddit: *primogenitus*, i. e. praestantissimus est *bos ejus*, quo myriades Ephraimi et millia Manassis altero Vs. membro memorata indicari existimat. Verum ii *cornubus*, de quibus statim, innuuntur; et nomina בְּכוֹר שׁוֹרוֹ in statu constructo juncta esse docent Accentus. *Primogenito bovis* Josephicae tribus Hebraei fere Josuam, quo illustri duce terra Canaan est expugnata Ephraimo, filio Josephi, oriundum, intelligunt; recte, ut ego quidem arbitror. *Bovis primogenito*, i. e. valido comparatur ob vim et fortitudinem, quam in terra expugnanda exseruit. Verbis הָדָר לוֹ Jarchi bene notat respici locum Num. 27, 20., ubi Moses jubetur Josuam honoris, qui ipsi a populo exhiberetur, participem facere. וְקַרְנֵי רְאֵם קַרְנָיו *Et cornua orygis sunt cornua ejus*, primogeniti bovis tribus Josephicae, cujus proxime mentio est facta. De רְאֵם vid. Num. 23, 22. et cf. ad Job. 39, 9. edit. sec. בָּהֶם עַמִּים יְנַגַּח יַחְדָּו *Iis petet populos una*, cunctos, אַפְסֵי־אָרֶץ usque *ad limites terrae*, ante אַפְסֵי subaud. לְ, cf. Ps. 59, 14. Quaenam sint illa duo cornua, mox declarat: וְהֵם רִבְבוֹת וגו׳ *et illa* sunt *myriades Ephraim et illa* sunt *millia Manassis*, numerosi exercitus utriusque tribus. Ceterum praeponitur et hic Ephraim Manassi ut Gen. 48, 19. 20.

18. 19. שְׂמַח זְבוּלֻן בְּצֵאתֶיךָ *Laetare, o Sebulon! in egressu tuo*, i. e. navigationibus tuis et commerciis exercendis. Tenebant enim Sebulonitae oram maritimam, ad commercia cum finitimis Tyriis et Sidonis exercenda commode sitam, vid. ad Gen. 49, 13. וְיִשָּׂשכָר בְּאׇהָלֶיךָ Tu vero, *o Issachar!* laetare *in tentoriis tuis*, domi manens, et agris colendis occupatus, cf. ad Gen. 49, 15. — 19. עַמִּים־צֶדֶק *Populos* ad *montem vocabunt*, *ibi mactabunt sacrificia justitiae*, i. e. Sebulonitae et Issacharitae divites redditi ceteras tribus ad montem, in quo templum exstructum, invitabunt, et ibi sacrificia salutaria Deo offerent. עַמִּים sunt tribus Israeliticae, ut Vs. 3. הַר h. l. ex communi Hebraeorum sententia Moriam montem, cui templum erat impositum, designat. זִבְחֵי־צֶדֶק *Sacrificia justa*, ut Ps. 4, 6., sunt vel rite et legitime oblata (ut Lev. 19, 36. מֹאזְנֵי צֶדֶק אַבְנֵי־צֶדֶק sunt *bilances justae* et *pondera justa*, vid. et supra 16, 18.), vel, quod malim, pia ac grata erga Deum mente, pro acceptis ab eo beneficiis oblata. Cf. ad Ps. 4, 6. — כִּי שֶׁפַע יַמִּים יִינָקוּ *Nam affluentiam maris sugent*, opibus et deliciis externis, quae navibus invehentur, affluent. וּשְׂפֻנֵי טְמוּנֵי חוֹל *Et abscondita thesaurorum*, i. e. thesauros absconditos *arenae*. Iis alii intelligunt auri argentive fodinas, quae in tribuum illarum ditione fuerint; alii immensas opes collectas, quas in arena defoderint Sebulonitae et Issacharitae; alii aurum, argentum, gemmas ab exteris allatas, quae e terra vel arenis extrahi aut colligi solent; quod et mihi praeplacet. Digna tamen, quae memoretur, Jonathanis est interpretatio, et Dathio probata: *ex arena producent specula et vasa vitrea, quoniam thesauri limitum revelati sunt ipsis.* Nam in finibus Sebulonitarum erant ostia fluvii Beli, qui arenam vitriariam effundit, ex qua primum vitrum est confectum. Vid. Plinius *H. N.* 36, 26. Strabonis *Geogr.* L. 16. Cap. 2. §. 25. Tacit. *Hist.* L. 5. Cap. 7. Joseph. *de bello Jud.* L. 2. Cap. 9.

20. בָּרוּךְ מַרְחִיב גָּד *Benedictus*, laudatus sit *qui dilatat Gadum*, i. e. Deus, qui Gado amplos et latos fines concedit. „Dum autem," inquit Clericus, „Moses Deo, Gadum amplianti, benedicit, ipsi Gado benevolentiam suam ostendit." כְּלָבִיא שָׁכֵן *Sicut leo habitat*, requieseit. Quibus verbis hujus tribus fortitudo bellica, et devictis hostibus securitas significatur; *fortitudo* quidem, quia leoni comparatur; *securitas*, quod haec tribus in morem leonis viribus suis fidentis secure quieseat et dormiat, suos hostes non timens. Cf. Gen. 49, 9. et ad Num. 24, 9. Jarchi: Quoniam Gad vicinus erat limitibus, ideo comparatur leoni, nam quicunque sunt vicini limitibus, fortes esse oportet, ut defendant limites ab hostibus. וְטָרַף זְרוֹעַ אַף־קׇדְקֹד *Discerpetque brachium et verticem*, i. e. fortes suos adversarios eorumque reges rapiet et delebit leonis in morem, qui praedae, quam cepit, brachium seu armum cum capite uno impetu et impressione unguium lacerat. *Brachium*

imago est fortium militum, nam in brachio residet vis; *vertex* imago principis aut ducis, quare LXX. pro קָדְקֹד ἄρχοντα posuerunt.

21. וַיַּרְא רֵאשִׁית לוֹ *Prospicit*, eligit *sibi primitias*, sc. terrae Cananaeae occupandae. Tribus Gad enim cum tribu Ruben et dimidia Manassis primam partem terrae occupatae cis Jordanem accipiebat, Num. 17. In explicandis verbis כִּי־שָׁם חֶלְקַת מְחֹקֵק סָפוּן admodum variant interpretes. LXX. ea una cum iis, quae proxime praecedunt, sic reddunt: *Καὶ εἶδεν ἀπαρχὴν αὐτοῦ, ὅτι ἐκεῖ ἐμερίσθη γῆ ἀρχόντων συνηγμένων.* Patet, מְחֹקֵק סָפוּן collective accepisse, et principes in terra ea, quam tribus Gad occupavit, congregatos intellexisse. A qua sententia haud longe abest Saadias: *et quidem vidit in principio regionis suae quod coetus legislatorum ibi esset repositus.* Sed Hebraeorum plerique מְחֹקֵק סָפוּן in Singulari capiunt intelliguntque *legislatore tecto*, recondito, i. e. sepulto, Mosen, et Num. 21, 18. מְחֹקֵק vocatum, qui intra fines terrae Gaditis assignatae sepultus esset, ut igitur tribus Gad amore religionis illum terrae tractum optarit. Ita Onkelos: *et acceptum est in principio id quod ejus erat*, i. e. accepit primus partem suam, *nam ibi in sua haereditate Moses, doctor magnus Israelis, sepultus est.* Eodem sensu Hieronymus: *Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus.* Similiter Tellerus hunc locum interpretatus est: *Elegit sibi primum* terrae, *propterea quod ibi ducis*, Mosis, *portio* exigua *reposita sit*, eà vero Mosen suum ipsius sepulchrum innuere existimat, quod solum de terra promissa quasi suam portionem acceperit. Jarchi haec verba eo refert, quod Mosis sepulchrum nemini cognitum est. Haec enim ad vocem סָפוּן scripsit: *ista portio* agri *tecta et abscondita fuit ab omni homine, dicitur enim* (34, 6.): *et nemo novit sepulchrum ejus.* De Rossi in *Scholiis critt.* p. 32. verba sic interpretatur: *quia ibi portio principis*, i. e. regia et praestantissima, *erat recondita*, seu *reposita.* Gesenius in *Lex. hebr. min.* p. 538. locum ita exponit: *vidit*, *portionem legislatoris*, i. e. ab legislatore sibi assignatam, *repositam sibi esse*, observatque, adjectivum mascul. סָפוּן, ad nomen femin. חֶלְקַת referendum, construi cum propiore מְחֹקֵק, quemadmodum 1 Sam. 2, 4. habetur: קֶשֶׁת גִּבֹּרִים חַתִּים *arcus heroum* est *fractus*, ubi חַתִּים pro חֲתָתָה positum; cf. *Lehrgeb.* p. 721. Neque tamen sensus ille satis commodus videtur. Nos quidem cum aliis nonnullis locum sic interpretamur: *Et prospexit*, selegit *sibi primam* terram ab Israelitis occupatam, regionem Sichonis et Ogis, *eo quod ibi*, nempe *in portione legislatoris*, in portione a Mose sibi assignata (Num. 32, 33. Jos. 1, 13. 14.) *protectus*, securus *sit.* Nam in urbibus munitis (Num. 32, 34—36.) tuti erant eorum liberi et uxores, dum ipsi ad bellum irent; de quo verba, quae proxime sequuntur: וַיֵּתֵא רָאשֵׁי עָם *et ibat* Gadus, i. e. ibant Gaditae, tanquam *capita*, duces, principes

populi, quod Jarchi bene ita explicat: *illi enim ibant ante copias expeditas* Israelitarum *dum terram* Cananaeam *subigebant; quoniam fortes erant. Et sic dixit iis* Moses (3, 18.): *Vos autem praecedetis expediti ante fratres vestros rel.* Eodem sensu Onkelos: *ille egressus et ingressus est in capite populi*, ante populum. צִדְקָת — יְשָׂרְאֵל *Justitiam Jovae fecit, et jura sua cum Israele*, i. e. fecit, sive, quum hic Moses de futuro tempore loquens inducatur, faciet quae Deus praecepit et ipse promisit se facturum, h. e. comitabitur fratres eosque in expugnanda terra juvabit, et cum iis exsequetur, quae Deus in Cananaeos decrevit. Quod promissis steterunt Gaditae laudat in iis Josua 22, 1—3.

22—24. דָּן גּוּר אַרְיֵה *Dan* sit *catulus leonis*, magnanimus et fortis, conf. Gen. 49, 9. Danc ortus erat Simson, Jud. 13, 1. sqq. — יְזַנֵּק מִן־הַבָּשָׁן Qui *exsilit e Basane.* Ex Basanitidis montibus leones solebant in campos irruere. Verbo זָנַק, hoc tantum loco obvio, *exsiliendi* significatum, coll. Syr. זנק *jaculari*, vindicavit J. D. Michaelis in *Suppll.* p. 637. Cf. Bochartı not. ad Vs. sq. laudandam. — 23. שְׂבַע רָצוֹן *Satur sit favore*, sc. Jovae, quod nomen e verbis proximis est supplendum; obtingat Naphtalitis a Deo satietas s. copia omnium rerum gratarum. וּמָלֵא בִּרְכַּת יְהוָה *Et plenus benedictione Jovae*, ob fertilissimum Galilaeae tractum, quem haec tribus occupavit. יָם וְדָרוֹם יְרָשָׁה *Mare et austrum posside.* Bochartus (*Hieroz.* T. II. p. 39—41. coll. p. 261.): „Haec cum iis sunt conferenda, quae de Danitis dixerat Vs. 22., *Dan est ut catulus leonis, qui e Basane insiliit.* Sic enim illi, tanquam saltu ab uno Judaeae extremo, ad alterum progressi, *Laischam* s. *Leschem* urbem occupaverant ad Jordanis fluvii fontes, quam de suo nomine postmodum *Danem* appellaverant (Jud. 18, 27. 28.). Non igitur totius terrae Canaan, sed horum Danitarum respectu, Moses praedicit fore, ut Naphtali possideat יָם וְדָרוֹם *mare et meridiem.* Et vero a meridie urbis Dan usque ad mare Tiberiadis extendebatur Naphtalitarum portio. Proinde tres Chaldaei interpretes יַמָּא דְטִבֶרְיָא *mare Tiberiadis*, vel, quod idem est, יַם גִּינוֹסַר *mare Genesareth*, hic intelligunt. Lacus enim Hebraeis *maria* nominari, nemo est qui nesciat.“ Lacum Tiberiadis s. Genesareth intra Naphtalitarum fines fuisse, docuit Lightfoot in *Chorograph. Horr. hebrr. in Matth. praemiss.* Cap. 71. יְרָשָׁה est Imperat. cum ה paragogico, pro יְרַשׁ; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 383. — 24. בָּרוּךְ מִבָּנִים *Benedictus* sit *ex filiis*, i. e. auctus multa sobole; conf. ad Num. 20, 47. — יְהִי רָצוּי אֶחָיו *Gratus sit fratribus suis*, iis e terrae suae proventibus res optimas suppeditaturus; cf. Gen. 49, 20. — וְטֹבֵל בַּשֶּׁמֶן רַגְלוֹ *Tingatque oleo pedem suum*, ita abundet oleo, ut eo pedes lavare possit.

25. In verbis בַּרְזֶל וּנְחשֶׁת מִנְעָלֶךָ explicandis in duas potissimum partes interpretes discedunt, nomen מִנְעָל hoc solo loco

obvium aliis ejusdem ac נַעַל *calceamentum* significationis habentibus, aliis haud diversae a מִנְעוּל *sera*, *pessulus*, existimantibus. Priori significatu ceperunt LXX., qui illud *ὑπόδημα* vertunt, quos sequuti Syrus et Vulgatus. Neque tamen, quid eo adscito significatu verba *ferrum et aes* sint *tua calceamenta*, sibi velint, consentiunt. Jonathan ea hoc modo exponit: *Clari erunt, o tribus Ascher, sicut ferrum, et fortes sicut aes, pedes ipsorum, ad ambulandum in rupibus petrarum.* Eundem in sensum collineat Coccejus, qui in Lexico illa sic explicat: dabo tibi ambulare in securitate, ut pedibus tuis nulla noxa accidat, quasi ferro et aere calceatus esses. Kimchi et Abarbenel *calceo* per metonymiam terram calcatam, sive regionem quam Ascheritae sorte obtinerint continuoque calcaverint, significari existimant, ut his verbis significetur, in Ascheritarum portione montes ferri acrisque feraces esse. Alii cogitant de caligis seu ocreis militum, minutis cuspidatisque clavis ferreis munitis, veluti Bynaeus in libro *de Calceis Hebraeor.* L. I. Cap. 4. Sed quum *calceamenti* significatus nomini מִנְעָל assignatus sensum idoneum minime fundat; significatio altera, *serae*, *pessuli* adsciscenda erit, quam et Saadias expressit, qui מִנְעָלֶךָ *serae tuae* reddidit. Verbum נָעַל *fores obserare*, obdere foribus pessulum, notat 2 Sam. 13, 18. Jud. 3, 23. 24. Unde verborum *ferrum et aes*, i. e. ferreus et aereus sit *pessulus tuus* sensus erit vel hic: urbes tuae ferreis aeneisque pessulis (non ligneis, quorum vulgo usus fuit, cf. *d. a. u. n. M.* P. II. p. 323.), undique conclusae et munitissimae sint. Vel: terra tua tum natura, tum opere, aeque munita et tuta ab hostium insultibus sit, ac si ferreis aeneisque repagulis sit circumclusa. Hunc sensum expressit Onkelos; *firma ut ferrum et aes sit tua habitatio.* In verbis וּכְיוֹמָיךְ דְּבָאֵךְ, interpretationis diversitatem creat nomen ἅπαξ λεγόμενον דְּבָא. Plures illud capiunt *fortitudinis* significatu. Ita jam LXX. *Καὶ ὡς αἱ ἡμέραι σου, ἡ ἰσχύς σου*, quibuscum Vulgatus, Syrus et Saadias consentiunt. Onkelos: *et sicut dies juventutis tuae* sit *fortitudo tua.* Alii *senectutem* illo nomine significari existimant, quasi per literarum metathesin sit pro דְּאָב, a דָּאַב *languescere*, ut optet, senectutem Aseritarum ita firmam et lactam futuram esse, ut fuerit juventus. Sed יָמִים pro *diebus juventutis* plane pro lubitu sumitur. Assentior Pfeiffero, qui in *Dubiis Vexatt.* ad h. l. coll. Arab. دبا *quievit* locum sic interpretatur: quamdiu durabunt dies tui, duret etiam quietus status tuus, i. e. quietam semper agas vitam. Qui sensus optime congruit iis, quae proxime antecedunt.

26. Hic redit vates ad benedicendum omnibus in universum Israelitis. Verba אֵין כָּאֵל יְשֻׁרוּן LXX. reddunt: *οὐκ ἔστιν ὥσπερ ὁ Θεὸς τοῦ ἠγαπημένου*, Hieronymus: *non est Deus alius ut Deus rectissimi;* Onkelos: *non est Deus ut Deus Israelis.* Nec aliter Syrus et Saadias. Sed quo minus nomina כָּאֵל יְשֻׁרוּן in statu

regiminis, *sicut Deus Israelis*, vertamus, vetat et Accentuum et punctorum vocalium ratio. Quodsi enim τὸ כָּאֵל cum sequenti יְשֻׁרוּן conjungeretur, Camez sub praefixo כ non posset consistere; sive propter ה articuli exclusum, sive ob vicinitatem toni hic constitui dicatur. Ad haec idem nomen tali in statu Accentu conjunctivo debuisset notari, quo vero quum destituatur, et distinctivum, *Tiphcha*, appositum habeat, vocem יְשֻׁרוּן hinc distinguendam, et in *vocandi* Casu efferendam esse liquet. Quod et Jarchi vidit, qui haec verba sic exposuit: *scias tibi, o Jeschurun, non esse instar Dei* veri *omnes deos gentium.* — רֹכֵב שָׁמַיִם בְּעֶזְרֶךָ *Qui vehitur coelis pro auxilio tibi ferendo.* Cf. Ps. 18, 10. 11. — וּבְגַאֲוָתוֹ שְׁחָקִים *Et qui in majestate sua nubibus*, sc. vehitur, repetito רֹכֵב ex antecedentibus.

27. Vere observat Aben-Esra, מְעוֹנָה et מָעוֹן (quod ipsum olim in codice quodam h. l. extitisse tradunt doctores Talmudici, vid. Lightfooti *Horr. Hebr.* ad Matth. 5, 18.) esse i. q. סֻכָּה *tabernaculum*, *tugurium*, quod ab injuria coeli refugium praebet, utrumque enim illud nomen Ps. 76, 2., ut parallelum et synonimum sibi invicem respondere. Quare verba מְעוֹנָה אֱלֹהֵי קֶדֶם et hoc modo sunt capienda: ita rursum refugium tibi, o Israel, est *Deus aeternus*, quo ipso sensu in Psalmi 90., qui Mosi tribuitur, initio dicitur: אֲדֹנָי מָעוֹן אַתָּה הָיִיתָ לָּנוּ בְּדֹר וָדֹר *Domine, tu es refugium nobis per omnes generationes.* Et Ps. 91, 9. עֶלְיוֹן שַׂמְתָּ מְעוֹנֶךָ *Altissimum posuisti refugium tuum.* Recte igitur LXX. מְעוֹנָה σκέπασις reddiderunt. Verba autem וּמִתַּחַת זְרֹעֹת עוֹלָם Aben-Esra sic interpretatur: *et infra*, subter te, o Israel, sunt *brachia* Numinis *aeterna*, quae te sustentant; *brachia aeterna* vero sunt robustissima, quae non fatigantur aut debilitantur: ita protectio tibi erit et perpetua, a Deo aeterno, et validissima, quae ab omni parte te tutum praestabit. Opponitur Jova diis novis populorum vicinorum. Ad voces קֶדֶם et עוֹלָם post Grotium notat Clericus, quum Hebraei non habeant vocem propriam, qua *aeternitatem* exprimant, eos translatione aut circumloquutione uti, et קֶדֶם quidem anteriorem partem aeternitatis, si ita loqui licet, significare, עוֹלָם vero posteriorem; cf. Mich. 5, 1. Argumentum certissimum validi sui auxili, pergit Noster, jam dedit tibi Jova: וַיְגָרֶשׁ מִפָּנֶיךָ אוֹיֵב *expulit* enim jam tum ex parte *hostes coram te*, et porro sic faciet, ut promisit Ex. 23, 29. 30. 34, 11. — וַיֹּאמֶר הַשְׁמֵד *Et dixit dele*, disperde illos. Cf. 20, 16. 17.

28. In priori Versus membro in diversas partes interpretes trahit dictio עֵין יַעֲקֹב. Jarchi nomen עַיִן significatu *adspectus* capit, quo legitur Num. 11, 7. עֵינוֹ כְּעֵין הַבְּדֹלַח *adspectus ejus*, (Mannae) erat *instar adspectus bdellii.* Hinc serioribus Hebraeis et Chaldaeis כְּעֵין, proprie *secundum adspectum* seu *speciem*, simpliciter valet *in morem*, *sicut.* Sequutus vero Jarchi est Onkelosum, qui reddit: *habitent Israelitae securi et soli secundum be-*

nedictionem qua iis benedixit Jacobus, pater eorum. Eodem modo Saadias: *secundum dictum Jacobi.* Sed עֵין pro כְּעֵין eo sensu, quo seriores Hebraei et Chaldaei usurpare solent, hinc poni, vix est verosimile. Recte Aben-Esra עֵין hic *fontis* significatu capit, et עֵין יַעֲקֹב exponit: *omnes qui egrediuntur e fonte Jacobi*, i. e. posteri ejus, qui tanquam ex fonte largissimo prodibunt, eadem imagine, qua Israelitae Jes. 48, 1. vocantur: מִמֵּי יְהוּדָה יָצָאוּ *qui ex aquis Judae egressi sunt.* Et Ps. 68, 27. *Laudate Deum, vos qui estis* מְמִקּוֹר יִשְׂרָאֵל *e fonte Israelis;* et cf. ad Num. 24, 7. Ceterum Mendelii fil. recte monuit, voces בָּטַח בָּדָד tam ad יִשְׂרָאֵל quam ad עֵין יַעֲקֹב pertinere, ut primum hujus Vs. membrum ita sit capiendum: *habitet Israel secure et solitarie, habitetque fons Jacobi secure et solitarie.* בָּדָד *Solus* plures ita intelligunt: non mixtus cum Cananaeis, inter quos tutus non potuisset populus habitare. Sed videtur potius et hic, et Jer. 49, 31., ad securitatis descriptionem pertinere eo sensu, quo Jarchi exponit: singuli soli, unusquisque sub ficu sua erunt dispersi, ut in alta pace, nec opus habent, ut se congregent et simul habitent propter hostes. Cf. ad Num. 23, 9. — אֶל־אֶרֶץ pro אֶת־אֶרֶץ, habitet Israel *terram tritici et musti!* cf. 8, 7. sqq. — אַף־שָׁמָיו יַעַרְפוּ־טָל *Etiam coeli ejus*, Israelis, s. terrae ejus, *stillabunt ros*, ne opus habeant terram operose rigare, ut Aegyptii, vid. 11, 10. Cf. ad Gen. 27, 28., ubi idem apprecatur Jacobo Isaacus. LXX. *καὶ ὁ οὐρανὸς συνεφῆς αὐτῷ δρόσῳ.* et Hieronymus: *coelique caligabunt rore.* Sensum exprimere cum emphasi voluerunt, q. d.: coeli stillabunt ita densum, ut caligare quasi videantur.

29. אַשְׁרֶיךָ *O beatitudines tuae!* o beatum te! Cf. ad Ps. 1, 1. — נוֹשַׁע בַּיהוָה *Servatus per Jovam*, ut Jes. 45, 27. LXX. *σωζόμενος ὑπὸ Κυρίου.* מָגֵן עֶזְרֶךָ Qui est *clypeus auxilii tui*, te protegit, ne laedat te malum. Cf. Gen. 15, 1. Ps. 3, 4. 84, 10. 12. — וַאֲשֶׁר־חֶרֶב גַּאֲוָתֶךָ *Et qui* est *gladius eminentiae tuae*, qui est tibi instar gladii quo te supra hostes tuos efferre potes. וְיְכַחֲשׁוּ אֹיְבֶיךָ לָךְ *Et mentientur tibi hostes tui*, dissimulando et adulando, ut irani tuam a se avertant humiliter tibi servire cogentur vel inimicissimae gentes, conf. ad Ps. 18, 45. — וְאַתָּה עַל־בָּמוֹתֵימוֹ תִדְרֹךְ *Et tu super excelsa eorum loca calcabis*, arces eorum in montibus positas, loca eorum inaccessa victor calcabis, iis poteris; qua ipsa phrasi et Amos 4, 13. Mich. 1, 3. superbe incedens victor describitur. LXX. *Καὶ σὺ ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτῶν ἐπιβήσῃ.* Ceperunt בָּמוֹת, contra linguae usum, de superiore corporis parte, i. e. cervice, et allusum putarunt ad morem Orientalium antiquorum, hostes devictos pedibus calcandi. Ita et Jarchi, qui confert Jos. 10, 24. *Ponite pedes vestros super cervices regum istorum.*

Cap. 34.

Mosis mors et sepultura.

Hoc Cap., ut praecedens, longe demum post mortem Mosis huic libro additum esse, ex ipsa ejus ratione satis superque apparet, et praesertim ex Vs. 10., ubi dicitur, *non surrexisse amplius inter Israelitas Vatem Mosi similem*, quae certe minime hominis esse possunt, qui non multo post scripserit.

1 — 3. אֶל־הַר נְבוֹ רֹאשׁ הַפִּסְגָּה *In montem Nebo* (vid. 32, 49.), qui *cacumen Pisgae*. J. D. Michaeli *Pisga* videtur fastigium montis cujusdam, qui hodie vocatur *Szalt*. Verum *Szalt* esse nomen urbis cum arce colli cuidam imposita, qui collis arduis montibus sit circumdatus, refert Burckhardt (*Itin. Syr.* p. 601. sqq. vers. teuton), qui Pisgam potius eum montem esse existimat, qui hodie *Dschebel Attarus* vocatur (p. 630.); vid. *Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 131. *Gilead* sensu latiore videtur hic esse regio tribuum duarum ac dimidiae, septentrionem versus. De urbe *Dan* cf. ad Gen. 14, 14. — 2. Hic Vs. manifeste indicat, haec scripta esse post divisionem Cananaeae. עַד הַיָּם הָאַחֲרוֹן *Usque ad mare occidentale*, i. e. mediterraneum, cf. ad 11, 24. — 3. וְאֶת־הַנֶּגֶב *Et meridiem*, meridionalem partem tribus Judae, cf. ad Num. 13, 18. 28. וְאֶת־הַכִּכָּר sc. הַיַּרְדֵּן *circulum Jordanis*, ut nos quoque, *den Jordan-Kreis*. Intelligitur magna illa planities inde a lacu Tiberiadis usque ad mare mortuum, quam Jordanes secat. A Graecis ea planities vocabatur vel *μέγα πεδίον*, vel *πεδιὰς μεγάλη*, vel *αὐλών*, Geographi Arabici hanc regionem campestrem vocant *Al-Gaur*, *planitiem*, *πεδίον*. Cf. *d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 145. sqq. בִּקְעָה alias *vallis*, hic latius sumendum pro *planitie*, uti res ipsa postulat. יְרֵחוֹ עִיר הַתְּמָרִים *Jericho urbs Palmarum*. Cf. Jud. 1, 16. 2 Chr. 18, 15. Josephus quoque *de B. J.* 4, 8, 3. de regione circa Jerichuntem: *Pulcherrimos et maxime opacos hortos haec planities habet*, *palmarumque irriguarum genera, tam sapore*, *quam nominibus varia*. Vid. *Alterthumsk.* II. II. p. 153. sqq.

5. 6. עַל־פִּי יְהוָה *Ad os Jovae*, prout Jova dixerat. — 6. וַיִּקְבֹּר אֹתוֹ *Et sepelivit eum*, sc. *sepeliens*, i. e. sepultus est, impersonalis loquendi forma, de qua jam saepe monuimus. Sic LXX. *καὶ ἔθαψαν αὐτόν*. Nam eos legisse וַיִּקְבְּרוּ pro וַיִּקְבֹּר, tacentibus reliquis versionibus antiquis et codicibus adhuc collatis, haud facile crediderim. Alii supplent יְהוָה, *Mosem sepelivit Deus*, tunc ex Canone illo notissimo, quo Deo id adscribitur, quod eo providente factum est, sensus erit, Mosem Deo ita providente in speluncam quandam intrasse ibique extremum halitum emisisse. וְלֹא יָדַע — הַזֶּה *Nemo novit usque ad diem hodiernum ejus sepulchrum*. Nam etsi Israelitarum unus vel alter, qui praesto ad-

fuere morienti, ipsum sepeliverint, verum nihilominus esse potest, post non esse conspectum aut cognitum a quoquam mortalium ipsum sepulchrum.

7 — 10. לֹא־כָהֲתָה עֵינוֹ *Non caligaverant oculi ejus*, prae senio, ut Isaaco. Gen. 27, 1. — וְלֹא־נָס לֵחֹה *Neque fugerat vigor ejus.* לֵחַ proprie est *viride*, cui non deest suus humor. Sic Latini quoque dicunt *viridem senectutem.* ה ex vetusta scriptione pro ו Suff. ut Gen. 49, 11. עִירָה pro עִירוֹ *asinus ejus.* LXX. לֵחַ crediderunt adfine esse τῷ לְחִי, *maxillae*, habent enim *χελύνια labia*, genae. Sequitur illos, uti solet, Vulgatus: *nec dentes illius moti sunt.* Onkelos voc. לֵחַ contulit cum Arab. لاح *splenduit*, unde vertit: *nec mutatus est splendor gloriae faciei ejus.* — 8. שְׁלֹשִׁים יוֹם *Triginta dies* consumi solebant in luctu de viro bene merito. Cf. Num. 20, 29. — 10. אֲשֶׁר יְדָעוֹ יְהוָה פָּנִים אֶל־פָּנִים *Quem Jova noverit facie ad faciem*, i. e. quem Deus tanta familiaritate dignatus sit.

CORRIGENDA.

Pag. 28. lin. 8. leg. וַיֹּאמֶר. — p. 28. lin. 12. ab ult. leg. אֶחָד. — p. 30. lin. 18. ab ult. leg. לְהַבְדִּיל. — p. 30. lin. 14. ab ult. leg. חַיָּה. — p. 31. lin. 6. leg. תַּן. — p. 31. lin. 17. ab ult. leg. אֶרֶד. — p. 31. lin. ult. leg. בְּצַלְמֵנוּ. — p. 32. lin. 2. leg. בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ. — p. 32. lin. 33. leg. וְכִבְּשָׁהּ. — p. 33. lin. 7. pro interpretatur leg. interpretandus est. — p. 36. lin. 10. leg. הַדַּעַת. — p. 40. lin. 20. ab ult. leg. וְעָפָר. — p. 41. lin. 19. ab ult. leg. תֹּאכֵלֶנָּה. — p. 44. lin. 19. leg. תְּהִי. — p. 44. lin. 20. ab ult. leg. אֶשָּׂא פָּנֶיךָ. — p. 44. lin. 9. ab ult. leg. קִנְאַת אֵל־. — p. 44. lin. 5. ab ult. leg. וַיֵּאמֶר. — p. 48. lin. 7. leg. וַיֵּדַע. — p. 50. lin. extr. leg. הָלַךְ. — p. 53. lin. 15. ab ult. leg. בָּשָׂר. — p. 54. lin. 16. ab ult. leg. וַיִּנָּחֵם. — p. 58. lin. 2. 3. 5. ab ult. leg. כָּנָף. — p. 62. lin. 6. ab ult. leg. מַיִם. — p. 97. lin. 37. leg. Exod. 12, 40. — p. 284. lin. 24. pro terra leg. terrae.

BS1145 .R815 1828 v.1
scholia in Vetus Testamentum in
Princeton Theological Seminary–Speer Library
1 1012 00066 3528